Cx. 1ª 29
Arml 1ª
Vol 11

TRACTATUS
THEOLOGICUS,
DOGMATICUS, ET CANONICUS,
DE LIBERTATE ACTUS DIVINÆ FIDEI:

Ex quo quadraginta trium Quesnelli propositionum justa diducitur damnatio, ad mentem

CLEMENTIS XI.
PONT. MAX.

IN CONSTITUTIONE, *UNIGENITUS DEI FILIUS.*

AUTHORE
P. VINCENTIO MASCARELL

VALENTINO,

E SOCIETATE JESU.

Collega olim in Majori Sanctæ Crucis Pinciano Collegio, deinde in Regio Salmanticensi Societatis Jesu Scholasticæ Theologiæ Professore, & Divinorum Librorum Interprete.

Cum triplici Indice I. Sectionum II. Locorum Sacræ Scripturæ. III. Rerum notabilium.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

SALMANTICÆ: ex Typographia Francisci Garcia Onorato & San Miguèl.

ANNO A PARTU VIRGINEO M. DCC. XIX.

TRACTATUS

THEOLOGICUS,

DOGMATICUS, ET CANONICUS,

DE LIBERTATE ACTUS DIVINÆ FIDEI:

Ex quo quadragesima trium Quæstionum pars data dilucitur

damnatio, ad mentem

CLEMENTIS XI

PONT. MAX.

IN CONSTITUTIONE, UNIGENITUS DEI FILIUS.

AUTHORE

P. VINCENTIO MASCARELL

VALENTINO,

E SOCIETATE JESU.

Collegæ olim in Majori Sanctæ Crucis Principis Collegio, deinde in Regio Salmanticensi Societatis Jesu Scholastico Theologiæ Professore,

& Diœcesanæ Librorum Inspectore.

Cum triplici Indice I. Sectionum II. Locorum Sacræ Scripturæ.
III. Rerum notabilium.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

SALMANTICÆ: ex Typographia Francisci Garcia Onorato
& San Miguel.

ANNO A PARTU VIRGINEO M. DCC. XIX.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D.

D. EMMANUELI PEREZ

DE ARACIEL,

ARCHIEPISCOPO CÆSARAUGUSTANO, REGIOQUE CONSILIARIO.

D sacrum tuæ celsitudinis Tholum (Illustrissime Princeps) meæ advolant Lucubrationes: levidensæ munus, nisi vel in illis materiem, aut quo affiguntur contuearis animum, nempè incomptam licèt graphidem tibi meæ referre gratitudinis, quæ judicii lance eloquentiæ parentis, una virtus est, non solùm maxima, sed etiam mater virtutum omnium: Philosophorumque Principis Ethice illum dilaudat morem, ut in medio, & pulcherrimo Civitatis loco *referendæ gratiæ Templum* extruatur. Estò autẽ grates persolvere dignas, nõ opis est nostræ, Heros inclyte, & vel ideò in lucem inconcinnum, & rude hoc prodire opus haud deberet, nec tibi sacrari. Sed dum tibi destinatur ab auspiciis utique tuis longè per sæcula nobile sibi decus vendicabit. Cedri ea vis est, asserente Plinio, quæ tineam, vel cariem ab iis quæ delinit, omninò propellat, & eapropter idem inquit, Numæ libros licèt chartaceos, & terræ infossos ad IↃ.XXXV. annos integros durasse, quòd cedrati essent; igitur eruditorum censuram, & spongiam mihi pertimescenti satis cavisse videor, dũ laborem hunc infabrè compactum ad aram appendo tuam, ex qua ineat splendorem. Prolixiùs te laudarem, Illustrissime Theore, ab avis, & proavis longaque retrò serie virorum ad immortalitatem famæ in tuo stemmate viventium, si solida tu laude dignissimus, aliena felicitate gloiareris, *Qui* (ut iustè cum Enodio eloquar) *quamvis de splendore natalium conscientiæ jubar hauseris; tamen fulgorem stirpis præcipuè morum radiis obumbrasti, vincens decorem sanguinis ingenii claritate, dum coruscantem germinis tui lampadem actuum serenitate transcendis, & factus es stemmatis victor tui, per quos pleroscque mortalium nascendo superasti.* Potiorũ igitur studiosus charismatum omnem ætatem tuam sic literis addixisti, ut præcox sapientia animum tuum, tanquam dignissimum domicilium elegerit, & Illustrissimum Majusque Complutense Divi Ildefonsi Collegium sacra, ac Nobili te dignarit Trabea, illud autem universamque regalem Complutensem Academiam, publico Philosophiæ Magisterio, veluti in transcursu sydus fulgentissimum splendentibus radiis illustrasti, Jesuiticæ nostræ Scholæ decus amplissimum, Societatisque universæ semper amans plura benevolentiæ erga nos tuæ documenta frequentibus officiis exhibens. Inde ad Canonicatum Abulensis Ecclesiæ tui nominis celebritas te evocavit, ubi nullus tibi æmulator extitisset, nisi ad cumulum felicitatis tuæ pertineret, doctissimos habuisse, quos vinceres. Adscitus Ecclesiæ Pontificem, scientiæ, & virtutum actibus implesti ante tempora dignitatis, ut non magis ad sapientiam, & Magisterium, quàm ad imperium animarum videreris fuisse prognatus. Hinc quàm dignè Legionensis Ecclesiæ renuntiatus Episcopus, nec multò post Archiepisco-

Cic. pro Planc. num. 66.

Arist. 5. Ethic. cap. 5.

Plin. lib. 13. cap. 13. Cassius Emin. lib. 4. Annal.

Enod. in vitâ Antonii.

pus Cæsarauguſtanus omnes vires tuas ad Eccleſiaſticam præfecturam revocaſti. O quam denſa laudum in ſegete immergitur calamus, dum opulentiſsimam in Eccleſiæ moderamine tuarum virtutum rempublicam ingreſſus, illam exprimere geſtit! Sed è regione modeſtiæ tuæ parcere adigor, ut tibi obſecundem Illuſtriſsime Præſul; taceo igitur ſolicitudinem Eccleſiarum, inſtructionem Sacerdotum, Eccleſiaſticorum reformationem, Epiſcopalis, & Archiepiſcopalis tui Tribunalis æquitatem, Beneficiorum æquiſsimam collationem, ut dicere de te liceret, quod de Theodorico ſuo Ticinenſis Præſul: *Nullum de honoribus tetigit deſperatio, quem invenerunt deprecantem bona conſcientiæ*: Prætereò etiam in viſitanda Dioeceſi exantlatos labores, tanto tuæ diſpendio valetudinis. Quid itinerum ardua enumerem, viaſque per inacceſſa rupium, confraga vallium? Quid altiſsimas nives montoſam Legionenſem, Aragoniæque Regionem inſidentes, inſidioſas glacie planities, omnia invicto ſpiritu, animarumque zelo ſuperando, qui ſanè etſi in iis eniteat virtutibus, præcipuè in divitiarum contemptu reſplendet, contumax adverſus faſtidium divitiarum innocentia eſt. Nèc poſſet animus tuus tam magnis cogitationibus ſuffeciſſe, ni priùs excluſiſſet divitiarum amorem, haud enim te latet, quod ſacer Myſta, ac Præſul divitiarum avidus, illius malè providi epulonis divitis quandam refert ſimilitudinem, de quo Mag. Baſil. inquit: *Circumferebat veſtem extimam ad imitativam ſimilitudinem veſtis Pontificiæ, ejuſmodi veſtimentis indutus, quibus Sacerdotes induti introibant ſancta pro mundo ſupplicaturi.* Aſt tu (Generoſiſsimè Domine) quàm magna in inopum ſubventione effeceris prædicant pauperes: nam præter publicas largiſſimaſque eleemoſynas, quæ ad Palatii tui fores expenduntur, quarum non ſemel oculatus fui teſtis, quæ Religioſæ domus, & xenodochia, quinam honeſti alii egeni non debent munificentiæ tuæ continua ſubſidia?

Verùm in his, aliiſque tuis, ut par erat, dilaudandis virtutibus ſuperſedeo, tuæ indulgens modeſtiæ; quòniam, ut Doctorum Doctor Ambroſius infit: *Magna eſt modeſtia, quæ cum ſit etiam ſui juris remiſſior; nihil ſibi uſurpans, nihil vendicans, & quodammodo inter vires ſuas contractior, dives eſt apud Deum, apud quem; nemo dives: dives eſt modeſtia, quia Dei portio eſt.* Igitur, & omni veneranda obſervantia, quia Dei portio eſt. Et mentis aciem in clementiam tuam, & comitatem referens, non injucundum, ſed potius volupe tibi fore, haud ambigo, literarii hæc mei laboris antidora conſpectui deferre tuo. Antrum Mercurii ex Orpheo Tzetzes libros nuncupavit; quòd nimirum in iis Deus erudiat, quemadmodum in Antro Platonico Jupiter Minoëm inſtruxit. Et quanquam id laudis, & dignitatis diſſertationibus hiſce meis, qua meis, aſciſcere nolim, & nequeam; cum tamen eruditorum DD. & Eccleſiæ Patrum Attalicis potioribus aulæis, & Sacræ Paginæ eloquiis opus affulgeat intextum, haud deſpicatui tibi habendum, ſatis mihi fidei eſt, Sapientiſsime Antiſtes. Quòniam licèt ſacræ animarum regiminis curæ animum tuum lacerent, nunquam tamen, etiam moleſtiſsimæ, libros obli-vione obruunt, Apoſtolo enim adhæres, qui Hierarchæ Timotheo id præceptum reliquit: *Attende lectioni.* Quin imò illuſtriori exemplo Paulus ipſe, qui à Deo inſtitutus, & Doctorem ſuum habens ſpiritum, à quo dicenda, & facienda cognoverat, & in carcere conſtitutus, libros ſuos habere voluit, quos apud hospitem in peregrinatione ſua reliquerat, & in hunc modum ad Timotheum ſcribit: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens adfer tecum, & libros, maximè au-*

Enodius in Panegyr.

D. Baſilius in Lucam. P. Corderius Catena Græca in Lucam.

D. Ambroſ. lib. 1. de offic. c. 18.

Tzetzes Chil. 12.

1. Ad Timoth. cap. 4. v. 13.

2. Ad Timoth cap. 4. v. 13.

autem membranas. Penulam, ajunt quidam apud D. Chryſoſtomum, eſſe thecam librorum, ſeù arculam, quam plenam libris circumferebat Apoſtolus, dum longè, & latè per multas Provincias Evangelii lumen invehit; per libros autem intelligit non modo ſacros Moſis, Prophetarum, & alios qui in veteri teſtamento continentur, verum etiam Doctorum commentarios: nec id mirum eſſe debet, an quia libri ſapientibus pluſquam Theſalica, Teumeſia, & Heloria amœniſsima Tempe, vel Alcinoi ſilvæ oblectamento eſſe ſolent? Sed didicerat Eccleſiæ Doctor ab ipſo Aſſertore noſtro, quantum id ſtudii ſit ipſi jucundum; cum enim prima Divinitatis, & humanitatis ſuæ lumina veluti rutilans Phoſphorus mundo immiſsit, ea ſibi à ſapientiſsimis viris offerri munera præordinavit, quæ ex ſcientiarum gazis ſelectiſsima eſſent; ut in D. Matthæum edocet Gloſſa: *Apertis theſauris ſuis* (inquit) *id eſt literarum peritia, obtulerunt ei munera, id eſt Phyſicam, Ethicam, Logicam, vel Hiſtoriam* (nempè ſacram) *Tropologiam, & Allegoriam, vel Sanctæ Trinitatis fidem.* Ex cunctis igitur harum ſcientiarum areolis excerptos flores Illuſtriſsimæ Dominationi tuæ devoveo, eo ſtrictiori jure, quo in hoc Tractatu in Divinæ fidei adnitor obſequium, cui tantopere zelus, & ſapientia tua (Hierarca doctiſsime) feliciter allaborant, ut cernere eſt in aurea Epiſtola SS. D.N. Clementi XI. Pont. Max. conſcripta ſuper negotium Conſtitutionis, *Unigenitus Dei Filius*, in qua *Non modo* (verba ſunt ipſius ſum. Eccleſiæ Præſulis, tibi reſcribentis, poſtquam te meritiſsimò *Eximiæ* laudaverat *pietatis*) *inconcuſſam tuam, inclytæque Nationis Hiſpanæ Pontificiis decretis obedientiam, ac venerationem diſſertiſsimè profiteris, ſed vicem etiam acerbè doles paucorum illorum Galliæ Præſulum, qui non attendentes ad petram unde exciſi ſunt, Apoſtolicæ Sedi morem gerere, non ſine maxima bonorum omnium offenſione, cunctantur. Quantopere* (pergit idem Beatiſsimus Clemens) *grati nobis acciderint ejuſmodi tui ſenſus, præcipuis Paternæ charitatis noſtræ documentis potiùs, quàm ſimplici verborum explicatione perſpectum tibi facere planè cupimus. Id porrò quotieſcumque opportuna ſe Nobis obtulerit occaſio de te, & Grege, cui tanta cum tui nominis laude præes, benemerendi luculenter intelliges.* Hactenùs vigilantiſsimus, ac diſſertiſsimus Pontifex, nec minor, minuſque concinna tibi debebatur adorea; quòniã in prælibatis tuis literis præter optimum dicendi genus, & ingenii acumen, ii emicant ſacræ eruditionis uberrimi latices ex SS. Patribus, Conciliorum decretis, & Sacræ Paginæ eloquiis diducti, qui præſtantiſsimum Theologiæ Didaſcalum te demonſtrent, & ut D. Paulini verbis utar, non adulantium more, ſed piæ mentis ſinceritate, *Os tuum*, Epiſtolam tuam, *fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni meritò dixerim.* Jamque à tuis laudibus, Princeps Illuſtriſsime, innumeris in te gratibus nuncupationem extremam implens expedio, igitur hunc primigenium Minervæ noſtræ conatum humaniſsimè pro tua comitate reſpicias, quem beneficiorum tuorum Mnemoſynon perenne eſſe voluimus. Vale, & perſta diuturnus Eccleſiæ, Hiſpaniæ, bonis ad laudem, & immortalitatem, adjuvantibus Superis. Salmanticæ, octava die Septembris 1718.

Chryſoſt. in 2. ad Timoth. P. Chreſoll. lib. 3. Myſt. c. 16.

Homer. odiſſ. 7. Virg. 2. Geo.

Gloſ. in cap. 2. D. Matth.

S. Paulin. Epiſt. 45

Poſt dexteræ oſculum.

Illuſtriſsimæ Dominationi tuæ addictiſsimus

Vincentius Maſcarell.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS Societatis Jesu in Provincia Castellana.

IOsephus Felix de Vargas, Provincialis Societatis Jesu in Provincia Castellana, potestate ad id mihi facta à R. Adm. Patre Nostro Michaele Angelo Tamburino, Præposito Generali, facultatem facio, ut Tomus *de Libertate Actus Divinæ Fidei*, à Patre Vincentio Mascarell, nostræ Societatis, Sacræque Theologiæ Professore compositus, & ejusdem Societatis gravium, Doctorumque hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra, Secretarii nostri, & Sigillo nostro munitas dedimus. Loyolæ, in Nostro Regio Collegio. Die octavo Augusti. Anno Millesimo septingentesimo decimo septimo.

✠
IHS
Josephus Felix de Vargas.

✠
IHS
Emmanuel Fernandez.
Sec.

CEN-

CENSURA SAPIENTISSIMI DOMINI D. JOANNIS ANTONII *Lardizabal & Elorza, in Majori quondam D. Bartholomæi Collegio nobiliſsimi, & ſpectatiſsimi Togati, in Salmanticenſi Academia Philoſophiæ primùm, dein Theologiæ Cathedræ digniſsimi Moderatoris, Salmanticenſiſque Cathedralis Eccleſiæ Magiſtralis Canonici.*

USSU Illuſtriſsimi D.D.Silveſtri Garcia Eſcalona, Epiſcopi Salmantini, legi ſemel, & iterum *Tractatum Theologicum Scholaſticum, Dogmaticum, de Libertate Divinæ Fidei*, accuratiſsimè elaboratum à SS. P. M. Vincentio Maſcarell, Societatis Ieſu, olim Sacræ Theologiæ Profeſſore, nunc verò in Regali Salmantincenſi Collegio ſacrarum Scripturarum Interprete, & Doctore. Iuſſum, non diffiteor, ſuſcepi lubens, ut Cenſoris licet nomine (quæ nimium mihi moleſta extitit appellatio) tamen quàm citius expectationi meæ facerem ſatis, atque liberarem fidem, qua grande aliquid opere in iſto conjeci, mihique etiam promiſi. Præſagitio animi haud ulli mihi viſa eſt deluſioni expoſita, ut quæ iis niteretur argumentis, quæ certitudinem valerent futuri eventus extorquere: inter alia enim vix dum poſueram in Theologia tyrocinium, cum fauſtiſsima ſorte Sapientiſsimus Author mihi obtigit Magiſter, cujus excipiendis tractatibus, audiendiſque lectionibus totus alacriter incubui, ſcribendi laborem ſuperante operum eruditione, & majeſtate: quo ex tempore, ingenium viri, ſapientiam, præclarumque doctrinæ lumen expertus, quin & miratus cum eſſem, ea mihi Præceptoris opinio inſedit, qua poſſem, deberemque etiam opera ejuſdem prælo digniſsima ſperare. Nunc autem vicit expectationem eventus, & quem longè ſatis conſtitueram intuitum, longius adhuc provexit: hoc quippè in opere ſic quæ ſcriptorem numeris omnibus abſolutum faciunt munera, doteſque reſplendent, ut hoc ſolum, quod plurimum emineant, notari poſſe videatur. Materiæ dignitas totius Theoſophiæ baſis, quæ ſi nutet, collabuntur, ſtant vero omnia, ſi immobilis illa conſiſtat: quam oporteret, maxime hac tempeſtate, intuerentur fixi perdueles illi Janſeniani, qui pacem Galliæ ſeditiosè inter turbare pergunt, Romanamque Sedem, ideſt, totius chriſtianę fidei firmamentum, infideliter proſcindere, ſi poſſent. Opinionum delectus prodens nimis, rationum pondus graviſsimum, rectitudo indeclinabilis, acumen cum ſoliditate fœderatum: ut mirum ſit, tot radiis vetus de fide argumentum, tantaque potuiſſe affundi luce, quæ illud ipſum pulchra novitate decoraret. Quare non immerito operi huic, ſuoque Authori adaptaverim, quæ de Quint. Sept. teſtatur Vincentius Lyrinenſis: *Nihil ſibi expugnandum propoſuit, quod non aut accumine irruperit, aut pondere illiſerit. Jam vero orationis ſuæ laudes, quis aſſequi poterit? Quæ tanta neſcio, qua rationum neceſsitate conſerta eſt, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat: cujus quot planè verba, tot ſententiæ ſunt, quot ſenſus, tot victoriæ.* Operis eruditio cum reconditior, tum ferme immenſa eſt; quæ indefeſum in pertractandis Eccleſiæ Patribus ſtudium, atque in adaptandis ex vtroque iure legibus, nec non in evolvendis antiquioribus, recentioribuſque Scholaſticis miram ſolicitudinem, in omnibus vero improbum laborem oſtendit. In referendis aliorum ſententijs eximia fides, ſcribendis Patrum effatis, Theologorumque verbis inſignis fidelitas, nunquam, quod paſsim Cap. 23.

aliis vſu venit, aberrans citatio. Methodus elegantiſsima, ſtylus naturæ index; quàm placidè litigat! Quàm amicè argumentatur! Quàm pugnat inoxiè! Quàm indemni charitate decertat! Quàm modeſtè vincit! Nempè genius ille ſuus eſt, cunctis notiſsimus, quem ſibi quoque calamus ſubripuit. Quid ni verò Author Majoris olim Sanctæ Crucis Vallis-oletani Collegij Alumnus, quod totius ſapientiæ, comitatiſque nobiliſsimæ ſedes eſt, & virtutis, cum politioris notæ Religione, quam ſibi induxit, prudentiam, rerumque diſcretionem conjungat? Quid ni pariter Societatis Ieſu, nempè excultioris urbanitatis, & ſanctitudinis Parentis, non degener filius matriſſet? Vix me contineo, quin ſapientiſsimum Authorem opportunis, licèt vulgaribus, Senecæ verbis alloquar. *Ede quam celerrime, vnde & tuo nomini celebritas, & noſtris temporibus claritas, & ſtudioſis omnibus pariatur utilitas.* Quid ni, precor, edatur in lucem liber iis conditionibus refertus, quæ nec bonis moribus, nec Catholicæ Religioni, nec tandem ullo nomine veritati obſiſtunt? Ego quidem ſic exiſtimo, cenſeo, ſalvo doctiorum judicio. Salmanticæ 18. Januarii. Anno 1718.

D. Joannes Antonius à Lardizabal & Elorza.

NOS DON SILVESTRE Garcia Eſcalona, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Obiſpo de Salamanca, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c.

Por la preſente damos licencia à qualquiera de los Impreſſores de eſta Ciudad, para que puedan imprimir, è impriman vn tomo Theologico, Dogmatico, y Canonico, de *Libertate Actus Divinæ Fidei*, compueſto por el Rmo. P. M. Vicente Maſcarell, de la Compañia de Jesvs, por quanto por Nos, y de nueſtra orden, eſtà viſto, y examinado, y no contener contra nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres coſa alguna; y damos eſta licencia por lo que à Nos toca. En Salamanca à veinte y vn dias del mes de Enero de mil ſetecientos y diez y ocho años.

Silveſtre, Obiſpo de Salamanca.

Por mandado de ſu Iluſtriſsima el Obiſpo mi Señor.

Don Joachin Garcia Salinas.
Secret.

CEN-

CENSURA DOMINI D. JULIANI DOMINGUEZ DE

Toledo, generis claritate ſpectabilis, ſapientia ac eruditione conſpicui, in Salmantina Eccleſia Scripturæ Sacræ Interpretis, olim Majoris Collegii S. Ildefonſi Toga decorati, utriuſque Academiæ Complutenſis, & Salmanticenſis duplicata laurea inſigniti, in illa quondam Cathedræ Philoſophiæ, in Salmanticenſi autem Theologiæ nunc exculti ſimi Moderatoris.

IN hoc opere, in quo dum ſemel ejus loquutus eſt Author, non duo tantum, ſed tria hæc audivimus: *Tractatus Theologicus Canonicus Dogmaticus de Libertate Actus Divinæ Fidei*: fidē tractatus ampliſsimè ſpondentis, hac quaſi faſtuoſa, ſeu turgēti inſcriptione vincti, & tot nominū cenſu obærati, forſan ſugillabis haud liberam; ſed ab omni intumeſcenti policitatione diſtat proculdubio Author, qui ſæculi non captus illecebris, ejus hæreditatem recuſans, faſtum, & florentem mundum calcavit, ſolùmque ſapientiæ ſocietatem, ſeù ſocietatem ſapientiæ Natale ſolum adivit, ut hæreditate teſtimonia Domini quæreret: illa teſtimonia firmiſsima, quorum ſatis idoneus teſtis eſt, qui non mentitur Deus: his cumulatum opus, ſuæ inſcriptioni reſpondet, propriæ dignitatis vocabula ſervat, & inſignia Authoris menſurat. Author eſt RR. P. Vincentius Maſcarell vir planè Doctiſsimus, verè Magiſter, ſcimus jam dudum quia verax eſt: & dum pretioſam Navem portui literario modò invehit: & ſuam exolvit, & fidem operis liberat: in hoc quippè tractatu, qui feraciſsimi ingenii fœcunditati ſufficeret, incunctanter omnium oculis occurſat, obverſatur, propriiſque obtutibus cernent id ipſum, quod præpropere meum probarat judicium; imò ſapientiſsimi hujus Magiſtri authoritatis fulchro, adeò firma acceptatione ſemper acquievi, ut ex adverſò de libertate ambigere, neceſsitas, qua in operis aſſenſum ducor, efficiat. In tractatu hoc (ut Hieronymus ad Theophilum Alexandrinum ſcribit) in principio philoſophatur Author, ſed ſubtilitates philoſophicæ haud alterius ingenii temeratæ veſtigio, non mentis robur plenè occupant, exhauriunt elumbant, ſed ad ipſas properando mentis acies altiora petit, graviora tranſcurrit, & proluſoria concertatione videntur præire, ut viam illam ſternant, qua Juriſprudentia Canonica (quæ à Nazianzeno Philoſophia inſcribitur) ad ſua remeat principia, delicatiores fontes repetit: & Theologia Polemica obarmatur, induitur arma lucis, ut tenebrarum aufugiant commertia.

Pſ. CXIII.

Rom. 1.

Hieronym. ad Theop. Alex.

Nazianz.

Ex fide perſona probanda non ex perſona fides: Tertulianus præmonuit: in præſentiarum ex Authore undequaque ſpectabili probaretur fides tractatus, in quo rei promiſſæ adeò generoſa ſpes affulget, ut in nominibus fidei, fides ſit nominum, non hæſitans, non vacillans, ſed quæ de-

Tert. in arg. lib. de Præſc.

decet lectiſsimum opus, in quo tres tractatus, diverſo genere, meritum æquale fundant, fideliſsimi teſtes ſolidam ſapientiam teſtantur, teſtimonium perhibent de ſe ipſis,& adeò concinnè, ea conjunctione diſcreti,& diſcretione conjuncti in unum conſpirant, qualiter Iſaiæ verba adumbrarunt: *& congregabimini unus, & unus*: unus Theologicus qua perfectus, unus Canonicus quia integer, unus Dogmaticus quia ſingularis: omnes ad encomium certatim ſe offerunt: *in hoc trivio poſitus*, quem poſthabeam, non occurrit: non mirum, ſuppar enim dexteritas eſt in Authore, qui Polyhiſtor ſeu multiſcius cum ferè omnia verſet, nunquam in alieno foro litigat. Tricorporem meditabar tractatum hunc, monſtri inſtar pulchri; & ſi licentia Poeſeos, neſcio, quem Geryonem ad ſubjugandas Provincias, tricorporem ſuperbiloquentia effinxit: de quo appoſitè Tertulianus: *Geryon ter unus*: jam jam cordata fides, *ter unum* acceptat hoc opus, verè in ſe complens illud de Geryone inane commentum, & fallax præconium. In eo namque Theologia Scholaſtica ſagaci indagine larvatos errores detegit, hæreticorum aſtutiis, & calliditati illudit, ſerpentis caput ſpiris protegi, non ſinit, vulpeculas capit, quæ derepentes ſacram vineam, hac tempeſtate demoliri irruunt: acies enim acutiſsimè ordinata eò collimat, ut earum omnia refugia obſepiat. Haud impari conamine Juriſprudentia Canonica, ex capite quod elucidat, gladium ancipitem mutuata, gladium tenet, ut lectulum Salomonis ambiat: gladium Petri arripit, ut abſcindat aures obturatas ad fidem, ad vocem quam de throno dedit Altiſsimus: vel potius Juriſprudentia ipſa, exactus gladius eſt, ut ſplendeat veritas: exactus, ut ſauciet hæreſeôn monſtra, quæ Theologia Dogmatica ad firmiſsimam petram allidit.

Iſai. 27. v. 12.

Tert. lib. de Pal. cap. 4.

Caput, Afferte mihi gladium. De Præſump.

Sic auſpicatiſsimè incedit Author, & ea mirifica cœlatura, quam Proverbiorum verba graphicè depingunt: *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter:: ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis*: quibus verbis luculenter hoc commendatur opus, quod Encyclopædiæ compellatione inſignirem, aut limatiori ſtylo cum Veronenſi perſonarem eſſe: *Comitium fidei, & literarum Curiam*: perbenè Curiam: ubi ſelectiſsima quæque adſunt, omnia majeſtatem ſpirant, ſuum verbis ineſt ingenium, ubi elegans eloquium floret; non verba, *quæ dant ſine mente ſonum*: non eloquentia aſcititia: perbenè Curiam: ubi ea in objurgando, in regerendo urbanitas, ut erga Authores Catholicos veneratio ſit integra. Adhuc enim dum acutiſsimo ratiocinio in adverſarium irruit, perurbani eloquii delicata aura demulcet, illicium admiſcet tale, quod vel conturbatos animos reddat ſedatiores. Sic Author agit, nam eò tendit, ut adverſarius deſinat eſſe alienus: & meherclè, qui truculento, & minaci ſtylo impetit, neceſsè eſt, excudat diſſenſum in officina in qua aſſenſum refingere ſtudet. In AA. mente rimanda, generoſam adhibet ſervitutem, nec uno calami rotatu abſolvit, aut rem ocyus, & extemplò dirimit; nam, qui *cito fecerunt, obliti ſunt operum*: ideò Authoris teſtimonia credibilia facta ſunt nimis: ſic domum ſuam decet, ſivè literarium Periſtylium, ſacram videlicet Societatis Domum, quam inhabitat, ſivè ampliſsimam Sanctæ Crucis Vallis-Oletanam, quam fortunata commutatione reliquit. O ingenioſam com-

Prov. 22. v. 20. & 21.

Cen. Ver. de Iſai.

Pſalm. 105. verſ. 13.

commutationem! Qua, gloria majoris Domus in illam deſiit, cujus teſſera eſt major gloria: quantum animus modo expatiaretur, modò ſe ſe diffunderet! Quid ergò? Dum Societatis Diſcipulus dignisſimum Societatis Magiſtrum alloquitur, & Majoris Sancti Ildefonſi minor alumnus deberet aliquali, nunquam tamen juſto pondere Decora metiri inclytæ Domus illius certè, quam felicibus auſpiciis inchoavit, & ad ſublimius faſtigiũ perduxit Eminentiſsimus ille Magnus Hiſpaniæ Purpuratus Princeps, eo animi cõfortio, meo Eminentiſsimo Ciſnerio cohærens, & neceſſitudine conjunctus, ut opportunius nunquam vulgatum illud recideret: *Purpura juxta Purpuram*: verè juxta: nam ſuæ dilectionis afflatibus, quibus non ſemel in arduis Ciſnerium arbitrum præbuit, & conſulendum putavit

Ezech. 32. ceù oraculum conſilii publici, *Sol nube tectus*, qui Religione Seraphica, humilitate ſe obduxerat, univerſo patuit, claritatem exeruit, & ex ſacco cilicino purpureum lumen induit. Hæc neceſsitudo ex PP. jure hæreditario tranſmittitur, transfertur ad appoſitos filios, mutuò enim dominio vincimur, & aptiori nexu vincimur, ſui ſumus Ildefonſiani, ne nobis alieni: noſtri ſunt Sanctæ Crucis alumni, ne nobiliorem hæreditatem repudient: mira profectò hæreditas, animorum fœnore multiplicata, & Novo Teſtamento relicta: ſinguli adeunt, omnes poſsident, ſingulorum ſoliditas, cunctorum hæreditas in qua hæredi non minuitur, quidquid à cohæredibus vendicatur: ſed potius eò ſingulis creſcit, quo pluribus eſt acquiſitum.

Nahum, cap. 2. In hac domo, qua, *Viri exercitus in coccineis*, ſub Crucis vexillo majora revehunt trophæa, univerſo deferentes lumina: in hoc agro nobilitatis rore conſperſo, & qui pretioſi ligni plantatione fecundus ad omnem honoris fertilitatem vaporavit: nobiliſsimus Author tyrocinium duxit, & mirabili deſcenſu aſcenſiones in ſuo corde diſponens Jeſuadæ hæreditati ſe inſeruit, cælesti Societati ſe addixit, in qua prælia Domini præliando, temporis exlex, operoſius Eccleſiæ, & æternitati militat, ut qui, togæ clarus, ſacro bello clariſsimus colluceat, hic, hic quaſi Parentis Ignatii talenta ſortitus, Patris legata iteratò perſolvit: hic conſultationibus interceptus aſsiduis, pia temeritate opportunè importunè ſe ſe labori ingerit: hic animarum lucro intentus, ardore deflagrans, poſt multas peragratas Urbes, intra hujus Civitatis terminos anxiè veluti coarctatus, & brevi intercluſus gyro: in hæc erumpit: *exeamus in agrum*: & in loco Jeroſolymorum, ſacro vocabulo nuncupato, iteratis concionibus

Tert. de Præſ. 7. Evangelica perſonat tuba: faceſſat jam illud Tertuliani affatum: *Quid ergò Athenis, & Hieroſolymis*: nam noſter Author (quem nulla præterit diei particula) hoc interſtitium devincit, & qui manè Athenis, Magiſterio ſplendet, veſpere Hieroſolymis Apoſtolico munere corripit. Sic purpura Sanctæ Crucis, dum ad Ignatium, accedit ad ignem, ut hac felici commutatione, haud ſolùm Poetarum more, purpura dicatur ignea, igniſque purpureus.

Daniel 12. Sed jam verba illa ad Danielem directa, neſcio quo ſenſu, à Regio Senatu in me regeruntur: *Claude ſermones, ſigna librum*, quæ verba erumpentis impetum affectus compeſcunt, officia illa retardant ad quæ,

&

& provocat gratitudo, & quibus adolevit ambr. Munia tamen Censoris non ſuſcipiam, nam Author ſacri prælii conſtitutus fœcialis, ad prælum operis extra aleam eſt rigidioris judicii, ſolùm non ſuperat deſideria, quibus inhianter cupio, ut alia opera jam dolata, quæ Sacræ Paginæ receſſus ſacratiores penetrant, luci offerat, ut innoteſcat multiformis ejus ſapientia, in memoriæ obſidem, in munimen fidei, cui præſens opus in omnibus conſonum cenſebunt cuncti, & in devinctiorem obedientiam erga Regium Senatum ſic cenſeo, ſimulque judico, fœcundiſsimum Authoris ingenium, jus trium liberorum, ex uno hoc fuiſſe aſſequutum. Salmanticæ 2. die Decembris 1717.

Doct. D. Julianus Dominguez
& Toledo.

PRIVILEGIO DE SU MAGESTAD.

TIene Privilegio del Rey Nueſtro Señor el Padre Vicente Maſcarell, de la Compañia de Jesvs, para imprimir el Libro que ha compueſto, intitulado: *De Libertate Actus Divinæ Fidei*, por eſpacio de diez años; y que ninguna otra perſona, ſin ſu conſentimiento, le pueda imprimir, ni vender, como conſta de ſu original, concedido al Padre Geronimo Ramos, de la miſma Compañia de Jesvs, como Procurador General de la Provincia de Caſtilla, en el Oficio de Don Balthaſar de San Pedro, Secretario de Camara de ſu Mageſtad, en 23. de Diziembre de 1717.

FEE DE ERRATAS.

PAg. 9. col. 1. lin. 6. reſletat. leg. reflectat. Ibidem, col. 1. lin. 9. à fin. iſtæ. leg. iſte; & lin. 2. à fin. Rethorica, leg. Rhetorica, & col. 2. & lin. 3. à fin. animadverterſione, lege animadverſione. lin. vlt. è diſſerens, leg. ediſſerens. Pag. 13. col. 1. lin. 3. 7 & 12. Oſſeæ, leg. Oſeæ. Pag. 20. col. 2. lin. 23. 25. & 29. & 32. verò, leg. veto. Pag. 23. col. 1. lin. 2. Rethoric. leg. Rhetoric. Pag. 36. col. 2. lin. vlt. ſect. 7. leg. ſect. 9. Pag. 67. col. 1. in titulo ſect. vigeſima, leg. vigeſima, & ſimiliter in aliis ſection. uſque ad quadrageſimam nonam. Pag. 75. col. 1. lin. 28. & 39. Corazain, leg. Corozain. lin. 37. Sichonii. leg. Sidonii Pag. 95. col. 1. lin. 10. cap. v. 3. 7. leg. cap. 3. v. 7. ead. pag. lin. 18. ſpeciem. *adde* adduxi. Pag. 104. col. 2. lin. 34. Corazain, leg. Corozain. Pag. 131 col. 2. lin. 30. Deuteron. leg. cap. 8. v. 19. & lin. 34. *peccas*, dele, & lege: *omnino diſpereas*. Pag. 215. col. 2 lin. 10. Joan cap. 12. leg. cap. 7. v. 24. Pag. 219 col. 2. lin. 18. inſufficientiæ leg. inſufficientia. Pag. 296. col. 1. lin. 2. ſtellas eſſe nam, leg. nam ſtellas eſſe, lin. 4. Geneſ. 12. leg. Gen. 15 lin. 6. *poteſt*. leg. *potes*. Pag 377. col. 2. lin. 16. propoſita enim, lege ſecundo quia propoſita. Pag. 482. col. 2. lin. 2. à fine, ſint, lege ſin. Pag. 485. col. 1. lin. 32. Urgeo, lege Arguo. Pag. 484. col. 1. lin 11. à fine, nunquam idem doceat, lege nunquam, idem edocet Pag 506. col. 2. lin. 14. à fin. darii, leg. Darii. Alia, quæ fortè irrepſerunt, eruditus Lector corriget.

He viſto eſte Libro, intitulado: Tratado de Fè, ſu Author el Padre Vicente Maſcarell, de la Compañia de Jesvs, y con eſtas erratas correſponde à ſu original. Madrid, y Octubre 30. de 1718.

Lic. D. Benito de Rio
y Cordido.
Corrector General por ſu Mageſtad.

TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro, intitulado: *Tractatus de Libertate Actus Divinæ Fidei*, à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente conſta por certificacion dada por Don Balthaſar de San Pedro y Azebedo, Eſcrivano de Camara del Rey Nueſtro Señor, y de Govierno del Conſejo.

LECTORI BENEVOLO

OPERIS RATIO.

DE ſupernaturali Fidei virtute ſcribunt Theologi cum Magiſtro in 3. *diſt.* 23. 24. & 25. Copioſius, & potiori methodo Doct. Angelicus D. Thomas 2. 2. *à quæſt.* 1. *ad* 16. & illius Commentatores Sapientiſsimi, quorum non pauci integros de fide in lucem ediderunt Tractatus; nihilominus libertatem actus Divinæ fidei levi dolabra elucidant, aut ſaltem non ea extenſione, quam rei expoſcit difficultas; quapropter in hoc ſtudium animum traduxi naviter; quid ergò, pares nos, aut etiam ſuppares tantis Doctoribus? Abſit arbitremur; ſed tamen cum mens extiterit, lucis aliquid afferre difficillimis tractationis hujuſce nodis, oblatum campum cernimus, novam qui poſtulet agricolationem; quòniam ex pereruditis Recentioribus, qui noſtram ediſſerunt difficultatem, vel in diſputationibus de fide, vel alium in ſcopum contuentes, immediatam fidei libertatem enixè inficiantur, tot argumentis, eaque ingenii acie, ut expediens ratus ſim, ea elevare, ac examinatè verſare rem totam; & pro tenuitate mea plurimam laboris impenſam contuli; num tamen conſequuta ſit induſtria, ut eradicatis difficultatum vepribus veritas eluceſcat, eruditorum criſis eſto. At mundus libris abundat; haud diffiteor, ſed ſcio etiam Eccleſiaſtæ ſententiam eſſe *cap.* 12. *v.* 12. *Faciendi plures libros nullus eſt finis, Enimverò* (ut me erudit D. Joannes Damaſcenus *Oratione de iis, qui in fide migrarunt*) *nonnunquam id quod à perfectis relictum, reperit puellus; & in id, quod prætercurſum à ſapientibus, incidunt idiotæ, & id quod occultatum à Magiſtris comparuit diſcipulis. At nobis tale quid loqui audere, fas non eſt. Verùm quemadmodum qui poſt vindemiam racemos, aut poſt uberem meſſem neglectas à meſſoribus ſpicas, aut poſt collectos arborum fructus autumni reliquias comportant; ità & nos rem aggredimur, freti adjutorio veri Dei; ipſe enim volentibus cooperatur, & ſermonem efficacibus, neceſſariiſque confirmat argumentis.* Ita S. Damaſcenus. Igitur ſpicilegium conficio: Nemo itaque mihi, obſecro, indignetur, ſi de meſſe Domini remanentes ſpicas, & quæ meſſorum, multa commendabilium peritia, manus effugere poterant, collegero, & eſurientibus atque petentibus libenter erogavero: utque à cunctis diſcerem haud parum impendi laboris in diſquirendis Antiquorum, ac Neotericorum placitis; & quòniam compertus ſum eorum mentem, & verba non ſemel diſſidere omninò ab opinione quorundam Recentiorum, qui pro ſua ſententia illos laudant, integras periodos eorundem ad literam excerpere, conſentaneum duxi, ut veritas melius innoteſcat. Difficultates omnes, etſi ab aliis in tractatu de fide prætermiſſas, cum Philoſophicas, ac Metaphyſicas, tum Theologicas, quæ ad opinativi aſſenſus, & dubitationis eſſentiam, voluntatiſque creatæ, ac Divinæ libertatem in electionibus ſuis pertinent, ſedulò enodare adnitor; in eundem ſcopum hæreſeos pertinaciam, ejuſque conſtitutiva perſequor; nec intactas relinquere licuit graviſsimas plures difficultates, quæ ad Divinæ gratiæ cum humana libertate concordiam attinent, præſertim quæ ex ſacris literis, Patribus, aut Conciliis ſolent adver-

verſus noſtræ Societatis Scholam intorqueri: cuncta autem fulcire contendo ex Sacra Pagina, & Jure Canonico, tum ex Conciliis, & Patribus, omnique argumentorum genere quoad fieri poſsit, Scholaſtica utique methodo obſervata; eo quidem majori conatu, quo hæretici, & ſectarii, etiã hujus temporis, Theologiam Scholaſticam multis maledictis inceſſunt; quorum ineptias quoad hanc partem myſticè ſignificatas *Reg.* 1. *cap.* 13. *v.* 19. hiſce verbis: *Porro Faber Ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſrael, caverant enim Philiſthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Rabanus ejus in loci expoſitione autumat: *Diabolus quoque* (ait) *per Paganos, per Hæreticos, & per falſos Chriſtianos ſtudet prohibere, ne ſint Doctores in Eccleſia, qui ſpiritualia arma faciant, & nobis ad pugnandum tribuant.* Angelomus id latè pertractat, finitque inquiens: *Hæretici velut Philiſthæi omnibus modis cavent ne pro eorum occaſione viri Catholici arma poſsint habere ſpiritualia*: & præter Theologos, initio primæ Partis, illuſtrant Noſtri Mendoza *tom.* 3. *in* 1. *Reg. annot.* 15. *ſect.* 1. *n.* 9. Sherlog. *tom.* 3. *in Canti. veſtig.* 35. *in cap.* 7. *ſect.* 2. *n.* 52. Ludovic. Chreſol. Myſt. *lib.* 2. *cap.* 20. *ſect.* 2. & *cap.* 23. ſufficereque deberet ineluctabilis D. Baſilii, & Nazianzeni Authoritas, hic enim *orat.* 20. *funebri de S. Baſilio*, illum in Dialectica adeò excelluiſſe infit, *Ut iis qui cum eo diſputabant, facilius eſſet è Labyrinthis ſeſe extricare, quàm argumentorum ejus laqueos effugere, ſi quando res ita poſtularet.* Pro coronide autem hujuſce Tractatus, illius cum ſacra Clementina *Unigenitus*, concentum patefacio. Nunc verò, ne quiſpiam dubiæ me ſuppoſitionis criminetur, prælibo, non ſemel ex *Can. Nabuchodonoſor.* 23. *q.* 4. inſtitui in hoc opere argumentationem, & D. Auguſtino textum adſcribi, videlicet ex *lib. de Prædeſt. & Gratia, cap.* 15. quem librum, haud me latet, Recentiores aliquos, præſertim PP. Sirmondum *in Præf.* ad illum, Raynaudum, *in cenſ. inoffi. cenſ.* & Labbe attribuere D. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo; ſed tamen Authores alii, & quidem graviſsimi, ut ipſe Raynaudus fatetur, ad S. Auguſtinum illum referunt, ideòque habetur inter ejus opera: Epigraphe quoque textus in *Decreto*, D. Auguſtino illum aſsignat; & quidem poſt correctionem juſſu Greg. XIII. magna cum diligentia peractam. Sed licèt D. Fulgentio tribuatur, ejus veneranda perſiſtit Authoritas, cum maximè ipſi familiare ſit Auguſtini placitis mordicùs adhærere. Utque ea, quæ *Palea* inſcribuntur, ac leges civiles à Gratiano adductas prætermittam, teſtimonia SS. Patrum, quæ in Decreto extant, ex uſu Eccleſiæ robur ſtatuti Canonici obtinent, ut cum pluribus adnotat Auguſt. Barboſa, Procœmio Collect. in Decret. num. 7. Utque jam præfari deſinam, ipſius D. Fulgentii mente, & verbis *Epiſt.* 3. *cap.* 3. inquam: *Si quid itaque in hoc opere dixero, quod placeat, & ſufficiat, vel ſi non ſufficiat, ſaltem placeat ſancto deſiderio tuo, non eſt meæ indigentiæ, ſed divinæ ſufficientiæ. Si quid verò forſitan ita dixero, ut nec ſufficere tuo poſsit ſancto deſiderio, nec placere, non eſt ſufficientiæ divinæ, ſed indigentiæ meæ. Proinde Chriſtiana charitas utrobique operis ſui partes exhibeat, ut ſufficientiam Dei humiliter agnoſcat; & indigentiæ ſervili patienter ignoſcat.* Si ſubinde aliqua inferam abſurda, rationi, aut fidei repugnantia, quæ videantur ſequi ex adverſariorum opinione, accipienda ſunt ut argumenta inquirendæ veritati deſervientia, non ut cenſuræ: & in refellendis propoſitionibus à Sancta Sede damnatis, nihil addere, aut detrahere cenſuræ ab Eccleſia inflictæ, intentionis eſt meæ; cuncta enim S. Rom. Eccleſiæ, & benè ſentientum judicio ſubmitto.

Docete me, & ego tacebo: & ſi quid fortè ignoravi, inſtruite me.
Job. cap. 6. v. 24.

TRACTATUS THEOLOGICUS, DOGMATICUS, ET CANONICUS DE LIBERTATE ACTUS DIVINÆ FIDEI.

SECTIO PRIMA.

Ad fidei, opinionis, & dubij notionem quædam præmittit.

1 ANgelici Doctoris D. Thomæ, & Eximii V. P. Francisci Suarez complexuri doctrinam, quod pro tenuitate nostra conabimur semper, aliorum Doctorum, Philosophorumque placita præmittimus: Opinio igitur haud infrequenter, pro existimatione de cujuspiam fama accipitur: *Erat* (inquit Tullius ad Cæsar. lib. 1. lit. A.) *opinio bona de Plautio, bona de Lepido.* Cæterum acceptio ista, licèt quadantenus scopo vestigationis,

diſſertationiſque noſtræ adaptetur, quà ſcilicèt non ſcientiam, nec quidpiam certò cognitum denotat, a philoſophica tamen proprietate deſciſcit.

2 Conſimilis eſt opinionis ſignificantia *in lege Miſſi. 7. Cod. de Exactor. tributor. lib. 10. tit. 19. leg. Opinatoribus. 11. Cod. de Erog. Milit. annon. lib. 12. tit. 38.* ſummitur quippè opinio pro cenſu, ſeù æſtimatione, & quòniam exactores tributorum opinabantur, vel æſtimabant, quanti ſpecies adhærendæ, vel taxandæ forent, ideò opinatores nuncupati, ut advertit Franciſc. Juretus. apud Simmach. *lib. 9. epiſt. 17. Bulenger. lib. 5. de Imper. cap. 41. Alciat. lib. 8. Pare. cap. 12. Cujacius in dict. leg. Miſſi. ibidemque Dom. Amaya lib. 10. Cod. ad tit. de Exacto. trib. num. 4.* exhornans *ex lege fin. Cod. de Præd. navic. leg. fin. Cod. de col. fund. fiſcal.*

3 Ariſtoteles autem *1. Poſt. cap. 26.* ubi agit de diſcrimine ſcientiæ, & ſcibilis ab opinione, & opinabili, inquit: *Opinionem eſſe circa id, quod verum quidem eſt, aut falſum, aliter autem ſe ſe habere poteſt.* Plura de opinione Philoſophus edocet tum in hoc *cap. tum. Ethic. lib. 3. cap. 2. tex. 60. in Prædicamen. cap. de ſubſt. circa fin. de Anim. lib. 3. cap. 3. Ethic. lib. 6. cap. 9. Magnor. Moral. lib. 2. cap. 6. Ethic. lib. 7. cap. 3. Metap. lib. 11. cap. 4. & 5. de Interpret. lib. 2. cap. 4.* quæ inter diſſerendum lucem accipient.

4 Boetius in Topicis dividit medium rationis in dubium, ambiguum, & opinionem; *dubiumque* (inquit) *dictum eſt quaſi duvium, hoc eſt, duarum viarum. Eo quod apud Latinos b. pro v. ponitur frequenter, & eſt motus rationis interminatæ, ad utramque partem rationis declinans, & ad neutram rationem habens: Ambiguum autem ambas partes contradictionis amplectens eſt per æquales rationes, propter quod, & ambiguum vocatur. Opinio autem motus rationis eſt in alteram partem per media probabilia, formidans tamen oppoſitum propter medii debilitatem. Et hoc, ſi multis, & probabilibus rationibus juvatur, fides efficitur, ſed non ſcientia; quia verum, & eſſentiale medium, & convertibile non habet.* Hæc Boetius, quem laudat B. Magnus Albert. *1. part. Sum. Theolog. tract. 3. q. 15. membr. 3. art. 1. poſt ſolutionem ad 3. v. ad aliud.*

5 Idem Magnus Albertus in citata ſolutione ad 3. ſic habet: *Dicendum quod aliter accipitur fides, & credulitas in Philoſophicis, & in Theologicis; in Philoſophicis enim, ut dicit Ariſt. 3. de Anim. opinio juvata rationibus fit fides: & dicitur fides, habitus hærens uni parti contradictionis, tremens tamen, & timens de altera parte propter rationis debilitatem, & ideò actum non ponit niſi credulitatis, & non eſt via vel medium ad ſciendum, ſed eſt in diverſo ordine à ſcientia; ſcientia enim non fit niſi per cauſam, & non per probabile medium.* Idem in *Sum. de creatur. part. 2. quæ eſt de homine. tract. 1. q. 51. art. 1. per totum*, comprobat prædictam Boetij doctrinam, & in *1. Poſter. tract. 5. cap. 9.* ait: *In definitione ſcientiæ eſt, quod ſit de his, quæ non aliter ſe habent: in definitione autem opinionis eſt, quod ſit de his, quæ aliter ſe contingit habere:* unde hanc Albertus tradit opinionis definitionem: *Opinio eſt acceptio propoſitionis mediatæ, aut immediatæ non neceſſariæ.*

6 Porrò inter antiqua Philoſophiæ lumina conſpicuus Plato in elucidanda opinionis natura præ aliis deſudans, elaboranſque cernitur, de ea quippè, & de ipſius proprietatibus ſæpiſsimè, & copioſè diſſerit, præſertim *lib. 4. Meno.* ſeù *de virtute, propè finem. lib. 13. Theætetus, ſivè de ſcientia, ferè per totum lib. 15. Sophiſta. vel de ente. circa finem. lib. 24. Gorgias, ſivè de Rethorica. parum à principio;* pla-

placuit tamen nunc ſpecioſam quandam ipſius doctrinam ex *lib.* 4. *Menon.* excerpere, ubi inter ſcientiam, & opinionem id diſcriminis per hæc verba aſsignat: *Quam ob rem* (loquitur *Menon.*) *miror quare cum ita ſit, ſcientia tamen longè admodùm præſtantior habeatur, quàm recta opinio; & cur utraque illarum aliud quiddam ſit, dubito. Socrat. Noſtin' quam ob cauſam id mireris? An ipſe vis tibi dicam? Men. dic prorsùs. Socrat. Quia Dædali ſtatuas numquam conſideraſti: fortè verò neque apud vos extant. Men. Quorſum hæc? Socrat. Quoniam hæ niſi ligentur, diſcedunt, atque aufugiunt, ligatæ permanent. Men. Quid tum? Socrat. Ex eius operibus quod ſolutum eſt, haud magnifit, inſtar fugitivi hominis; neque enim permanet: Ligatum verò admiratione dignum, pulcherrima enim opera ſunt. Cuius hæc gratia dico? Verarum opinionum gratia: hæ quippè quouſque ſtabiles perſeverant pulchra quædam operà ſunt, omniaque bona perficiunt. Attamen diù conſiſtere nolunt, ſed ex hominis animo confeſtim aufugiunt, quapropter non multi pretii ſunt, donec quis illas ratiocinatione à cauſis dicta liget.*

8 Hic verò obſervandum Platonem veras nuncupare opiniones, quæ tantum probabiles omninò ſunt, ſeù quæ certò probabiliter ſunt veræ: ſiquidem ſermo illi eſt de opinionibus, quæ diù conſiſtere nolunt, ſed ex hominis animo confeſtim aufugiunt, quoniam ratiocinatione à cauſis ducta ligatæ non ſunt, id eſt neceſſario medio non oſtenduntur.

9 Verumtamen ex præclarâ Doctoris Angelici eruditione opinionis quidditas inclareſcet apprimè, & præcipuè ex 2. 2. q. 1. art. 4. corp. ubi ſic nos edocet. *Aſſentit autem intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad hoc movetur ab ipſo objecto, quod eſt per ſe ipſum cognitum, ſicut patet in principiis primis, quorum eſt intellectus, vel eſt per aliud cognitum, ſicut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia: Alio modo intellectus aſſentit alicui, non, quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam. Et ſiquidem hæc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio, ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine erit fides.* Eadem 2.2. q. 2. art. 1. corp. inquit: *Quidam verò actus intellectus habent quidem cognitionem informem abſque firma aſſenſione, ſivè in neutram partem declinent, ſicut accidit dubitanti: ſivè in unam partem magis declinent, ſed tenentur aliquo levi ſigno, ſicut accidit ſuſpicanti: ſivè uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti.* Plurà ex quibus noſtra elucidabitur diſſertatio ex eodem Angelico penu dabimus infra.

10 Cum Divo Thoma concinunt Seraphicus Doct. D. Bonav. *lib.* 3. *ſentent. diſt.* 24. *quæſt.* 2. *in reſolutione.* Alenſis 2. *part. quæſt.* 69. *membr.* 4. *art.* 2. *in reſolutione.* Subtilis Doct. *in* 3. *ſentent. diſt.* 24. *quæſt. unic. argumento* 3. & ipſius ſolutione invicem compoſitis. Durand. *in quæſt.* 1. *Prolog. ſent. à num.* 19. Eximius Doct. *in* 1. 2. *tract.* 3. *diſp.* 12. *ſect.* 6. *num.* 1. P. Vazquez in 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 3. *in prin.* P. Ludovicus Molina *tract.* 4. *de Juſt. & Jur. tom.* 5. *diſp.* 15. & 16. examuſim rem totam pertractans: concinunt, inquam, quoad notiora quędam opinionis prædicata, licèt quoad alia diſsideant.

11 Adſentiuntur juris utriuſque Doctores, inter ipſoſque præfulget Bartolus in Comment. *ad leg. Admonendi.* 31. *ff. de Jur. Jur. à num.* 19. ubi hæc habet. Inter iſta duo extrema, ſcilicèt ignorantiam, & ſcientiam eſt quoddam medium, videlicèt credulitas, ſivè fides. Ad iſtam autem credulitatem ſivè fidem pervenitur per quatuor gradus. Primò cum judici res proponitur per actorem, & per reum negatur, tunc judex adducitur in dubietatem; & pro hujus gradus oſtenſione

allegat *Bartol. leg. de ſtatu, ff. Qui teſtam. facere*, & alia jura ab ipſo notata *in Rubr. de Teſtam. & de Juris, & fac. ignor.* necnon, *leg.* 3. *Cod. qui ad libert. proclam. non licèt.* Aſsignatque hanc dubietatem, ut gradum primum, non quia ſit gradus probationis, ſeù illius pars, ſed quoniam per id dubitationis pervenitur ad inveſtigationem, & credulitatem.

12 Poſt dubitationem, & inveſtigationem poteſt incipere judex inclinare animum ſuum ad aliquam partium, & tunc, ſi hoc facit ex aliquo levi indicio, aut levi argumento, iſta appellatur ſuſpicio, quæ aliqualiter movet animum judicis, non tamen in totum removet dubietatem, & de hac ſuſpicione inquit Bartolus intelligendos eſſe textus *in leg. in lege Aquilia, ff. ad leg. Aquil. leg. Abſentem, ff. de Pœnis*, hunc vero ſuſpicionis gradum dicit, eſſe credulitatis primum.

13 Cùm verò judici apparent argumenta fortiora, tunc incipit judex opinari, præſtito ſcilicèt aſſenſu alicui parti, cum tamen adhuc dubitat, ſeù timet, ne ſit contrarium verum, & ideò aliquid dubii adhuc ipſi ineſt. Et de hac opinione, & de ſuſpicione prædicta inquit, loquutum eſſe Juriſconſultum Gajum *in leg. admonendi* 31. *ff. de Jurejur.* ibi: *In dubiis cauſis.* Unde opinio eſt juxta Bartolum in ſecundo probationis gradu.

14 Ad tertium verò probationis gradum aſſerit pervenire perfectam credulitatem, quando ſcilicèt judex adhæret uni parti abſque ulla formidine, quoniam adeſt perfecta probatio: & hanc firmam credulitatem, & opinionem prefatam dilucidè comprobat ex *leg. Teſtium* 3. §. *Ejuſdem, ff. de teſtibus*, ubi J.C. Calliſtratus, ex Hadriani reſcripto, hæc præclara verba excerpſit: *Hoc ergò ſolum tibi reſcribere poſſum ſummatim: non utique ad unam probationis ſpeciem, cognitionem ſtatim alligari debere, ſed ex ſententia animi tui te æſtimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris.* Nam prout dicit *credas*, adnotante Bartolo, loquitur de plena fide, & plena probatione, qua ad perfectam credulitatem adducitur judex. Prout dicit *opinaris*, loquitur de imperfecta credulitate. Idem fulcitur ex *leg.* 1. §. 1. *ff. de Quæſt.* Unde ſuſpicio, opinio, & credulitas perfecta ſunt tres gradus aſſenſus intellectualis in his, quæ citra evidentiam cognoſci poſſunt, quibus ſi dubietas addatur, conficiuntur gradus quatuor à Bartolo in re noſtra aſsignati, poſſentque ulterius fulciri ex quam plurimis juribus adductis à D.D. Emman. Gonçalez Tellez in Comment. *ad cap. Aſſerte mihi gladium. de Præſumptio.* præſertim à num. 11. & ferè in cunctis Commentariis ad eundem titulum.

SECTIO SECUNDA.

Fundamenta quibus Nobilis Recentior permotus eſt ad exiſtimandum, impoſsibile eſſe cum formidine aſſentiri, aut opinari, proponit, & dilucidat.

1 FOrmidoloſos reperiri aſſenſus, nedum poſſibiles eſſe, à cunctis ferè exiſtimatur tàm perſpicua veritas, ut eam nihil infirmare poſſe videatur; cæterum perdoctus, ingenioſuſque Recentior receptam hanc ſententiam ea acuminis præſtantia quatit, ut operę pretium duxerim hujuſcè Sapientiſsimi Viri argumenta proponere, & veſtigationæ ſequenti pro mea tenuitate elevare: Aſſerit ergò præclarus hic Doctor primo, impoſsibile eſſe, quod intellectus noſter etiam ex imperio voluntatis aſſentiatur propoſitioni alicui cum formidine de veritate contradictoria, aut contraria: ſecundo docet, quod in aſſerto haud evidenti ſolum poteſt intellectus aſſenſum præbere, contemnendo, nihilique contraria pendendo argumenta.

Huic

2 Huic placito adhæſerunt quodammodo Recentiores nonnulli, qui,ut tueantur illicitam praxim opinionis minus probabilis, docent, manente aliqua opinione in linea probabilitatis, neutiquam poſſe intellectum oppoſitæ licèt probabiliori aſſenſum præſtare: ita Mercorus 2.part.art.7.per totum. Cui ad ſtipulantur perdocti alii,quatenùs aſſerunt, æquè aut minus probabilem opinionem aſſenſu excipi non poſſe, eo enim ipſo, quod pars aliqua contradictionis ſit, & proponatur ut minus probabilis, nullius momenti exiſtimanda ſunt fundamenta illius partis, quàm intellectus amplecti nequit, & cujus motiva probabilia abſolutè judicari non poſſunt; in eo autem, qui improbabilem ſibi ſententiam aliquam reputat,formidinis nihil aut parum reperiri poſſe videtur, reſpectu hujuſce improbabilis partis, dum unicè ſibi probabili parti aſſenſum præbet. Cæterum quia hæc per deductionem tantum ex aliis horum Authorum placitis colligi videntur,æquum non eſt illos pro aſſertione,quæ impoſsibilem formidoloſum profert aſſenſum abſolutè laudare; at ex parte illi adfavere noſcuntur.

3 Aſſero tamen,poſsibiles omninò eſſe aſſenſus opinativos formidoloſos, quod apertè oſtendunt authoritates præſtantiſsimorum utique Philoſophorum Sectione prima excerptæ, poſſentque penè infinitæ ſuperaddi, à ſententia autem omnium ferè ſapientum nullo modo diſcedam, quando ineluctabili argumento falſa non oſtenditur. *Integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur*;ut aſſeritur *in cap. Extra.* 5. *Diſt.* 64. & quoniam quæſtionem de poſsibili verſamus, repugnantiæ probationes à prælaudato Nobili Recentiore ingeniosè propoſitas expendere,par erit.

4 Arguit igitur in hùnc modum: omne probabile reducitur ad principium illud,quod nos Ariſtoteles edocuit 1. *Retor. ad Theod. cap.* 2. ibi: *Probabile eſt,quod ferè ſemper fieri ſolet*: & 1. Topic. cap. 7. *Probabile eſt, quod pluribus, & ſapientibus notum eſt.* Quæ duo aſſerta in idem recidunt, quoniam quod à pluribus ſapientibus verum exiſtimatur, plerumque eſt re ipſa verum: ſolumque id diſcriminis inter illa reperitur,quod primum reſolutioni à ratione deſumpti argumenti appoſitum eſt,ſecundum verò argumento ab authoritate reſolvendo magis conſentaneum. Unde quemadmodum demonſtratio quævis innititur univerſali principio, *dici de omni,dici de nullo*, ſic omne probabile aſſertum fulcitur hoc alio: *dici de ferè omni: dici de ferè nullo*: nempè, quod dicitur de ferè omni, dicitur probabiliter de quolibet: & quod de nullo ferè dicitur, probabiliter de nullo poteſt affirmari.

5 Et quia hæc doctrina magni momenti aſſumpto hujus Recentioris cenſetur ab ipſo, ab eodem ulterius probatur:Nulla,inquit, propoſitio probabilis eſſe poteſt, niſi analyticè reducatur ad ſyllogiſmum, cujus duæ præmiſſæ ſint certæ, & ex quibus probabiliter tantum deducatur concluſio,ſeù conſequens verè probabile, paradoxon id utique appareret,oſtenditur tamen; introſpecta ſiquidem qualibet probabili propoſitione, cum per ſe nota eſſe nequeat, alias non eſſet probabilis tantùm, ſubduci debet ex aſſumptionibus aliis, quæ ſi certæ dicantur,evincitur intentum,ſi verò aliqua ex his aſſumptionibus probabilis aſſeratur, de illa iterum idem conficitur argumentum ſine fine: ergò vel in infinitum procedendum,quod abſurdum eſſet, vel ſiſtendum tandem in ſyllogiſmo cujus præmiſſæ ſint certæ, concluſio autem ſolum probabilis.

6 Quod ſi dixeris, inſtar monſtri futurum ſyllogiſmum dialecticè diſpoſitum, in quo, cum certæ ſint præmiſſæ, concluſio tamen, & ſi legitimè deducta, probabilis tantum evadat: placabitur utique hæc apparens contradictio, topici argumenti perpenſa qualitate, & natura, hujus quippè argumentationis proprium eſt, quod extrema non ſint adæquata,

univerſalitate cum medio conjuncta, & ideò nec inter ſe ipſa demonſtrativè, ſeù certò identificata eſſe queunt ex vi hujus ratiocinii: propterea que ſolum probabilis evadit concluſio; & ratio à priori eſt, quoniam probabile, ut tale, non poteſt contineri in principiis per ſe notis, unde ſolum deduci valet ex ſupra indicatis locis authoritatis ſcilicèt, & experientiæ; cum verò authoritas, & experientia quandoque fallant: inde fit, quòd concluſio ex ipſis deducta non ſit demonſtrata, ſed fallibilis: liquidum ergò manet, quod omne probabile analyticè reducitur ad principia illa *dici de ferè omni*: *dici de ferè nullo*; quæ, ut diximus continentur in definitionibus propoſitionis probabilis ab Ariſtotele traditis.

7 Quam ob rem ſi oſtendatur, hæc cujuſcumque propoſitionis probabilis prima principia non ſufficere, ut intellectus directè aſſentiatur concluſioni ex illis ſubductæ, oſtenſum etiam manebit, nec aſſenſum præſtari poſſe aliis omnibus ex illis principiis ſyntheticè uſque ad ultimam concluſionem procedentibus: & urgentiori quidem ratione in his mediatis deductionibus impoſsibile erit intellectum directè concluſioni aſſentiri, quoniam quò plus recedit, ſeù à principiis primis diſtat concluſio, eò ſanè proponitur intellectui cum minori claritate, propter ſpecierum multitudinem, quæ in multiplici ratiocinatione intervenire debet.

8 Illa igitur principia, *dici ferè de omni*, &c. non ſufficere ut directè aſſentiatur intellectus, probatur: quando ad aſſentiendum, aut diſſentiendum nullum intellectui proponitur fundamentum, nequit intellectus aſſentiri, aut diſſentiri; ſed ex vi prædicti principii, *dici de ferè omni*, vel alterius, *dici de ferè nullo*, nec intellectus habet, nec ipſi repræſentatur fundamentum aliquod ad aſſentiendum, aut diſſentiendum: ergò ex vi horum principiorum nulli concluſioni intellectus directè poterit aſſentiri, aut diſſentiri: hujus ratiocinii majorem nos edocet Ariſtot. 1. de Anim. cap. 3. & quamvis Philoſophus eam non docuiſſet, experientia nota eſſet nobis, quoniam quocumque dato voluntatis imperio, etiam ſi animi libidine, imperii viribus abutatur voluntas, quemadmodum efficere nequit, ut abſque ullis obiecti præhabitis ſpeciebus apprehendat intellectus, ita nec obtinere poterit, ut abſque ulla decidendi ratione judicium eliciat: quis enim judicii aſſenſu præſtito dicat, nunc potius ſedere Turcam, quàm ſtare? Maris arenas eſſe pares, aut impares? Nihil ſanè horum determinatè affirmare poſſumus, quoniam ad id judicandum prorsùs fundamento caremus: quod ſi ita non contingeret, quid in intellectu rationalitatis eſſet? Ut quid ipſi innatus eſſet ſciendi appetitus, ad quid ratiocinativa potentia? Et hæc pro oſtendenda majori aſſumptione.

9 Minor autem ut inclareſcat, ſupponantur hæ duæ præmiſſæ: *Omnes ferè matres ſuos diligunt filios*: *Seja eſt mater*. Et ambæ proponantur intellectui ut veræ, & omninò certæ, ipſiſque ut certis præſtetur aſſenſus, nihilominus adhuc nullum adeſt fundamentum, ut intellectus aſſentiatur huic concluſioni, *Seja diligit filium*; probatur: quoniam ex majori conceſſa, repræſentantur intellectui tot matres filios ſuos diligentes, quot comprehenduntur terminis illis, *omnes ferè*, & ſimul nonnullæ, quæ filios non diligunt ex vi ejuſdem dictionis *ferè*: ergò niſi intellectus fundamentum habeat ad aſſerendum, Sejam eſſe potius ex pluribus matribus, quæ filios diligunt, quàm ex paucioribus non diligentibus; non poteſt affirmare, quod Seja diligit filium: at ex vi harum præmiſſarum tale fundamentum intellectui non ineſt: igitur ex eiſdem præmiſsis nequit intellectus aſſentiri huic propoſitioni, *Seja filium diligit*: aſſumptum patet, quia nec in majori, nec in minori ex præſuppoſitis præmiſsis apparet vel umbra diſcriminis Sejæ à matribus licèt paucis, quæ filios non diligunt: nullo

er-

ergò fundamento intellectus gaudet ad aſſenſum impertiendum propoſitioni illi, *Seja filium diligit.*

10 Dices: id fundamenti adeſſe, ut Sejæ dilectioni erga ſuum filium aſſentiatur intellectus, quod ipſi perſpectum ſit, multò quidem plures eſſe matres, quæ filios diligunt; præ illis, quæ eos odio habent, & hujuſcemodi exceſſum eſſe argumentum probabile aſſentiendi concluſioni præfatæ, conſtat, quoniam probabile eſt, quod plerumque contingit, ut nemo inficiatur.

11 Contra tamen, nam vel ex evaſione iſta, inquit prælaudatus Recentior, ex mentis præjudicio id reſponderi dignoſcitur: quod ut fulciat, perpendantur, ait, propoſitiones iſtæ: *Longè plures in Orbe ſunt pauperes, quàm divites, ignorantes, quàm ſapientes, plebei, quàm nobiles.* At quis licèt intellectum ſuum præmat, comprimatque, aſſenſu præſtito, poterit aſſerere, non eſſe divitem, nobilem, aut ſapientem hominem, quem nunc in mente habeo? Quis iterum à me abſens decidere poterit, num in 300. folio Breviarii, quo vtor, aliqua reperiatur vox ex Y Græca compoſita: vel utrum ſtella, quàm præterita nocte aſpiciebam circa horam decimam, eſſet ex his, quæ fixæ appellantur, vel potius ex Planetis, aut errantibus? Profectò hæc omnia inenunciabilia ſunt, judicio, aſſenſuque exhibito ulli ex contradictionis partibus, nihilominus argumentum ex eo quod plerumque contingit, militat pro una parte ex omnibus prælibatis dubiolis: quoniam, & plerumque homines ſunt plebei, ignorantes, divitiiſque egentes: ferè item omnes Breviarii dictiones litera Y Græca carent, omneſque penè ſtellæ fixæ ſunt: igitur quia id argumenti ex eo quod plerumque contingit, ad quod omnia probabilia reducuntur, non ſufficit ad eliciendum directum determinatumque aſſenſum reſpectu eventus determinati: & propterea quamvis plurimæ, & ferè omnes matres diligant filios ſuos, nullum ex hoc ſuppetit intellectui fundamentum, vt aſſenſum præbeat huic determinatæ propoſitioni, *Seja filium ſuum diligit*: & omnium ratio eſt, quoniam cum inter plura individua ſic ſe habentia, dentur nonnulla, quæ aliter ſe habeant, donec intellectui innoteſcat, an hoc individuum ſit ex pluribus, aut ex pauciori-bus, nequit determinatè aſſerere, quomodò ſe habeat objectum, an juxta plurium, vel juxta paucorum indolem, aut qualitatem?

12 Dices iterum: aſſumptum falſitatis convinci ex frequenti experientia; cernimus quippè, propoſitiones plures, quæ tantum probabiles eſſe queunt, aſſenſum adipiſci ſapientum: Jeſuiticæ namque Scholæ Profeſſores, & Magiſtri negant libertati cohærere phyſicam prædeterminationem: ſcientiam autem mediam in Deo reperiri omninò affirmant: & tamen iidem Doctores contradictoriarum aſſertionum probabilitatem fateri tenentur, vel inficiari non poſſunt: igitur argumento tantum probabili inductus intellectus poteſt alicui propoſitioni directum aſſenſum præbere. Verumtamen id experientiæ aut nimis, aut nihil probat, inquit acutus Recentior: nimis quidem probat, quoniam cum præfati Scholarum profeſſores ſuis doctrinis maximè præcipuis, & quæ unluſcujuſque Scholæ ſunt veluti militaris teſſera, penitùs abſque formidine præbeant aſſenſum, dicendum erit, aſſenſum in re vtrimque probabili poſſe eſſe certum, utpote ab omni formidine liberum: cum igitur hoc ſit falſum, argumentum ab experientia prædicta deſumptum nihil evincit.

13 Nihilominus dicendum, pergit ille, quod in terminis ſuperioris ſyllogiſmi. *Omnis ferè mater diligit filium; Seja eſt mater*, licèt in inſtanti, quo intellectui proponuntur duæ illæ primæ aſſumptionis partes, nempè quam plures eſſe matres, quæ ſuos filios diligunt, nonnullas tamen illos non diligere, non poſſit elicere aſſenſum directum, & determinatum circa dilectionem Sejæ erga filium:

ta-

tamen in alio inſtanti applicato intellectu ad ingentia motiva, quæ maternum ſuadent amorem, ceſſanteque iam repræſentatione matrum quarumdam non diligentium filios, poterit quidem aſſenſum prębere concluſioni illi; *Seja diligit filium*; aſſenſus verò iſte erit abſque formidine ulla, quoniam elicitus erit abſque ulla in oppoſitum dubitandi ratione, non quidem ex vi illius primæ aſſumptionis, *omnis ferè mater filium diligit*, ſed ex vi univerſalioris alterius propoſitionis, nimirum, *omnis mater filium diligit*; ſiquidem ceſſante propoſitione illarum matrum, quæ filios odio habent, fit perfectè univerſalis aſſertio amoris omnium matrum erga filios, vnde adhibito aſſenſu alteri præmiſſę, videlicèt Seja eſt mater, certa, & abſque ulla trepidatione proponitur intellectui propoſitio alia, nempè Seja diligit filium.

14 Hic autem aſſentiendi modus eſt, qui frequenter obſervatur, præſertim in quæſtionibus majoris momenti, majori conatu diſcuſsis, & propugnatis, quæ pluribus ſpeciebus, & reflexionibus haud paucis indigent, ut comprehendantur; &, vt omnimoda ſecuritate intellectus in his eventibus aſſenſum præbeat, plura confluunt, videlicèt voluntas cum ſuis affectionibus, intellectus noſtri exiguitas, nimiaque intenſio in prædilectæ partis perpendendis, comprobandiſque fundamentis, his quippè tenebris ſubmerſus intellectus obliviſcitur pœnitus efficaciæ, ponderiſque contrariæ ſententiæ fundamentorum, nedum illa parvipendet, & propterea aſſenſum præſtat minimè formidoloſum, ſed certum illi, cui adhæret ſententiæ: & ex eiſdem, ſimilibus vè cauſis contingunt judicia temeraria, & hæreſes, quando voluntatis pergliſcit pravitas: in hunc modum prælaudatus Doctor ratiocinatur.

*** *** ***
*** *** ***

SECTIO TERTIA.

Alia in eundem ſcopum perpendit fundamenta, & maximè elegantem Platonis doctrinam tradit.

1 EJuſdem perdocti Viri placito favent quædam alia argumenta apud Mag. Vincentium Ferre, qui licèt huic ſententiæ non ſubſcribat, verſans tamen hanc difficultatem in ſuis valdè eruditis Commentarijs in 1. 2. D. Thom. tom. 2. tract. 6. de Probabilitate opin. mor. queſt. 2. §. 2. hæc ſibi opponit argumenta: primum ex Ariſtotele 3. de anima, text. 153. ubi inquit: *Quod autem non eſt eadem phantaſia, & opinio, manifeſtum eſt, hæc enim paſsio in nobis eſt, cum volumus, præoculis enim eſt facere, ſicut in recordativis poſiti, & idolum ſunt facientes. Opinari autem non in nobis eſt: neceſsè enim eſt verum, aut falſum dicere.* Ex qua Philoſophi ſententia ſubduci videtur, quod non ſit nobis poſsibile opinari, ſeù cum formidine aſſentiri, quoniam juxta Ariſtotelem, verum, aut falſum dicere, eſt neceſſarium: ergò libertati noſtræ non ſubjacet aſſentiri, aut diſſentiri, ſed tantum id aſſenſus, vel diſſenſus præſtamus, dùm neceſſaria ratio ſuadet; at ſic ſuadente neceſſaria ratione; nihil formidinis adeſſe poteſt in aſſenſu, aut diſſenſu: ergò juxta Philoſophi doctrinam impoſsibile eſt cum formidine opinari.

2 Secundum: Intellectus opinans, vel affirmat probabilitatem de re opinabili, vel affirmat eſſe quod habet à parte rei ipſa res de qua opinatur. Primum eſt falſum; quia de ipſa probabilitate rei ipſe non habet opinionem, ſed evidentiam: ergò de ipſa non opinatur. Præterea dum opinatur, de re ipſa adhuc non habet veritatem, cum nondum ſciat, eam re ipſa ita eſſe, vel non eſſe: ergò de illa verum dicere non poteſt: non ergò de re ipſa opinatur.

3 Tertium: Opinans adhuc eſt in

in via ad veritatem, & inquirit de illa: ergò nondum habet verum: ergò nihil dicere poteſt: ergò nec poteſt opinari. Confirmatur. Quicumque aliquid dicit, virtualiter, & exercite dicit verum eſſe, quod dicit, & ſi reflectat, ſignatè dicere poteſt, verum eſt quod dico; at circa probabilius, hoc dicere nequit. Ponamus enim, quod probabilius ſit Chiocolatam non frangere jejunium. Tunc nequit opinans dicere, verum eſt Chiocolatam non frangere jejunium: ergò nec poteſt dicere, Chiocolata non frangit jejunium: nam ſi hoc diceret, deberet etiam virtualiter dicere, verum eſt, Chiocolatam jejunium non frangere. Quod autem non poſsit dicere, verum eſt Chiocolatam non frangere jejunium, patet. Nam minus eſt, probabilius Chiocolatam non frangere jejunium, quàm ſit, verum eſſe, Chiocolatam non frangere jejunium: ergò adhuc non eſt verum, ergò magis eſt dicere, verum eſt, Chiocolatam non frangere jejunium: ergò qui opinatur, probabilius eſſe, Chiocolatam non frangere jejunium, nequit dicere, verum eſt, Chiocolatam non frangere jejunium: ergò nec poteſt dicere Chiocolatam non frangit jejunium, quia hoc dicendo, virtualiter dicitur verum eſſe Chiocolatam non frangere jejunium: in hunc modum dubitandi gratia diſſerit Mag. Ferre.

4 Sed antequam ad diſſolvenda propoſita argumenta gradum faciam, ne videar præterire quidpiam quod fulcitæ hucuſque ſententiæ roboris quidpiam impertire valeat, opere pretium duxi aliqua ex Platone expendere, quæ eandem ſententiam forſitàn queant promovere: præclariſsimus ergò iſtæ Philoſophus difficultatem exponendi opinionis quidditatem præſenſiſſe oſtendit, cum enim ſæpè de hac re diſſerat, & præcipuè *lib.* 4. *Meno.* ſeù de virtute. verſus finem, *lib.* 13. *Theætetus.* ſivè de ſcientia pluribus in locis, *lib.* 15. *Sophiſta. vel de ente.* ad finem. *lib.* 24. *Gorgias.* ſivè *de Rethorica.* parum à principio, ſemper tamen quaſi abſtruſam rem verſare dignoſcitur: & ſi attentè legatur, numquam reperietur aſſerere, quod opinio ſit formidoloſus aſſenſus, imò id formidinis ab opinione eum ſecernere apparet. Nam *lib.* 13. *Theætetus.* ſeù *de ſcientia.* ſic habet: *Hoc enim mihi videtur, cogitationem, ſcilicèt animam, nihil aliud agere, quàm ſecum ipſam diſſerere, interrogando, reſpondendo, affirmando, atque negando. Poſtquam verò definit, idemque ſivè tardius, ſivè velocius animadvertens aſſerit, neque vagatur, hanc ipſam opinionem ponimus. Quàm ob rem opinari loqui appello, opinionemque ſermonem, non ad alium, neque voce, ſed ſilentio, & ad ſe ipſum. Tu verò quid ſentis? Theætet. Idem.* Ex his porrò verbis perpendo maximè illa, *non vagatur, poſtquam verò definit, animadvertens aſſerit,* quę non trepidationem, ſed ſecuritatem, ac certitudinem denotant, idque ſecuritatis in opinione reperiri, edocet Plato.

5 Pergit in eodem libro, & inquit: *Perſuadere autem nonnè idem aſſeris, quod & opinionem inducere? Theætetus Idem prorsùs. Socrat. Nonvè quando judices iuſtè perſuadentur in his, quæ ſolus ille, qui vidit, cognoſcit, alius autem nequaquam, tunc ipſa ex auditu judicantes, veramque opinionem nacti abſque ſcientia, rectè judicant ea in quibus perſuaſi ſunt, ſi modò benè judicant? Theæt. omninò.* Tùm ſic: at judices proferentes ſententiam, maximè condemnatoriam, permoti depoſitionibus teſtium, omni exceptione majorum, ſcientiam quidem non ſunt adepti, ut ipſe animadvertit Plato, ſed opinantur præcisè, ſine ullo tamen timore, ſed perſuaſione firma, abſque illa enim reus damnari non poſſet ad pœnam ſaltem ordinariam: igitur opinio juxta Platonem formidine caret.

6 Elegantior adhuc in eundem ſcopum eſt alter Platonis locus, *lib.* 4. *de virt. Menon.* propè finem, quem & ſi ſuprà dederim, excerpere, iterum haud injucundum erit, nova quippè indiget animadverterſione: inibi igitur Plato inter opinantem, & ſcientem diſcrimen è diſ-

ſe-

ſerens inquit: *Quam ob rem miror quare cum ita ſit, ſcientia tamen longè admodùm præſtantior habeatur, quàm recta opinio: & cur utraque illarum aliud quiddam ſit, dubito. Socrates. Noſtin' quam ob cauſam id mireris? An ipſe vis tibi dicam.* Men. *dic prorsùs. Socrat. Quia Dædali ſtatuas numquam conſideraſti; fortè verò neque apud vos extant. Men. Quorſum hæc? Socrat. Quoniam hæ niſi ligentur, diſcedunt, atque aufugiunt, ligatæ permanent. Men. Quid tum? Socrat. Ex ejus operibus qnod ſolutum eſt, haud magni fit inſtar fugitivi hominis, neque enim permanet, ligatum verò admiratione dignum, pulcherrima enim opera ſunt. Cujus hæc gratia dico? Verarum opinionum gratia: hæ quippè quouſque ſtabiles perſeverant, pulchra quædam opera ſunt, omniaque bona perficiunt. Attamen diù conſiſtere nolunt, ſed ex hominis animo confeſtim aufugiunt, quapropter non multi pretii ſunt, donec quis illas ratiocinatione à cauſis ducta liget.* Nullibi fortaſis Plato diſcrimen opinionis à ſcientia, ipſamque opinionis quidditatem dilucidius, quàm in his verbis, tradidit; & tamen id diſcriminis opinionis à ſcientia non dixit, eſſe penès formidinem ullam, quæ in opinativo aſſenſu reperiatur: igitur opinativum formidoloſum aſſenſum Plato non agnovit: prætereà ipſe Plato opiniones veras eum Dædali ſtatuis, dum ſtabiles perſeverant, pulchrè componit: igitur quia in opinione trepidationem nullam Plato concedit, ſed ſtabilitatem aſſeruit.

SECTIO QUARTA.

Perdocti Recentioris argumenta elevat, & expendit cap. ſcribam eis. 9. de Præſumptionibus.

1 INgenti profectò acumine inſtituta eſt prælaudati Doctoris ratiocinatio; verumtamen communis receptæque ſententiæ fundamenta non adeò quatit, ut illam deſſerere adigamur; imò ex ſolutione objectionum dilucidior ipſius veritas apparebit: Reſpondeo igitur falſum in primis eſſe, ut ex communi ſententia reor, quod omnis propoſitio probabilis reduci debeat ad præmiſſas aliquas certas ſaltem mediatas, ut enim infra conſtabit, poſſunt eſſe, & defacto reperiuntur propoſitiones aliquæ probabiles immediatæ, & veluti prima probabilia principia: permiſſo tamen quoad hanc partem hujus Recentioris aſſumpto, neutiquam inde evincitur formidoloſi aſſenſus repugnantia, nam propoſitionis iſtius *Seja filium diligit*, facta reductione ad illud univerſale principium, *dici de ferè omni*, ut objiciens contendit, reperitur in hoc antecedenti ſufficiens ratio objectivè motiva, ut cognita veritate de eo, quod Seja ſit mater, & adjecta hac ſecunda aſſumptione, poſſit intellectus aſſentiri probabiliter, ſeù cum formidine conſequenti illi, *Seja filium diligit*; quòniam ex frequenti experientia ſimul cum innata, ſeù naturali filios diligendi propenſione, morali honeſta roborata, conficitur optimum argumentum ad judicandum, *quod Seja filium diligit*; maximè quando in oppoſitum nulla ſpecialis ratio contra hanc individuam matrem proponitur; licèt quòniam id fundamenti non contineat, evidentem, nec certam extremorum cum medio, aut inter ſe identitatem, ſeù connexionem, cum contingens ſit, quod mater filium non diligat, ut in nonnullis cernitur matribus, ideò intellectus, ut aſſentiatur tali propoſitioni, indiget voluntatis imperio determinante ad aſſenſum, & ex eadem præfata contingentia deceptionis evadit formidoloſus aſſenſus.

2 Et ſanè quod intellectus imperio voluntatis ſubjaceat in his, quæ evidentia non ſunt, ut ſaltem probabiliori parti præſtet aſſenſum, eſt aperta doctrina Doctoris Angelici 1. 2. q. 17. art. 6. corp. ibi: *Sunt autem quædam apprehenſa, quæ non adeò convincunt intellectum, quin poſſit aſſentire, vel diſſentire, vel ſaltem*

tem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit. Id ipsum stabilitur authoritate D. Joannis Damasceni *lib. 2. de fide, cap. 22.* quam adducit *D. Thom. in citato artic. in arg. Sed contra: Libero arbitrio* (inquit Damasc.) *homo exquirit, & scrutatur, & judicat, & disponit.* Eandem doctrinam tradit D. Angel. *in quæst. 14. de verit. art. 1. corp.* & sæpè aliis in locis, omnesque ipsius Interpretes, tàm ex Sacra Patrum Prædicatorum Familia, quàm ex nostra Societatis Jesu Schola concinunt absque ulla in hac parte discrepantia, nec dissidet Subtilis Doctor cum suis præclarissimis discipulis.

3 Hinc elevatur quod num. 7. & 8. Sectione 2. nobis opponitur, quoniam licèt in non evidentibus, probabilibus tamen, intellectus non adigatur, præbere assensum ita sibi propositis, fundamentum tamen habet ad assentiendum, præsertim parti probabiliori, desumptum ex rationis præstantia, quæ pro illa militat parte, secus pro oppposita: quamobrem apertum adest discrimen inter hæc probabilia objecta, & illa, quæ nulla sunt prædita probabilitate, qualia sunt ea, quæ in dict. num. 9. objiciebantur de numero videlicèt pari, aut impari stellarum, seù arenarum maris, & de Turcæ deambulatione, in quibus exemplis nulla decidendi ratio adest, ideòque in his circunstantiis imperari non potest à voluntate assensus; quòniam ut optimè ait objiciens, intellectus est rationalis potentia, & sine ratione judicare nequit; cæterum stante probabili, aut probabiliori ratione pro aliqua parte, qualis consurgit ex experientia frequentiori matrum, quæ diligunt filios, & ex naturali honestaque in id propensione, divino præcepto vallata, ingens consurgit fundamentum, ut rationabiliter à voluntate determinetur intellectus ad assentiendum huic matris erga filium dilectioni.

4 Nec huic solutioni officit objectionis instauratio *num. 10. ejusd. 2. Sect.* adducta: minis siquidem probant proposita inibi exempla, videlicet ex frequenti experientia, & à communitèr contingentibus, nec probabile confici posse argumentum: quod asserere ingens esset absurdum, sequela tamen patet, ni fallor, quòniam nec probabilitate aliqua conjicere ego possum, sit ne pauper, ignobilis, & ignorans homo, sola mente à Petro conceptus, nec ullo signo exteriori manifestatus, seù indicatus: quod sanè liquidum est, sicut nec tenui argumento, me subducere posse, utrum stella à Paulo præcedenti nocte attentè perspecta, fuerit errans, aut fixa, reperiatur vè Y Græca in 300. Breviarii à me incogniti pagina: cum igitur nemo queat inficiari ab eo quod plerumque contingit, probabile desumi argumentum, ut ipse objiciens non diffitetur, imò supponit, agnoscendum profectò discrimen inter relata exempla, & hypothesim nostram.

5 Et quidem in hoc discrepantia elucet, quod in allatis ab objiciente exemplis deest præcipuum requisitum, ut argumentum à communitèr contingentibus procedere valet: nempè in iisdem terminis, qui in consequenti probando reperiuntur, frequentem experientiam esse cognitam, & observatam; nam si aliquid aliud addatur, adimaturvè ex his, quæ in frequenti experientia concurrunt, simile argumentum non habet locum; deficit siquidem ratio, conceptus vè experientiæ, eò quod termini, in quibus versamur, sint dissimiles, aut diversi; & ubi diversa est ratio, dispositio quoque diversa esse debet. *Leg. inter stipulantem. 83. §. sacram* verf. *Sed hæc dissimilia sunt, ff. de verb. oblig. confert. cap. Post translationem de Renuntia.*

6 Cum igitur, licèt plures in Orbe sint plebei, pauperes, & ignorantes, tamen in proposito dubio de qualitate hominis à Petro excogitati, reperiatur terminus quidam, qui non comitatur plerosque homines Orbis, inde fit, ut ex plu-

ra-

ralitate, ingentique multitudine talium hominum non posit fieri argumentũ ad hujusmodi dubium dissolvendum. Quòd si inquiras, quisnam terminus iste sit, qui adeò hypothesim invertit? Respondeo, esse ipsam Petri cogitationem terminatam ad talem hominem: verum enim est, plerosque homines esse plebejos, cæterum nulla experientia, nec alia via notum est, Petri cognitionem frequenter terminari ad plebejos, ignorantes, & pauperes, potius quàm ad nobiles, divites, & sapientes, quamobrem ex ingenti illa hominum multitudine neutiquam licet inferre illum determinatum hominem à Petro excogitatum esse hujusce, aut alterius indolis, aut qualitatis.

7 Et quidem cum Petri cogitatio de tali homine pendeat etiam ex libera ipsius determinatione, hinc adest alius terminus, qui non reperitur in multitudine cæterorum hominum, & ob cujus defectum, non licet ex ea hominum frequentia arguere ad qualitatem hominis prolibito à Petro excogitati: nulla enim experientia perspectum mihi est, Petrum eligere frequenter, cogitare potius de ignorantibus, quàm de sapientibus: idemque dicendum de inspectione stellæ, & similibus: vnde solum in hypothesi, qua notum mihi esset, quod Petrus ut in plurimum cogitatione versat doctos viros, possem aliqua probabilitate conjicere, excogitatum hominem ab illo in tali tempore, esse potius doctum, quam ignorantem, quia inniti poteram argumento à communitèr contingentibus.

8 Aliqua inquam probabilitate, id solum affirmare possem, sed valdè tenuis, imò, & fortasè nulla esset talis probabilitas, argumentum enim à communitèr contingentibus, sicut, & esse probabile, quod plerumque contingit, procedit, intelligendumque est, in his, quæ magis ex naturali rerum serie, & constitutione, quàm ex libero arbitrio dependent; quòniam liberum nostrum arbitrium propter plenam suam libertatem, indifferentiamque, postquam centies, aut millies imperavit, determinavitque versare intellectu suo viros doctos, & nobiles, contemplarique stellas potius errantes, seù Planetas, quàm fixas, manet cum omni indifferentia ad imperandum cogitationem de indocto, ignobili, & de fixis stellis: vnde in his, quæ adæquatè à libero arbitrio dependent, & nullatenùs à propensione naturæ, seù ab ingenti aliqua passione, quæ difficulter superari valeat, infirmum valdè est argumentum ab eo, quod plerumque contingit; quòniam in his modò unum, modò aliud homo velle potest: cæterum in matre, ut assentiamur illius amori erga filium, præter frequentiam, licèt amor sæpè etiam in matre à libero ipsius arbitrio pendeat, adsunt inclinatio naturæ, lex naturalis, & divina, imò, & matris ipsius utilitas in fovenda prole, ut postea matri consulat, quæ omnia probabile admodùm constituunt fundamentum, ut ex imperio voluntatis dilectioni matris erga filium intellectus assensum præbeat, potius quàm non dilectioni, aut odio.

9 Aliter quippè infirmum nullumque esset argumentum à communitèr contingentibus, patet, quòniam juxta objicientem nullum fundamentum habet intellectus, ut judicet, Sejam V.C. esse potius ex pluribus matribus filios diligentibus, quàm ex paucioribus non diligentibus: ergò juxta hypothesim, cum multò plures sint matres, quæ filios diligunt, quàm quæ non diligunt illos, idem Recentior tenetur dicere à communitèr contingentibus non posse desumi argumentum ad dirigendos mores, & humanas dijudicandas actiones, hoc autem falsum est, & absurdùm, tùm ex communi Theologorum sensu, tùm quia in utroque jure magni habetur argumentum istud àcommunitèr contingentibus, ut cernitur in leg. *Certi condictio. §. Si numos.* ibi, *cum quotidie. ff. si certum petatur. Leg. ideò quia. ff. de legibus.* & ibi Glossa. Idem dilucidè ostenditur in cap. *Scribam eis. 9. de Præ-*

Præsumpt. Cujus priora verba hæc sunt: *Scribam eis multiplices leges meas*: quæ sunt Prophetæ Oseæ. *cap.* 8. *vers.* 12. adduntur verò in Decretalium textu hæc alia: *ex prius datis, & neglectis apparet, quod has negligent.* Et tribuuntur Doctori Maximo Divo Hieronymo, licet in scholiis ipsius ad hoc cap. Oseæ non reperiantur, at ipsius menti conveniunt, nam D. Hieronym. in eodem v. 12. quasi dubitabundum Deum introducit, secumque deliberantem, quomodò populum à supplicio vindicet, & ad officiū reducat, & Oseæ clausulā hanc cū interrogatione concludit, ac si dicat: scribamque alias leges præter eas, quas olim tradidi per Moisem, sed quid proderit novas scripsisse leges, cū veteres contempserint? Numquid novas majori studio, ac religione suscipient, quā suscepere veteres, quæ apud illos nihilo plus habuere pōderis, quā alienæ? Unde ex mēte, & sententia Hieronymi citātur hæc verba *in dic. cap.* 9. *de Præsump.* nimirū: *Ex prius datis, & neglectis apparet, quod has negligent*: ideòque cōpilatores primæ collectionis super hūc *tit. c.* 10. & Sapiētissimus Mag. Div. Raymūdus eā auctoritatem excerpserūt ad probandū ex præteritis dari præsumptionem ad futura; & in hunc modum istum textum elucidat D. D. Emmanuel Gonçalez.

10 Et pro re nostra ulterius animadvertendū, nec omnes ex hæbreis, nec semper legē Dei cōtempsisse, sed plures, nimisque frequenter; fuerunt tamē haud pauci Dei Sanctissimi Prophetæ, & alii, qui in Sacris Literis laudātur divinæ legi obsequētes; ex frequenti tamē experientia in pluribus nota, cōtemptus divinę legis in futurū præsumitur in prælegato textu: conferunt in id *tex. in cap. Qui crimē. 6. q. 1. cap. cū per 34. q. 2. cap. si quis diaconus. vers. cū verò. dist. 50. cap. Quia sūt culpæ. dist. 28. cp. Monachus verò novitius. 9. dist. 77. cap. Si apud. 23. q. 5. cap. mandata. de Præsumpt.* Liquidū ergò fit, ex eo quod plerūque contingit, haberi fundamentū ad judicandū, eodē modo in hoc, aut illo eventu, quodpiam cōtingere, dummodo contrarium non ostendatur, & pares sint termini.

SECTIO QUINTA.

Formidolosi assensus possibilitas ex cap. Afferte mihi gladium. 2. *de Præsump. & aliis utriusque juris argumentis illustratur; & ostenditur quænam sit violenta præsumptio, tum juris, & de jure, easque non excludere formidinem in assensu.*

1 LUculentius assumptū evincitur, possibilitasque formidolosi assensus probatur ex cap. *Afferte mihi gladiū.* 2. de Præsump. quod desumptū est ex *lib.* 3. *Reg. c.* 3. in eoque percelebre illud Salomonis judiciū de duabus mulieribus proponitur: suppositā igitur notissima specie, Salomonis judiciū exprimitur hisce verbis: *Date huic infantē vivū, & non occidatur, hæc est enim mater ejus*: quæ non solū continent judiciū reflexū de probabilitate veræ maternitatis illius mulieris, quæ infantis scisionē, occisionēque nolebat admittere, & cujus commota fuere viscera, auditis Salomonis prioribus verbis: *Afferte mihi gladiū, dividite infantē*; sed insuper prædicta verba significāt, Salomonē directè judicasse, eā fuisse matrē, quæ puerum diligebat, secus verò aliam, quæ amore erga infantē destituebatur: quod sanè judiciū Salomō elicuit ex eo, quod plerūque cōtingit.

2 Licet enim proferendæ sententiæ adjudicandi infantem mulieri, cum veluti filium diligenti, secus alteri, sufficere posset judicium reflexum deurgenti fundamento, ad sic pronunciandum, tamen ulterius Salomon progressus fuit, & directè judicavit, illam esse infantis matrem, cui infantem dari præcepit; probatur ex eo, quod judicio reflexo, sententiæque proferendæ sat erant priora illa verba, *date huic infantem vivum*, super quæ in præsenti cap. Glossa juridica inquit: *Hæc enim fuit definitiva sententia*: quamobrem, sequentibus verbis à Salomone prolatis, nempè, *Hæc est enim mater ejus*, apertè significavit Rex sapientissimus, se directo assensu judicasse illam mulierem esse infantis matrem.

3 Nec dicat quispiam, divina revelatione edoctum Salomonem, ut hoc proferret judicium, & consequenter certum

illud fuiſſe, non opinativum, nec formidoloſum; communis ſiquidem Interpretum ſententia non divinæ revelationi, ſed Salomonis præclaræ prudentiæ hoc tribuit judicium: *Conſideravit* (inquit D. Ambroſ. cujus verba referuntur in Sacrorum Bibliorum Gloſſa) *quod vera mater plus conſuleret filio, quam ſolatio ... naturam in effectibus quæſivit, quæ latebat in vocibus.* Illuſtriſsimus Abulenſis Majoris D. Bartholomæi Salmanticenſis Collegii immortale decus ſuper hunc textum *lib.* 3. *reg. c.* 3. *q.* 22. in eundem ſenſum diverſa proponit genera præſumptionum, quaſdam enim vocat inevitabiles, alias verò non tàm inevitabiles, & hujuſmodi inquit fuiſſe præſumptionem, qua Salomon in præſenti ſententiam protulit: *Aliæ autem* (ait) *ſunt non tàm inevitabiles, quæ magis incidunt in genus probabilium præſumptionum, & ſic erat iſta præſumptio de commotione viſcerum per quam Salomon proceſſit.*

4 Haud minus luculenter hunc textum juxta eandem ſententiam expendunt Canonici Juris Interpretes, maximè Gloſſa v. *date huic.* ubi inquit: *Hæc enim fuit ſententia diffinitiva lata per ſolam præſumptionem:* Igitur non ex divina revelatione, ſed ex præſumptione Salomon judicavit: fuit tamen violenta præſumptio iſta, ut ſtatim dicam: quamobrem ex hoc textu hujuſcemodi ſolet deduci concluſio: Ex violenta præſumptione poteſt judex proferre ſententiam definitivam: quam probant textus *in cap. Dudum. de Præſump. cap. de his de ſimonia, cap. cum in tua de uſuris. cap. Porrecta. de confirm. utili. cap. ſi duo.* 4. 35. *q.* 4. *cap. decernimus.* 3. *q.* 9. *cap. dixit Dominus.* 32. *q.* 1. *cap. contumacia. de Hæretic. in* 6. *cap.* 2. *de confeſſ. eod. lib. leg. ſi quis.* 34. *Cod. de Adulteriis leg. finali. Cod. de Accuſat. leg. Jubemus. Cod. de Probati. leg. Qui crimen. Cod. Qui accuſar. conſonant de Caſtellæ Jure Regio. Lex.* 8. *tit.* 18. *Parti.* 3. *Lex* 7. *tit.* 1. *Partit.* 7. Illuſtrant Cujacius *in dict. cap. Afferte.* Illuſtriſsimus D. Covarrubias Majoris Ovetenſis Salmantini Collegii eximium ornamentum *lib.* 1. *Variar. cap.* 1. *n.* 10. *Morla in Emporio Juris. tit.* 12. *q.* 1. *Alciatus de Præſump. reg.* 3. *Anton. Gomez lib.* 3. *variar. cap.* 12. *n.* 6. D. D. Emmanuel Gonçalez in Majori Conchenſi Salmantino Collegio violacea Toga condecoratus, ſummæque eruditionis Scriptor in Comment. ad dic. *cap.* 2. *de Præſump. n.* 9. necnon alii plures congeſti à Barboſa, & Graña *in dict. cap.* 2.

5 Cujus deciſioni ſimilem refert prælaudatus D. Gonçalez *in eod. cap. n.* 15. Præclariſsimi ſcilicèt Imperatoris Theodorici, qui rei Romanæ, & juris ſtudioſiſsimus, veterumque Imperatorum memoriæ cultor, & propagator eximius fuit, & in ſimili eventu, ut habetur apud Magnum Upſalenſem Archiepiſcopum *lib.* 9. *Hiſt. Gothic. c.* 29. finxit, ſe præcipere viduæ cuidã mulieri, accipere Maritũ Juvenem, quem ipſa filium ſuum immeritò negabat, ut expeditior fieret ad nuptias cũ alio ſibi charo contrahendas, additaque pœna niſi Imperatori obediret, adacta mulier ſceleris horrore, ſuum eſſe filium confeſſa eſt. Porrò ex conſtabilita, & ineluctabili hac doctrina compertum fit, in evẽtibus in quibus adſunt non quidẽ omninò certa, ſed probabilia, & probabiliora fundamẽta potius pro una parte, quã pro alia, poſſe quidẽ judicẽ ſecundũ probabiliorẽ partẽ ferre ſententiã maximè in civilibus, quia in criminalibus urgentiora, & omninò concludẽtia argumenta requiruntur: igitur quia argumentum probabile, & ſumptũ ab eo quod plerũque accidit, intellectui ſufficiens præbet fundamentũ, ut etiã ſtante deceptionis contingentia, quia aliquando contrarium evenit, judicet ita fieri, ſicut plerumque accidit: conſtat ſiquidem ex dictis ſic Judices plerumque judicare.

6 Nec hujus doctrinæ vim infringit, quod Sect. 2. n. 11. 12. & 13. objicitur, ſæpè videlicèt in probabilibus aſſenſum determinatũ, directũ, & ſine formidine elicere intellectũ, quòniã illo applicato ad intensè conſideranda motiva, quæ urgentiora apparent, obliviſcitur inter dũ rationum cõtrariarum, ex inordinata præſertim affectione erga partem, quam tueri, & promo-

ve-

vere cupit,ideòque aſſenſum intellectus evadere firmum, & abſque ulla formidine:verùmtamen,ut ajebam, his non obſtantibus, tradita à nobis doctrina ſolida eſt,inclareſcitque, quòniam etſi judicum ſententiæ in eventibus, in quibus ex preſumptione violenta judicatur, ingenti nitantur fundamento, tamen fieri non poteſt,ut ex ſola violenta præſumptione,excludatur à ſapientium mente omnis deceptionis formido, quoad ſpeculativum judicium;licèt quoad practicum dictamẽ poſsit certitudo obtineri,etiã perſeverãte ſpeculativa formidine;at modò de ſpeculativis directis aſſenſibus loquimur tantũ

7 Et quidem jam ſuprà oſtendimus, ſæpè judices ex violenta ſolùm preſumptione ferre ſententiam, & ita ſe geſsiſſe Salomonem in judicio,*dic. cap. 2. de Preſumpt.* propoſito, ut apertè edocẽt Illuſtriſsimus Abulenſis,& Gloſſa: præſũptionem autem violentam non excludere in judicando formidinem, in traditis ab eodem Illuſt. D. Toſtato conſpicitur,qui non ſolũ dicit fallere poſſe præſumptionem, etſi violentam, quando eſt de iis, quas ipſe evitabiles appellat, qualemque cenſet præſumptionem,qua Salomon judicavit in precitato loco, verùm etiam præſumptiones,quas inevitabiles dicit,& ſufficientes ad certũ judiciũ putat. *Si autẽ* (inquit dicta q.22.) *queratur de aliis preſumptionibus violentis, quæ videntur inevitabiles...magis videbatur ut poſſet fieri condemnatio,& tamen adhuc exiſtente hoc, non eſt probatio ſufficiens... Ideò Innocentius dixit ſuper cap.quia veriſimile: extra de præſumpt.nimis cavere Judicem condemnationẽ, & maximè in criminalibus,quando reus convictus eſt ſolis præſumptionibus*: quamvis igitur adſit ad judicandum violenta preſumptio, judicium tamẽ ſpeculativũ eſſe debet formidoloſum propter deceptionis contingentiam.

8 Quamobrem violenta præſumptio,in jure,probationem in contrariũ nõ excludit,ut habetur in Gloſſ.ad *ca. veniẽs de Presbyt.non baptiz.* verb.*contrarium*, ibi: *Nota violentam præſumptionem admittere probationem in contrarium.* Eadẽ Gloſſa in cap.*litteras.* v.*vehementem.* ibi: *Nec omnis violenta* (nempè præſumptio ſufficit ad condemnationem) *ſi probetur contrarium.* Gloſſa De creti.ca. *dixit Dominus* 32.q.1. v.*ſuſpicio*, ait:*Sed quæro, ſi contra mulierem probata ſit violẽta ſuſpicio,an ipſa admittatur,quod probet in contrarium? arg.quod ſic.* 35.*q.*5.*Extra ordinaria.ubi contra violẽtiſſimã probationem admittitur probatio; imò etiam ſimplex juramentum. Reſp.quod benè admittitur probatio per teſtes, ſed nõ per ſimplex juramentum,ut ſuprà* 27.*q.*1. *Nec aliqua.arg.*22.*q.*5.*hic videtur.* Item Gloſſa in cap.*filii, vel hæredes.de Hæretic.in* 6. v. *nota primo. Abbas Panorm.* qui alter Bartolus in Jure Canonico merito cenſetur, in *cap.veniens de Presbyt. non baptiz.n.* 4. hæc habet: *Et nota quod cõtra violẽtam præſũptionem admittitur, & probatio in contrariũ, pro quo videGloſſam* 5.*diſtinc.cap.ferrum,& quod dixi in cap.ſi quis de ſponſ. debet tamen probatio talis eſſe evidentiſsima, quod nota argum. in cap. Quia veriſimile. de præſũp.& leg.non eſt veriſimile.ff. quod met.cau.*

19 Id juris tot auctoritatibus fulcire volui, ne illi tenebras offũderet doctrina quædam preſtantiſsimi utique Juriſperiti, & Scriptoris D. D. Emman.Gonçal.qui in Commentario *cap.Litteras.de Præſump. n.*9.inquit; *Præſumptio violenta tamen appellatur,quæ eſt juris,& de jure, & ab apertis,& violentis indiciis lege confirmatis proficiſcitur:unde contra eã non admittitur probatio,ſed pro manifeſta veritate habetur.cap. Is qui fidem.de ſponſal.Leg.*1.§.1.*Cod.de rei uxor.actt.*ubi hic præclarus Doctor videtur non admittere præſumptionẽ violẽtã niſi illã,quę eſt juris,& de jure, cõtra quã probatio non admittitur: cęterùm in hoc illi haud aſſentior;quippè non omnis violenta præſumptio eſt juris, & de jure; patet, vel apud ipſum Dom. Gonçalez, qui præſumptionem,qua Salomon in *cap. Afferte*, judicavit, cum communi Doctorum violentam cenſet; illa tamen non fuit juris, & de jure præſumptio, hæc

enim ſolùm adeſt, quando lex aliquid præſumit,& ſuper præſumpto, tanquam ſibi comperto,ſtatuit, & ſecundum eam judex protinus judicare debet. *Gloſſ. v. Præſumptioni.in l.ultim.ff.quod met.cau.& v.facti ſunt.in leg.ſivè.Cod. de Probatio,& v.non ſit veriſimile.in Extrav. Joan.XXII. ne ſede.vacan.* Alciat. *de Præſum.in prælud. 2.p.num.3.* Menoch.*eod. trac.lib.1.q. 3.n. 17.* D.Gõçalez *in Comment.cap.2.de Præſump.num.2.* In duarum verò mulierum controverſia, ut ſententiæ calculum immitteret Salomon pro hac potiùs, quàm pro illa parte,nulla determinata lex,præter illam eximiæ Salomonis prudentiæ, præſcripta fuerat,aliter enim quid admirationis, timoris vè ex hoc Salomonis judicio in populum cadere deberet! Timuit autẽ ex eoRegem omnisIſraèl,ut 3. *Reg.c.3.fine.* aſſeritur:ergò nõ omnis violenta præſumptio eſt juris,& de jure,quæ probationẽ in contrarium non admittit.

20 Unde ad ſtabiliendum præcipuum noſtrum aſſumptum,ſic diſputo: in hypotheſi *cap.Affirte.3.de Præſump.* judicavit Salomon, illam eſſe infantis matrem,quæ eum verè diligebat, & cujus commota fuere viſcera,idque judicio, & aſſenſu directo exiſtimavit, per illa verba, *hæc eſt enim mater ejus*: ſed judicavit Salomon ex præmiſſis, quæ fallere poterant,cognita utique hac falſitatis cõtingentia: igitur Salomon licèt prudenter, magnaque cum probabilitate judicaverit,aliqua tamen cum formidine id aſſenſus elicuit:Prima hujus ratiocinii aſſumptio ex dictis liquet: Secunda etiam conſtat, nam præſumptio,quæ in contrarium admittit probationem, fallere poteſt; at Salomon ex præſumptione, licèt violenta, quæ tamen, ut prælibavi, in contrarium probationem admittit, ſententiam protulit:judicavit ergò ex præmiſſis,quæ fallere poterant; nec exiſtimare licet, ſapientiſſimum Regem id contingentiæ falſitatis potuiſſe latere: conſequentia tandem ſuperior eſt bona.

21 Tamen haud diffitebor,ſæpè judices nonnullos, non nimis eruditos,in caſibus,qui præſumptionibus tãtum decernuntur, abſque formidine ulla ſentẽtias proferre; idem quoque vel obſcientiæ, & reflexionis defectũ, ſicut & ob inordinatam, nimiamque affectionẽ haud rarò in diſcipulis, imò & aliquando in Magiſtris,Doctoribuſque in ſuis aſſerendis, propugnandiſque aſſertis, incertis, utique, & ſolùm probabilius, contingit: at quod ex ignoratione, nec laudabili affectione, aut ex inconſideratione procedit,in ſapientiſſimo, prudẽtiſſimoque Salomone admittendum nõ eſt, nec ad judicandum de aliorum prudentum, ſapiẽtumque opinativis aſſenſibus poteſt adduci:ſciebat nimirùm Salomon mulierum fallacias,dolos,pręſtigias, & aliquãdò filiũ odio haberi à matre, & abſq; maternitatis vinculo,ex pietate ſolũ, & humanitate,audita in puerulũ mortis ſẽtentia,potuiſſe mulieris viſcera commoveri; & nihilominus quænã fuerit vera mater, cẽſuit.Colligitur ergò quàm optimè, vel in SapientiſſimoRege formidoloſum aliqualiter aſſẽſum repertum fuiſſe, potiori ergò ratione in aliis minori ſapientia, & prudentia prædítis tales formidoloſi, & opinativi aſſenſus poterunt inveniri: ex dictis igitur elevata manent oppoſita à perdocto Recentiori argumenta.

22 Diſſolvenda nunc veniunt ea,quæ à M.Ferre adducuntur, ex traditis ab eodẽ Authore:Ad primum ex Ariſt.1.*de Anim. c.3.* dicendum,in id ſolùm ibi reſpexiſſe Philoſophum,ut aſsignaret diſcrimen inter virtutem opinativã,& phantaſiam, ut ipſius verbis apertè oſtenditur:*Phantaſiam autẽ* (inquit in citato textu)*& exiſtimationem non idem eſſe,perſpicuum eſt, nam affectio hæc,cũ volumus,in nobis eſt, licet enim ob oculos ponere,quemadmodum qui in memoricis,*(alii,*in recordativis,*legunt) *collocant,& imagines effingunt,opinari vero nõ eſt in nobis:neceſsè enim eſt,vel fallamur, vel veritatem aſſequamur*: in commentario autem hujus ſententiæ Doct. Angelicus inquit: *Opinans habet rationem, per quam opinetur*

tur vel verum, vel falſum: ergò opinio non eſt idem, quod phantaſia. Porrò ex his nihil pro impoſsibilitate aſſenſus opinativi, & formidoloſi ſubducitur. Ad ſecundum reſpondetur, opinantem aſſerere, quidem objectivam veritatem, cum formidine tamen deceptionis, quapropter veritatem aſſequitur non demonſtrativè, ſed topicè; ſeù aliter, qui opinatur affirmat veritatem ſecundum ſibi propoſitam apparentiam, & ex conjecturis, argumentiſque incertis, ſuadentibus tamen ita rem ſe habere, idque cum formidine aſſerendo.

23 Ad tertium reſpondeo, opinantem non eſſe ſimpliciter in via ad veritatem, ſed ſolum ſecundum quid, quatenùs poteſt majori ſecuritate veritatem invenire, cæterum probabili jam argumento eam invenit. Ad confirmationem dico, opinantem non dicere ex vi aſſenſus directi reflexè, hoc eſt probabilius, ſed tantum directè id eſſe probabilius, exiſtimat: ſignatè autem ſolum dicit, talis potus non frangit jejunium, quod affirmare poteſt intellectus innixus argumento probabili. Ad ea autem quæ ex Platone expendebam reſponderi ſic poteſt: ad primum ex lib. 13. de Scientia. verba illa: *Non vagatur, poſtquam verò deſinit animadvertens aſſerit*, ſignificare, quòd intellectus opinantis differt ab intellectu dubitante penès id, quòd qui dubitat, non definit, nec aſſerit, ſed vagatur; at ubi aſſenſum præbet intellectus, licèt cum formidine, jam definit, & aſſerit, nec ſanè vagatur. Nec magis urget quod in eodem libro aſſerit Plato, videlicèt, judicem proferentem ſententiam ex vi aſſertionum teſtium, opinari, ſeù opinionem nactum eſſe: id quippè fateor, cæterum dico, poſſe, & debere judicem judicare cum formidine, non ſolum quando ex præſumptionibus ſufficientibus, permittentibus tamen probationem in contrarium, ſententiæ calculum præbet, ut ſupra libavimus, verùm etiam, quando præſumptioni juris, & de jure nititur, ut quando ſecundum leges, plenè cauſa probata eſt, præſertim per teſtes; ut enim inquit Alexander Tertius in *cap. Quia veriſimile.* alias *cap. litteras de præſumpti. ſæpè contingit, quod teſtes corrupti facilè inducantur ad falſum teſtimonium proferendum.*

24 Et quidem licèt præſumptio juris, & de jure probationem in contrarium non admittat, ſi tamen admiſſa fuerit, & perfecta conſpiciatur probatio, prodeſt, ac relevat, ut docet Romanus *Conſilio 215. incipiente, duo ſunt. num. 4. & 5. Abbas in cap. cum contingat. de offic. deleg.* propter gloſſam *ibi, in verſic. Nihilominus.* ubi dicit, *hanc eſſe notabilem theoricam, & ſemper mente tenendam*, & probari *in cap. cum inter monaſterium*, ibi: *Quia oſtenſa nobis non fuit. de re judic. ſecundum felinum in cap. Quanto. de Præſumpti, num. 4.* qui ad hoc allegat *gloſſam in cap. cum Bertholdus. de re judica.* Et cum aliis idem docet *Maſcardus de probation. concluſ. 1228. num. 18. & concluſ. 10. ubi à num. 50.* per plures ſequentes expendit alios caſus, in quibus contra probationem juris, & de jure admittitur probatio.

25 Præcipuè idem cernitur in matrimonialibus cauſis, quòniam licèt rei judicatæ auctoritas adeò magna ſit, ut inter contendentes pro lege habeatur, juriſque firmitatem obtineat. *cap. cum inter. 13. de re judic. facit textus in leg. ultima. Cod. de legib. probat Maranta in ſpeculo. 6. part. tit. de ſentent. num. 129.* Et uſque adeò habetur pro veritate, quòd judicatum eſt, ut amplius de illo non poſsit diſceptari. *Leg. rei judicatæ. 207. ff. de Reg. Jur.* tanquam ſi ita, ut judicatum fuit, à jure ſtatutm eſſet, ut exponit *D. Melchior de Valencia Illuſtr. tract. 2. cap. 8.* exornant *Petrus Faber Leg. 207. colum. 6. ff. de Reg. Jur. Parexa de Inſtrum. edit. tit. 1. fol. 254. & tit. 6. reſol. 3. num. 109. Domin. Gonçalez Commentar. cap. Lator. 7. de ſent. & re judic. num. 4. & 5.*

26 Tamen ſententia lata in cauſa matrimoniali, nunquam tranſit in rem judicatam, ſed poteſt retractari, quoties de veritate conſtiterit, id, quod pro-

bant textus in *cap. Requisisti. vers. quod si.* 33. *q.* 1. *cap. Loci. vers. sicut ergò.* 35. *quæs.* 9. *cap. Lator. cap. Tenor. cap. Consanguinei. de sent. & re judicata.* Illustrantque ultra congestos *à Balboa, Barbosa, Garaña, & Fermosino*, in Commentariis, & Collectaneis ad citatos textus, *idem Barbosa lib.* 1. *vot.* 2. *à num.* 7. *P. Thom. Sanchez, de Matrim. lib.* 7. *disput.* 100. *D. Gonçalez, in Commentario cap. Lator. de sententia, & re judic. per totum*: in his ergò matrimonialibus causis potest judex, quandoque saltem, induci ad judicandum secundum præsumptiones, probationesque, quas judicat sufficientes, & nihilominus timere, ne fortè decipiatur, rescindendaque veniat sententia: ergò quamvis practicè securus, & certus sit judex de rectitudine sententiæ proferendæ aut prolatæ, poterit tamen penès judicium speculativum de veritate, quàm profert, & mente asserit, retinere formidinem in suo assensu speculativo, quandoquidem nedum secundum physica principia, verum, & secundum juridica cognoscit fortè, rem aliter se habere, ac ipse judicat directè, & speculativè, possèque adhuc revocari sententiam à se latam: idem contingit in ordinariis judiciis, quæ appellationes permittunt, ideòque assensus formidolosus posibilis ostenditur.

27 Ad id, quod ex lib. 4. de virtute docet Plato, respondeo, in objicientem retorquendo eandem Platonis sententiam, opiniones enim componit Plato cum operibus, quæ à Dædali statuis perficiebantur, dum ligatæ permanebant, at quemadmodum illa statuarum colligatio haud difficulter dissolvi poterat, & sic pulchra earum opera instar fugitivi hominis è conspectu abibant, ita ex incertitudine opinionis, & ex falsitatis ipsius contingentia, timere poterit intellectus, ut veluti aufugiat opinio: igitur opinio juxta Platonem formidinem non excludit. Rursus idem Plato de opinionibus inquit, quod *diù consistere nolunt, sed ex hominis animo confestim aufugiunt*, non quidem per earum oblivionem, facilius quippè demonstrationis obliviscimur aliquando, ut in Geometricis: aufugiunt ergò opiniones ex animo, quòniam non semel fallimur: agnovit igitur Plato, debilem esse opinativum assensum, adeòque formidolosum: quapropter licèt explicitè discrimen opinionis à scientia non dixerit Plato in assensus formidine consistere, implicitè satis id docuit, ut ex dictis colligitur.

SECTIO SEXTA.

Posibilis ne sit immediata opinio? Et quænam sit per se nota propositio.

1 UT assensus opinativi quidditas, proprietatesque innotescant, operæ pretium duxi opinionis immediatæ posibilitatem vestigare. Prima ergò sententia docet, nullam posibilem opinionem, quæ non inferatur ex præmissis certis, adeòque nullum esse primum principium probabile solum, & opinabile: sic docet Eminentissimus noster Cardinalis Palaviscinus *disp.* 2. *de actibus humanis. quæst.* 4. eandemque sententiam tuentur nonnulli RR. apud P. Antonium Terillum infra laudandum, & præcipuè id stabilire conatur idē ingeniosus Recentior, quem Sect. 2. & 3. retuli, ut ex hoc veluti principio, repugnantiam formidolosi assensus tueatur, sed frustra, ut ostensum manet, & magis ex dicendis firmabitur. Secunda sententia, & quam veram reor, inquit, posibiles esse, & defacto reperiri opiniones immediatas, quæ ex terminis suis sunt probabiles, quin deducātur ex aliis certis præmissis, & ideò aliqua esse prima principia tantum probabilia: est communis, licèt à paucis exagitata, obiter tamen, ut vera supponitur satis frequenter.

2 Sic docet Doctor Angel. 1. *poster. cap.* 26. *lect.* 44. ibi: *Si ergò sit aliqua pro-*

propoſitio contingens mediata, oportet, quòd deducatur ad aliquas immediatas non neceſſarias, quia neceſſaria non ſunt principia contingentium, neque ex neceſſariis poteſt concludi contingens. Unde relinquitur, quòd ſit aliqua propoſitio immediata contingens, & aliqua mediata: quæ verba tàm perſpicua ſunt, ut ulteriori elucidatione non egeant: idem apertè edocent *Dominicus Sotus in* 1. *poſt. cap.* 26. *ar.* 2. *concluſ.* 1. ubi hujus immediatæ opinionis exemplo has adducit propoſitiones. *Mater diligit filium. Pauper cupit diteſcere. Cardinalis Tolet. in* 1. *part. cap.* 26. ubi dicit eſſe ex mente *Alexandri*: idem *in* 1. *Topic. Noſtrum Conimbric. Collegium ad eũdem Ariſt. text. in* 1. *Poſt. P. Antonius Teril. de conſcien. prob. quæſt.* 4. *per totam. Cardinal. de Lugo diſp.* 1. *de fide, Sect.* 7. *num.* 20. ubi inquit: *Nemo ergò negare poteſt, dari aliqua prima principia, quæ ex terminis cognoſcuntur, non evidenter, ſed opinabiliter, & obſcurè*: at quod Sapientiſsimus iſte Doctor ratus fuit, à nemine negari poſſe, negatur ab alio Eminentiſsimo, & perdocto Cardinali Palavicino ſupra relato. Ab eadem communi ſententia ſtat *P. Antonius Rubio tract.* 3. *de opin. & fide humana. pag. mihi* 656.

3 Probatur 1. ex Ariſtotele dic. lib. 1. Poſt. cap. 26. aiente: *Quare reſtat, opinionem eſſe circa id, quod verum quidem eſt, aut falſum, aliter autem ſe ſe habere poteſt: Hæc autem eſt vacantis medio, & non neceſſariæ propoſitionis exiſtimatio.* Ubi perpendo verba illa *vacantis medio*, quæ præclarè aſſertionem noſtram includunt, & edocent: confert quod lib. etiam *de Retor. ad Alex. cap. de Probabili*, inquit, nempè: *Probabile igitur ab exemplo hoc differt, quòd probabilis ipſi auditores notionem habent. Exempla verò ex contrariis, & ex ſimilibus, &c.* Ubi notandum, quòd quemadmodum in ſuperiori textu Ariſtoteles definit opinionem immediatam, veluti primam, & præcipuam, ita in hoc ſecundo definit, & explicat probabile immediatum, & hoc aſſerit differre ab exemplo, quia exemplum indiget probatione à ſimili, aut diſsimili, à contrario, & aliis, ſecus autem probabile, quia hujus notio ex terminis habetur ab audientibus, ut in propoſitione, *Mater diligit filium.*

4 Probatur 2. ex ratione adducta à D. Thom. loco citato; nam ex præmiſſis certis, & evidentibus rectè diſpoſitis, fieri nequit, ut rectè etiam ſubducatur ſolùm probabile conſequens: quòniam vel in conſequenti reperiuntur iidem termini, qui in præmiſsis identificantur cum medio, nulluſque alius adeſt terminus in eodem conſequenti; vel in illo ſunt termini plures, alius vè, qui in præmiſsis non adeſt? Si primum, neceſſum eſt, conſequentiam eſſe legitimam, & certum conſequens, juxta explorata dialectica principia: Si ſecundum, tale conſequens malè deducitur ex iis præmiſsis, ut non minus in Dialectica fixum eſt: ut ergò id conſequens probabilitatem mediatam ſortiatur, opus erit aſsignare aliam præmiſſam: & cum ex tribus præmiſsis nulla fieri poſſit bona argumentatio, aliæ duæ erunt adducendæ pro illo conſequenti probabiliter oſtendendo, vel aliqua mutanda: de his verò præmiſsis idem fiet ratiocinium; & ne in infinitum procedatur concedendum tandem, aliqua eſſe prima principia opinabilia tantum, & probabilia.

5 Exemplo res fiet dilucidior: Hę ſint præmiſſæ rectè diſpoſitæ, nempè, *omnis mater debet amare filium., Seja eſt mater*: quarum prima certa omninò eſt: ſecundam ex hypotheſi certam quoque habeamus: porrò ex his præmiſsis conſequens legitimè illatum eſt: *ergò Seja debet amare filium*, quod utique ex hypotheſi certum etiam eſt, nedum probabile; verum enim verò ſi ex præmiſsis iiſdem quiſpiam deduceret, *ergò Seja filium diligit*, malè deduceretur, quia cum in præmiſsis ſolum amandi obligatio affirmetur de medio, quod eſt mater, in conſequenti fit tranſitus à diligendi debito ad ipſum actuale diligendi exercitium; quamobrem ad illud conſequens legitimè probandum, oportet aliam aſſumere præ-

præmiſſam, nempè, *mater diligit filium*, cui adjuncta hac alia, *Seja eſt mater*: benè concluditur: *ergò Seja filium diligit*; cæterum quia conſequens tantum eſt probabile, ideò deducitur ex præmiſſa non certa, ſed probabili tantum, nempè, *mater filium diligit*: quæ vel ex ſuis terminis eſt probabilis, quin ad alias reducatur præmiſſas, vel ſi ita reducatur, idem ratiocinium urgebit; propterèaque concedendum, eſſe aliquas propoſitiones ex ſuis terminis, & immediatè obſcuras, opinabiles, & probabiles.

6 Nec argumenti infringitur efficacia, ſi dexeris, propoſitionem illam, mater diligit filium, eſſe quidem probabilem, ſed non immediatam, quia reducitur ad illud univerſale principium *dici de ferè omni*, cui ſicut, & alteri ſimili principio, *dici de ferè nullo*, omne probabile reduci debet, veluti, & quod demõſtrativum eſt, reducitur ad principia perfectiora, nempè *dici de omni*, *dici de nullo*; id quod colligitur ex eo quod Ariſtoteles nos docuit 1. *Retor. ad Theod. cap.* 2. ubi inquit: *Probabile eſt quod ferè ſemper fieri ſolet*: & 1. *Topic. cap.* 7. ibi: *Probabile eſt, quod pluribus, & ſapientibus notum.* Quòniam quod à pluribus, & ſapientibus verum exiſtimatur, plerumque verum eſt: cum ergò hæc principia, quæ probabilis definitionem continent, ſint certa, jàm quodcumque probabile ad certa principia reducitur.

7 Haud, inquam, id noſtram argumentationem quatit; quia principia illa *dici de omni*; *dici de nullo*, ſunt quidem ex terminis evidentiſsima, & quibus tota ars categoricorum ſyllogiſmorum nititur, ipſo Ariſtotele teſtante *lib.* 1. *Prior. cap.* 4. cæterum non ſunt particularium aliarum ſcientiarum prima principia: ut patet in Matheſi, quæ ſua peculiaria principia habet, nempè, *totum eſt majus ſua parte*, & ſimilia plura in hac, & aliis ſcientiis. Unde neceſſarium eſt, quod illa prima principia, quæ in aliis ſcientiis reperiuntur, non indigeant reductione ad alia, cum de ratione primi principii ſit, alio non indigere, ut oſtendatur: ſimiliter ergò dicendum de aliis principiis, *dici de ferè omni*, *dici de ferè nullo*, nimirum eſſe principia dialectica ad ſyllogiſmi topici reſolutionem conſentanea, ſunt tamen alia prima principia in aliis ſcientiis probabiliter tantum nota, & hujuſmodi eſt propoſitio iſta, *mater diligit filium*, quæ non ad Logicam peculiariter pertinet, ſed potius, quà bonis moribus conſentanea ad Politicam, ſeù Ethicem attinet, & ideò non indiget reductione ad illa principia *dici de ferè omni*, *dici de ferè nullo*, igitur quòniam ex neceſſario quopiam non deducitur contingens, ut cum Angelico Doctore dicebamus, fateri oportet, propoſitiones tantum probabiles, quæ ut tales, contingenter ſunt veræ, & poſſunt eſſe falſæ, non reduci ad certa principia, ſed ad ea, quæ probabilia ſunt tantum, aut ad aliquod præcisè probabile.

8 Confirmatur argumentatio noſtra: Ex verò non niſi verum colligitur, ut habetur in 2. *Prior. cap.* 2. omneſque id fatentur, igitur ex neceſſario verò non niſi neceſſarium colligi poteſt, probatur conſequentia, quòniam quod contingenter eſt verum, poteſt eſſe falſum, ſed falſum ex verò repugnat, ut colligatur: ergò ex neceſſario verò nequit deduci, quod contingens eſt, ut falſum ſit, ergò ex neceſſario verò ſolum verum neceſſarium deduci poteſt; tùm ſic, ſed propoſitio, probabilis tantum, eſt ſolum contingenter vera, poteſtque eſſe falſa, ut ex Ariſtotele ab omnibus recepto habetur aiente *in* 1. *Poſt. cap.* 26. *Opinionem eſſe quidem circa id, quod quidem verum eſt, aut falſum, aliter autem ſe ſe habere poteſt*, aſſertio autem probabilis ſub genere opinionis continetur; igitur propoſitio probabilis deduci nequit ex præmiſsis certis, & neceſſariis; ſed ſolum ex probabilibus, aut ſaltem ex una tantum probabili, & ſi alia ſit certa: quod ad noſtrum ſufficit intentum, nam de illa probabili præmiſſa, iterum diſquiro, ſit ne immediata, aut mediata? Si primum: ergò datur aliqua im-

me-

mediata propoſitio, quę ſolùm ſit probabilis, ſi autem mediata dicatur, urget prę-libatum ratiocinium; nam cum ſit intra opinionis genus, contingenter eſt vera: ergò nequit colligi tantùm ex alia propoſitione vera neceſſariò: ergò ex probabili immediata, ne abeamus in infinitum.

9 Probatur tertio: Hæc propoſitio, *mater diligit filium*, eſt probabilis, ſed eſt immediata: igitur aliqua eſt probabilis propoſitio, ſeù opinio immediata. Probatur vnicè diſceptabilis minor: hæc propoſitio eſt per ſe nota: ergò eſt immediata: conſequentia eſt bona, intellecto antecedenti de propoſitione per ſe nota, etiam quoad nos, quod enim per ſe, & ſuis ex terminis eſt nobis notum, immediatum eſt, nec indiget alio medio, ut cognoſcatur: Probatur ergò, quod ſit per ſe nota propoſitio illa, *mater diligit filium*: quòniam juxta Boetium *de Hebdomadibus. lib. An omne quod eſt, ſit bonum? parum à princip.* per ſe nota eſt propoſitio, ſi veritas illius ita manifeſta eſt, ut quilibet ſtatim judicet, eſſe veram: Angelicus Doct. 1. part. q. 2. art. 1. corp. inquit: *Ex hoc enim aliqua propoſitio eſt per ſe nota, quod prædicatum includatur in ratione ſubjecti::: Si igitur notum ſit omnibus de prædicato, & de ſubjecto qnid ſit: propoſitio illa erit omnibus per ſe nota.* Quod comprobat idem S. Doct. 1. *contra Gent. cap.* 10. & 11. & his locis Cayetanus, & Ferrarienſis D. Thomæ doctrinam exponunt de continentia ſivè formali, ſivè virtuali, ſivè proxima, ſivè remota.

10 Subtilis Doct. *in* 1. *ſent. diſt.* 2. *q.* 2. §. *Quoniam ſecundum*, docet, eam propoſitionem eſſe per ſe notam, quæ à quocumque intellectu, perfectè cognitis terminis, per ſe vera judicatur: verba autem Sapientiſsimi hujus Doctoris hæc ſunt: *Dicitur igitur propoſitio per ſe nota, quæ ex terminis propriis, qui ſunt aliquid ejus, ut ſunt ejus, habet veritatem, & in fine §. ex hoc arguitur. Eſt igitur omnis, & ſola illa propoſitio per ſe nota, quæ ex terminis ſic conceptis, ut ſunt ejus termini, nata eſt habere evidentem veritatem complexionis*: idem quoad rem ipſam edocent *Gregor. in* 1. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. Gabriel *diſt.* 3. *q.* 4. *art.* 1. Okam *q.* 4. *poſt medium*. Baſſolis *in* 1. *d.* 2. *q.* 2. Durand. *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 3. *n.* 4. & 5. Hic verò notandum, traditâ eſſe deſcriptionem propoſitionis per ſe notæ, etiam quoad nos, ut modò præſcindamus ab illa quæſtione, num ſcilicèt admittenda ſit diſtinctio propoſitionis per ſe notæ quoad ſe, & per ſe notæ quoad nos? In qua affirmat Doct. Angelicus cum plurimis, negat verò Subtilis Doctor cum aliis.

11 Tum ſic, ſed hujuſcemodi propoſitio, *mater diligit filium*, adeò rationi conſona eſt, ut juxta Boetii expoſitionem quilibet audiens eam, ſtatim probabiliter judicet, eſſe veram; & juxta D. Thomam, prædicatum includitur valdè probabiliter in ratione ſubjecti, prædicatum quippe eſt dilectio erga filium, quod ferè numquam deficit in matre, quæ propoſitionis ſubjectum eſt: præterea omnibus ratione utentibus nota ſunt, tùm ſubjectum, tum prædicatum, & utriuſque complexio: igitur prædicta propoſitio per ſe nota eſt quoad probabilem notionem. Idem ex Subtilis Doctoris deſcriptione ſubducitur; quòniam propoſitio *mater diligit filium* ex terminis propriis, qui ſunt aliquid ejus, imò & totum ipſius, & ut ſunt ejus, habet probabilem veritatem, conceptiſque ipſius terminis, ut ſunt ejus, nata eſt habere evidentem probabilitatem complexionis ipſius.

12 Id quod, ut per ſe notum, tradunt præſertim Juriſ Conſulti, dum aſſerunt, quòd nullus ſit amor, qui vincat paternum, & ſubducitur ex *Lege, Nam & ſi parentibus. ff. de inoffi. teſtam. leg. Nec in ea. §. ideò autem. ff. ad Leg. Jul. de adulteriis. Leg. Divus. 5. ff. de leg. Pompeja de Parricid. leg. Amiciſsimos. §. Lucius. ff. de excuſati. Leg. Si filius. Cod. de Patri. poteſt.* innumeroſque pene ex utroque jure in eúdem ſcopũ citat textus D. D. Emman. Gonçalez, *in notis ad tex. in cap. 2. de Præſuupti. Lit. E.* Firmát ex Philoſophis Ariſt. *lib. 8. Ethic. cap.* 12. Plutar-

tarchus *in lib. de amore Parentum.* Apollonius apud Philoſtratum *in ejus vita lib.* 12. *cap.* 2. Seneca. *lib.* 3. *de Beneficijs. cap.* 2. & *lib.* 1. *de clementia. cap.* 14. Ex Eccleſiæ PP. D. Ambr. *lib.* 6. *exam. cp.* 4. D. Chriſoſt. *Homil.* 29. *in Geneſ. cap.* 9. & *Homil.* 20. *ad Populum Antioch.* D. Chryſologus *ſerm.* 11. & 33. Salvianus *in libris ad Eccleſiam Catholic.* paſim. Ex Juriſperitis veteribus Fulgoſius *Conſil.* 49. *n.* 3. Oldrad. *Conſil.* 95. *colum.* 2. & *Conſil.* 229. *à num.* 35. latè Socinus Junior *Conſil.* 26. *lib.* 4. Illuſtrant variè Tiraquel. *in Præf. ad leg. ſi unquã. Cod. de revocan. donatio. à num.* 7. Aſcanius Clemẽtius, *de Patria Poteſt. cap.* 4. eruditè Petrus Gregor. *in Prælud. opt. Juriſc. lib.* 5. *cap.* 7. Petrus Fab. *lib.* 3. *Semeſtr. cap.* 1. & elegãter Menoch. *lib.* 6. *preſump.* 56. *per totã.* Oſualdus ad Donel. *lib.* 1. *cp.* 7. *littera E.* D. Joannes de Solorçano *de parricid. lib.* 2. *cap.* 10. D. Gonçal. pereruditis in notis, precipuè *ad dic. text. in cap. Afferte mihi glaudium. de Præſump. num.* 5.

13 Adeòque eſt ingens erga liberos Parentum amor, *quod ita inſtituente natura plus ferè filios noſtros, quàm nos metipſos diligimus.* ut inquit Latinus Paccatus in *Panegyr. Theodoſio dic.* Præclarè verò Tertulian. adverſus Marcionem. dum ſcribit : *Duritia Populi talia remedia compulerat, ut vel poſterioribus ſuis proſpicientes legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum ſuorum ſalutem, quàm ſuam curat?* Idque confirmat Ariſtoteles dic. *l.* 8. *Ethic. cap.* 11. ubi Parentum in filios amicitiam Regali comparat, imò & regali ſuperiorem docet, ut ex Doctoris Angelici commentario dilucidè conſtat: *Quamvis enim,* (inquit) *beneficium Regis ſimpliciter ſit maximum, in quãtum reſpicit totam multitudinem, tamen per comparationem ad unam perſonam, beneficium Patris eſt majus:* unde, & amicitia, & amor parentum erga filios maximo in gradu oſtenditur. Illuſtrat latè Cardinalis Tuſchus *tom.* 6. *lit. P. concluſ.* 118.

14 Præcipuè verò inter parentes ipſos matris emicat amor, ut inquit Ariſtotel. *dic. lib.* 8. *cap.* 12. ibi: *Ex his autem manifeſtum propter quæ amant magis matres.* Concinit ibidem Doct. Ang. qui Ariſtotelem elucidans ait : *Comparat maternam dilectionem Paternæ, & dicit, quod ex prædictis rationibus poteſt eſſe manifeſtum, quare matres magis amant filios, quàm etiam Patres,* confert Quintilian. *declam.* 338. Nemo igitur diffitebitur, propoſitionem hanc, *mater diligit filium,* evidenter, & per ſe ipſam eſſe probabilem: ac propterea propoſitiones opinionis gradum non excedentes, & aliundè immediatas concedere adigimur.

15 Unde perdoctus P. Izquierdo in egregia ſua Scientiarum Pharo *diſp.* 19. *q.* 8. ubi latè de propoſitionibus per ſe notis diſſerit, hæc habet: (Quòniam autem propoſitio objectiva non ſolùm evidenter, ſed ſæpè etiam probabiliter tantùm, ſæpè etiam improbabiliter, ex ipſis terminis eſt judicabilis, atque judicatur de facto, ut cernitur in ſcientiis, & facultatibus, aliiſque notitiis humanis, quæ non ſolùm ex evidentibus, ſed ex probabilibus, aut etiam improbabilibus principiis ex terminis, & citra diſcurſum judicatis procedunt. Ideò propoſitio per ſe nota non ſolum evidens, ſed probabilis, atque etiam improbabilis eſſe poteſt, tametſi vulgo ſola, quæ eſt evidens, ſoleat vocari per ſe nota, ſed prorsùs abſjure, quando tot facultatum probabilium, diſcurſuumque improbabilium principia per ſe nota ſunt, & experimur.) Sic ille.

16 Probatur quartò aſſertio principalis: Illa principia, *dici de ferè omni, dici de ferè nullo,* poſſunt dupliciter conſiderari nempè directè, & reflexè, ſi reflexè ſummantur, ſunt omninò certa, & hunc habent ſenſum, quod ferè omnibus individuis unius ſpeciei convenit, probabile eſt, convenire huic determinato individuo, ſub eadem ſpecie contento : è converſo: quod ferè nulli individuo ſpeciei alicujus convenit, probabile eſt, huic determinato individuo non convenire, certum quippè eſt, probabile eſſe, quod ple-

plerumque contingit,ut cum *Ariſt. 1.Rethoric.ad Theod.cap.* 11. fatentur omnes.

17 Cæterum, ſi directè ſummantur hæc eadem principia,ſolum probabilia ſunt; directè quippè conſiderata hunc habent ſenſum, quod ferè omnibus individuis unius ſpeciei convenit, huic etiam particulari, & determinato individuo convenit; quod nulli ferè hujus ſpeciei individuo convenit, non convenit huic determinato individuo : hæ autem propoſitiones non ſunt, nec queunt eſſe certæ,in ſenſu quidem directo,ſed ſolum ſunt probabiles, conſtat; quòniam hæc principia procedunt in his, quæ aliter ſe habere poſſunt, quamobrem, licet aliquod prædicatum ferè omnibus conveniat, cum contingenter ſic illis conveniat,poterit alteri ejuſdem ſpeciei individuo non convenire; res exemplo inclareſcet; hæc propoſitio modalis, & reflexa, *probabile eſt, matrem diligere filium*, eſt utique certa, quòniam omnis ferè mater filium diligit: & certum eſt,eſſe probabile, quod plerumque contingit; at verò ſi directè aſſeratur, *mater diligit filium*, vel *Seja mater filium diligit* : propoſitio iſta non eſt certa,ut patet, ſed ſolum probabilis: eadem ergò ratione concluditur, quod principia illa, *dici de ferè omni, dici de ferè nullo*, licet in ſenſu reflexo probabilitatem affirmante,ſint certa, tamen in ſenſu directo accepta ſunt tantum probabilia; aſt hujuſmodi principia ſunt prima,& immediatè nota:oportet igitur admittere opinionem immediatam, ſeù prima principia probabilia.

SECTIO SEPTIMA.

Diluit argumenta contraria.

1 OPpones primò : ſi aliqua eſſet immediata probabilis propoſitio, maximè illa, *mater diligit filium*,ſed hæc non eſt immediata: ergò nulla poſsibilis eſt immediata opinio,aut propoſitio; minor, quæ difficultatem continet, oſtenditur; quòniam præfata propoſitio eatenus eſt probabilis, quatenùs experientia, & inductione conſtat, omnes ferè matres ſuos diligere filios: igitur propoſitio prædicta non per ſe ipſam,& immediatè innoteſcit, ſed ſolum media inductione, & experientia: confirmatur, quòniam hæc particularis, *Seja mater filium diligit*, probatur ab universali alia,nempè,*omnis ferè mater diligit filium*: ergò nec particularis eſt immediata, cum inferatur ex alia universali, universalis autem, & ſi immediata non eſt probabilis ſolum, ſed certa ab experientia.

2 Reſpondeo: verum quidem eſſe,quod propoſitio prædicta, inductione, & experientia probatur; id tamen probationis ab oſtenſa propoſitione primi principii,& immediatæ aſſertionis rationem non adimit, adeòque nec excludit conceptum propoſitionis per ſe notæ, quòniam ſcientiarum prima principia,ſunt quidem,& per ſe nota,& immediata,alias non eſſent principia prima,tamen inductione, & experientia oſtenduntur,ut apertè docet Ariſtoteles *lib. 2. Poſter.cap.ulti.&lib.6.Ethic.cap.3.* ibi:*Sunt enim principia ex quibus ipſa ratiocinatio conſtat,quorum non eſt ratiocinatio: ergò inductio.* Idemque illuſtrant Ariſtotelis præclariſsimi Commentatores *B. Albertus Magnus,& Doct.Angelicus, tum ibidem lec. 3.poſt medium.tum quæſt.16.de verit.art.1. corp.* quorum veſtigia, inter alios, haud exigua eruditione, premunt Noſtri *Conimbr.PP.lib.1.Poſter. cap.1.de Præcognitis.quæſt.2.ar.* 3. Unde licet inductione oſtendatur veritas prædictæ propoſitionis, nihil obeſt, ut ipſa immediata, & per ſe nota dici queat; cæterum jam conſtitit, nulla inductione aut reductione ad aliud principium opus eſſe, ut probabilis judicetur propoſitio iſta, *mater filium diligit*: quòniam ipſius prædicatum eſt probabiliter de ratione ſubjecti; idque continentiæ notum eſt omnibus, quemadmodum,& ſubjectum ipſum, & prædicatum.

Op-

3 Oppones ſecundo ex Eminentiſsimo Cardinali Palaviſcino: omnis operationis à natura non determinatæ ratio reddi debet; ſed opinio non eſt à natura determinata; igitur de hujuſmodi operatione, ſeù de aſſenſu opinativo ratio reddenda eſt; ſed ratio ipſa aſſentiendi tollit immediationem aſſenſus: igitur nulla opinio poteſt eſſe immediata: Reſpondeo nimis ex hoc ratiocinio probari, videlicèt, nulla eſſe prima principia, quòniam nullum eſt principium in ſcientiis, quod ratione non fulciatur; adeòque reddi poteſt ratio de ipſo, & ideò juxta objectionem, jam non eſſet principium immediatum, & ſic in infinitum procedi poteſt, nullumque erit immediatum principium, quod eſt abſurdum.

4 Directè reſpondeo ex doctrina Ariſtotelis tradita ab Angelico Doctore *lib. 6. Ethic. cap. 3. Lection. 3.* ſic ajente: *Eſt autem duplex doctrina ex cognitis; una quidem per inductionem: alia verò per ſyllogiſmum. Inductio autem inducitur ad cognoſcendum aliquod principium, & aliquod univerſale, in quod devenimus per experimenta ſingularium ut dicitur in 1. Meth. ſed ex univerſalibus principiis prædicto modo præcognitis procedit ſyllogiſmus. Sic ergò patet, quod ſunt quædam principia ex quibus ſyllogiſmus procedit, quæ non certificantur per ſyllogiſmum, alioqui procederetur in infinitum in principiis ſyllogiſmorum, quod eſt impoſsibile, ut probatur in 1. Poſteriorum. Sic ergò relinquitur, quod principium ſyllogiſmi ſit inductio:* qua prælucente ſuppoſitione, conceſſa objectionis majore, minore, & conſequentia prima, nego ſubſumptam; quòniam ratio, qua fulcitur propoſitio probabilis immediata, eſt inductio, ex eo enim quod omnes ferè matres diligunt filios ſuos, probabile fit, quamlibet determinatè filium diligere: & quòniam inductio, qua id probatur, perfecta non eſt propter particulam *ferè*, ideò intellectus non cogitur, ut probabili huic propoſitioni aſſentiatur, ſed indiget imperio voluntatis ipſum intellectum determinante, verumtamen quia inductio non tollit principii immediationem ex D. Thoma, & Ariſtotele, ut ex dictis tum hic, tum in ſuperiori ſolutione propterea propoſitio illa, *mater filium diligit*, dicitur, & eſt immediata: vide ſis P. Izquier. in prædara Scient. Pharo *diſp. 19. q. 8. num. 285. & 191.*

5 Aliter reſpondeo, præſcindendo ab inductione, reddi poſſe rationem de aſſenſu probabili immediato, ex ipſis nempè terminis propoſitionis per ſe notæ probabiliter, & ex determinatione voluntatis imperantis aſſenſum; imò loquendo de objectiva tantum probabili propoſitione, & præſcindendo ab aſſenſu formali, ex ipſis objectivis terminis, & eorum probabili connexione, abſque aliquo voluntatis imperio, neceſſariò, ut probabilis intellectui proponitur illa terminorum habitudo.

6 Oppones tertiò ex eodem Eminentiſsimo Palaviſcino: omne ens reale contingens debet procedere ex cauſa neceſſaria ſecundum ſuam realem entitatem: ergò omne ens intentionale contingens debet etiam procedere à cauſa neceſſaria intentionali, cujuſmodi eſt cognitio certa, & evidens; cum ergò opinio ſit ens intentionale contingens, procedere debet à cognitione evidenti tanquam à cauſa neceſſaria; nulla igitur poteſt eſſe opinio immediata, ſeù quæ à præmiſsis certis, & evidentibus non infetur, & dependeat maximè ſi ſit opinio probabilis.

7 Reſpondeo, hujus objectionis aſſumptum è diametro oppoſitum eſſe doctrinæ tùm Ariſtotelis, tùm Doctoris Angelici, *qui lib. 1. Poſter. cap. 26. lect. 44.* de entibus intentionalibus, ſeù de cognitionibus inquit: *Neceſſaria non ſunt principia contingentium: neque ex neceſſariis poteſt concludi contingens*, objiciens autem è regione ait, omne ens contingens intentionale debet oriri ab aliqua cauſa neceſſaria ſecundum eſſe intentionale: juxta doctrinam ergò D. Thomæ communem, & veram, ut reor, reſpondeo, falſum eſſe primum antecedens, ſivè ſermo

ſit

ſit de cauſa neceſſaria in exiſtendo,& eſſendo; ſivè de cauſa neceſſaria in operando, nulla quippè cauſa ſecunda eſt neceſſaria ſecundum actualem ſuam entitatem,& exiſtentiam,cum illam actu eſſe,& exiſtere,contingens ſit;quamobrem falſum eſt,quod ens reale contingens debeat procedere ex cauſa ſecunda neceſſaria ſecundum ſuam realem entitatem in eſſendo,aut exiſtendo.

8 Si vero objectio ſit intelligenda de cauſa neceſſaria in operando ſeu cauſando, contradictionem involuit ipſum antecedens, dum inquit, ens reale contingens debere procedere à cauſa in operando neceſſaria; quòniam ſi operatio, quæ ultima determinatio eſt,ut exiſtat effectus, neceſſariò exiſtit in rerum natura, pariter effectus neceſſarius erit, ut in luce, ſeù calore ſolis cernitur, cum enim ex ſuppoſitione, quod ſol exiſtat, neceſſariò operetur,ideò lux,& calor ſolis ſunt neceſſarii ipſius effectus:& omninò opus eſt, ut neceſsitas,aut contingentia operationis, ſeù cauſalitatis reſplendeat in effectu, & termino ipſius: unde falſum,& impoſsibile eſt, quod ens reale contingens debeat poſitivè procedere ex cauſa neceſſaria in operando, ut ait Card.Palavicinus,ruit ergò totaobjectio, cũ falſum ſit primum ipſius antecedens.

9 Quod ſi To neceſſarium in objectione ſumatur, prout opponitur libero,iterum falſum aſſumitur ab arguente,nam actus liberi voluntatis ſunt contingentes, & non procedunt à cauſa ſecundum ſuam realitatem neceſſaria in præfato ſenſu, ſed potius libera, & contingenter operante ſivè aſſenſum, ſivè diſſenſum,ſivé utriuſque nolitionem, aut omiſsionem puram eligendo. Quamobrem non ſatis capio, quo ſenſu accipiendum ſit,quod omne ens contingens realiter debeat oriri ab aliqua cauſa neceſſaria ſecundum eſſe reale, ſi ſermo ſit de cauſis creatis. Si autem talis cauſa neceſſaria intelligatur increata, à qua, citra dubium eſt,provenire omne ens reale ſivè contingens,ſivè neceſſarium, excepto peccato, reſpectu cujus, Deus non eſt cauſa,ſed permiſsivè tantum ſe habet,loquendo, inquam de cauſa neceſſaria increata,& prima, perſpicuum etiam eſt, quod ens intentionale contingens eſt à Deo,unde opinio vera, & prudenter habita à Deo cauſatur, de quo nunc quæſtio non inſtituitur:igitur nihil ex hoc objiciens evincit.

10 Tandem, permiſſo, quod omne ens phyſicum contingens procedat à cauſa neceſſaria creata, non rectè colligitur,etiam ens intentionale contingens oriri debere à ſimili cauſa neceſſaria,quòniam in genere intentionali adeſt cauſa libera, quæ non reperitur in genere purè phyſico, potentia autem libera poteſt intellectum determinare,ut aſſentiatur alicui objecto,quod ex ſe ſufficienter intellectum non moveret, nec determinaret ad aſſenſum, ut patet in aſſenſu præſtito parti probabiliori, quidquid ſit de poſsibilitate aſſentiendi parti minus probabili: ex hac igitur voluntatis libertate fit, ut propoſitis objectis,ex terminis probabilibus, adhibito imperio voluntatis,concipiat intellectus aſſenſum, & opinionem immediatam probabilem, & quod effectus contingens proveniat à cauſa contingenti intentionali, ſeù indifferenti.

11 Oppones quartò: Deus cum ſit Artifex infinitè,ſapiens,& potens,etiã tribuit ſuis opificiis omne eſſe eorũ,impoſsibile autẽ eſt, quod ejus opificia operentur propter alium finem, quam ſibi præſcriptum à Deo;ſed finis in agibilibus eſt principium: ergò finis intellectus eſt perfecta cognitio principiorum per ſe evidentium: ergò non poteſt intellectus operari niſi dependenter à primis principiis, & niſi ad hoc, ut per aſſenſus concluſionum retineat eàdem prima principia, eorumque meliorem cognitionem aſſequatur. Et ideò concluſiones reſpectu principiorum ab Ariſtotele comparantur mediis reſpectu finis:omnis ergò aſſẽ-

ſus opinativus, & probabilis deſcendit à primis principiis, & conſequenter non erit immediatus.

12 Reſpondeo, principia prima non omnia eſſe certa, & evidentia, ſed quædam eſſe tantum probabilia, quòniam, quæ ſunt certa, & evidentia, cum ſint neceſſaria, nequeunt eſſe principia contingentium, ut cum D. Thoma, & Ariſtotele diximus, & probavimus; unde concedimus, ſemper intellectum operari dependenter à primis principiis, ſed cum diſcrimine, nam in neceſſariis illationibus operatur dependenter à primis principiis certis, & evidentibus, in contingentibus aut probabilibus, dependenter à probabilibus principiis, licet non numquam ex contingenti poſsit neceſſarium colligi, nam quamvis ex contingenti numquam colligatur impoſsibile, benè tamen deduci poteſt neceſſarium, & contingens, ut habetur *lib.* 1. *Prior. cap.* 12. *& lib.* 9. *Meth. cap.* 4. videatur præcipuè Pater Fonſeca *tom.* 1. *Metaph. Inſtit. dialectic. lib.* 6. *cap.* 5. *reg.* 3. & 4.

SECTIO OCTAVA.

An ex certis præmiſsis poſsit colligi conſequens incertum, & contingens diſquiritur, ut quædam elevetur objectio.

1 OPpones quinto, ex præmiſsis certis, & evidentibus, colligi poteſt conſequens tantum probabile, falſum igitur eſt, quod neceſſaria non ſint principia probabilium: Antecedens propugnatur apertè à Magiſtro Soto, qui *lib.* 1. *poſt. poſt. cap.* 27. *quæſt.* 8. *art.* 2. *concluſ.* 1. Licet ſtatuat, & probet, aliquas eſſe opiniones immediatas, & ex terminis ipſis opinabiles, nempè iſtas, mater diligit filium, pauper cupit diteſcere, tamen docet, generari aliquando opinionem ex præmiſsis evidentibus, per inevidentiam conſequentiæ, ut ex hoc (inquit Sotus) quod omnes, quotquot vidi inſulanos occidentis, ſunt deformes infero omnes inſulanos eſſe deformes, & ex hoc quod Germani, quos vidi, ſunt proceri corpore, infero Germanos eſſe magnæ ſtaturæ, & tertio ex conjecturis cujus exempla ponit Ariſtoteles de ſolertia, video pauperem adire divitem, opinor ſtatim elemoſynam petere. Hæc Sotus.

2 Ei ſubſcribit *P. Bartholom. Amic. in lib. poſt. tract.* 25. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *dub.* 4. nam, licet probationem Soti refellat, ipſius tenet ſententiam, & inquit, duobus modis poſſe contingere, quod ex certis, & evidentibus præmiſsis deducatur propoſitio tantum probabilis, nempè vel quòd conſequentia ſit falſa, appareat tamen probabilis, ut dicit Ariſtoteles de propoſitione immediata probabili, vel etiam ſi ſit neceſſaria conſequentia, tamen quia non penetratur connexio in tertio, non videtur conſecutio ita evidens, quod etiam dicitur ab Ariſtotele in propoſitione neceſſaria: & præterea hac ratione ſolemus reducere imperfectos ſyllogiſmos ad perfectos, quia in illis conſequentia eſt ſtatim evidens.

3 Reſpondeo primo, hac objectione non oppugnari aſſertionem noſtram, quæ aſſerit, poſsibilem eſſe, & de facto reperiri opinionem, ſeu propoſitionem opinabilem, & probabilem immediatam, quod Authores in objectione laudati minimè diffitentur, tàm enim Sotus, quàm Amicus apertè docent, dari hujuſcemodi immediatas propoſitiones ex terminis notas. Nec argumenta Soti, & Amici aliud oſtendere nituntur, quam quod detur etiam aliqua propoſitio probabilis deduc-

ducta ex certis, & evidentibus præmiſſis; verumtamen quia prima, & ſecunda ratio quibus noſtram ſtabilire ſententiam, conati ſumus, plus etiam evincunt, aut oſtendere ex illis nitebamur, videlicèt, ex certis, & evidentibus præmiſsis numquam colligi poſſe propoſitionem præcisè probabilem, ideò objectioni obviam ire opus eſt.

4 Reſpondeo igitur ſecundo, Magiſtri Soti, & P. Amici doctrinam quoad hanc partem non eſſe admittendam, primò, quia contraria videtur doctrinæ D. Thomæ 1. *Poſter. cap.* 26. *lect.* 44. ubi aſſerit, *quod neque ex neceſſariis poteſt concludi contingens, & neceſſaria non eſſe principia contingentium*, probabilis autem propoſitio eſt contingenter vera: adeòque ex neceſſariis, ſeù ex certis præmiſsis colligi non poteſt. Id ipſum docet P. Fonſeca tom. 1. Metaph. Inſtit. dialec. lib. 6. cap. 5. ubi pro univerſali regula ad conſequentias deducendas ſtatuit iſtam: *Ex neceſſario non niſi neceſſarium.* PP. Conimbricenſes 1. *Poſterior. in explanatione cap.* 6. *lit. H.* & videtur demonſtrari ratiocinio, quo utitur D. Thom. *lib.* 1. *Poſter. Analyticorum. lect.* 13. ubi Philoſophi textum exponens ſub litera H. hæc habet.

5 *Quod autem* (inquit Doctor Angelicus) *ex neceſſariis ſemper concludatur neceſſarium, ſic probat: ſit enim A. de omni B. neceſſaria, id eſt, ſit hæc propoſitio neceſſaria, omne B. eſt A. & hoc de C. id eſt, ſit hæc etiam neceſſaria, omne C. eſt B. ex his enim duobus neceſſariis ſequitur tertium neceſſarium ſcilicèt concluſio, quod omne C. eſt A. Oſtenſum eſt enim in lib. Priorum quod ex duabus propoſitionibus de neceſsitate ſequitur concluſio de neceſsitate. Oſtendit etiam conſequenter, quod ſi concluſio non eſſet neceſſaria, nec medium poſſet eſſe neceſſarium.* Concinit Magnus Albertus *lib.* 1. *Poſter. tract.* 2. *cap.* 15. *ad illa Ariſt. verba cum ergò concluſio ex neceſsitate.*

6 Secundo rejicitur præfata doctrina, quia ſyllogiſmus habet evidentem formam illationis, & ex præmiſsis certis omninò infert certam concluſionem, definitur enim in lib. 1. Prior. cap. 1. *Oratio in qua quibuſdam poſitis aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt neceſſariò accidit, eo quod hæc ſunt*, vel juxta D. Thomam *opuſc.* 48. *de ſyllogiſmis cap.* 1. *Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, & conceſsis, neceſſe eſt aliud evenire per ea, quæ poſita ſunt, & conceſſa*: impoſsibile ergò eſt, quod ex præmiſsis certis, & evidentibus, neceſſariò ſanè concedendis, colligatur concluſio probabilis; nam quod ex neceſſario colligitur neceſſariò neceſſarium utique eſt, at probabile ut tale neceſſarium non eſt, igitur probabile ut tale, colligi non poteſt per ſyllogiſmum cujus præmiſſæ ſint certæ, & evidentes.

7 Sed neque in argumentationibus aliis poteſt propoſitio contingens ex certis, & evidentibus colligi: quòniam omnes aliæ argumentationes, videlicèt entymema, inductio, & exemplum, reducuntur ad ſyllogiſmum, & ex ipſo vim habent, ut docet D. Thom. *dict. opuſc.* 48. *de ſyllogiſ. cap.* 1. ubi: *Et quia ſyllogiſmus perfectior eſt omnibus aliis* (ſcilicèt argumentationibus) *ad quem aliæ ſpecies argumentationis reducuntur, ſicut imperfectum ad perfectum, ideò de ipſo dicendum eſt:* Alexander explicans definitionem ſyllogiſmi num. 1. *Prior. cap.* 1. *tum.* 1. *Topic. &* 1. *Poſter.* Beatus Albertus Magnus *lib.* 2. *Prior. tract.* 7. *cap.* 4. *ad illa Philoſophi verba, quòniam autem non ſolum Dialectici.* inquit, *Omnia autem credimus, fidem accipiendo aut per ſyllogiſmum, aut per inductionem: ſub enim duobus comprehenditur exemplum, & entymema*: pergit Beatus Doctor, & in §. *Attendite dum. eod. cap.* ait, *Quia inductio nullam habet neceſsitatem, niſi à ſyllogiſmo, ideò non habet ſpecialem artem in qua determinetur de ipſa ſicut habet ſyllogiſmus.* Subſcribunt *PP. Conimbric. in lib.* 1. *de Prior. reſol. cap.* 1. *q.* 2. *art.* 3. *per totum. Fonſeca Inſtit. Dialectic. lib.* 6. *cap.* 36. *Bartholom. Amic. tom.* 2. *Log. in lib. Prior. tract.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 2. *Raphael Averſa in Lo-*

gica.quæſt.25.ſect.5.& quæſt.29.ſectio.2. & communiter alii.

8 Imò, in mente ſaltem, non niſi per ſyllogiſmum exerceri videntur argumentationes aliæ; quippè entimema, ſi proferat unam propoſitionem certam pro antecedenti, inferat autem concluſionem probabilem, id nō aliter obtinet, niſi quia ſub intelligitur ex parte antecedentis alia præmiſſa probabilis, ut ſi dicas: *Seja eſt mater Mevij: ergò Mevium diligit*, ideò conſequens, & conſequentia probabilitate gaudent, quia cognoſcitur, & ſubintelligitur, omnem matrem diligere filium. Similiter per viam exempli probabiliter infertur, *ſic contigit Petro: ergò ſic eveniet Paulo*, quia ſubintelligitur propoſitio probabilis, *quod contigit Petro, ſub eiſdem terminis evenict etiam Paulo*, ſic etiam in illa inductione, quæ procedit per modum exempli, & poteſt probabiliter concludere id quod probabile eſt. Cum igitur omnis argumentatio ad ſyllogiſmum reducatur, & ex illo vim habeat, & in ſyllogiſmo, ut probatum eſt, non poſsit colligi concluſio probabilis tantum ex certis, & evidentibus præmiſſis, ſemper probabilitas opinionis in concluſione deſcendet ex probabilitate aſſenſus antecedentis, ex quo infertur; quamobrem ex certis, & evidentibus præmiſsis, nunquam inferri concluſionem probabilem, ſed opus eſſe aliqua ſaltem probabili præmiſſa, ut concluſio probabilis evadat, ſignanter docent *Pater Antonius Tertil. de conſcientia. Probab.quæſt.4. Raphael Averſa in Logica quæſt.29.ſect.2.*

9 Nec oppoſitum conficitur ex quinta objectione, tùm ex dictis, tùm quia neutiquam eſſe poteſt inevidens, & probabilis tantum conſequentia, ſi extrema evidenter in præmiſsis conjuncta cum medio, in conſequenti conjungantur inter ſe; quod ſi in conſequenti ſumatur alius terminus, qui ſolum probabiliter identificetur, aut conjungatur cum medio, ſeù cum alio ex extremis poſitis in præmiſsis, talis concluſio non colligitur ex illis ſuppoſitis certis, & evidentibus, ſed ex aliis aut alia ſaltem probabili: ſit exemplo duplex hæc præmiſſa, *materia prima eſt primum ſubjectum ſuſtentativum formæ; ſed primum ſubjectum ſuſtentativum formæ producitur per creationem*, ex quibus per legitimam conſequentiam deducitur hæc concluſio: *ergò materia prima producitur per creationem*, quæ eſt certa, & evidens; at ſi ex eiſdem præmiſsis ſubduceretur alia concluſio, nempè, *ergò exiſtentia materiæ primæ producitur per creationem*, quæ utique eſt probabilis, hæc inquam concluſio ſuam probabilitatem non ſortiretur ex præfatis præmiſsis, ſed ex his diverſis, videlicèt, *materia prima non diſtinguitur à ſua exiſtentia, ſed materia prima producitur per creationem*, ex quibus benè infertur, *exiſtentiam materiæ primæ produci per creationem*: verùm tamen prima ex his præmiſsis eſt incerta, & ſolum probabilis, affirmantibus eam Societatis noſtræ Authoribus, negantibuſque Patribus Dominicanis; qui docent materiam primam exiſtere per formę exiſtentiam utique eductam, ſi forma materialis ſit. Unde dicimus conſequentiam bonam ex certis, & evidentibus præmiſsis inevidentem eſſe non poſſe; dummodo termini in concluſione ſerventur iidem, qui in præmiſsis ſunt poſiti: mutato vero termino in concluſione, opus eſt aliam aſſumere præmiſſam, illamque debere eſſe probabilem, ut probabilis evadat concluſio.

10 Exempla adducta à Mag. Soto noſtrum comprobant aſſumptum, quòniam ut deducatur univerſalis, & probabilis illa concluſio videlicèt *omnes Inſulani occidentis ſunt deformes*, non ſufficit antecedens expreſſum, nempè *omnes, quot quot vidi, Inſulani ſunt deformes*, ſed oportet mente ſaltem enunciare hanc aliam propoſitionem, *quod convenit occidentis Inſulanis plurimis, convenit reliquis omnibus hiſce Inſulanis*; ex qua propoſitione adjuncta, ſed probabili tan-

tantum, colligitur concluſio: *ergò omnes occidentis inſulani ſunt deformes*; idem dicendum de alio exemplo, ſeù illatione proceritatis Germanorum, ſeù de conjecturis ab Ariſtotele allatis cap. de ſolertia.

11 Nam ſolertia ut ex Ariſtotele 1. *poſt. cap. ultim.* docet *Doct. Ang. ibid. lect. 44. eſt quædam ſubtilis, & facilis conjecturatio medii propter quod aliquid evenit.* Medium verò ideò efficax ad arguendum, quia conjungitur cum duobus extremis, unde neceſſarium eſt, quod dentur duę propoſitiones, aut una duabus æquivalens, in quarum alia unum extremum, & in alia aliud cum medio conjungatur, ut in concluſione inter ſe conjungi valeant extrema; ſi autem conjunctio medii cum utroque extremo ſit certa, & evidens, etiam certa, & evidens erit concluſio; ſi autem cum aliquo extremo ſolum probabiliter conjungatur, ideò contingens, & incerta concluſio erit, ut propugnamus.

12 Nec ratio, qua nititur P. Amicus nos præmit, nam ſi extremorum connexio cum medio non penetratur ab intellectu, præmiſſæ certæ, & evidentes eſſe non poterunt, cum ut tales ſint, debeat in illis eſſe, & cognoſci evidens conjunctio cum medio. Unde ſi conſequentia ſit mala, appareat tamen probabilis, ideò erit, quia termini, conſequentis apparent probabiliter cum medio in præmiſsis conjuncti, & conſequenter, non ex præmiſsis certis, ſed ex probabilibus, aut aliqua ſaltem probabili, ſubducitur talis concluſio. Si autem conſequentia ſit bona, & deducta ex evidentibus, & certis præmiſsis, appareat tamen probabilis, quia ut dicebam, connexio extremorum cum tertio ſatis non introſpicitur, nec penetratur, tunc colligitur ex probabili tantum connexione extremorum cum tertio, & conſequenter non ex evidentibus præmiſsis formaliter talibus. Idem quippè eſt non penetrari connexionem extremorum conſequentis cum tertio, ac præmiſſas illius conſequentis intellectui haud eſſe certas, & evidentes: dilucidè rem verſat P. Izquierdo in ſua Scientiar. Pharo. *diſp. 6. quæſt. 9. num. 63.* & ferè per totam quæſt.

SECTIO NONA.

Doctoris Angelici D. Thomæ ſententia de libertate ad imperandum aſſenſum, vel diſſenſum in obſcuris, & circa fidei objecta.

1 POſsit ne intellectus noſter à voluntate determinari, ut æque, aut minus veriſimili contradictionis parti aſſenſum præbeat, ad præcipuæ noſtræ tractationis de immediata fidei libertate deciſionem plurimum refert inveſtigare; quapropter hanc, licèt quoad ſpeciem philoſophicam tantùm quæſtionem, re tamen ipſa Theologicam, examuſim verſare, & enodare operę pretium duxi; quòniam Theologi, qui hoc tempore totis viribus opinandi immediatam quoad ſpeciem libertatem inficiantur, fidei quoque libertatem ſimilem, diffiteri adnituntur. Ex his ergò, quæ in hac, & ſequentibus ſectionibus tradentur, pendent haud parum, quæ ad fidei ſupernaturalis libertatem, eſſentiamque formalis hæreſeos, & pertinaciæ attinent; nam ſi libertatis noſtræ non eſt, aſſentiri objecto minus veriſimili, cum propoſitio contraria fidei, terminis penetratis, ſemper ſit minus veriſimilis, non poterit voluntas aſſenſum erga illam liberè imperare, & conſequenter impoſsibilis erit hæreſeos pertinacia, id quod aſſeri non poteſt.

2 Utque auſpicatò differam, Angelici Didaſcali in primis perquirere mentem, dignum, ac literarum ſtudioſis volupe exiſtimavi, quòniam in ſublimi hoc, & ſacro Doctore ſe peritia veluti in diverſorio lucidæ domus incluſit, ejuſque

è ſapientia fuſſus nitor cœlum ferit, & in morem illius gemmæ Lychnis, quæ in ſtatua Syriæ Deæ fulgebat, in mediis tenebris, & ignorantiæ caligine emicat, univerſaque ſtellans encyclopedia Divi Th. ſcriptis novũ dedit ſplendorem, ſemperque dabit, in cujus præconiis anguſtus ſermo fortè meam vulgabit imperitiam, ſed quis mendicam dictionem æſtimet, quam vota locupletant? *Sæpè* (ajebat Fœlix Enodius) *in facundiæ dotibus pauper invenitur vena prædicãtis, & è diverſo theſaurus cordis irradiat in egeſtate verborũ.*

3 Præfixæ igitur veſtigationi reſpondent Nobiles Recentiores, Divum Thomam docere, non poſſe intellectum noſtrum aſſentiri parti minùs veriſimili, aut minus, vel æquè probabili: imò Antonius Celladei, ſeu P. Michael. de Elizalde, *in Appendic. de Natura opinion. quæſt. 2. §. 2.* inquit, ex Authoribus, qui de hac re dubitarunt, nec ſupponendo, ſed diſcutiendo proceſſerunt, nullum ſe inveniſſe, qui hanc negantem ſententiam non tenuerit; cæterum ingenioſi utique hujuſce Authoris pace, plures de hac re differentes, & affirmantes mihi reperire licuit, præcipuè D. Thomam. Ideò aſſero ex mente Doctoris Angelici poſſe noſtrum intellectum æque, aut minus veriſimilibus aſſenſum præbere.

4 Probatur primo ex 1. 2. quæſt. 17. art. 6. cujus epigraphe eſt, *utrùm actus rationis imperetur?* Ubi quæſtionem noſtram perſpicuè propoſitam habemus, & in argumento *ſed contra*, à quo ferè nunquam recedit D. Thom. adducit authoritatem D. Joannis Damaſceni ex *lib. 2. de fide, cap. 22.* ajentis; *quod libero arbitrio homo exquirit, & ſcrutatur, & judicat, & diſponit*: unde D. Thom. infert: *ergò actus rationis poſſunt eſſe imperati*; hinc vero haud immerito colligi videtur, ut ab Angel. Magiſt. edoctum, immediatè quoad ſpeciem liberè imperari poſſe aſſenſum, vel diſſenſum in obſcuris: cum enim Damaſcenus à D. Thoma laudatus aſſerat, hominem libero arbitrio judicare, liberumque arbitrium ſimpliciter acceptum immediatam contrarietatis libertatem includat, eam utique concedere videtur uterque Doct. in electione judicij, in obſcuris rebus, ac non evidentibus.

5 In corpore autem articuli hæc habet Div. Thomas, *Reſpondeo dicendum, quòd quia ratio ſupra ſe ipſum reflectitur, ſicut ordinat de actibus aliarum potentiarum, ita etiam poteſt ordinare de ſuo actu: inde etiam actus ſuus poteſt eſſe imperatus. Sed attendendum eſt, quod actus rationis poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actus: & ſic actus rationis ſemper imperari poteſt, ſicut dum indicitur alicui, quòd attendat, & ratione utatur. Alio modo, quantum ad objectum, reſpectu cujus duo actus rationis attenduntur. Primò quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat, & hoc non eſt in poteſtate noſtra: hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis, vel naturalis, vel ſupernaturalis; & ideò quantum ad hoc, actus rationis non eſt in poteſtate noſtra, nec imperari poteſt. Alius autem actus rationis eſt, dum is, qui apprehendit, aſſentit. Si igitur fuerint talia apprehenſa, quibus naturaliter intellectus aſſentiat, ſicut prima principia, aſſenſus talium, vel diſſenſus non eſt ſub poteſtate noſtra, ſed in ordine naturæ, & ideò propriè loquendo naturæ imperio ſubjacet. Sunt autem quædam apprehenſa, quæ non adeò convincunt intellectum, quin poſſit aſſentire, vel diſſentire, vel ſaltem aſſenſum, vel diſſenſum ſuſpendere, propter aliquam cauſam, & in talibus aſſenſus ipſe, vel diſſenſus in poteſtate noſtra eſt, & ſub imperio cadit.*

6 Porrò in hac D. Thomæ doctrina conſpicitur dubitatio noſtra ex inſtituto, & dilucidè diſcuſa, & definita quatuor nimirum concluſionibus: Prima eſt, actum intellectus ſemper poſſe imperari quantum ad exercitium: patet ex illo: *Et ſic actus rationis ſemper, &c.* Secunda: primam apprehenſionem, ſivè ſimplicem, ſivè complexam imperari non poſſe à voluntate noſtra libera, ſed id contin-

ge-

gere per virtutem alicujus luminis vel naturalis, vel ſupernaturalis: ſic habetur, ibi: *Et ideò quantum ad hoc actus rationis, &c.* Tertia concluſio eſt, actũ aſſenſus, & diſſenſus judicativi circa prima principia nõ poſſe à libera volũtate imperari, nimirũ ſuppoſita apprehenſione terminorũ; quòniam naturali lumine, ſeù naturæ imperio ad aſſenſum, vel diſſenſum in his fertur intellectus, unde in his aſſenſibus gaudet voluntas libertate quoad exercitium tantum, quia poteſt voluntas, velut indicere intellectui, ut circa hæc prima principia ſe exerceat, ſed non gaudet libertate quoad ſpecificationem, nempè ad aſſentiendum, vel diſſentiendum. Habetur ibi: *Aſſenſus talium, vel diſſenſus, &c.*

7 Quarta concluſio, veſtigationi noſtræ reſpondens, eſt in obſcuris, ſeù quando contradictionis, & contrarietatis partes ita proponuntur intellectui, ut earum nulla intellectum convincat, poſſe liberum arbitrium imperare aſſenſum, vel diſſenſum, ſeù voluntatem noſtram in hac hypotheſi gaudere libertate non ſolum quoad exercitium, ut in primis principiis, ſed etiam quoad ſpecificationem, ad imperandum vel aſſenſum, vel diſſenſum, vel ad ſuſpendendum utrumque, liquet ex illo: *Sunt autem quædam apprehenſa, &c.* ergò aſſenſus ille, vel diſſenſus in poteſtate noſtra libera eſt, & ſub imperio cadit, id eſt, poteſt voluntas liberè imperare intellectui, ut parti etiam veriſimiliori aſſentiat, vel diſſentiat.

8 Probatur ſecundo aſſertio noſtra ex traditis ab ipſo S. Doct. 2.2. quæſt. 1. artic. 4. corpore. ubi hæc habet. *Aſſentit autem intellectus alicui dupliciter. Uno modo quia ad hoc movetur ab ipſo objecto, quod eſt per ſe ipſum cognitum, ſicut patet in principiis primis, quorum eſt intellectus: vel eſt per aliud cognitum, ſicut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia. Alio modo intellectus aſſentit alicui non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam. Et ſi quidem hæc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis erit opinio. Si autem ſit cum certitudine abſque tali formidine erit fides.* Nihil magis perſpicuum pro aſſertione noſtra dici potuit, ſi enim intellectus aſſentit quandoque ex electione voluntatis, declinante potius intellectu in hanc partem, quàm in aliam ex libera arbitrii electione, manifeſtum eſt, poſſe voluntatem imperare aſſenſum vel partis veriſimilioris, vel æque aut minus veriſimilis.

9 Confirmatur: Quòniam in hac doctrina vel comprehendit Sanctus Doct. aſſenſum præſtitum parti veriſimiliori? Vel ſecus? Si non loquitur de aſſenſu parti veriſimiliori exhibito: ergò de aſſenſu loquitur, quem intellectus præbet parti æquè, aut minus veriſimili, nam manifeſtè diſſerit de aſſenſu opinativo, & conſequenter poterit intellectus aſſentiri parti æquè aut minus veriſimili, quod intendimus. Si vero dicatur, Sanctum Doctorem eloqui de opinativo, & de fidei aſſenſu præſtito veriſimiliori parti, idem evincitur; quippè id aſſenſus elicitur ab intellectu, ex imperio, & electione voluntatis, ratione cujus declinat intellectus ad aſſentiendum potius huic parti, quam alteri oppoſitæ: ergò quando voluntas eligit, & liberè determinat ad aſſenſum veriſimiliori objecto præſtandum, poteſt etiam determinare ad aſſentiendum æquè, aut minus veriſimili, omnia ex præfatis verbis D. Thomæ deducuntur, præcipuè ex illis: *Alio modo intellectus aſſentit alicui* (veriſimiliori ex. gratia) *non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem* (utique liberum, nam eligere non eſt potentiæ neceſſariæ) *voluntariè declinans in unam partem magis, quam in aliam:* ergò voluntas eſt libera, ut determinet ad aſſentiendum vel parti veriſimiliori, vel minus veriſimili, & conſequenter etiam æquè probabili.

10 Probatur tertio ex quæſt. 14. de

de verit.art.1.corpore,ibi: *Quandoque verò intellectus non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis, neque ſtatim per ipſas definitiones terminorum, ſicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, ſicut in concluſionibus demonſtrativis eſt, determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentire uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire.*

11 In quo textu perpendendum primo, aſſerere D. Thomam, quod quando intellectus verſatur, non in intelligendis principiis, nec in aſſertionibus demonſtrandis, ſed in obſcuris, & non demonſtrabilibus dignoſcendis, *tunc voluntas eligit aſſentire uni parti:* ex quo docet nos Angelicus Doctor, quod voluntas in his terminis, poteſt imperare aſſenſum, ſivè hujus, ſivè illius partis, ſivè magis, ſivè minus veriſimilis; primo, quòniam, ſi tantum poſſet voluntas imperare aſſenſum partis veriſimilioris, utique electio voluntatis non eſſet inter aſſenſum hujus, vel illius partis contradictionis, ſed inter exercitium aſſenſus partis veriſimilioris, & ſuſpenſionem ejuſdem aſſenſus; ſed Sanctus Doct. inquit, voluntatè eligere aſſenſum unius partis determinatè, ſeù potius hujus, quā alterius, ergò quia judicavit, & docuit D. Thom. quod inter obſcura extrema ex electione voluntatis poteſt intellectus cuilibet parti aſſentire, & voluntatem eligere poſſe aſſenſum ſivè hujus, ſivè illius partis contradictionis.

12 Id, quod ſecundo oſtenditur, nam Angel. Mag. loquitur de determinatione intellectus, vel ad unam, vel ad alteram contradictionis partem, ut patet ex ſuperioribus illis verbis: *Quandoque verò intellectus non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis, neque ſtatim per ipſas definitiones terminorum, nec virtute principiorum, ſicut in concluſionibus demonſtrativis, determinatur autem per voluntatem, &c.* Igitur dum Divus Thomas aſſerit, quod determinatur intellectus *per voluntatem, quæ eligit aſſentire uni parti*, proculdubio edocet, voluntatem ex ſua libera electione determinare, ſeù imperare aſſenſum ad hanc contradictionis partem potius, quam ad illam, atque adeò, tunc voluntas poteſt ſivè aſſenſum iſtius partis, ſivè alterius oppoſitè imperare: At id, inquit S. Doctor, fieri poſſe à voluntate, quando intellectus non determinatur ad aſſenſum ex definitione terminorum, nec ex certis, & evidentibus præmiſſis: ergò quotieſcumque inter veriſimilia, & obſcura verſatur intellectus, ut in rebus fidei, & aliis obſcuris poteſt à voluntate determinari ad aſſentiendum ſivè huic, ſivè illi contradictionis parti, ſivè magis, ſivè minus, aut æquè veriſimili.

13 Tertio idem depromitur ex illis verbis: *Eligit aſſentire uni parti determinatè*, quòniam hæc conveniunt tàm parti minus, aut æquè veriſimili, quā probabiliori, aut veriſimiliori, ut ex terminis ipſis patet, igitur nullo modo reſtringenda ſunt ad probabiliorem, & veriſimiliorem partem; ſiquidem veluti legis obſervatores proſequimur nunc Angelici Doctoris verba: Legum autem Interpretes pro comperto habent, quod ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, quod axioma exornant præcipuè *Jaſon in leg. Non dubium num. 38. Cod. de legib. Cardinal. Tuſchus Practic. concluſ. tom. 2. littera D. concluſ. 508. Thomas de Thomaſſet. in florib. legum. reg. 300. Auguſtin. Barboſa. Axiom. 138. num. 4. & probatur quam optimè ex lege 1. §. Generaliter. ff. de lega. Præſtan. contra tab. bonor. poſſ. petita. ubi Gloſ. verb. in infinitum, nec minus dilucidè ex cap. ſolitæ de majorit. & obed. cap. Quia circa 22. de Privilegiis. cap. ſi Romanorum. diſt. 19. & lex generaliter loquens generaliter eſt intelligenda. leg. de pretio. ff. de publici. in rem. actione*, Idque procedit, etiam ſi major ratio ſit in uno, quàm in alio, ut

no-

notat *Fuſarius de ſubſtit. quæſt.* 394.*num.* 56. & 57. *Barboſa ubi ſuprà num.* 1. & 2. Igitur cum D. Thom. voluntati concedat libertatem imperandi aſſenſum unius partis,quin limitet ad hanc vel illam magis,aut minus veriſimilem,profectò intelligendus eſt S. Doctor de libertate imperandi aſſenſum partis minus,vel æquè veriſimilis, quamvis intellectus in veriſimiliorem magis propendeat.

14 Haud me latet,præfatum axioma locum non habere, quando alia lex diſtinguit, vel cum ratio ex legibus deſumpta diſtinguere cogit; cæterum in hypotheſi noſtra nulla Divi Thomæ authoritas ab Adverſariis adducitur; nec in Sancto Doctore eam reperire mihi licuit,quæ inter veriſimilia, & veriſimiliora ad finem hujuſcè aſſenſus ex imperio voluntatis præſtandi, nos diſtinguere conſtringat,ut ex dicendis liquidum erit, nulla etiã ratio ſatis efficax ad id diſtinctionis ſuadet:ergò generaliter exD.Thoma aſſerendum, ex imperio voluntatis poſſe intellectum parti minus, vel æquè veriſimili aſſentire.

15 Tum quarto, quia ſi mentis D.Thomæ fuiſſet, eam diſtinctionem edocere, & obſervari, illam utique expreſiſſet; in juribus quippè interpretandis,hoc ſervatur principium,nempè ſi lex voluiſſet,expreſiſſet,ex *leg.ſi ſervum.*71.§. *Non dixit Prætor. ff. de acquir. hæred. leg. unic.* §. 11. *verſ. Sin autem ad deficientis. Cod.de caduc. tollen. & conſpicuè habetur in cap.ad Audientiam.*12.*de decimis.*exornant. *Tiraquel. in leg. ſi unquam.verb. libertis,n.* 3.*Cod.de revoc.donation. Menoch. Conſil.* 1. *num.* 178. & *Conſil.* 140. *num.*4.*Gonçalez ad reg.* 8.*Cancell. Gloſſ.* 9. §.1 *num.* 33. & *Gloſſ.* 42. *num.* 11. *Card. Tuſchus.Practic. concluſ.tom.*8.*littera V. concluſ.* 89. *num.*5. & præcipuè id procedit, cum facilè poſſet diſtinctio præfata adhiberi à tanto Doctore, ſi ipſe vellet, eam adiici;at illa nullibi ab Angelico Magiſtro edocta reperitur:Igitur quia mentisD.Thomę non fuit,quod ex imperio voluntatis non poſſit minus, aut æquè probabili aſſentire intellectus: & hæc perpendenda duxi in prioribus illis Sancti Doctoris verbis, *elĭgit aſſentire uni parti.*

16 Verùm etiam conſideranda veniunt,quæ ſubjungit,videlicèt,*Præciſè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpotè, quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire.* His utique verbis explicat S. Thomas motivum,quo voluntas moveri poteſt,ad imperandum aſſenſum intellectus reſpectu unius partis potius, quàm alterius, ſcilicèt,videri id bonum aut conveniens; porrò motivum hoc adeſſe poteſt ſivè pro parte magis veriſimili,ſivè pro æquè, aut minus veriſimili, ut in pluribus eventibus cernere eſt:nempè dum ad judicandum de proximo adſunt motiva inæqualia,aut æqualia, tum pro bona ipſius exiſtimatione,tum contra illam: in hac enim hypotheſi,bonum,& conveniens,imò, & juxta PP. conſilia, laudè dignum eſt, benè, ac piè de proximo judicare, licèt æquè, aut minus probabilia ſint motiva, quæ ipſi favent. Sic etiam in jure, juſtum cenſetur judicare pro reo, & pro cauſis piis,etiam ſi fundamenta directa, & ſpeculativa æquè ſolùm urgentia pro his cauſis reperiantur,ut ex multis docet *Nevizan.in Sylva.lib.*5. *num.* 73. *Purpuratus in leg.ſi idem.*§.*ſi una actio num.*13.*ff.de juriſd.omn. judic. Carotius lib.*2. *de com.opin. tit.*9.*caſu* 109.*Angelus Boſius.de conſci.par.* 1.*tit.*1.§.27.*à num.* 679. cum innumeris, *P. Didacus de la Fuente Hurt.in Theol. reform.Diſſert.*3.*cap.* 3. in quibus eventibus ſpecificè exponendis nunc immorari non licet.In aliis verò ubi pro parte æquè, aut minus veriſimili adeſt ratio boni utilis, aut delectabilis, & ſi non honeſti, qui haud pauci eſſe poſſunt,invenit etiam voluntas motivum imperandi aſſenſum illius partis, licet imprudenter id fiat, & conſequenter, ſi ſermo ſit de phyſica ſolum potentia,& de abſoluta libertate,poterit tunc voluntas aſſenſum illius partis im-

imperare, juxta D. Thomæ doctrinam, ſi nimirum videatur bonum, vel conveniens illi parti aſſentire.

17 Id ipſum docuit D. Thom. *in 3. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 2. corpore*, ibi: *Voluntas determinat intellectum ad aliquid, quod neque per ſe ipſum videtur, neque ad ea, quæ per ſe videntur, reſolvi poteſt, determinat ex hoc, quod dignum reputat illis eſſe adhærendum propter aliquam rationem, quæ bonum videtur ei, illi rei adhærere: quamvis illa ratio ad intellectum terminandum non ſufficiat propter imbecilitatem intellectus.* Super quæ verba fieri debent notationes eædem ac ſuper locum ex q. 14. de veritate, art. 1. corp.

18 Probatur quinto ex lib. 3. Ethic. lec. 13. ante medium. Ubi Sanctus Thom. hæc habet: *Sed quia operabilia ſunt contingentia, non cogitur ratio ad aſſentiendum huic vel illi, ſicut accidit in demonſtrativis, ſed in poteſtate habet homo, quod aſſentiat uni, vel alii parti contradictionis, ſic accidit in omnibus operabilibus.* Aurea hæc verba nunc probè examinemus, & primò liquidum eſt, D. Thomam concedere poteſtatem, ac libertatem aſſentiendi in opinabilibus, ſeù contingentibus, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem, ſeù libertatem contrarietatis, & contradictionis: patet ex illis verbis *in poteſtate habet homo, quod aſſentiat uni, vel alii parti contradictionis.*

19 Secundo hanc libertatem eſſe ex terminis, & neceſſario in ordine ad aſſentiendum magis, vel æquè, aut minus veriſimilibus, aut veri ſpeciem habentibus, exploratum eſt. Agit enim S. Doct. de propoſitionibus contingentibus, & quæ intellectum con cogunt ad aſſenſum. Tertiò haud minus perſpicuum eſſe debet, hujuſcemodi libertatem debere eſſe, & concedi immediatam; quòniam Sanctus Doctor expreſsè docet, in poteſtate hominis, ideſt ipſius liberi arbitrii eſſe determinare ad aſſenſum unius, vel alterius partis contradictionis: hæc autem poteſtas eſt immediata; nam media-ta ſolum explicari deberet per poteſtatem ſuſpendendi aſſenſum partis veriſimilioris, & applicandi intellectum ad urgentiora rationis motiva inquirenda pro parte, quæ pro tunc minus urgens apparet.

20 Hujuſcemodi autē poteſtas, aut libertas incongruè, & perobſcurè ſaltē explicaretur per abſolutam poteſtatē aſſentiendi uni, vel alii parti contradictionis; in ſuadam autem meam venire haud poteſt, quod præſtantiſsimus, & Angelicus Doctor, qui non ſolum mira eruditione præfulget, ſed eximia ſua claritate obſcuriora cuncta irradiat, implexè, & obſcurè ſit loquutus, in re quam variis in locis enodare aggreſſus fuit, ita ut nullibi quod intendebat, non elucidaverit, nec expreſſerit: igitur D. Thom. dum inquit, *In poteſtate habet homo, quod aſſentiat uni, vel alii parti contradictionis*, & his ſimilia ut in ſuperioribus conſpeximus, edocet intellectum ex imperio voluntatis poſſe aſſentire æquè, aut minus probabili, & veriſimili parti, immediata quidem libertate.

21 Probatur ſexto ex 1. 2. *quæſt.* 13. *art.* 4. *ad ſecundum*, ubi S. Doctor in opinionibus concedit propriam rationem electionis unius prælia, nam cum in hoc articulo inquirat, utrum electio ſit tantum eorum, quæ per nos aguntur, & in corpore articuli reſolvat, electionem ſemper eſſe humanorum actuum proponit ſibi S. Doct. hanc objectionem: *Actio à contemplatione diſtinguitur: ſed electio etiam in contemplatione locum habet, prout ſcilicèt una opinio alteri præeligitur: ergò electio non eſt ſolum humanorum actuum*: cui argumento Authores, qui opinandi libertatem inficiantur, & cum quibus nunc diſſerimus, nullo negotio reſponderent, negando, poſſe opinionem aliquam alteri immediatè præeligi. At D. Thomas non ita reſpondet, ſed apertè concedit id præelectionis, & ſolum ait, quod in ipſa contemplatione reperitur actus humanus, quo una opinio alteri præeligitur:

Ad

Ad ſecundum (inquit) *dicendum, quòd in ipſa contemplatione eſt aliquis actus intellectus aſſentientis huic opinioni, vel illi: actio verò exterior eſt, quæ contra contemplationem dividitur.* Igitur D. Thomas, ut extra dubii aleam fatetur, poſſe intellectum ex electione voluntatis libera aſſentiri huic, aut illi oppoſitæ opinioni.

22 Fulcitur ſeptimò, quòniam electio, ut ipſe D. Angelicus ſtatuit 1.2.*q.* 13.*art.* 1. *corpore*, & *art.* 6. *in arg. Sed contra. Eſt actus voluntatis, ſeù potentia rationalis, quæ ſe habet ad oppoſita*, idque docuit etiam Ariſt. 9. *Meth. tex.* 3. laudatus à D. Thoma eadem *q.* 13.*art.* 6. *in arg. Sed contra.* Tum ſic: Ergò data electione inter opiniones, prout à D. Thoma conceditur, aſſerendum eſt, eam electionem eſſe inter oppoſitas opiniones, quòniam electio inter oppoſita eſſe debet, ſed oppoſitæ opiniones æqualiter, vel inæqualiter probabiles, aut veriſimiles eſſe debent; intellectus igitur ex libera voluntatis electione aſſentire poteſt huic aut illi oppoſitæ opinioni æquè, aut minus vel magis veriſimili.

23 Octavò, & veluti à priori, ex ipſo D. Thoma: Quidquid ratio poteſt apprehendere, ut bonum, in hoc voluntas tendere poteſt, ſed poteſt ratio apprehendere ut bonum, non ſolum aſſentire parti veriſimiliori, vel ſuſpendere id aſſenſus, & inquirere ulteriora motiva, ſed etiam aſſentire parti æquè, aut minus probabili: ergò voluntas poteſt id velle, & eligere: hujus ratiocinii aſſumptio prima habetur in D. Thom. 1.2. *q.* 13.*art.* 6. *corpore*; aſſumptio ſecunda ex ſuis terminis apparet perſpicua, quòniam opinio, ex eo, quòd probabilis cenſetur, proponitur, ut aſſenſu digna ex urgenti fundamento, quamobrem, licet magis aſſenſu digna appareat oppoſita probabilior, ſuam tamen aſſenſus dignitatem retinet, quæ minus eſt probabilis: conſequentia autem eſt legitima.

24 Cæterum ex Doctore Angelico id magis inclareſcet nonò, nam in 1.2.*q.* 13. *art.* 6. *corp.* de voluntatis libertate in ſuis electionibus differens hæc habet. *Poteſt autem ratio apprehendere, ut bonum, non ſolum hoc, quod eſt velle, aut agere, ſed hoc etiam, quod eſt, non velle, & non agere. Et rurſum in omnibus particularibus bonis poteſt conſiderare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali: & ſecundum hoc poteſt unumquodque hujuſmodi bonorum apprehendere, ut eligibile, vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod eſt beatitudo, non poteſt ratio apprehendere ſub ratione mali, aut alicujus defectus: & ideò ex neceſſitate beatitudinem homo vult. Electio autem cum non ſit de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem, ut jam dictum eſt, non eſt perfecti boni, quod eſt beatitudo, ſed aliorum particularium bonorum, & ideò homo non eſt neceſſitate, ſed liberè eligit.*

25 Ex qua doctrina ſic aſſumptum evincitur: Ratio conſiderans contradictionis partem probabiliorem dignoſcit in illa conceptum boni ipſius intellectus conſiſtentis quidem in illa apparenti probabilioritate, at ſimul conſiderat, ſeù poteſt conſiderare defectum certitudinis, & falſitatis contingentiam ob argumenta, quæ probabilem conſtituunt oppoſitam contradictionis partem: rurſus in oppoſita parte, licet minus probabili intellectus intuetur, & defectum probabilitatis reſpectu partis oppoſitæ probabilioris, & rationem boni intellectus in veritate probabiliter oſtenſa in eadē parte relucente: igitur in hac hypotheſi ratio poteſt apprehēdere ut bonum aſſentire parti minus probabili, & hujus aſſenſum ut eligibilē: patet conſequentia ex D. Thoma ajēte, quod unumquodque ex bonis, in quibus apprehendi poteſt, & ratio boni, & ratio defectus, ſeù mali, eſt eligibile, vel fugibile à voluntate, ut patet ex præ exaratis S. Doctor verbis illis: *Et ſecundum hoc poteſt unumquodque hujuſmodi bonorum apprehendere, ut eligibile, vel fugibile*; ſed tàm opinio minus veriſimilis, quàm magis veriſimilis, ſic apprehendi po-

poteſt,ut bonum conjunctum cum ratione defectus,ergò utraque eſt à voluntate eligibilis,& ab ipſa poteſt imperari. Tùm quia ſi probabilior pars eſt bonum intellectus, utique talis erit propter rationem veri apparentis,& non præcisè quia magis vera apparet, nam magis, & minus non mutat ſpeciem: at minus veriſimilis pars veri apparentiam habet, igitur, & apprehendi poteſt ut bonum ipſius intellectus,adeòque eligibilis erit à voluntate aſſenſus erga partem minus veriſimilem, liquet ergò immediatam quoad ſpeciem libertatem opinandi æquè,aut minus veriſimilia à D.Thoma edoceri.

SECTIO DECIMA.

Mens Divi Thomæ ulterius demonſtratur. Et adverſariorum ſolutionibus aditus præcluditur.

1 PRimò igitur Antonius Celladeus,ingenti ſuo acumine, in Appendice de natura opinionis *quæſt.* 2. ubi ex inſtituto difficultatem verſat.Cum ſibi objecerit locum D.Thomæ *ex* 2. 2. *q.* 1. *art.*4. *c*, reſpondet in §. 4. ejuſdem q. 2. Sanctum Doctorem loqui de intellectu magis inclinato ad unum, quàm ad ſui oppoſitum, ut ipſe pauloante conteſtabatur: veriſimum tamen eſſe,intellectum quoties ſufficienter non movetur ab objecto proprio, determinari ad illud à voluntate, & ita eſſe in opinabilibus omnibus, & in opinione ſemper;nam objectum opinionis propriè talis,& non omninò certæ,numquam ſatis movet, & determinat intellectum,ſed indiget determinatione voluntatis ad aſſenſum. Hæc Celladeus, nec quidpiam aliud adducit ad exponendum S.Doctorem.

2 Cæterum vim noſtræ argumentationis non infringit, ut liquet primo ex traditis ſupra Sectio 7. num. 8. & 9.Ubi hunc locum D. Thom.*ex* 2.2.*q.*1. *art.*4.*corp.*expendimus.Secundò ſi Celladeus vellit,quod S. Thomas in eo textu ſolũ loquatur de eventu, in quo intellectus aſſentit parti veriſimiliori antecedenter ad electionem liberam voluntatis,falſum aſſumit, nec id probat, nec probare poſſet; nam S.Doct.in eo articulo ſolum diſtinguit inter aſſenſum neceſſarium primis principiis,& demonſtratis præſtitum,& contingentem, qui elicitur,quandò intellectus non ſufficienter movetur ab objecto proprio, nec ullo verbo limitat poteſtatem intellectus, & voluntatis, ut ſolum poſsit imperari aſſenſus erga partem veriſimiliorem, ſecus ad æquè aut minus veriſimilem. Declinatio enim illa,de qua ibi D. Thom.provenit à libera voluntatis electione, ſivè in magis veriſimilem, ſivè in minus veriſimilẽ partẽ.

3 Totum patet ex ipſius verbis,& præcipuè ex illis: *Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam*: ubi perpendo clauſulam *per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis,quàm in aliam*: unde conficitur majorem intellectus declinationem in unam contradictionis partem, potius quàm in aliam, aſſertam à Doct.Angelico, ex voluntatis electione,ſeu determinatione provenire,& proinde ad hanc liberam volũtatis electionẽ ſubſequi, eãve comitari, nec præcedere debere, quidquid Celladeus, & alii dixerint.

4 Tertiò, quod idem Author inquit, intellectum, quando non movetur ſufficienter ab objecto,determinari à voluntate, & ſic evenire in opinabilibus, & opinionibus, libenter cum D.Thoma fatemur, ſed inſuper ex eodem Angelico Doctore aſſerimus, in hac hypotheſi intellectum à voluntate determinari poſſe, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, id eſt ad aſſenſum unius, vel alterius partis contradictio-

tionis, quod ex D. Thoma probavimus, quatenus ait in his terminis aſſentire intellectum, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinando in unam partem magis quàm in aliam: ex quo fit, voluntatem poſſe inclinare, & determinare intellectum non ſolum ad exercendum aſſenſum, vel ad ipſum ſuſpendendum, ſed etiam, ut aſſentiat magis huic contradictionis parti, quàm alteri oppoſitæ.

5 Reſpondet 2. Magiſter Julius Mercorius in *Baſi totius moralis Theologiæ part.* 2. *art.* 4. & 6. & ex illo Primarius quondam noſter Salmantinus P. Ignatius Camargo *part.* 1. *lib.* 1. *controv.* 5. *art.* 10. *pag.* 68. *num.* 114. qui fusè, & magno acumine hanc opinandi, & fidei libertatem immediatam oppugnare niſus eſt, reſpondet inquam, non loqui D. Thomam de aſſentiendi vel diſſentiendi poteſtate directa, & immediata in ordine ad utrumque extremum, & eàdem omninò permanente apparentia objecti; ſic enim ſibi apertè contradiceret in aliis locis (quædam adducit D. Thomæ teſtimonia, quibus ſuam ſententiam fulciri exiſtimat P. Camarg. ſed non rectè, ut oſtendam) loquitur ergò S. Doctor de poteſtate immediata reſpectu unius actus, & mediata reſpectu alterius: quia dum objectum per motiva aſſentiendi non eſt evidenter propoſitum, facilè poteſt voluntas liberè avertere intellectum ab illis, & ipſum ad oppoſita convertendo, invenire rationes, quibus diſſentiat: quo tandem fit, ut eidem objecto poſsit abſolutè, & ſimpliciter aſſentire, vel diſſentire ex libero voluntatis imperio. Quod verò addit S. Doctor, *vel ſaltem aſſenſum, vel diſſenſum ſuſpendere*, ideò dixit, quia aliquando continget, ut novas intellectus rationes facilè invenire non poſſit, quo caſu ſolum poterit ſuſpendere diſſenſum, vel aſſenſum. Unde expoſitio data valide confirmatur; quia in hypotheſi aſſumpta à D. Thoma, ſi intellectus haberet illam potentiam, opinandi ſcilicèt minus probabilia, ſemper præbere poſſet aſſenſum, vel diſſenſum, & non quandoque tantum illum ſuſpendere. Non ergò habet potentiam illam ex mente Doctoris Angelici.

6 Quod ſi dixeris cum P. Terillo. 1. *part. de Regul. mor. quæſt.* 30. *n.* 10. Libertatem mediatam ad diſſentiendum, dari etiam reſpectu objecti clarè, & evidenter propoſiti, & tamen D. Thomam non docere, aſſenſum evidentem eſſe liberum quoad ſpeciem, imò expreſsè docere oppoſitum, & conſequenter dum talem libertatem ſtatuit circa aſſenſum opinativum, intelligi non debet de libertate tantum mediata, ſed etiam de immediata, & directa. Inſurgit prælaudatus P. Camargo dicens, libertatem illam quoad objecta evidentia eſſe valdè remotam, & non niſi rarò exerceri; tùm quia voluntas immediatè nequit ſuſpendere aſſenſum evidentem; tùm quia licet indirectè, & divertendo ad alia poſsit ſuſpendere aſſenſum, non ita facilè abolentur ſpecies objecti ſemel evidenter cogniti, ut obſcurè tantùm proponatur: at verò circa objecta opinabilia libertas aſſentiendi, vel diſſentiendi, quamvis non immediata facilè, & frequenter ſolet exerceri.

7 Verum enim verò id ſolutionis, & replicæ genuinam D. Thomæ mentem deſſerere videtur, ut inclareſcit ex dictis; tùm primo, quia Divus Thomas ſæpè docet, quod in poteſtate habet homo, quod aſſentiat, uni vel alteri parti contradictionis, & quòd voluntas eligit aſſentire uni parti determinatè; hoc autem falſum eſſet, ſi voluntas non poſſet eligere niſi aſſenſum erga partem veriſimiliorem. Secundo quòniam ipſe Mercorus in eodem citato tractatu. *part.* 2. *art.* 2. *fol. mihi* 193. inquit: etiam quantum ad ſpecificationem liberum eſſe, eligere opinari potius de una parte contradictionis, quàm de ſua oppoſita, quia alicui poteſt

eſſe bonum, de hac parte opinari : nec præcitatus Recentior eam libertatem opinandi quoad ſpecificationem negare audet, ſed dicit eſſe mediatam reſpectu unius extremi, quod & Mercorus etiam approbat.

8 Sed in oppoſitum tertio diſſero : ſi datur libertas contrarietatis ad aliquid, illa pro aliquo determinato inſtanti exiſtit, vel numquam. At juxta hos Authores pro nullo determinato inſtanti hæc libertas exiſtit, ſiquidem quandò extremum A. dignoſcitur veriſimilius, nulla eſt poteſtas diſſentiendi illi extremo, & aſſentiendi oppoſito D. ſed ſolum ad inquirenda urgentiora motiva pro eo oppoſito extremo ; dum autem hæc fuerint inventa motiva, ceſſat juxta eoſdem Authores poteſtas aſſentiendi priori extremo A, quod antea probabilius apparebat ; ergò revera nullam quoad ſpecificationem opinandi libertatem admittunt, ſed tantum quoad exercitium aſſentiendi, ſuſpendendique aſſenſum: tùm inquirendi, aut non inquirendi alia motiva.

9 Quartò : Id mediatæ libertatis quoad ſpecificationem, juxta eoſdem Authores, conſiſtit in poteſtate inquirendi, & inveniendi potiora motiva pro parte, quæ minus veriſimilis nunc apparet ; at fieri poteſt, ut talia motiva non inveniantur; nec noſtræ eſt libertatis illa invenire, ut patet ex terminis: ergò Recentiores iſti nullam quoad ſpecificationem admittunt libertatem, ſed potius eam inficiari videntur.

10 Quintò, haud rectè dicitur, quod dum objectum per motiva aſſentiendi non eſt evidenter propoſitum, facilè poſsit liberè voluntas ab illis avertere intellectum, & ipſum ad oppoſita convertendo, invenire rationes, quibus diſſentiat : id inquam perperam dici videtur, primò, quia licet poſsit voluntas avertere intellectum ab objecto, & à motivis illud ſuadentibus, ſcilicèt non cogitando de tali objecto, id tamen efficere nequit voluntas, ita ut dum intellectus applicatur ad alia motiva pro contraria parte quærenda, obliviſcatur intellectus urgentioris contrariæ rationis, quam ipſa potius excitabit inquiſitio. Tùm ſecundo, quia licet inquirere motiva, facilè imperari poſsit, illa tamen, & præſertim urgentiora reperire, difficulter admodùm obtineri valet, & ſæpè eſt impoſsibile, ut experientia notum eſt : ergò ex hac motivorum inquiſitione, & inventione non ſalvatur abſoluta ſpecificationis libertas ad aſſentiendum, & diſſentiendum in obſcuris, à Divo Thoma aſſerta.

11 Sextò quod D. Thom. aſſerit in 1. 2. *quæſt.* 17. *art.* 6. *in corp.* in quibuſdam videlicèt apprehenſis, quæ intellectum non convincunt, poſſe ſaltem aſſenſum, vel diſſenſum ſuſpendi, non ideò id dicit S. Doctor, quòd intellectus non poſsit, invenire rationes urgentiores, & veriſimiliores, pro aliqua parte, ut illi aſſentiatur, ſed quia nec ſufficientem aliquam veriſimilitudinem reperire queat, ut in dubio, an ſtellæ ſint pares: quo in eventu nequit intellectus aſſentiri. Tùm quia aliquando poteſt adeſſe aliqua ſufficiens ratio aſſentiendi pro una parte, & nulla pro oppoſita, & in tali caſu, licet non poſsit intellectus diſſentiri, poteſt aſſenſum ſuſpendere, propter aliquam cauſam, ut inquit Div. Thomas, & tunc aſſenſus ille ſub poteſtate noſtra eſt, utique quoad exercitium. Vel tandem potius id dixit Mag. Angelicus etiam in hypotheſi, qua poſitiva aſſentiendi motiva, citra evidentiam tamen, in qualibet adſunt contradictionis parte, ut ex illa ſuſpendendi omnem aſſenſum notiori libertate, & ex hypotheſi ipſa, ad edocendam quoque libertatem imperandi aſſenſum, & diſſenſum procederet, id quod illico præſtitit.

Ful-

11 Fulcitur ſeptimò, quòniam electio, ut ipſe Doct. Angelicus ſtatuit 1. 2. *q.* 13. *art.* 1. *corpore*, eſt actus voluntatis, ſeù potentiæ rationalis, quæ ſe habet ad oppoſita, idque docuit etiam Ariſtoteles. 9. *Metaph. textu.* 3. laudatus à D. Thoma eàdem *quæſt.* 13. *art.* 6. *in argum. Sed contra.* Tùm ſic: ergò data electione inter opiniones, prout à D. Thoma conceditur, aſſerendum eſt eam electionem eſſe inter oppoſitas opiniones, quòniam electio inter oppoſita eſſe debet; ſed oppoſitæ opiniones æqualiter, vel inæqualiter veriſimiles eſſe debent: intellectus igitur ex libera voluntatis electione aſſentire poteſt huic, aut illi oppoſitæ opinioni æquè, aut minus, aut magis probabili, aut veriſimili.

SECTIO UNDECIMA.

Elevat quæ ex Doctore Angelico objiciuntur.

1 OPpones 1. D. Thomam 1. 2. *q.* 9. *art.* 1. ubi inquirit, *utrùm voluntas moveatur ab intellectu?* Et cum tertiò loco ſibi hæc objeciſſet, *Idem reſpectu ejuſdem non eſt movens, & motum; ſed voluntas movet intellectum; intelligimus enim quando volumus: ergò intellectus non movet voluntatem:* Reſpondet: *ad tertium dicendum, quod voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus ... Sed quantum ad determinationem actus, quæ eſt ex parte objecti, intellectus movet voluntatem.* Ecce Angelicus Doctor, cum oppoſuiſſet ſibi, motionem voluntatis circa intellectum eſſe, veluti incompoſſibilem cum motione, quam exercet, juxta omnes, ipſe intellectus circa voluntatem, reſpondet has motiones non eſſe incompoſsibiles, *quia intellectus movet voluntatem, quantum ad determinationem actus*, hoc eſt, quoad ipſius ſpeciem; voluntas verò *movet intellectum quantum ad exercitium actus.* Manifeſtè ergò ſentit, voluntatem non poſſe, intellectum movere quoad ſpeciem; cur enim hanc motionem, quæ magis de ſe appareret incompoſsibilis, non explicaret Magiſter Angelicus, ubi ex profeſsò exponendum ſuſcipit, quonam pacto potentiæ illæ invicem ſe ſe moveant, & qua ratione ipſarum motiones poſsint inter ſe cohærere.

2 Hoc argumento utitur Cardinalis Palivicinus 1. 2. *diſp.* 8. *quæſt.* 6. *art.* 4. *à num.* 9. eodemque Recentiores alii obarmantur, fidenter adeò, ut eorum quidam aſſerat, quod hoc argumentum, & ſi negativum videatur, multò firmiorem pro ſententia ſua mentem Sancti Doctoris ipſi oſtendat, quàm ſi conceptis verbis negaſſet motionem voluntatis in intellectum quoad ſpeciem actus, quam adſtruit contraria ſententia; nam quod illam non exprimat, nec meminerit illius, ubi tàm urgens aderat cauſa exprimendi, argumentum eſt planè certum, quod Doctor Angelicus adeò putavit certam, & exploratam repugnantiam talis motionis, ut nec in ejus mentem de ipſa venerit dubitare, nec dubitandum cuiquam cenſuerit.

3 Reſpondetur, longè abeſſe doctrinam Doctoris Angelici ab intelligentia, & ſenſu objicientium: quòniam ſcopus Div. Thomæ in hoc articulo, ut ex ipſius Epigraphe patet, eſt inquirere præcisè, *utrùm voluntas moveatur ab intellectu*: & affirmativam partem fulciens, illam tantum protegere nititur, ut ſua dilucida methodo aſſolet, non enim

expedit, difficultates plures ſimul pertractandas miſcere : quamobrem cum aliud ſit, an voluntas ab intellectu moveatur? An neceſſario, & ſemper hanc intellectus motionem voluntas accipiat? Ideò in hoc articulo de prima tantum difficultate differit Angelicus Doctor, de ſecunda autem in quæſtionibus 1c. & 13. ubi libertatem voluntatis oſtendit in movendo intellectum, tùm ad exercitium, tùm quoad ſpeciem actus, ut ſupra oſtenſum manet: fatemur ergò, ab intellectu ex repræſentatione ſua moveri voluntatem quoad ſpeciem actus, vel quoad ejus determinationem, & quod voluntas movet intellectum quantum ad exercitium : porrò ex his nihil contra nos concluditur.

4 Nihil inquam ex primo, ſcilicèt ex eo quod intellectus moveat voluntatem quoad ſpecificationem actus, nam in hoc articulo non intendit Sanctus Doctor, quod hæc motio proveniens ab intellectu ſit neceſſaria ſemper, ſed unicè contendit, quòd intellectus movet voluntatem: hoc liquidum fit ex ſolutione ad primum, eodem in articulo adhibita; cum enim oppoſuerit ſibi primo loco authoritatem D. Auguſtini in illud Pſalmi, *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas*, ajentis, *Prævolat intellectus, ſequitur tardus, aut nullus affectus: ſcimus bonum, nec delectat agere. Hoc autem* ſubjungit D. Thom. ſibi objiciendo) *non eſſet ſi voluntas ab intellectu moveretur, quia motus mobilis ſequitur motionem moventis: ergò intellectus non movet voluntatem.* Et reſpondet Doctor Angelicus, *Ad primum ergò dicendum, quod ex illa authoritate non habetur, quod intellectus non moveat; ſed quod non moveat ex neceſſitate*: Ex quo patet, quod licet D. Thom. aſſerat, voluntatem moveri ab intellectu quoad determinationem actus, ſeù quoad ſpecificationem, tamen non ideò intelligit hanc motionem eſſe neceſſariâ, & infruſtrabilem ſemper, ſed fruſtrabilem potius quandoque, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, ut colligitur ex ipſis D. Auguſtini verbis, & habetur in D. Thom. 1. 2. *q.* 10. *art.* 2. *corp.* ubi inquit: *Unde ſi proponatur aliquod objectum voluntati, quod ſit univerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſiderationem, ex neceſſitate voluntas in illud tendit, ſi aliquid vetit, non enim poterit velle oppoſitum. Si autem proponatur ſibi aliquod objectum, quod non ſecundum quamlibet conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitate voluntas fertur in illud.* Hæc S. Doct.

5 Igitur ex eo quod Divus Thomas doceat, voluntatem moveri ab intellectu quoad ſpeciem actus, & quidem neceſſario quoad bonum in communi, ſeù ad imperandum aſſenſum objecti evidenter propoſiti, cum ſimul aſſerat, hanc motionem non debere eſſe neceſſariam, aut infruſtrabilem, in quolibet alio eventu, male arguitur voluntatem non poſſe, eligere aſſenſum erga partem æquè aut minus veriſimilem, ſeù à voluntate in rebus, non evidentibus, ſed utrimque probabilibus, non poſſe determinari intellectum quoad ſpeciem aſſenſus, aut diſſenſus huic, vel illi parti oppoſitæ præſtandum. Nec ex ſecundo D. Thomę aſſerto, nempè, quod voluntas movet intellectum quoad exercitium, quidpiam adverſus ſtabilitam doctrinam infertur; nam in primis libertas quoad exercitium manifeſtum eſt, quod non opponitur libertati quoad ſpeciem, quàm tuemur; præterea negativum argumentum ex hoc D. Thomæ teſtimonio confectum, cui tàm fidenter prædictus Recentior innititur, nullo negotio elevatur negando ſuppoſitum, nimirum in Articulo, quem verſamus, ex profeſſo D. Thomam diſſerere de modo, quo voluntas moveat intellectum, non enim hic eſt Doctoris Angelici Scopus in eo articulo, *ſed utrùm voluntas moveatur ab intellectu*, ut in ipſius Epigraphe conſpicitur, & incidenter ſolum in ſolutione ad 3. agit D. Thom. de voluntate ut intellectum movente.

Imò

6 Imò per omnes ſex articulos, qui hanc nonam quæſtionem D. Thomæ complent, ſolum agit Doct. Angelicus de principiis intrinſecis, & extrinſecis, à quibus voluntas movetur: at de poteſtate voluntatis admovendum intellectum, ſeù ad ipſum determinandum, circa quod ſanè noſtræ difficultatis cardo vertitur, differit D. Thom. in locis ſupra adductis, nempè in hac 1. 2. *q.* 13. quæ eſt de electione. Et in Articulo 4. in quo deſcribit S. Doctor materiam, circa quam electio terminari poteſt, & aſsignat quidem opinabilia, ſeù opiniones, tanquam terminos eligibiles à libera noſtra voluntate: rurſus in eadem. 1. 2. *q.* 17. *art.* 6. inquirit de actibus intellectus an, & qui nam poſsint imperari? Reſolvitque in corpore articuli, quod actus rationis, aſſenſus ſcilicèt, vel diſſenſus circa ea, quæ evidentia carent, & certitudine, poſſunt imperari, etiam quoad ſpeciem: imperium autem juxta ipſum D. Thomam in cad. quæſt. art. 1. præſupponit actum voluntatis, non quidem circa finem tantum, ſed circa media, circa quæ, aut circa particulares fines electio eſſe poteſt: & conſequenter circa ea, quæ intellectum noſtrum non convincunt, aſſenſus, vel diſſenſus ſub poteſtate noſtra eſt, & ſub imperio cadit, ut ibidem reſolvit D. Thomas: de eàdem voluntatis poteſtate ad determinandum intellectum, diſputat D. Thom. in *q.* 14. *de veritate. in lib.* 3. *ſent. diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *corpore*, & in aliis locis in ſuperioribus perpenſis ſectionibus: unde licet in loco, què nobis Adverſarii objiciunt, eo tantùm nixi negativo argumento, D. Thomas non expreſſerit libertatis poteſtatem determinandi intellectum, quantum ad actus ſpecificationem, conſpicuè tamen id poteſtatis, ac libertatis in præcitatis locis edocuit, adeòque fruſtra eo negativo argumento nos impetunt ingenioſi hi Recentiores.

7 Oppones 2. doctrinam D. Thomæ, traditam in *lib.* 3. *Metaph. cap.* 1. ubi cum Ariſtotele aſſerit, intellectum ob conflictum rationum utrimque militantium, dubitare de utraque contra dictionis partem; utique neceſſariò, quia intellectum ſic dubitantem comparat etiam homini vinculo corporali ligato, qui progredi ulterius non poteſt, donec vinculum diſſolvatur: ad ſolutionem autem vinculi intellectualis quid ſit neceſſarium exponens inquit: *Et ideò ſicut ille qui vult ſolvere vinculum corporale, oportet, quod prius inſpiciat vinculum, & modum ligationis, ita ille, qui vult ſolvere dubitationem, oportet, quod prius ſpeculetur omnes difficultates, & earum cauſas.* Ergò non poteſt ſolvere præcisè per liberum voluntatis imperium, ſed neceſſarium omninò eſt, quærere, & invenire novas rationes, quibus pars altera alteri præemineat, ut poſſit intellectus per determinatum aſſenſum in partem præeminentem declinare. Docet igitur clarè D. Thomas, intellectum non poſſe, aſſentiri parti æquè, aut minus probabili, etiam ex imperio voluntatis.

8 Idque confirmatur à S. Doctore *q.* 14. *de verit. art.* 1. *corp.* ſic ajente: *Quandoque enim non inclinatur magis* (intellectus) *ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum movetium ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum; ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipſum in unam partium totaliter: unde accipit quidem unam, tamen ſemper dubitat de oppoſita, & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hæc Doctor Angelicus, perſpicuè edocens, propter motivorum æqualitatem dubitare debere intellectum, & tunc opinari poſſe, quando magis inclinatur in unam partem, quàm in aliam, aſſentiendo nimirum illi parti,

ad quam magis inclinatur, licèt cum formidine alterius: ac proinde parti minus probabili assentire nequit juxta D. Thomam.

9 Respondetur ex eadem Doctoris Angelici doctrina, Aristotelicæ consona, in primis, nec Aristotelem, nec D. Thomam eloqui de dubitatione, quæ præcisè ex motivorum sibi contradicentium æqualitate emergit; uterque enim universalem tradit eruditionem, præceptionemvè iis nempè, qui aliquid investigare exoptant, *Inest autem* (ait Aristoteles loco citato) *investigare volentibus præ opere bene dubitare*: sic juxta antiquam translationem; at juxta Bessarionis Cardinalis Niceni interpretationem, *Est autem* (inquit) *opere pretium aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare*: & antiquam translationem sequutus D. Thomas hæc habet: *Dicit quod volentibus investigare veritatem contingit (præ opere) id est ante opus (bene dubitare) id est bene attingere ad ea, quæ sunt dubitabilia. Et hoc ideò, quia posterior investigatio veritatis nihil aliud est, quam solutio prius dubitatorum.* Cum igitur Aristoteles, & D. Thomas universim differant de inquirentibus veritatem, in cujus investigatione sæpè inæqualiter in utramque contradictionis partem dubitare, contingit, perperam exponuntur hęc duo Philosophię majora luminaria, objiciunturque nobis, quasi de dubitatione ob conflictum rationum æqualiter utrimque militantium præcisè, & necessariò consurgente loquantur.

10 Prætereà sivè apud D. Thomam, & Aristotelem sermo sit de dubitatione ob æqualia, sivè ob inæqualia opposita rationum momenta consurgente, id dubitationis necessarium esse non debet, nisi usque dum modus intellectualis vinculi, & ipsius dissolutio innotescant, ut Divus Thomas, & Philosophus inquiunt; quod sanè evenit, & obtinetur speculando difficultates, & earum causas; tùm sic, sed idem est opinionem aliquam esse æquè, aut minus verisimilem, & probabilem, quàm post diligentem veritatis inquisitionem, repertum esse modum intellectualis vinculi, quo præpediebatur intellectus, & hujus vinculi solutionem prudentem, & rationabilem esse adeptam, ad assentiendum illi minus probabili parti: alias opinio non erit æquè, aut minus probabilis, ut patet: igitur juxta eandem Aristotelis, ac D. Thomæ doctrinam, potest intellectus assentire positioni æquè, aut minus probabili, & minus verisimili.

11 Nec Adversariorum sententiam plus promovet alius Angelici Doctoris locus excerptus ex *q.* 14. *de verit. art.* 1. Licet enim inibi asserat D. Thomas, opinantis dispositionem reperiri, dum intellectus in unam partem propendet magis, quàm in aliam, id ait, quia frequenter ita contingit, sed minimè, ideò inficiatur à voluntate posse determinari intellectum ad assentiendum parti minus probabili, ut patet ex dictis, & maximè ex traditis à S. Doct. in ead. *q. art.* 1. *corp.* ubi post verba, quæ nobis opponuntur, hæc habet D. Thomas: *Quandoque vero intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, nec statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpotè, quod videtur bonum vel conveniens hęic parti assentire*: quæ præcipuè ad rem nostram aurea verba expendimus supra, sed nunc eadem relegere haud injucundum erit, adnotato signantèr To *Præcisè* adhibito à D. Thoma, illud enim satis apertè ostendit, S. Doct. mentem esse, quod quando intellectus, evidentia veritatis, non ducitur, nec determinatur, sed versatur inter probabilia, & obscura, non determinatur ad assensum, quia aliquid magis probabile apparet, sed præcisè, quia

quia voluntas illi parti assentire eligit, adeòque sub his terminis liberę voluntatis electionis est, illi, vel oppositæ parti assentire, sivè æquè, sivè minus probabili.

12 Ulteriorem adhuc ex D. Thoma ejusdem sententiæ probationem trademus infra, ubi ex libertate voluntatis ad eligendum minus bonum, vel æquale ab Angelico Doctore edocta, similem facultatem determinandi intellectum ad assentiendum æquè, aut minus probabilibus, recta complexione deducere conabimur.

SECTIO DUODECIMA.

Antiquorum Doct. mens exponitur, signanter Joannis Majoris, Richardi, & Silvestri.

1 ANtonius Celladei in Appendice de natura opinionis, *q.* 2. §. 2. asserit, ex Authoribus, qui de hac re dubitarunt, nec supponendo, sed discutiendo processerunt, nullum se invenisse, qui sententiam negantem libertatem opinandi æquè, aut minus probabilia non tenuerit, ait proinde illam esse comunissimam Antiquorum, & pro eadem laudat Joannem Majorem, Richardum de Mediavilla, Silvestrum, Henricum de Gandavo, Conradum, & alios quorum nomina haud recenset.

2 Cæterum Joannes Major in loco à Celladeo allegato, nimirum in 4. *sent. q.* 2. *Prologi*, nihil habet, quod præfatæ neganti sententiæ favere possit, imò contrariam, & affirmativam satis apertè tradit, nam *q.* 2. *in* 4. *concluſ. Quando opiniones* (inquit) *oppositæ circa materiam morum sunt æquè certæ: potest homo sine peccato hanc viam, vel oppositam imitari ::: in materia enim fidei ancipiti inter sapientes exercitatissimos potest homo assentire huic parti, vel illi sine peccato. Ergò in materia morum potest homo conformare se illi viæ, vel illi:* Hęc Major, qui sine discrimine majoris, aut minoris probabilitatis asserit, in re ancipiti inter sapientes, posse intellectum assentire illi, aut illi oppositæ parti.

3 Sed luculentius idem Major scribit contra Celladei sententiam in eadem q. 2. in solutione ad 3. argum. contra 4. conclusionem: argumentum verò, quod sibi Author opponit, hoc est: *Non potest homo assentire, quod una pars est facienda, cum est inter æqualia motiva: sed quicumque contravenit conscientiæ suæ peccat. Igitur. Major patet, quia imaginari possumus, cum volumus, opinari autem non possumus cum volumus.* Huic objectioni, in qua & Celladei sententia ipsiusque potissimum fundamentum invenitur, it obviam Major per hæc verba: *Respondetur teste experientia: licet non possimus assentire propositioni inevidenti sine ratione, tamen cum motivis æqualibus, quantum est de se possumus ex passione animi uni parti assentire. Patet exemplariter. Nunc Parisiis dicitur: quod exercitus Regis est victor in Italia. Duo æquè præsentes sunt: quorum alter Gallos diligens, assentit: alter non assentit: sed dissentit. Sic in proposito potest quis assentire huic, hoc est mihi licitum. Et licet nesciat, quæ illarum viarum sit verior: scit, quod secundum unam facere ei licet.* Hæc scribit Major in eodem loco à Celladeo pro se laudato, quæ dilucidè contra producentem exarata conspiciuntur; nec pro oppositа sententia facit, quod idem Major doceat in rebus fidei, & morum tenendam esse severiorem partem, vel communem sententiam, id enim opinionũ concernit praxim, à qua nunc præscindimus, disquirimusque solum intellectus potestatem ad assentiendum speculativè, & directè probabilibus, & verisimilibus, ex determinatione voluntatis.

4 Richardus de Mediavilla allegatur quoque à Celladeo, sed nihil prorsùs ad rem scribit in loco ab eo Authore citato, scilicèt *in* 2. *sent. dist.* 36. *art.*

art. 2. *q.* 4. *ad* 1. nam in illa distinctione 36. à Richardo solum tria inquiruntur, & primo comparantur culpa, & pœna quantum ad identitatem, & distinctionem: secundò quantum ad inseparabilitatem: tertiò agit de pœna per comparationem ad divinam æquitatem: unde, & caret quæstione quarta, & in tribus propositis nihil, quod ad præsentem attineat difficultatem, invenitur.

5 Alii Recentiores qui Celladei sententiam totis viribus propugnare conantur, laudant pro hac sententia eundem Richardum alio in loco, videlicèt 2. *dist.* 38. *art.* 2. *q.* 4. Verumtamen nō magis faustè, quòniam ibi oppositū docet Richardus, quærit enim, ut ex Epigrafe patet, utrùm voluntas possit, se movere contra judicium intellectus circa ea, quæ sunt ad finem: ipse verò suam sententiam hisce verbis enunciat: *Mihi* (ait) *videtur dicendum, quod voluntas respectu multorum, quæ sunt ad finem potest se movere contra judicium intellectus, in universali, & in particulari simul. Et hoc* (pergit Richardus) *etiam testificatur experientia: intellectus enim se habet ad voluntatem, sicut serviens, qui portat lucernam ante dominum suum: qui nihil facit nisi ostendere viam: & persuadere: & dominus imperat sibi, ut divertat quocumquè sibi placuerit:* Hæc autem doctrina omninò rejicitur à Celladeo, & ipsi adhærentibus, constanter enim tuentur hi Authores, voluntatem non posse amare minus, aut æquale bonum, sic ab intellectu propositam, id quod à Richardo existimatur falsum, & absurdi antecedens necessarium. Rursus si voluntas potest se movere, & imperare contra judicium intellectus, ut docet Richardus, planè fit à voluntate posse imperari assensum erga partem, quæ ab intellectu apprehenditur minus verisimilis: idē etiam conficitur exemplo, quo suam mentem Richardus explicat, nempè domini respectu servi, lucernam deferentis, nec expositione indiget majori.

6 Sed ulterius mens, & expressa hujus antiqui Scriptoris sententia contraria Celladeo, & ipsi subscribentibus cernitur ex eo, quod scribit in dic. *dist.* 38. *art.* 2. *q.* 4. ubi oppugnat sententiam quorumdam dicentium, voluntatem non posse eligere contra, aut præter intellectus judicium, & sic pergit Richardus ab absurdo arguens, in hunc modum: *Si voluntas non posset se movere respectu eorum, quæ sunt ad finem præter judicium intellectus, nec contra judicium intellectus: intellectus de necessitate moveretur ad judicandum quidquid judicat, & eo modo quo judicat, & ex consequenti voluntas de necessitate moveretur ad volendum omne quod vult: quod erroneum est: sivè loquamur de necessitate coactionis, sivè de necessitate immutabilitatis. Probatio majoris, intellectus respectu sui judicii, aut habet rationem necessariam, aut probabilem: aut non plus, habet de probabilitate pro una parte, quàm pro alia. Si primò modò de necessitate asserit, hoc esse eligendum: si secundò modò de necessitate opinatur, hoc esse eligendum: si tertiò modò de necessitate non plus opinatur unam partem quam aliam. Si ergò intellectus non de necessitate judicat aliquo prædictorum modorum, hujus ratio est, quia voluntas potest intellectum avertere ad inspectionem rationum ad unam partem inclinantium: & convertere ad rationes, ad partem aliam inclinantes. Tunc arguo: si voluntas convertit intellectum ad cogitandum rationes determinatè pro parte una: hoc facit: aut quia intellectus judicat, hoc debere fieri, aut non: si non, tunc ille motus voluntatis est præter judicium intellectus. Si sic: aut voluntas potuit non convertere intellectum ad hoc, aut de necessitate convertit, si potuit non convertere: ergò potuit non moveri secundum judicium intellectus, sed qua ratione posset non moveri secundum judicium intellectus, posset moveri præter judicium intellectus. Si de necessitate convertit... ex consequenti de necessitate pro illa parte judicat asserendo vel opinando, secundum exigentiam rationum illarum.* Hæc Richardus, & fortasis nihil dilucidius pro affirmanda libertate immediata assentiendi objec-

to

to æquè, aut minus verisimili proposito.

7 Sed fortè ex hoc loco ansam arripuerunt Celladeus, & alii, ut Richardum pro sua laudarent sententia; quia ipse asserit, intellectum de necessitate opinari, & non plus opinari unam partem, quam aliam, quando non plus probabilitatis pro una parte, quã pro alia habet. Cæterum animadvertendum est, Richardum id non asserere, sed veluti absurdum colligere, & ideò ab absurdo hoc arguit: patet ex ipsius argumenti principio, in quo discursus vis tota proponitur per illa verba, valdè notanda, nempè: *Si voluntas non posset, se movere respectu eorum, quæ sunt ad finem, præter judicium intellectus, nec contra judicium intellectus: intellectus de necessitate moveretur in judicando, quidquid judicat, & eo modo, quo judicat, & ex consequenti voluntas de necessitate moveretur ad volendum omne, quod vult: quod erroneum est.* Ecce, intellectus necessitatem judicandi quidquid judicat, non affirmat, sed colligit ex antecedenti, quod impugnat, & falsum ducit Richardus: pergitque ad sequelam probandam, in præexaratis illius verbis, unde dum postea ait, intellectum necessariò opinari probabiliora, & necessario suspensum manere inter æquè probabilia, id asserit tanquam subillatum ex eo, quod voluntas non possit, se movere respectu eorum, quæ sunt ad finem præter, aut contra judicium intellectus: nam ut in prædictis verbis cernere est, ex necessitate voluntatis ad sequendum intellectus judicium, infert intellectus necessitatem in quocumque judicio, atque adeò in opinando, & ex hac intellectus necessitate colligit omnimodam voluntatis necessitatem in amando, quod amat, quã asserere, esset erroneũ: quamobrẽ cũ nullus error sit in hoc, quod intellectus necessariò judicet, quæ sibi evidentia sufficienter proponuntur, ut patet, necessariò dicendum est, quod asserere, intellectum necessitari ad opinandum probabiliora, vel ad ominò dubitandum inter probabilia, judicatur à Richardo, tanquam antecedens, ex quo deducitur erronea doctrina de necessitate omnimoda voluntatis, in amando, quidquid amat: Richardus ergò judicavit, & condocuit liberum nobis esse, opinari æquè, aut minus probabilia, ac assentiri, & dissentiri objecto fidei, & illius contrario errori.

8 Quin imò adversariorum solutionem de libertate mediata, quatenùs potest voluntas, avertere intellectum ab inspectione rationum, quæ pro una parte militant, & convertere ad vividius consideranda alterius partis motiva, seù ad nova inquirenda, id inquam solutionis infringit Richardus, & præoccupat, dum inquit. *Si ergò intellectus non de necessitate judicat aliquo prædictorum modorum, hujus ratio est, quia voluntas potest avertere intellectum ad inspectionem rationum ad unam partem inclinantium, & convertere ad rationes ad partem aliam inclinantes. Tunc arguo. Si voluntas, &c.* Urgetque deducendo sicut absurdum, quod intellectus de necessitate judicet, asserendo, vel opinando secundum exigentiam rationum inevidentium: quòniam ex hac opinandi necessitate ait, inferri absolutam necessitatem amandi in voluntate, carentiamque libertatis nostræ: patet igitur, immeritò Richardum à Celladeo pro sua laudari sententia.

9 Idem Celladeus refert pro sua opinione Silvestrum, *verbo Dubium.* & *verbo Opinio.* His tamen locis diligenter inspectis, nihil sanè reperire est, quod Celladeo faveat; cuperem, quod vel Celladeus Silvestri verba, vel numerum adduceret, in quo continentur ea, quæ sibi consona judicavit, sed neutrum præstitit; imò ex utroque Silvestri loco præcitato ostenditur libertas æquè, aut minus verisimilia opinandi; nam *verbo Dubium. n.* 2. inquit Silvester, juris regulam traditam *in cap. Est ote. de Reg. Jur.* scilicèt, *dubia*, id est, *facta, quæ dubium est, quo animo fiant, esse in meliorem partem interpretanda*, princi-

cipaliter procedere in his, quæ ex ſe, ideſt ex objecto ſunt indifferentia, ſed ſuam bonitatem, vel malitiam habent ex fine, & circunſtantiis: in his ergò dubiis juxta Silveſtrum debemus judicare, rectè proximum operari: at dubium ipſe Silveſter eod. v. num. 1. definit per hæc verba: *Propriè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quaſi æqualiter moventes, ita quod non inclinetur ad hoc magis, quam ad illud notabiliter.* Igitur quando cum hac æqualitate rationum homo dubitat de proximi intentione, & de bonitate, aut de malitia operationis ipſius, poteſt, ac debet judicare, proximum eſſe bonum, ideſt debet, poteſtque voluntas determinare intellectum, ut aſſentiat honeſtati operationis, & operantis: igitur ſaltem circa æquè probabilia, & veriſimilia agnoſcit Silveſter immediatam opinandi libertatem.

10 Inſuper circa minus veriſimilia idem edocet in eod. *verbo Dubium, num.* 3. ubi hæc habet: *Adde ex Sancto Thoma. 2. 2. q. 60. quod habens malam opinionem de aliquo abſque cauſa ſufficienti injuriatur ei, & illum contemnit: quod ſine cauſa cogente nullus facere debet. Et ideò, ubi non apparent de malitia alicujus manifeſta indicia, debemus illam habere bonum: id quod dubium eſt, in meliorem partem interpretando. Et melius eſt aliquem falli, frequenter habendo bonam opinionem de homine malo, quàm falli rarò, habendo malam de bono, quia ex hoc fit injuria proximo, non ex primo. de Reg. Jur. Eſtote.* In his autem verbis ſignificat Silveſter, quod etiam ſi urgentiora ſint indicia, ad proximum condemnandum, ſi tamen non ſint manifeſta, & moraliter certa, quòniam in partem oppoſitam militant alia, licet minus urgentia, quæ tamen evidentiam, & certitudinem contrariarum rationum impediunt, tunc debere voluntatem imperare aſſenſum erga motiva, quæ bonum eſſe proximum ſuadent: hanc mihi Silveſtri eſſe mentem evincunt, tùm verba illa, *manifeſta indicia*, quia talia dici non poſſunt quando ab æqualiter, aut ferè æqualiter gravibus ea eliduntur: tùm ex initio clauſulæ, nempè *Adde, &c.* cum enim jam in num. 2. precedenti dixiſſet, in æqualitate motivorum contrariorum, judicandum proximum eſſe bonum: hic aliquid amplius intendit, ſcilicèt etiam in concurſu inæqualium rationum, bonam de proximo opinionem eſſe eliciendam, quamvis urgentiora ad condemnandum illum ſint indicia.

11 Confirmatur primò, quòniam in verbo Opinio, ubi etiam à Celladeo citatur Silveſter, contra producentem invenitur, nam in num. 1. opinionis naturam ex Div. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. exponit, & præſertim adducit illa Angelici Doct. verba: Intellectus alicui dupliciter aſſentit, primo quia ad hoc movetur ſcilicèt ſufficienter ab ipſo objecto... *Secundo non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam, quod ſi fit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio. Si verò fiat cum certitudine abſque tali formidine, erit fides.* Hæc Silveſter, quę dilucidè oſtendunt opinandi, & credendi libertatem. Confirmatur ſecundo: Idem Silveſter eod. verb. ait, in obſcuris excuſari *eum, qui ex affectione ad ſuum Doctorem judicat probabiliter, ut ſibi videtur, eſſe verum, quod eſt falſum*: ergò ex affectione voluntatis poteſt intellectus determinari ad aſſentiendum huic potius ſententiæ, quam oppoſitæ, ſivè magis, ſivè minus, aut æquè probabili, nam indiſcriminatim loquitur perdoctus hic Author.

12 Confirmatur tertiò, quia ibidem num. 2. docet, quòd quandò inter oppoſitas opiniones non apparet, quænam ſit communis, ſed pro utraque ſunt famoſiſsimi Doctores, præferenda eſt, etiam in foro conſcientiæ, quæ favet, & innititur æquitati, ſeù quæ æquior eſt: ubi non diſtinguit inter probabiliorem, aut minus probabilem, ſed abſolutè ea in hy-

hypotheſi, æquiorem eſſe præferendam inquit: ergò quia in data hypotheſi poteſt voluntas eligere, & determinare amplectendam ab intellectu æquiorem opinionem, propter æquitatem ſcilicèt, quæ magis eſt objectum determinativum voluntatis, quàm intellectus.

13 Imò idem Silveſter cum ibidem loquatur de judice, & aſſeruerit, quod eo in eventu, quandò ſcilicèt non apparet, quænam ſit opinio communis, ſuntque pro utraque parte præclariſsimi Doctores, debet in foro conſcientiæ judex eligere opinionem, quæ validioribus rationibus firmatur, ſubdit, *Et ſi una innititur rigori ſcripto, reliqua vero ſcriptæ æquitati præponitur æquior*: Igitur Silveſtri mens fuit, quod etiam ſi opinio aliqua validioribus firmetur rationibus, ſi tamen innititur rigori ſcripto, deſſerenda eſt, & oppoſita ſufficientibus, & ſi minus validioribus rationibus firmata, præferenda, ſi æquitati innitatur: adeòque poterit ex imperio voluntatis aſſentire intellectus propoſitioni minus probabili, & ſaltem quod poſsimus adhærere ſententiæ æquè probabili, manifeſta eſt Silveſtri doctrina verbo Scrupulus. num. 4. ubi inquit: *Cæteris paribus inter ſententiam benignam, & duram circa præcepta, potius benigna interpretatio facienda eſt.* Cum ergò par ratio ſit ad aſſentiendum minus probabilibus, quam æquè talibus, ſi hoc adeò apertè aſſerit Silveſter poſſe fieri, etiam tacitè docet, & illud prius.

SECTIO DECIMATERTIA.

Librantur alii Antiqui Scriptores, ſcilicèt Henricus de Gandavo, & Conradus.

1 LAudat tandem P. Elizalde in loco ſupra citato Henricum de Gandavo, & Conradum, cæterum non aſsignat locum in quo aſſertam ab ipſo doctrinam tradiderint hi Authores; ſed forte ſequutus fuit Philaletum, qui *in diſp. de opin. præxi. fol. mihi* 22. Henricum quoque citat in *quodlib.* 14. *q.* 8. ubi (juxta Philaletum) hæc habet Henricus. *Ex quibus conſtat, quod intellectus nihil habet libertatis, niſi quoad exercitium actus, donec voluntas permittat.* Et infrà: *Intellectus in judicando eſt liber tantum quoad exercitium actus, quia in hoc eſt paſsiva potentia priuſquam activa.* Ex quo Philaletus infert quoad ſpecificationem neceſsitari intellectum.

2 Nihil tamen fulcimenti ex Gadavenſi pro Philaleto, & Celladeo deducere licet, & in primis de illa intellectus libertate, & neceſsitate non diſſerit in citata q. 8. in quo ex Philaleto decepti videntur duo alii docti Recentiores, qui Philaleto ſubſcribunt, & Henricum pro ſe referunt: diſputat verò Henricus de ea re in q. 1. in qua prima verba à Philaleto relata reperiuntur folio mihi 565. lit. B. Cæterum ſequentia adducta ab eodem non ita in hoc Authore jacent, ſed aliter nimirum ſic: *Licet ergò intellectus æquè rationalis ſit, quam voluntas, aut etiam magis, cum tamen non ſit activa potentia, niſi prius paſsiva: nec etiam quoad exercitium actus etiam in judicando, quod eſt opus, quod magis liberè agit, niſi ſecundum complacentiam voluntatis ſecundum prædicta, ideò non tàm libere valet ad oppoſita, ſicut voluntas.* Hæc Gandavenſis, quæ ſatis indicant ipſum non inficiari poteſtatem voluntatis ad determinandam intellectum ad aſſentiendum huic, vel illi oppoſitæ parti: ſed præcisè aſſerere, intellectum non poſſe à ſe ipſo determinari, ut aſſentiat huic magis, quam oppoſitæ, quod ultrò concedimus, ſed à voluntate dicimus eſſe determinandum, ut Henricus hic edocet. Quamobrem in fine prædictæ quæſtionis ait idem Gandavenſis: *Multò magis tamen intellectus quoad actus ſui determinationem dependet ab objecto voluntatis, quam voluntas ab intellectu.*

3 Imò Henrici mens in id, ut reor, collineat, nempè intellectum informari debere ab objecto, ut exerceri poſ-

ſit

ſit per aſſenſum, quòniam non eſt activa potentia prius, quàm paſsiva: in obſcuris autem, aut non evidentibus indigere determinatione, ſeù complacentia voluntatis ad ſui actus intellectualis exercitium, voluntatem nihilominus poſſe, imperare exercitium, aut ſpeciem, ſivè aſſenſus, ſivè diſſenſus, ſivè ad hanc, ſivè ad illam partem, in hoc enim elucet, & indifferentia intellectus ad exercendum, aut non exercendum aſſenſum, & libertas voluntatis quoad ſpeciem actus imperati, quòniam, quòd intellectus inter probabilia flectatur ad aſſentiendum potius huic, quam illi objecto, non ex natura, aut ex libertate intellectus provenit, cum ea careat libertate, ſed ex libero voluntatis arbitrio, & determinatione.

4 Id inquam reor, mentis Henrici eſſe, quia ipſe *Quodlib.* 1. *q.* 16. ex D. Auguſtino, D. Bernardo, & D. Damaſceno latè edocet, voluntatem eligere poſſe contra rationis judicium æquè, aut minus bonum: & adducit Damaſc. lib. 2. cap. 24. cum quo aſſerit: *In rationabilibus entibus ducit magis rationabilis appetitus quam ducitur. Liberè enim in arbitrio, & ratione movetur: liberè arbitrio appetit: & liberè arbitrio vult, & liberè arbitrio inquirit: & liberè arbitrio ſcrutatur: & liberè arbitrio judicat: & liberè arbitrio diſponit, & liberè arbitrio eligit.* In quibus verbis maximè illa perpendo ſcilicèt .. *liberè arbitrio judicat*, quòniam non eſſet plena in judicando libertas in rebus ambiguis, ſi voluntas judicium de hoc, aut de ejus contrario imperare non poſſet: unde fateor, intellectum non eſſe liberum quoad ſpeciem actus, imò nec quoad exercitium, quòniam libertas formaliter ſolum eſt in voluntate, quapropter dum Henricus negat intellectui libertatem, nobis non contradicit, quippè non dicimus à ſe ipſo determinari poſſe intellectum quoad ſpeciem, ſeù quoad exercitium, ſed ſolum à voluntate.

5 Nec magis Adverſariis favet Conradus in loco, & verbis à Philaleto allatis ex tract. de contractib. q. 100. (non. 10. quam citat Philaletus) ubi ſic habet: *Si cauſæ adhærendi opinioni damnanti actum, ſunt magis prægnantes, tunc ſunt natæ inducere eum ad magis credendum, quod ſit illicitus, quam quod ſit licitus: modò intellectus eſt potentia naturalis, non potens non credere id quod ſibi oſtenditur, ut magis credibile: igitur talis magis credit, quod ſit damnatus actus, & ſic agens agit contra conſcientiam reclamantem, & peccat.* Hæc tamen Conradi doctrina parum pro Celladeo, & ipſi adhærentibus facit: quia Conradus ſolum intendit, intellectum neceſſariò cognoſcere debere, eſſe urgentiora motiva, quæ evidenter talia ipſi proponuntur, patet quòniam certum eſt apud ferè omnes, quod intellectus non cogitur ad aſſentiendum directè ei parti, quæ probabilior repræſentatur; at Conradus inquit, quod intellectus *non poteſt non credere id, quod ſibi oſtenditur ut magis credibile*: igitur debet intelligi non de neceſsitate directè aſſentiendi, ſed de neceſsitate agnoſcendi majorem probabilitatem in parte, pro qua ſunt rationes magis prægnantes, ut ipſe ait: alias nec quoad exercitium voluntas eſſet libera, ad ſuſpendendum ſcilicet, vel imperandum aſſenſum erga probabiliorem partem, quod Philaletus ipſe, & Celladeus omninò diffitentur.

6 Deinde Conradus eod. tract. & q. 100. ubi habentur verba à Philaleto tranſcripta, expreſsè docet, in ſuppoſitione tertia, errorem in fide tunc eſſe hæreſim, quando accedit pertinacia: Dicendum (inquit) *quod argumentum probat verum de errore, cui accedit pertinacia: ille enim error eſt vera hæreſis, & infidelitas*: at pertinacia tunc adeſt, quando ſufficienter veritas Catholica proponitur, & nihilominus errori contrario adhæret intellectus; igitur juxta Conradum fieri poteſt, quod intellectus ex affectione, & determinatione voluntatis minus veriſimili parti præſtet aſſenſum, planum enim eſt, longè veriſimiliorem apparere fidei aſſertio-

tionem ſufficienter propoſitam, quam oppoſitam erroris partem, cui pertinax hæreticus aſſentitur: fit ergò ex antiquis Authoribus à Celladeo laudatis nullum ipſius edocere ſententiam, imò aliquos ſatis apertè contrariam tradidiſſe.

SECTIO DECIMA QUARTA.

Eidem intellectus indifferentiæ non diſſentiunt, ſed favent Holchot, Adrianus, & Corduba.

1 IGitur inſpiciamus mentem aliorum, quos ingenioſi Recentiores pro eadem ſententia, quæ immediatam negat opinandi, & fidei libertatem, referunt. Ex quorum numero eſt Robertus Holchot in 1. *ſent. q.* 1. *art.* 1. ubi aſſerit: *Teneo in hoc articulo partem negativam, videlicèt, quod credere articulis fidei, vel quamcumque propoſitionem non eſt in hominis libera poteſtate*: quod probat triplici argumento. Primò ſic, *non eſt in poteſtate hominis opinari liberè unam propoſitionem ſibi dubiam: ergò non eſt in poteſtate hominis credere articulo fidei, vel aſſentire propoſitioni ſibi dubiæ*: antecedens probat, tùm experimento: tùm authoritate Philoſophi ajentis, *opinari non poſſumus cum volumus, quia opinio non eſt niſi illius, quod apparet nobis verum*: Secundò, *quia articuli fidei*, (ut ipſe ait) *ſunt contra omnem rationem naturalem*: Tertiò idem probat, quia *non eſt in poteſtate hominis quod appareat, ſic eſſe ex parte rei ſicut totaliter per propoſitionem denotatur: ergò non eſt in poteſtate hominis, quod propoſitio appareat ſibi vera: nec per conſequens, quod credat eam eſſe veram.* Hæc Holchot, qui non ſolum videtur tenere ſententiam negantem opinandi, & credendi libertatem, ſed inſuper eam rationibus illuſtrat.

2 Aliam tamen fuiſſe Holkoti ſententiam, mihi apparet, primo, quia utitur Ariſtotelis authoritate, cum tamen Philoſophi mens, ut infra fusè conſtabit, alia non ſit, quàm diſcrimen conſtituere, inter imaginari, & opinari; ſine ulla quippè ratione, & pro libitu imaginamur; at ſine ratione aliqua opinari, non poſſumus. Secundò, quia hic Author contendit, articulos fidei eſſe contra rationem naturalem, quod licet abſolutè ſit falſum: inde tamen Holkot ſubinfert, liberum non eſſe credere: igitur quia ſolum docet, opinari eſſe impoſsibile id, quod nulla ratione fulcitur.

3 Tertiò, quòniam intendens ſuam ſententiam ab experimento oſtendere, inquit, *Experiri, quilibet poteſt, in ſe ipſo, quod propoſita ſibi propoſitione, quæ eſt ſibi neutra, vel dubia puta quod Rex ſedet, vel quod Papa eſt Romæ, non poteſt ſine alia ratione addita aſſentire, vel diſſentire, ſed velit nolit, niſi plus concipiat, propoſitio erit ſibi dubia, ſicut prius.* Et infra contra aſſerentes ex voluntatis imperio poſſe intellectum aſſentire articulis fidei propter præmium promiſſum, ſic arguit: *Dato hoc ſequeretur, quod ſi aliquis tibi promitteret decem ad hoc quod crederes Regem ſedere, & alius viginti ad hoc, quod crederes Regem non ſedere, liberè poſſes velle quodcumque de numero iſtorum eligere: conſequens eſt falſum, & contra experientiam.* Porrò ex his liquidum fit, Holkotum ſolùm docere, intellectum non poſſe aſſentiri propoſitioni negativè dubiæ, quam neutram ille nuncupat, ſeù illi pro qua nulla militat ratio, ut patet in exemplis ab Holchot adductis, id quod ferè ab omnibus admittitur. Holchot ergò ſolum docet, non eſſe in poteſtate liberi arbitrii opinari quodcumque, quia ubi nulla adeſt ratio veriſimilitudinis, ſeù aſſentiendi, intellectus cogi non poteſt à voluntate ad aſſentiendum: nec voluntas poteſt præcisè ex ſe facere, quod ratio adſit, ubi nullum eſt omninò rationis veſtigium.

4 Adducitur etiam Adrianus ut ejuſdem ſententiæ, negantis ſcilicèt, protector, haud deſignato tamen loco, in quo id docuerit; evolui autem illum non ſegniter, & nullibi eam in ipſo reperi doctrinam; quinimò in oppoſitam, & fidei libertatem aſſerentem accedere dignoſcitur Adrianus, quòniam in *quodlib. quæſt. 2. pag. mihi* 35. docet, quod quando aliquis dubitat, utrum liceat aliquid operari, ita ut in efficiendo opere illo, & in illius omiſsione peccati periculum æquale timeat, æqualiter intellectu in utramque dubitationis partem propendente, exiſtentibus tamen utrimque probabilibus fundamentis, tunc poteſt quis operari, quod ipſi libuerit: ibi: *Si vero rationes fuerint pares, & peccatorum æqua gravitas in omninò paribus locus videtur gratificationi*: id eſt opinandi unum, aut aliud oppoſitum contradictionis extremum; liquet, quia idem Adrianus pro generali regula ſtatuit, neminem cum dubitatione de honeſtate operis licitè operari poſſe. *Nullus*, inquit *ead. quæſt. fol. mihi* 35. *dubitans de actu, an ſit mortalis? An non? Licitè obedit, ipſo ſic dubitante*: ergò ut in prælibato dubio liceat operari, juxta Adrianum, debet intellectus aſſentiri parti æquè probabili.

5 Tùm quia in quodlibetica quæſtione 3. in præmiſsis pro ſolutione quæſtionis. pag. mihi 50. hæc habet: *Licet ad hæreſim ſtrictè ſumptam, quæ afficitur pœnis juris, requiratur animi pertinacia, ut deduci ſolet ex cap. Damnamus, de Summ. Trinitate, & Fide Catholica, ubi non damnatur Abbas Joachim ex ſuo errore contra unitatem eſſentiæ in divinis, eo quod ſine animi pertinacia omnia ſubmiſſerat determinationi Romanæ Eccleſiæ. Idem ſolet probari ex verbis Auguſtini* 24. *q.* 3. *dixit Apoſtolus, & Cap. qui in Eccleſia. Stat tamen in homine frequenter mortalis infidelitas cum promptitudine corrigendi errorem, poſtquam ſibi ſufficienter doctum erit, quomodo Catholicæ fidei adverſetur.* En juxta Adrianum licet infidelitatis mortale peccatum, ex gravi ſcilicèt negligentia, ſtare poſsit in eo, qui corrigi paratus eſt, quando ſibi ab Eccleſia ſufficienter doctum fuerit, tamen hæreſis peccatum non committitur donec, ſufficiente facta veritatis propoſitione, ut ab Eccleſia edoctæ, pertinax quis in errore eſt; ſed hujuſmodi veritatis ſufficiens propoſitio reddit proculdubio longè veroſimiliorem partem, quam tenet, docetque Eccleſia, ita ut ne probabilis ſit contrarius error, cui in hac hypotheſi præſtatur aſſenſus: igitur juxta Adrianum poteſt intellectus ex voluntatis affectione, licèt graviter peccaminoſa, flecti ad aſſentiendum parti minus veriſimili, & proinde potiori jure æquè probabili, & veriſimili.

6 Corduba etiam laudatur pro eadem nobis adverſa ſententia ex traditis *lib.* 3. *quæſt.* 3. *pag. mihi* 15. *verſ. Ex quibus*, ubi inquit: *Intellectus eſt potentia naturalis non potens non aſſentiri, ſeù non opinari id, quod ſibi oſtenditur, ut magis opinabile.* Cæterum Corduba, & ſi, hiſce verbis, dictæ ſententiæ ad favere videatur. In meliorem trahendus eſt lucem, ne ſibi contrarius extiterit; nam primò, *ead. quæſt.* 3. *pag. mihi* 13. *verſ. Si verò cum æquali. In q.* 3. *in tertia propoſitione*, inquit: *Si utraque opinio eſt, vel creditur æquè probabilis, vel æquè dubia, ut diximus, an ſit peccatum ſecundum eam, vel contra agere? Neque diſcerni poteſt in quam partem gravius peccatur, aut gravius malum, ſivè periculum imminet, tunc eſt locus gratificationi, & quæcumque opinio eligi poteſt*: igitur juxta Cordubam, inter æqualiter probabilia, poteſt voluntas eligere aſſenſum hujus, vel contrariæ, aut contradictoriæ opinionis.

7 Secundò idem Corduba *lib.* 1. *q.* 16. §. 7. *pag.* 152. *ſecundum* (inquit) *requiſitum ad hæreſim*

criminalem, & propriè dictam, & formaliter facientem, & denominantem aliquem hæreticum, est pertinacia, quæ tunc est, quando homo sciens tale quid esse contra determinationem Ecclesiæ de fide, aut contra id, quod ipsa tanquam de fide credit, & tenet, ipse voluntariè, seù deliberatè id credit, & tenet vel dubitat. Et infra, *pag.* 153. *Ignorantia autem illa culpabilis ejus, qui non est pertinax, seù ejus error in fide, aut infidelitas illa, non est propriè, neque directè, sed reductivè est in specie hæresis, ut proximè dicetur, neque per illum errorem perditur fides infusa....Secundum Hieronymum* 24. *q.* 3. *hæresis, id est electio, & hæreticus, electivus, quia scilicet ex hoc aliquis efficitur hæreticus, quod singularem eligit opinionem tenere divisam à communi Ecclesiæ dogmate.* Sic ille.

8 Porrò in his manifestè edocet Corduba, intellectum ex determinatione, imperioque voluntatis posse assentiri parti minus verisimili, qualis absdubio est illa, quæ contraria est fidei dogmati; tùm quia alias non nisi ignoranter errori assensus præberetur, & numquam quis informalem hæresim incidere posset, juxta ea, quæ hic Corduba tradit, quod nec hic sapiens Scriptor, nec quisquam alius dixit.

SECTIO DECIMA QUINTA.

Eminentissimorum Cardinalium Bellarmini, & Toleti sententiam discutit.

1 PRo sententia opinandi libertatem negante refertur V. Cardinalis Bellarmin. *lib.* 3. *de libero arbitrio*, haud indicato cap. evolvi igitur, & attentè hunc librum tertium perlegi, & nihil ferè in eo reperi, quod huic faveat positioni; nam licet *dic. lib.* 3. *cap.* 8. doceat, libertatem formaliter non esse in ratione, seù in intellectu, & ulterius asserat, intellectum non esse liberum quoad specificationem, *Ratio enim* (inquit) *si ei proponantur argumenta necessaria, necessario assentitur, si probabilia, necessario opinatur, id est cum formidine credit, si contraria æquè probabilia, necessariò dubitat*, quod probari inquit ex *Philos.* 2. *de Anima textu* 153. ubi scribit, nos imaginari posse, quod volumus, non autem opinari, nisi id, quod argumenta concludunt esse opinandum. *Et* 7. *Ethic. cap.* 2. ubi dicit, syllogismum captiosum necessario inducere dubitationem.

2 Licet inquam hæc Eminentissimus Bellarm. asserat, libertatem tamen opinãdi, & credendi, quam versamus, non inficiatur; nam primò solum contendit, formalem libertatem non esse in intellectu, sed in voluntate, sic enim scribit: *Quinta propositio libertas formaliter non est in ratione, sed in sola voluntate*, libertas autem opinandi, de qua differimus, non dicitur reperiri formaliter in intellectu, sed in voluntate, hujusque libera determinatione flecti posse intellectum ad opinandum.

3 Secundò, quemadmodum libertatem intellectus quoad specificationem negat præclarus hic Doctor, pariter in intellectu libertatem quoad exercitium inficiatur, ait enim, & probat, *rationem non esse liberam ullo genere libertatis, id est neque à coactione, neque à necessitate, neque quoad specificationem, neque quoad exercitium.* Tertiò, eodem loco, & post exarata verba illa, *necessariò dubitat*, addit immediatè ista: *Nisi accedat inclinatio voluntatis*, quæ Sapientissimi nostri Bellarmini mentem aperiunt, nimirum, ex se intellectum ferri, id est, inclinari in id quod probabilius, & verisimilius, ei proponitur, & inter æqualia dubitare, donec voluntas intellectum flectat, ac determinet ad assentiendum

parti æquè, vel minus, aut magis probabili, aut verisimili.

4 Quod fulcitur ex ipsius Eminentissimi Cardin. verbis traditis *cap.* 9. ejusdem libri. ubi in responsione ad sextum argumentum hæc habet: *Respondeo: jam hoc explicatum est in quinta propositione capitis superioris, ubi demonstratum est, rationem posse cogi ad judicandum contra inclinationem totius suppositi: item sic esse indifferentem in rebus probabilibus, ut tamen necessario opinetur, vel hæreat, nisi accedat inclinatio voluntatis.* Ubi perpendo To: *Esse indifferentem in rebus probabilibus, ut tamen necessario opinetur*, quid enim indifferentiæ esset inter inæqualiter probabilia, si omninò necessariò intellectus assensum daret probabilioribus? Ne ergò contradictoriæ dictionis Sapientissimus juxta, & solers Scriptor arguatur, fateri oportet clausulam illam *nisi accedat inclinatio voluntatis*, referri non solum ad æquè probabilia, sed etiam ad probabilia inæqualiter. Imò dum edocet, quòd intellectus in rebus probabilibus necessario opinatur, non venit intelligendus de directo opinativo assensu, sed de reflexo judicante probabilia esse extrema sibi, ut talia proposita; certum quippè est, liberè posse voluntatem directum opinativum assensum suspendere.

5 Quartò, Eminentissimus Belarminus innititur doctrinæ, & authoritati Philosophi, qui solum docet, opinari sine ratione, non esse in nobis, ut infra magis inclarescet. Quintò eod. *lib.* 3. *cap.* 9. *colum. mihi* 503. *vers. Sciendum est. fine.* inquit: *Itaque libertas voluntatis in eo propriè sita esse videtur, quod propositis variis rationibus non necessariis, sinat se moveri ab una, & non ab alia.* Cum igitur intellectus inter inæqualiter probabilia constitutus, inter non necessarias versetur rationes, liberum erit voluntati intellectum movere versus rationem magis probabilem, & determinare illium ad assentiendum huic, aut illi parti oppositæ, adeòque ex hujusce Sapientissimi Cardinalis doctrina, potest voluntas determinare, & flectere intellectum ad assentiendum oppositæ, & minus probabili propositioni.

6 Existimat præterea Philaletus *quæst.* 2. *de opin. praxi*, libertatem opinandi æquè, aut minus probabilia negari à Cardin. Toleto in Sum. *lib.* 8. *de sep. pecca. mort. cap.* 20. ubi circa quamdam difficultatem, relatis contrariis opinionibus, & ex illis tenendam asserens tutam, rationem sui dicti hanc profert, quia videlicèt in rebus dubiis non debet homo se exponere periculo peccandi. Atqui (subinferendo addit Philaletus) si liberum esset opinari, dico ego, posset tunc, cum jam sunt opiniones Doctorum in utramque partem, opinari quis illam partem, quam vellet, & jam non versaretur in dubio, neque se exponeret peccandi periculo; ergò secundum mentem doctissimi Cardinalis non est liberum opinari, sed intellectus necessitatur ad specificationem actus à motivis objecti, vel ad dubitandum, si contrariæ partes æquè movent, vel ad opinandum, si una magis quàm altera. Hæc Philaletus.

7 Infirma tamen est ista complexio, primò, quòniam nihil magis exploratum esse debet, quàm non esse licitum, quidquid est opinabile: ergò ex eo quòd Cardinalis Toletus asserat, non licere uti hac, vel illa Doctorum sententia, minimè conficitur, eam sententiam, seù positionem non esse opinabilem ab illo, qui ea licitè uti non potest. Secundò perdoctus Cardinalis Toletus nullo modo in ea fuit sententia, ut existimaret inter contrarias Doctorum sententias tutiorem esse omninò, & de præcepto in praxi tenendam, imò apertè docet; licere in moralibus amplecti opinionem probabilem, absque discrimine inter pro-

probabilem, & probabiliorem, quòniam in *Sum. lib. 5. cap. 33. de lucro ceſſante. num.* 4. propoſitis contrariis DD. ſententiis de licitudine, & illicitudine lucri ceſſantis, hæc habet: *Et quia iſta eſt materia moralis, in qua probabilem gravium Doctorum ſententiam, poteſt quis ſecurè amplecti, iſtam opinionem probo* (quæ ſcilicèt lucrum ceſſans, concurrentibus debitis circunſtantiis, licitum aſſerit) *nec uſuram reputo ſic paciſci*: Ex quibus verbis potiori jure liceret, ſubducere potentiam, libertatemque opinandi, quamcumque ſententiam gravium Doctorum, & verè probabilem, ex poteſtate nimirum deducendi eam licitè ad praxim; verumtamen, quia adhuc hæc conſecutio apud omnes non admittitur, ideò illa utimur ſolum ad hominem contra Philaletum.

8 Tertiò, & luculentius Eminentiſsimi Toleti mens oſtenditur Philaleti ſcopo contraria, in traditis *ab eod. lib. 4. Summæ. cap. 3. ubi num. 6.* de pertinacia adhæreſim neceſſaria. *Eſt autem* (inquit) *tàm neceſſaria iſta pertinacia, ut ſine illa error numquam ſit hæreſis; ſed aliquando ſit peccatum mortale, aliquando actus meritorius, aliquando neutrum. Verbi gratia, ſi quis erret in his, quæ tenebatur ſcire, tamen ſine pertinacia, quia neſcit eſſe contra Eccleſiam; paratuſque eſt credere, quod tenet Eccleſia; licet non ſit hæreticus mortaliter peccat, quia errat in his, quæ ſcire tenebatur de neceſſitate, &c.* Hactenùs Toletus, juxta quem, etiam ſi ex vincibili ignorantia quis erret in fide, excuſatur ab hæreſi, donec ſciat contrarium doceri ab Eccleſia, tunc quippè hæreticus erit cenſendus, cum ſciverit quid in eo articulo Eccleſia teneat, ipſeque contrariæ adhuc parti præſtet aſſenſum.

9 Sed qui Eccleſiæ gnarus doctrinę præbet aſſenſum contrariæ ſectæ, veriſimiliorem, credibilioremque longè eſſe Eccleſiæ aſſertionem dignoſcit, pro priori ad aſſenſum erroneum, & hæreticum, & antecedenter ad liberam voluntatis determinationem, & imperium, igitur juxta Cardinalem Toletum, opinari æquè aut minus probabilia, minuſque veriſimilia, nobis eſt liberum: quapropter in fine præcitati cap. idem Toletus ex communi ſententia notat quod hæreſis græce idem eſt quod latine electio.

10 Quartò idem per eruditus Author in *Sum. lib. 8. de ſep. peccat. mort. cap. 15.* de his, in quibus eſt obediendum, docet, quod ſi ſubditus dubitet, an quod præcipitur ſit peccatum? Debet obedire, *In dubiis enim* (inquit) *debet inferior credere ſuperiori*: ubi manifeſtè ſupponit quod voluntas poteſt imperare aſſenſum erga partem equè veriſimilem, alias in dubiis ſuperiori nequiret credere inferior, perfectio quippè obedientię poſtulat judicii ſubditi cum ſuperioris judicio conformitatem, & propterea Eminentiſsimus Doctor inquit, quod inferior debet credere ſuperiori.

SECTIO DECIMA SEXTA.

Eximii Doctoris V. P. Suarez, necnon Sapientiſsimorum PP. Molinæ, & Vazquez ſententiam ſpeculatur.

1 QUia à nonnullis Recentioribus pro neceſsitate opinandi veriſimiliora laudantur plures præſtantiſsimique Doctores præter jam diſcuſos, ideò eorum mentem perſcrutari, conabimur, & in hac ſectione, quid docuerint Doctor Eximius, cum etiam ſapientia præclari Patres Molina, & Vazquez diſquiro: Igitur Doctor Eximius P. Suarez in *1. 2. tract. 2. diſp. 10. ſect. 1.* hanc attingit difficultatę, & præmiſſa hypotheſi, in qua objectum ita apparet verum, ut intellectum non penitus convincat, eo quod ſimul adſint rationes aliquæ pro oppoſito extremo. *Tunc* (inquit) *mihi probabile eſt non poſſe moveri* (à voluntate)

te) *niſi in illud, quod veroſimilius, & probabilius apparet, quamvis ipſa voluntatis affectio plurimum conferre poſsit, ut ipſum objectum probabilius, & veroſimilius appareat.*

2 Haud ergò diffiteri poſſumus in his verbis reperiri non exiguum pro neceſsitante opinandi probabiliora ſuffragium. Cæterùm in primis idem Eximius Doct. ead. ſect. num. 5. hanc ſtatuit concluſionem. *Dico quarto, quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto poteſt moveri à voluntate ad ſpeciem actus, id eſt ad aſſentiendum, vel diſſentiendum, eſt etiam D. Thomæ.* Quapropter ne Sapientiſsimus Doctor ſibi contrarius appareat, cõgruenti intelligentia exponendus, nec opportunam reor, quam Recentior quidam adhibet, dicendo, in hac quarta concluſione loqui P. Suarez de libertate ſolum mediata voluntatis ad movendum intellectum ad aſſenſum, vel diſſenſum; in fine verò ejuſdem numeri, in quo aſſerit non poſſe à voluntate moveri intellectum niſi in illud, quod eſt veroſimilius, & probabilius, loqui de libertate, & poteſtate immediata, quæ non eſt ad opinandum minus probabilia; idque mediatæ libertatis ad opinandum minus probabile, ſignificari à D. Eximio illis verbis: *Quamvis ipſa voluntatis affectio plurimum conferre poſsit, ut ipſum objectum probabilius, & veroſimilius appareat.*

3 Diſplicet tamen hæc expoſitio, quòniam ſi ea libertatis ac poteſtatis mediatæ, & immediatæ diſtinctio eſſet de mente P. Suarez, utique illam tantus Doctor non omiſiſſet; tùm quia abſque ulla terminorum additione, congruentia ſibi ſunt omnia prealegata verba: nam in cõcluſione ſuam mentẽ oſtendit Doct. Exim. & directam profert aſſertionem, quam etiam dicit eſſe D. Thomæ, in fine autẽ ſolùm ait, oppoſitum eſſe ſibi probabile, paſsim quippè contingit, ut Scriptores probabilem dicant ſententiam, quam ipſi oppugnant.

4 Prætereà Exim. Doct. eo loci eam difficultatem obiter ſe attingere oſtendit, quòniam quarta concluſione probata, & immediatè poſt verba illa: *Eſt etiam D. Thomæ.* Subjungit. *Ac materia hujus concluſionis latiſsima eſt, quæ partim in Dialectica, partim in materia de fide uberius eſt explicanda.* Cumque ipſius Dialectica careamus, ad tractatum de fide, quo fruimur, recurrere debemus, ut tanti Doctoris mentem aſſequi poſsimus.

5 Igitur *diſp. 6. de fide, ſect. 6. num. 5.* hanc P. Suarez ſtatuit concluſionem. *Primò ergò dico actum fidei eſſe liberum non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. Ita colligitur in primis ex ſcripturis, &c.* Deinceps probari, ait, eandem veritatem ex Sacris Conciliis, & ex communi Patrum doctrina. Et ne libertatis mediatæ ſubterfugium adiri queat, præcluditur ex his, quæ in eadem ſectione edocet Eximius Doctor, ſuntque in id perſpicua, & ineluctabilia, quæ tradit in *eod. tract. de fide. diſp. 4. ſect. 5.* ubi diſſerit de modo, quo poſsit evidens credibilitas miſteriorum fidei ad uſum applicari, & num. 6. inquit: *Deinde dico hanc evidentiam etiam non impedire quominus aſſenſus fidei ſit voluntarius, & liber; quia cum in ſe non ſit clarus, numquam intellectus cogitur ad illum præſtandum; deinde quia non obſtante judicio evidenti de honeſtate alicujus objecti; poteſt voluntas non velle, vel etiam nolle illud pro ſua libertate. Ergò non obſtante judicio de credibilitate objecti fidei, poteſt voluntas non movere intellectum ad aſſenſum illius, quæ eſt libertas quoad exercitium, imò etiam poteſt movere ad aſſenſum contrarium, ſeù alterius rei contrariæ.* Hæc P. Suarez, quæ adeò aperta ſunt, ut nullis diſtinctionum involucris tegi queant, eaque velle elucidare, eſſet ſoli lucem adferre.

6 Iterum hanc opinandi libertatem edocet, & confirmat Exim. Doct. in *ead. diſp. 4. ſect. 5. num. 6.* nam cum ibi aſſeruerit, intellectum, non obſtante credibilitatis evidentia, (quæ præ-

præſertim reperitur in viro docto perpendenti credibilitatis tot motiva, quot à ſapientibus expenduntur,) poſſe tamen moveri à voluntate ad aſſenſum contrarium veritati fidei; ſed quia id haud parùm difficile eſt propter ingentem vim aliciti-vam, & ſuaſivam motivorum fidei, & ob tenuem veritatis apparentiam, quæ adeſſe poteſt in errore, fidei contrario, in his circunſtantiis viri, ſcilicet docti, de quo expreſsè loquitur P. Suarez, ideò conceſſa illa voluntatis libertate, pergit, & ait: *Verum eſt tamen hoc ſecundum* (ſcilicèt à voluntate moveri intellectum ad aſſenſum contrarium) *moraliter non fieri niſi avertendo intellectum ab actuali judicio credibilitatis, præſertim ſi judicium ſit comparativum, quod hoc objectum ſit credibilius aliis; poteſt autem hoc facilè fieri, quia evidentia credibilitatis pendet ex conſideratione multarum rerum, &c.* En, moralem tantum difficultatẽ agnoſcit Doct. Exim. in motione intellectus ad aſſenſum contrarium myſterio fidei: concedit igitur methaphyſicam, ac phyſicam poteſtatem, ac libertatem in voluntate ad flectendum intellectum ad aſſentiendum objecto repræſentato cum tenui valdè veritatis apparentia, cujuſmodi eſt objectum hæreſis in conſpectu myſterii divini ſufficienter, & cum evidentia credibilitatis propoſiti: unde quando intellectus verſatur inter contradictoria, aut contraria utrimque probabilia, licet inæqualiter, facilè poterit determinari ad aſſenſum cujuslibet partis.

7 Prætereà, dum ab Eximio Doctore aſſeritur id diſſenſus à fide in viro docto moraliter non fieri, niſi avertendo intellectum ab actuali judicio credibilitatis fidei: perinde eſt, ac aſſerere, ut in plurimùm, vel regulariter ita contingere in viris apprimè doctis, unde non diffitetur poſſe aliquando intellectum etiam ſapientis diſſentiri objecto revelato, & ab Eccleſia propoſito, cognita evidentia credibilitatis illius. In aliis verò minus eruditis, qui non adeò perfectè res calent, nec rationi rectæ adhærent tanta firmitate, quando in obſcuris verſantur, moraliter, & abſque difficultate incidere queit intellectus in diſſenſum fidei, & aſſenſum hæreſeos, ex voluntatis determinatione.

8 Tùm quia *eod. tract. de fide, diſp. 19. ſect. 3.* ferè per totam, conſpicitur edocta à P. Suarez libertas aſſentiendi parti longè minus veriſimili; quòniam à num. 8. fuſsè docet, hæreſim non eſſe ſine voluntate directè eligendi privatam doctrinam, contra doctrinam Eccleſiæ; ideòque non poſſe eſſe hæreſim cum ignorantiâ, quæ talem voluntatem excludit: poſita autem ſufficienti ſcientia per talem voluntatem, ſeù electionem, ſtatim conſumari hæreſim abſque temporis mora, vel alia admonitione, & hanc dicit communem Theologorum, & Canoniſtarũ ſententiã; & ipſe Magn. Suarez addit eſſe veriſsimam, pluribuſque illam exornat: & inter alia ad rem noſtram, inquit num. 9. pertinaciam eſſe de ratione hereſis, & in hoc omnes Doctores conveniunt: ad hujuſmodi vero pertinaciam, aſſerit *num.* 10. neceſſariam eſſe voluntatem reſiſtendi Catholicæ doctrinæ, ſeù Eccleſiæ illam docenti: rurſus ex parte intellectus ad pertinaciam ait *num.* 12. eſſe neceſſariam notitiam ſufficientem authoritatis Eccleſiæ, & quod doceat ſeù proponat veritatem illam, contra quam aliquis errat.

9 Porrò autem num. 21. de admonitione, ſeù inſtructione neceſſaria ut errans ſit pertinax, & hæreticus, hæc habet: *Diſtinguere enim oportet an modus admonitionis ſit ſufficiens ad obligandum, ut verum eſſe credatur, quod proponitur, non ſolum ut ab hominibus ſua authoritate dictum, ſed ut definitum ab Eccleſia authoritate divina; ita ut & authoritas Eccleſiæ, & definitio ejus circa talem materiam ſufficienter proponantur, tanquam evidenter credibiles; ſi ergò inſtructio, & propoſitio non fuerit hoc modo ſufficiens, tunc locum habebit, quod poſteriores Authores docent* (nempè quod quamvis

vis perſiſtat aliquis in ſua opinione vel errore, quia non credit verum eſſe, quod Epiſcopus, vel ſimilis docet, Eccleſiam ſcilicet contrarium definiſſe, non erit pertinax, quia non repugnat definitioni Eccleſiæ) ex illo principio generali ſupra tradito, quod ad credendum neceſſaria eſt ſufficiens propoſitio objecti credibilis. At vero ſi admonitio, & inſtructio ſit hoc modo ſufficiés, ſine dubio erit pertinax, & hæreticus, qui reſtiterit.

10 Tùm ſic: dum ſufficiens ſupponitur admonitio ad obligandum, ut verum eſſe credatur, quod proponitur ab Eccleſia definitum, ita ut & authoritas Eccleſiæ, & definitio ejus ſufficienter proponantur ut evidenter credibiles, profectó myſterium fidei repræſentatur ut longè veroſimilius, quàm error contrarius, ſed hæc repræſentatio poteſt, ac debet ſupponi ad rationem pertinaciæ, & hæreſeos juxta Eximium Doctorem: ergò intellectus in obſcuris ex determinatione voluntatis poteſt immediatè flecti ad aſſentiendum objecto minus ſibi veriſimili nempè hæretico errori adhærendo pertinaciter: plura ex ipſius Eximii Doctoris mente infra dabimus.

11 Adducitur etiam Pater Molina tom. 6. *de juſt. & jur. tract.* 4. *diſp.* 15. 16. & 17. quaſi apertè eam opinandi libertatem per tot diſputationes negaverit, verùm his perlectis integris diſputationibus, nihil reperietur pro ea ſententia, imò oppoſitæ favere videtur, nam diſp. 17. de judicio temerario differens hæc habet num. 3. (ſecunda concluſio, ut temerarium judicium ſit peccatum læthale, tria neceſſaria ſunt ſimul concurrant. Primum ut concurrat voluntatis actus plenè deliberatus, quantum in quavis alia materia ſufficere ſolet ad culpam læthalem. Secundum ut ſit de re gravi ... Et tertium, ut interveniat temeritas tanta in eo judicio formando, ac eliciendo, quæ prudentis arbitrio ad culpā ſufficiat læthalē.) hęc ille. Porrò ex primo, & tertio ex his requiſitis infertur, juxta hujus præclari Authoris mentem ad judicii temerarii læthale peccatū neceſſum eſſe, cognoſcere debilitatē rationis, rationūvè impellentium ad tale judicium, aliter quippè nec deliberatus plenè erit voluntatis actus determinans tale judicium, nec judicium poterit dici temerarium ubi infirmitas motivorum ipſius nec dignoſcitur nec dignoſci poteſt.

12 Quamobrem ipſe P. Molin. *eod. tract.* 4. *diſp.* 13. *num.* 4. (Unde (inquit) hæc regula videtur ſtatuenda. Quando timorati, præſertim ſcrupuloſi, ejuſmodi cogitationes ſiniſtras de proximis ſuis patiantur, & dubitant an læthaliter peccaverint, interrogandi ſunt, an ſi tunc adverterent, illud eſſe judicium temerarium ac peccatum, deliberatè voluntate conſentirent. Quod ſi neganter reſpondeant, cenſendum eſt, non peccaſſe læthaliter.) Hæc perdoctus P. Molina apertè edocēs fieri poſſe, ut cū advertētia temeritatis, & inſufficiētię ad judicā-dum contra proximum, & præponderantię, aut æqualitatis motivorum pro bona de proximo retinenda exiſtimatione, nihilominus intellectus ex determinatione voluntatis judicet ſiniſtrè de proximo, & conſequenter ex libera voluntatis determinatione poterit intellectus aſſentiri æquè, aut minus veriſimili parti.

13 Ad mentem P. Vazquez exponendam, quæ utique in omnibus magni momenti eſſe debet, gradum facio, is itaque pro neceſsitate opinandi probabiliora refertur à nonnullis Recentioribus ex traditis in *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 3. & *diſp.* 67. *cap.* 1. Nihilominus in primo ex his locis ſolum ille inquit: *Tunc aliquem eſſe dubium inter utramque partem, & opinionem, quoties in neutra illarum cognoſcit ullo modo majorem convenientiam prædicati, & ſubjecti; id autem: (pergit idem) ex eo provenit, quod rationes ſufficientes non ſunt, ut eam convenientiam prædicati cum ſubjecto oſtendat, & faciant cognoſci, neque enim ad eliciendum aſſenſum, qui conſiſtit in cognitione illius convenientiæ, ſatis eſt ſola inclinatio affectus abſque ulla ratione ... Si enim*

enim alicui proponatur hæc propoſitio, Aſtra ſunt paria, vel contradictoria ejus, non videtur ſufficere affectus, ut abſque alio intellectus adminiculo altera earum appareat per ſe, aut per aliud probabilis, & ejus habeatur aſſenſus, hoc eſt, videatur convenientia prædicati cum ſubjecto. Hactenùs Pater Vazquez.

14 Hæc tamen doctrina vera, & communis neceſsitatem opinandi probabiliora nihil promovet, ſiquidem pars, quæ minus probabilis dignoſcitur, ex eo præcisè quod ſit probabilis, continet rationem aliquam, & quidem haud parum urgentem, convenientiæ prædicati cum ſubjecto, & propterea juxta ipſam P. Vazquez doctrinam poterit tunc elici aſſenſus ex imperio voluntatis, quia tunc non aderit ſola voluntatis affectio abſque ulla ratione, ſed cum ratione conjuncta: imò argumentum quodlibet militans pro parte minus probabili continet in ea majorem aliquam convenientiam prædicati cum ſubjecto, id quod exigit P. Vazquez, ut intellectus poſsit illius partis elicere aſſenſum.

15 Rurſus certum debet eſſe, quòd ad aſſentiendum non requiritur, aliquam proponi, & repræſentari rationem verè probabilem, ut patet in hæretico aſſenſu: igitur ſufficere poteſt quæpiã apparens ratio convenientiæ ſubjecti cum prædicato, ut accedente voluntatis determinatione, & inclinatione aſſentiatur intellectus, quando cognitæ veritatis evidẽtia cõtraria nõ adeſt, cũ quo rectè cohæret id, quod à P. Vazquez edocetur, videlicèt, ſatis non eſſe ſolam voluntatis inclinationem, ut abſque ulla ratione aſſentiat intellectus, ut contingit in illa propoſitione, Aſtra ſunt paria.

16 In *diſp. verò 67. cap. 1. num. 4.* idem tradit per hæc verba: *Cum enim aſſentiri nihil aliud ſit, quam cognoſcere convenientiam extremorum inter ſe in aliqua propoſitione, ſi hæc non apparet per ſe, aut per aliquam rationem, ſolo nutu voluntatis apparere non poterit. Fateor tamen multum conferre in ils, quæ non ſunt evidentia affectũ voluntatis ut 2. 2. q. 4. art. 2. oſtendemus.* Cum igitur qui affirmant opinandi libertatem, nullo modo aſſerant, ſolo voluntatis nutu, & abſque ratione inclinante intellectum, hunc poſſe determinari à voluntate ad aſſenſum, profectò nec ii contradicunt doctrinæ, ac menti Patris Vazquez.

17 Ille tamen neceſsitati opinandi probabiliora favere videtur *dic. diſp. 67. cap. 1. ad finem num. 4.* ubi diſſerens de modo quo deponi poſsit, ac debet judicium erroneum, *Deinde* (inquit) *ſi ratione probabili conceptum fuit, alia efficatiori deponendum eſt: nam ſi ſit minus efficax ratio, & minus probabilis non ſufficiet generare aſſenſum contrarium; quam ſententiam amplectitur Corduba loco allegato.* Verumtamen ſuſpicor aliam fuiſſe P. Vazquez mentem, loquitur enim in hoc capite de judicio practico, & ultimo requiſito ad licitudinem operationis, quod vel certum eſſe debet, vel ſaltem ex probabilioribus fundamentis univerſalibus ſumendum eſt: ducor, quòniam alias ſibi contradiceret P. Vazquez, quippè in *diſp. 62. cap. 4.* ait, licere etiam viro docto *contra propriam opinionem operari ſecundum opinionem aliorum, & ſi opinio aliorum ſit minus tuta, & ſuo judicio minus probabilis, dum tamen ratione, & probabilitate* (non utique tenui) *deſtituta non ſit: quamobrem ſi in cap. 1. diſp. 67.* aſſereret, non ſufficere ad practicam, & licitam operationem inniti opinioni, ſeù rationi probabili in conſpectu probabilioris, apertè ſibi contradiceret.

18 At non ſibi repugnat quòniam licet in *diſp. 62. cap. 4.* dixerit, fas eſſe operari contra propriam opinionem, ea etiam retenta, ſemper tamen requirit, ut operans per extrinſeca ſaltem principia habeat determinatum judicium de eo, quod licet ſibi ex probabili, & prudenti ratione operari: id quod ſæpè repetit P. Vazquez tum dic. *diſp. 62. cap. 4.* tum *cap. 5.* & alibi, ad hoc igitur reflexum, &

prac-

practicum judicium fatebor libenter, non sufficere rationes minus efficaces, sed probabiliores saltem esse necessarias: quin imò plures, & gravissimi Doctores edocent, certitudinem practicam esse necessariam ad licitudinem operationis, ut videre licet in P. Antonio Terilo in *tract. de conscientia probabili, quæst. 3. per totam*: unde quando P. Vazquez asserit, quod si ratio sit minus efficax, & minus probabilis non sufficiet generare assensum, exponendus est de sufficientia, & assensu prout requiritur ad ultimum practicum conscientiæ dictamen, secus de sufficientia physica, & de assensu speculativo, cum talis assensus speculativus, ac directus neutiquam in sententia P. Vazquez sit necessarius ad licitè operandum, quandoquidem potest juxta ipsum esse licitus usus opinionis probabilis, contrariæ opinioni propriæ, & retentæ ab operante, ut jam vidimus.

19 Libertati tamen æquè, & minus verisimilia opinandi, suffragium satis perspicuum addidit P. Vazquez in *eod. tom. 1. in 1. 2. disp. 126.* in qua latè disserit, an cum ignorantia, quam vincibilem vocant, possit esse peccatum hæresis? Et cap. 2. asserit, & propugnat, *nullum errorem contra fidem ex ignorantia etiam culpabili, modo non sit affectata, esse hæresim, imò, errorem in rebus fidei ex ignorantia etiã affectata, posse esse absque peccato hæresis.* Id autem verum esse non potest, si sufficienter proposita fidei veritate, intellectus ex determinatione voluntatis assensum erroneum, & fidei contrarium elicere nequiret; quamobrem ipse P. Vazquez concludendo inquit *dict. cap. 2. num. 4. fine: Ideò tunc fidei, & testimonio divino incredulus est, quando sciens, se contra Ecclesiam opinari, aliquem sequitur errorem*, & *num. 5.* de illo, qui ex tædio addiscendi tantum, affectat ignorantiam, & hoc modo errat in rebus fidei, asserit non esse hæreticum, quia *qui sic errat non offendit authoritatem Ecclesiæ proponentis res fidei nostræ, tanquam incredulus, & infidelis.* Et num. 7. *Cum ignorantia vincibili non est pertinacia, sicut neque hæresis, cum tamen sit voluntarium, & talis error imputetur ignorantiæ.* Tùm num. 8. *pertinacia igitur ad hæresis peccatum requisita sumitur ex illa circunstantia, quam dicebamus, nempè ex scientia, qua quis novit suam opinionem contrariam esse sensui Ecclesiæ Catholicæ: nam quoties aliquis ignoranter contrarium doctrinæ Catholicæ opinatur, nondum dicitur pertinaciter obsistere authoritati Ecclesiæ Dei, & doctrinæ illius. At verò, qui scienter contrarium sentit doctrinæ Ecclesiæ, non est paratus corrigi ab Ecclesia, & ideò verè pertinax contra illam dicendus est.* Nec P. Vazquez admittit peccatum hæresis ex ignorantia affectata, nisi ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia scilicet existimet aliquis parvi momenti esse ea, quæ in ipsa Ecclesia creduntur; *alioquin* (ait cap. 2. num. 5. fin.) *si nihil contra authoritatem illius* (nempè Ecclesiæ) *in genere, aut speciatim scienter credat, non est dicenda hæresis ob ignorantiam affectatam.*

20 His igitur à P. Vazquez verè traditis, attentè perpensis, dignoscitur manifestè, ipsum existimasse, ac docuisse, illum esse hæreticum, qui sufficienter sibi proposita doctrina fidei, ut ab Ecclesia edocta, elicit tamen assensum doctrinæ Ecclesiæ contrarium; sed sub his terminis objectum fidei, ut longè verosimilius, & credibilius intellectui repræsentatur: ergò putavit P. Vazquez, intellectum ex imperio, seù determinatione voluntatis, posse assentire parti minus verisimili, & etiam minus probabili, cum error in fide nullo modo sit probabilis, sed tenuiter tantum verosimilis.

Hæc sanè mihi perspicua sunt.

***

SEC-

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

Gravium aliorum DD. ſenſum diſquirit.

1 PAter Leſius in relectionibus poſthum. *quæſt. 7. de Imperio. art. 6. dubio unico.* neceſsitati opinandi probabiliora calculum ſuum dediſſe videtur, dum ait, non poſſe quempiam aſſentiri alteri parti præ altera, niſi eluceat in ea major veriſimilitudo, quàm in oppoſita: nihilominus æquè, aut magis favet libertati opinandi minùs veriſimilia. Primò, nam in eadem relata *quæſt. 17. art. 6. dub. unico*, in ſolutione ad ſecundam objectionem ait: Reſpondeo; *Affectus non poteſt facere, ut ſeriò aſſentiar minus probabili, tanquam veriori, niſi faciat illam quoque videri probabiliorem; ad quod ſanè affectus magnam vim habet. Sicut enim facit aliquid, videri longè melius, quàm ſit; ita etiam facit aliquid videri longè verius, quàm ſit; & hac ſola ratione actus intellectus quoad aſſenſum, vel diſſenſum ſubeſt arbitrio voluntatis.* Hæc P. Leſius.

2 Quæ conſona ſunt traditis à P. Terilo, & aliis Recentioribus opinandi libertatem protegentibus, nam *quæſt. 8. de conſci. probabili. num. 26.* P. Terilus hæc habet: *Ergò vel ex hoc ſolum capite apparentia veritatis conſequens addictum affectum* (per quem ſcilicèt aſſenſus imperatur) *eſt major pro illa parte, in quam affectus inclinat, quam pro altera.* Et licet hîc loquatur in hypotheſi probabilitatis æqualis, in utraque contradictionis parte, antecedenter ad affectum voluntatis, idem edocet quandò altera pars eſt probabilior, & voluntas propendet in partem minus probabilem, ut cernere eſt in *quæſt. 9. num. 34.* differens enim de libertate opinandi etiam minus probabilia. *Cæterum* (inquit) *ſuum cuique opinatum non ſolum probabilius eſt concomitanter, & conſequenter ad judicium; ſed etiam aliquo modo antecedenter. Intellectus enim in obſcuris opinari non poteſt, niſi dependenter ab affectu, & imperio voluntatis. Ergò affectus iſte neceſſariò præcedit. At motiva, ut ſubſtantia huic affectui, illa ſuo modo approbanti, magis placent, magiſque alliciunt intellectum, quàm motiva, quæ affectus ille reſpuit, ut dictum eſt quæſt. 8. num. 26. & hæc eſt cauſa cur ſua cuique opinio, & ſit, & reputetur probabilior.* Terilus igitur re, & verbis cum Leſio concinit, Leſiuſque Terilo: & libertatis opinandi aſſertores alii frequenter adſonant.

3 Secundò idem P. Leſius in illuſtriori, laudatiſsimoque ſuo opere de *Juſt. & Jur. lib. 2. cap. 29. dubit. 2. num. 9. Judicium* (aſſerit) *temerarium in animo tuo reſidens, non eſt peccatum, priuſquam aliquomodo advertas, vel dubites, te ex ſignis inſufficientibus judicare: poſtquam autem cœperis id advertere erit ſaltem peccatum veniale, ſi in eo perſeveres; nunquam tamen erit mortiferum ante plenâ animadverſionẽ.* Sic ille; cũ igitur non differat de judicio chimerico, ſed de poſsibili, & practicè operabili; dicendum eſt, præclarum iſtum Authorem agnoviſſe poſsibilem aſſenſum præſtitum, cum advertentia, utique plena, de inſufficientia motivorum ad talem aſſenſum, præſuppoſita tenui veriſimilitudine improbitatis proximi, ſimulque cognitis urgentioribus motivis, illius probitatem ſuadentibus; id autem eſt aſſentiri parti æquè, aut minus veriſimili.

4 Inſuper *dubit. 4. num. 33.* quamvis P. Leſius doceat, in dubio, nos non teneri, ad judicandum actu poſitivo, & ſpeculativè, proximum re ipſa eſſe innocentem, non peccaſſe mortiferè, habuiſſe bonam intentionem, & ſimilia, id tamen non probat ex impoſsibilitate aſſentiendi, quando æqualia pro utraque parte ſunt rationis momenta, *Sed quia nemo* (inquit) *tenetur ad aſſenſum, aut ad modum aſſentiendi, in quo exponit ſe notabili periculo errandi: talis enim aſſenſus non eſt*

actus virtutis, nec ad actum virtutis necessarius; sed est quiddam errori obnoxium, quod perfecta prudentia devitat, ex imperfectione nostri intellectus proveniens. In dubio igitur non purè negativo, possibile est assentiri cuilibet parti, alias quomodo dici posset assentiens in his terminis exponi notabili periculo errandi, si talis assensus esset impossibilis; at non assentitur, nec assentiri potest in ea hypothesi, præcisè ex meritis objecti, cum intellectus anceps inter utrumque pendeat, ergò ex determinatione voluntatis: unde *num.* 35. in eadem hypothesi pergens P. Lessius inquit: *Si velimus hic, & nunc statuere apud nos, quo loco habendus sit* (proximus) *apud animum nostrum, etiam tenemur actu positivo dubium in potiorem partem interpretari, judicando illum loco viri probi habendum*: in dubio igitur positivo possibile est, quamcumque partem opinari, ex electione, & determinatione voluntatis, juxta hunc Sapientissimum Authorem.

5 Sed luculentius suam mentem ostendit *num.* 37. ubi cum asseruerit, quod non tenemur legæ justitiæ, positivè dubia speculativè interpretari negativè in meliorem partem, ita ut non opinemur, seù suspicemur, ipsum in re esse improbũ, quandó scilicèt dubiũ est positivũ, rationem assignat, & ait: *probatur, quia quando dubium est positivum, tunc utrimque suppetunt argumenta ad probabiliter opinandum utram vis partem, cum formidine de opposito* (hoc enim vocatur dubium positivum) *ergò si tunc assentiaris parti deteriori, opinando esse improbum, non ei facis injuriam, quia cum argumenta ad talem opinionem ancipitem animo ingerendam sufficiant, non habet jus, ut sic de ipso non suspiceris.* Hæc sanè omninò contraria sunt doctrinæ negantium opinandi libertatem, ajunt enim in dubio positivo, intellectum esse veluti ligatum, neutrique parti posse assentiri, quia mutuò se elidunt æqualia motiva contraria, & sunt veluti si nullum adesset: opinandi igitur libertatem negantes suæ sententiæ assertorem P. Lessium laudare nequeunt.

6 Pater Layman existimatur quoque auctor necessitatis opinandi probabiliora *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 5. & proculdubio huic parti suffragium dedisse videtur, At in *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 23. de hæresi, *num.* 2. ait, pertinaciam ad hæresim requisitam in eo consistere; *quod quis sciens suam sententiam esse contra Ecclesiæ universalis auctoritatem, ac definitionem, nihilominus eam teneat, idque culpabiliter: sin verò aliquis ignoret suam opinionem Ecclesiæ Catholicæ adversari, quantumvis crassa sit ignorantia, & à peccato mortali adversus fidem non excuset; propriè tamen hæreticum non esse, neque Ecclesiasticis hæreticorum pœnis subjectum*: at Sectarios, qui Ecclesiam oppugnant ejusque auctoritatem culpabiliter negant, hæreticos esse annumerandos, & censuris subjacere. Dicta verò credendi, & opinandi libertatem evincunt.

7 Tandem Laiman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. de temerario judicio, eadem docet, quæ P. Lessius, & alii: & præcip. *num.* 7. inquit: *Æqualibus utrimque existentibus indiciis tum pro hominis innocentia, tum nocentia, si judicium ferre velis, potius inclinandum esse intellectum in partem benigniorem. Ratio est, quam S. Thom.* (nempè 2. 2. q. 60.) *reddit cit. art.* 4. *ad* 1. & *Cajet. ibid. explicat: Satius est in dubio frequenter falli benè opinando de proximo, quam malè opinando, vel semel decipi.* Quæ manifestè continent opinandi æquè, & minus verisimilia libertatem: Quamobrem dum P. Laiman in citato primo loco dixit intellectum flecti non posse ad judicandum minus verisimilia in conspectu verisimilioris contrariæ partis, debet intelligi de verisimilitudine omnimoda, secùs de illa quæ solum præcedit affectum voluntatis, ex quo potest fieri magis verisimile objectum quod antecedenter aliter apparebat.

***

SECTIO DECIMA OCTAVA.

Alii Theologi in eandem ſententiam adducuntur.

1 ALlegatur etiam adverſum noſtram opinionem P. Antonius Perez *diſp. 4. de Juſt. & Jur. cap. 5.* ſed immeritò, quippè licet *num. 104.* aſſerat cum judicio elicito de majori probabilitate unius partis non cohærere judicium directum de veritate partis alterius contrariæ ; tamen *num. 109.* ubi ſuam aperit mentem hæc habet: *Notandum eſt duplicem eſſe probabilitatem : aliam voco Dialecticam, aliam Ethicam ſeù moralem , probabilitas Dialectica eſt , quæ nititur fundamento probabili Dialecticæ, id eſt principio univerſali non de ſemper, ſed de plerumque contingente. Probabile morale eſt illud cui aſſentiri licet: omne probabile moraliter eſt etiam probabile dialecticè, niſi fortè ignorantia excuſet. Non autem omne probabile dialecticè eſt probabile moraliter.*

2 Et nonnullis interjectis, eod. num. 100. pergit: *Ergò in primis certum eſt nos poſſe aſſentiri propoſitioni moraliter improbabili : alioquin nunquam in electione opinionum peccare poſſemus : & hoc evidenter demonſtrat argumentum propoſitum. Difficultas itaque ſola illa reſtat, utrum poſsimus aſſentiri improbabili dialecticè? Et videtur non poſſe fieri , ſi evidenter appareat improbabilitas , & ut intelligatur diſtinguenda eſt duplex probabilitatis apparentia : prima eſt antecedens noſtrum conſenſum, & electionem. Secunda eſt ſequens, & hæc eſt duplex, alia eſt ſequens electionem efficacem enunciandi unam partem contradictionis; alia eſt ſequens electionem efficacem non quidem enunciandi, ſed conſiderandi melius rationes unius partis.* Hanc diſtinctionem explicat conſentaneè ad ea, quæ ex P. Terilo ſupra notata ſunt, & *num.* 10. progrediens.

3 *His ſuppoſitis* (inquit) *facilè reſpondetur argumento facto , dicimus enim poſſe nos voluntariè aſſentiri opinioni moraliter improbabili habenti probabilitatem dialecticam: poſſe etiam nos aſſentiri opinioni habenti minorem probabilitatis dialecticæ apparentiam præviam imperio judicii , aut imaginationis liberæ , negamus tamen poſſe nos aſſentiri alicui opinioni ſimul judicando, ipſam eſſe Dialecticè, & moraliter improbabilem: unicuique enim ſua opinio placet, quia judicat, eam eſſe meliorem, & veriorem.* Hæc Antonius Perez , quæ libertati opinandi, & credendi conſpicuè adſonant, & ſubinde ab Authoribus inficiantibus illam penitus reſpuuntur.

4 Antonius Perez Benedictinus in Laurea Salmant. *Certam. Scholaſtic. 10. de quidditate conſcientiæ. dub. 2. cap. 3. num. 38.* dicitur aſtipulari neceſsitati aſſentiendi probabilioribus , per hæc verba : *Quòniam aſſenſus practicus non poteſt adhiberi potius uni parti quam alteri , niſi ex una parte reſplendeant validiora præſidia , ſicuti neque in ſpeculativo aſſenſu. De ratione enim aſſenſus eſt ; ut non cadat, nec fiat, niſi ſupra id, quod ipſa ratio compelit. Non enim prolibito aſſentiri poteſt intellectus uni parti potius , quam aliæ, niſi præſupponendo majorem rationem aſſentiendi.*

5 Verum prætermiſſo hujus Authoris difficili , imò falſo aſſerto , ſi illud ſtrictè accipiatur , quod nempè ſit de ratione aſſenſus , ut non cadat niſi ſupra id, quod ipſa ratio compellit, cum in non evidentibus poſsibilis ſit aſſenſus , nec tunc compellat ratio, hoc , inquam , omiſſo & in aliquo congruenti ſenſu intellecto, dicendum reor , huic authori ſermonem eſſe de apparentia conſequenti ad affectum, imperiumque voluntatis , quæ major apparentia juxta Pater Terilum, & alios ad aſſentiendum requiri-

tur; nec ad hanc intelligentiam ſine ratione inducor, quòniam ipſe Antonius Perez *eod. certam.* 10. *cap.* 9. *num.* 54. ſibi lucem affert; cum enim docuerit, licitum eſſe, quamlibet opinionem ex æquè probabilibus amplecti, objecit ſibi argumentum, quod fieri poteſt ex dubitatione, in quam opus eſt intellectum incidere, dum æquali pondere in utramque contradictionis partem allicitur. Cui difficultati *Reſponactur* (inquit) *negando antecedens : Etenim licet ſint opiniones æquè probabiles, & utrinque occurrant probabilitatis æqualia præſidia, & præmiſſæ, poteſt homo per voluntatem* (præme verba) *& affectum commodi, quod ex una potius ſequitur illi, quam ex alia, inclinare intellectum ad hoc, quod judicet unam potius quàm aliam amplexandam eſſe, non quidem propterea quod ſpeculativè judicet homo ille, ſententiam patrocinantem eſſe illi magis, vel minus probabilem, quantum ad probabilitatis præſidia: ſed quia ratione commodi, quod reportat ex eo, quod uni opinioni aſſentiatur potius, quam alteri, decernit apud ſe, quod eſt longè melius aſſentiri uni, quam alteri, præſuppoſito quod cuilibet illarum licet aſſentiri.* Hæc Antonius Perez loco citato.

6 Quæ quidem doctrina conſona eſt menti S. Thomæ ſupra à nobis traditæ ex *quæſt.* 14. *de verit. art.* 2. *corp.* ubi de modo, quo intellectus inter inevidentia motiva conſtitutus determinatur, inquit Angelic. Doct. *Determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentire uni parti determinatæ, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum; utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti aſſentire.* Ex quo fit, Antonium Perez Benedictinum libertati opinandi æquè, aut minus veriſimilia ſubſcripſiſſe.

7 Haud exigui etiam momenti eſt authoritas P. Ægid. de Coninck, qui à Recentiore quodam neceſsitati opinandi veriſimiliora adhærere dicitur, *diſp.* 34. *de Matrim. dub.* 10. *num.* 82. Verumtamen, haud rectè id doctrinæ ipſi adſcribitur, ſolum quippè ait, intellectum quandoque dubitare negativè, v.g. an arenæ maris ſint pares, vel impares, quandoque poſitivè ob æqualitatem motivorum, quæ utrinque militant. *Quando enim* (inquit) *intellectus pro utraque parte habet æquales omninò rationes, in neutram partem præ altera poteſt inclinare, ſed ſuſpenſus hæret.* Ex hoc autem ſolum fit, intellectum ex virtute propria, ea rationum contrariarum æqualitate ſuppoſita, hærere neceſſum eſſe.

8 At à voluntate flecti non poſſe in unam partem potius, quàm in aliam, non docet Coninck, quin etiam contrarium tradidit *diſp.* 13. *de fide. dub.* 4. *num.* 36. ibi: *Patet experientia in multis, qui objectis fidei ſibi ſufficienter propoſitis, ita ut teneantur credere, & non credendo peccent, tamen propter malum voluntatis affectum poſitivè diſcredunt, adhærentes pertinaciter ſuis contrariis erroribus.* Et *num.* 44. ait, quod voluntas ad aſſentiendum objecto fidei *determinat intellectum per modum cauſæ efficientis (ſicut alias potentias movet ad hunc actum potius faciendum, quàm illum) ſcilicet immediatè movendo intellectum ad vehementem apprehenſionem, & conſequenter ad aſſenſum objecti formalis fidei ſibi ſufficienter propoſiti; cum poſſet eum movere ut objectum formale contrarium fortius apprehenderet, eique aſſentiretur.*

9 Ex primò igitur ex his duobus locis, patet, juxta hunc Authorem, quod ſufficienter propoſito objecto fidei, poteſt intellectus diſſentiri, & elicere contrarium hæreticum pertinacem aſſenſum, ex pravo, ſcilicet voluntatis affectu, & imperio: id autem evidenter eſt aſſentiri objecto minus veriſimili. Ex ſecundo rurſus liquet, intellectum in obſcuris ad aſſenſum moveri à voluntate per modum cauſæ efficientis immediatè

ad

ad vehementem appre henſionem, & conſequenter ad aſſenſum objecti prælecti à voluntate, liberè utique, & cum proxima, & immediata indifferentia eligendi vehementem apprehenſionem, & aſſenſum objecti contrarii, ut ex traditis à Coninckо verbis apertè conficitur.

10 P.Breſſer. *lib.3.de conſcien. cap.2.num.* 22. cum Laiman congruit, ſicut & cum de judicio temerario differit *lib.4.cap.20.num.* 212. ubi mentem ſuam dilucidè per hæc verba tradit: *Adverte ſuſpicionem, opinionem, & judicium temerarium ſimiliter ac hæreſim includere non tantum errorem in intellectu, ſed & pertinaciam quandam in voluntate: ita ut advertas, non tantum te judicare, ſed judicare ex ſignis levibus, ac ut pecces mortaliter, improbabilibus.* Sed nota in errore hæretico nullam eſſe poſſe probabilitatem.

11 P. Scildere autem, & ſi inter negantes opinandi libertatem laudetur *tract.2.de conſci. cap.* 2. §. 1. nihil ſanè docet, quod eam protegat ſententiam, ut conſtabit illum legenti. P.Comitol. *lib.* 5. *quæſt.* 16. *num.* 2. videtur contrariæ fuiſſe ſententiæ, dum inquit, *ſic, vel ſic opinari non eſſe in poteſtate hominis*, exponendus tamen de impoſsibilitate, aut impotentia opinandi abſque ratione, innititur quippè auctoritati Ariſtotelis, qui aliud non docet, ut dictum eſt, & infra magis patebit; tùm quia ſic habet ipſe Comitolus: *Neque licet cuiquam, aut ſuo nutu, aut ſuæ alienæ ve voluntatis arbitrio fingere opiniones, quas ſequatur*; quæ manifeſtè innuunt, ſolum inficiari hunc Authorem eam opinandi libertatem, quæ nullam ſupponat rationem, præcipuè ad operis licitudinem, ad quam grave rationis authoritatiſvè pondus requiritur. Idem intendere videtur in *lib.4.q.* 46.*num.* 5. cæteroquin ſibi contradiceret; cum ead. *q.* 46.& *num.*5.*fin.* de judicio temerario aſſerat, *quod ut peccatum ſit morte æterna dignum tria requirit ut ſit certum, ut ex levibus conjecturis, ut de re gravi.*

12 Tùm ſic, At qui cognoſcit, ſe judicare contra proximum ex levibus, & improbabilibus motivis, dignoſcit urgentiora eſſe motiva ad oppoſitum cenſendum: igitur juxta P.Comitolum poteſt voluntas determinare intellectum, & ſi imprudenter, ut judicet contra urgentiora motiva, qu andò illa evidentia carent. Additque ex *Soto in* 3.*de Juſt. & Jur.q.*4. *ar.*3. *dummodo non ſit repentinum, nam cum reflexione, inquit, & deliberatione, debet firmari ſententia, quanto igitur magis* (ſubjungit Comitolus) *in ſuſpicione id fieri oportet*: Suſpicionem autem ipſe putat, eſſe opinionem: & *num.* 4. diſtinguit duplicem ſuſpicionem, ſeù opinionem, aliam ſpeculativam, quæ fit ſine conſilio, & ſine electione, quæ eam aut antece dat, aut ſequatur: aliam practicam, *quæ conſultationem, atque electionem habet adjunctam*: Unde Comitolus apertè admittit electionem opinionum, & conſequenter libertatem erga illas, exercitam utique, quoad ſpeciem, ut ex ipſius verbis deducitur, & oſtendit in ſequenti *quæſt.* 47. per totam, in qua edocet dubia in meliorem partem eſſe interpretanda; licet enim dicat licere aſſenſum ſuſpendere, non tamen inficiatur poſſe elici in partem meliorem, imò cum ex communi ſupponat nullo modo fas eſſe, ea de proximi qualitate, aut nocentia dubia emergentia in deteriorem partem interpretari, manifeſtè ſignificat, id ſiniſtræ interpretationis eſſe poſsibile, licet pec caminoſum.

13 Tandem adducitur P. Arriaga *in* 1.2.*tom.*1.*diſp.*24.*num.*30. ubi aſſerit, intellectum ex imperio voluntatis aſſentiri non poſſe uni ex opinionibus, quas judicat omninò æqualiter probabiles: ſicut nec aſſentiri poteſt, quando nulla poſitiva ratione utraque earum fulcitur; exponi tamen poteſt de judicio, ſeù apparentia præcedente voluntatis electionem, & affectionem: quòniam in *tom.* 5.*Theologiæ, qui continet diſputationes in* 2. 2. *tract. de fide divina. diſp.* 19. *ſect.* 5. *ſubſec.*2. *num.* 47. de hæreſi differens, ait: *Unde pertinacia, quæ ad hæreſim requiritur*

explicanda purè eſt, ut ex Cajetano ſupradiximus. Explicatio autem Cajetani laudata à P. Arriaga, & præmiſſa *num.* 45. *ab eodem ejuſmodi eſt*, nempè, *pertinaciam ad hæreſim exactam accipi pro voluntate judicandi falſum id, quod ſcit ab Eccleſia propoſitum; ſicut voluntas fornicandi ſciens, quod fornicatio ſit mala eo ipſo eſt peccatum.* Sed id quod ſcitur, ab Eccleſia ut fide dignum proponi, longè credibilius, & veroſimilius apparet: igitur cum voluntas poſsit imperare judicium, quo id ita propoſitum falſum judicetur, poterit imperare aſſenſum partis æquè, vel minus veriſimilis, idque juxta P. Arriaga, & confirmatur exemplo, quo cum Cajetano utitur ipſe Arriaga, ejus videlicèt, qui ſciens minus eligibilem, & prohibitam omninò eſſe fornicationem, illam eligit.

14 Tùm quia ead. *diſp.* 19. *ſect.* 5. *ſubſec.* 2. *num.* 52. P. Arriaga ait: *Errare contra fidem ſcienter, differt ſpecie ab errare ex ignorantia, quæcumque illa ſit, etiam affectata.* Et *ſubſec.* 4. *num.* 63. *Negligentia in ſciendis myſteriis fidei etiam ſi affectata ſit, non facit hominem hæreticum... nec tales erunt hæretici, etiam ſi circa ea myſteria aliquem habeant errorem*: hæc autem ſine libertate immediata aſſentiendi fidei objecto, & oppoſito errori cõſiſtere nequeunt.

15 Tandem ingenioſus, & perdoctus P. Arriaga 2. 2. *diſp.* 17. *ſect.* 1. *num.* 2. & 3. aſſerit, fidem eſſe liberam, & hujuſcemodi libertatem non conſiſtere præcisè in libertate ad audienda motiva, ſed in eo quod, motivis auditis, poſsit adhuc intellectus non aſſentiri: nec loquitur tantum de libertate ad ſuſpendum aſſenſum, ſed etiam ad diſſentiendum, eam quippè libertatem probat ex increpatione, qua digni fuerunt illi, qui audierant motiva credendi, & non crediderunt, diſſentiendo utique poſitivè: fateor tamen P. Arriaga ſub obſcurè quodammodo eſſe loquutum, licet enim difficultatem circa opinandi, ſeù credendi libertatem præſenſerit, ſatis ab illa non ſe expedire videtur, ut cernere eſt in locis præcitatis, tùm *dict. diſp.* 17. *ſect.* 2. *num.* 9. & *ſeqq.* & *diſp.* 5. *ſect.* 3. & 4.

SECTIO DECIMA NONA.

Durandus, Curiel, Cajetanus, & alii D. Thomæ diſcipuli immediatæ fidei libertati ſubſcripſere.

1 Perpendimus hucuſque ſententiam, verbaque Authorum, qui à Celladeo, & aliis Nobilibus Recentioribus, laudantur pro ſententia immediatam credendi, & opinandi libertatem negante; nunc verò gradum facimus ad inquirendam tradendamque mentem eorum, qui perſpicuè immediatæ fidei libertati adſentiuntur; & primo de Magiſtro Curiele eloquar, quia & ſuam, & Angelici Doctoris eſſe ſententiam, ſcribit.

2 Sapientiſsimus ergò Mag. Joannes Alphonſus Curiel Primarius quondam Salmantinus *Controverſ. lib.* 2. *Controverſ.* 1. *ſuper illud Hebr.* 1. *Multifariam multiſque modis, &c. num.* 98. & 99. *Nam in doctrina*, (inquit) D. Thomæ *Certum eſt, cum intellectus non convincitur ab objecto ad aſſentiendum, eſſe indeterminatum non ſolum, quod exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, & determinari per liberam electionem voluntatis: ergò juxta hanc doctrinam D. Thomæ non expellitur ab intellectu indeterminatio ad ſpeciem actus ex vi motionis objecti, niſi objectum ipſum convincat intellectum*: & *quia objectum non convincit intellectum, niſi media evidentia, ideò dicendum eſt idem de evidentia. Et propterea D. Thom. quoties dicit intellectum convinci ab objecto, apponit exemplum in primis principiis, & in concluſionibus demonſtrationis.* Hæc Præſtantiſsimus Doctor, quæ confirmare pergit ex locis Div. Thomæ ſupra adductis, videli-

cèt

cèt *ex* 1.2.*q*.17.*art*.6.*&* 2.2.*q*.1.*art*.4.*&* *q*. 2. *art*. 4. Et sanè nihil expressius pro hac parte potuit edoceri, si enim intellectus donec ab objecti evidentia convincitur, indeterminatus est quoad speciem actus, profectò ex assertionis cujuspiam majori verisimilitudine non determinatur ad speciem actus, seù non necessitatus est ad assentiendum illi parti verisimiliori, qualis est propositio fidei, sed determinari debet à voluntate.

3 *Durandus in* 2. *dist*. 28.*q*.1. *in corp. num*. 6. de assensu ex conjectura, vel auctoritate dicentis, sic fatur. *Illi veritati potest intellectus noster assentire ad cujus objectum habet motivum, & si non necessarium, tamen probabile, & persuasivum. Assentimus enim multis de quibus non habemus necessariam rationem, sed valdè tenuem conjecturam*, non igitur opus est probabiliori ratione, sed sufficit probabilis, ut ex vi illius assensum præstemus. Tùm quia ait ob tenuem conjecturam aliquando assensum præberi, ergò imprudenter potest voluntas imperare assensum erga partem minus verisimilem, qualis est error in fide.

4 Idem Durandus *in* 3. *sent. dist*.24.*q*.3.*num*.6. *Quilibet* (ait) *enim experitur, se credere, & non nisi liberè credere, ita quod potest credere, vel non: unde quidam credunt, & quidam non credunt, non enim omnium est fides*.2.*Thess*. 3. At experientia æquè docet, quosdam credere, & quosdam non credere non solum negativè, aut suspensivè, sed etiam positivè, & contrariè: igitur juxta Durandum, positis motivis ad credendum, liberum immediatè est credere, & discredere.

5 Cajetanus 1.2. *q*. 65.*art*. 4. *vers*. *In eod. art*. hæc habet: *Sed revera experimur, quod credere est voluntarium, quamvis æstimationes, & dubitationes ad alteram partem sint à persuasionibus, & apparentiis ::: nec inconveniat ex sola voluntate credere astra esse paria, sicut enim voluntas determinat potentiam rationalem ad alterum contrariorum, ad quæ neutraliter se habet, ut dicitur* 9. *Metaph. sic determinat intellectum ad alteram partem contradictionis credendam. Et sicut Medicus ex solo odio determinat artem ad occidendum infirmum, ita ex solo amore alicujus quantumcumque extranei determinatur, quis ad credendum id cujus nullam habet rationem*. Ecce Cajetanus ut certam edocet opinandi, seù credendi immediatam libertatem quoad speciem, imò plusquam intendimus dicere videtur, nempè absque ratione aliqua posse intellectum determinari ad assentiendum, ex imperio voluntatis, in quo communitèr refellitur, & reprehenditur; verumtamen potest benigne intelligi de rationis carentia antecedenti affectum, & imperium voluntatis, quo supposito tepræsentatur jam aliqua veri apparentia sub qua possit intellectus tendere, & determinari.

6 Idem Cajetanus in *Sum. V. Sectarum æmulatores, vel opinionum*, ait, quod opinio potest esse illicita, *ex eo quod voluntaria ... quia non ex eo quod magis placet, sed ex eo quod rationabilior est, non ex voluntate, sed ratione amplectenda est opinio*. Ubi iterum supponit opinandi libertatem, etiam contra verisimiliorem partem, quando enim sic opinatur quis præcisè, quia id magis placet illicitè opinatur, aut imprudenter.

7 *Capreol. in* 3. *sent. dist*. 25. *quæst*. *unica, concluf*. 1. ibi: *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariam declinat magis in unam partem, quàm in aliam, & siquidem hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio, si autem sit cum certitudine absque tali formidine erit fides*. Ubi To *Electionem voluntariam* assumptum continent.

8 Ferrar. Comentar. *in* 3. *Contra gent. cap*. 40. §. *ad evidentiam*: *Adhæret* (inquit) *intellectus particulari credibili ex imperio voluntatis inclinantis intellectum ad ejus assensum*. Et §. *Secundo*: *Intellectus assentit per fidem iis, quæ sibi proponuntur, quia*

vult. Et §. *Ad evidentiam.* 2. *Circa ea autem, quæ sunt fidei, determinatur immediatè intellectus, non ex aliquo existente in intellectu, sed ex ipsa voluntate credentis, qui eligit determinatè adhærere uni parti, quia est aliqua ratio qua judicatur, bonum esse, & conveniens, assentire, & adhærere dicenti ... quæ quidem ratio in quantum ostendit bonum esse, ut rei propositæ adhæreatur, sufficit movere voluntatem, & ipsam inclinare ad eligendum assentire illi determinatè, licet non sufficiat per se movere intellectum ad assentiendum.* Nihil liquidius.

9 Mag. Sotus *lib.* 1. *Poster. de Solertia cap.* 27. *quæst.* 8. fusè, & perdoctè de opinione, & fide humana, & incidenter de divina etiam differens, in *art.* 1. *concl.* 3. hæc habet: *Tàm fides divina, quàm humana, imò, & opinio generantur in nobis ratione, aliqua, aut auctoritate cum pia affectione voluntatis... Hanc conclusionem* (pergit Sotus) *probat S. Thom.* 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *hac ratione: Intellectus non potest alicui assentire, nisi altero duorum modorum, videlicèt aut victus ab objecto, aut voluntate cum inclinante ad unam partem, sed ad ea, quibus assentimur per fidem, vel per opinionem, non simpliciter intellectus convincitur: ergò illis assentit ex inclinatione voluntatis. Major supponitur à S. Thom. tanquam nota: probatur tamen, quia cum non sit nisi duplex, potentia, scilicèt rationalis, & irrationalis, ut* 1. *Ethic. Author est Aristo. non est nisi duplex modus, quo possit aliqua potentia passiva moveri, scilicèt aut ex necessitate, ut potentia irrationalis, aut liberè ut potentia rationalis. Minor autem patet, quia intellectus regulariter non convincitur simpliciter nisi ab evidentia, seù ab experientia, vel ex principiis per se notis, vel per reductionem ad illa, ut reducitur scientia. Existimo profectò si qui tenent, fidem posse produci à sola ratione, hanc rationem perpendissent, forsàn non contradixissent S. Thom. Et confirmatur conclusio experientia: experimur enim, quod ubi non est evidentia rei, multum refert affectio, ut alii magis credant Augustino, alii Hieronymo, alii Thomæ, alii aliis.* Hæc Sotus, Ex quo patet, quod cùm nec ratio probabilior, nec propositio fidei licet evidenter credibilis intellectum simpliciter convincat, adhuc quoad speciem assensus, indiget quidem intellectus voluntatis imperio, seù electione, ut determinetur ad speciem assensus, nedum ad ejus exercitium.

10 Idem comprobatur ex eodem Soto, in eodem art. in solutione ad secundum argumentum contra superiorem doctrinam propositum ex illo Philosophi 2. *de Anima.* in divisione Commentar. *tex.* 154. scilicèt, *In nostra esse potestate phantasiare cum volumus, opinari verò non tum; quia non est in potestate nostra modo assentire, astra esse paria, aut imparia.* (cui difficultatis aliis omissis:) *Nos verò respondemus* (inquit Sotus) *quod non est in nostra voluntate simpliciter assentire ubi nulla est authoritas, aut ratio. Sed dicimus quod imperium voluntatis facit, quod aliqua auctoritate, aut ratione moveamur; quæ per se non posset nos convincere, & ideò non possumus assentire, quod astra sint paria.* His porrò dilucidè Sotus docet, minus verisimilia opinandi libertatem immediatam, quandoquidem ad assentiendum in obscuris solum exigit aliquam ad essentiendum rationem, vel auctoritatem, ut voluntas possit imperare assensum. Legatur Sotus, quòniam plura ad rem adducit.

11 Petrus de Aragon Præclarus quidem Theologus ex Sacra D. Augustini Familia *tom.* 1. *in* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. in hujus explicatione articuli. §. *Secunda concluf.* inter alia: *Ex dictis* (inquit) *infertur, quod fides tàm divina, quàm humana, & etiam opinio generatur in nobis ratione aliqua, vel auctoritate concurrente simul cum pia affectione voluntatis: ubi enim evidentia non est, plurimum juvat ipsa affectio. Et sic constat experientia, quod propositis nobis æqualibus rebus, magis assentimur uni, quam alteri, quia magis circa unam, quam circa aliam sumus affecti*: Pergit Aragonius Aristotelis mentem circa hoc punctum ex-

explicans, & ait: *Quando enim dicit* (Aristoteles) *quod non est positum in nostra potestate opinari cum volumus, non negat ad opinionem esse necessarium actum voluntatis: sed tantùm docet illum non sufficere sine aliqua ratione ex parte rei creditæ, ut diximus in secunda conclusione.*

SECTIO VIGESSIMA.

Navarri pulchram doctrinam adducit, ipsiusque mentem ponderat.

1 MArtinus Azpilcueta, vulgo Navarrus, Commentario in *Caput, Si quis autem. De Pœnit. distinc. 7. num.* 123. ait: *Credens autem potest non credere sola voluntate; nam per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur. cap. 1. de reg. jur. leg. ab emptione. ff. de pact. at credulitas ex motivo probabili, & voluntate nostra producitur, ut docetur in Prologo sententiarum, ubi communitèr id tenetur. Et post alios per Parisienses clarè determinatur, & concluditur in 3. dist. 33. q. 11. fidem, vel credulitatem, neque à sola voluntate, neque à solo motivo, sed à voluntate, & motivo non naturaliter, ut scientia, sed liberè produci.*

2 Luculentius tamen idem Azpilcueta loquitur in *tom. 1. Consilior. lib. 1. de filiis Presbyterorum. Consil. primo*, ubi proposito hujusmodi dubio, „ Quid debeat facere filius natus in figu- „ ra matrimonii, qui duodecim annis „ credidit se filium mariti matris suæ, & „ postea 14. credidit se filium adulteri, „ dicto matris viventis, & morientis per- „ suasus, ad hoc ut possit ordinari sine „ dispensatione? Respondeo (*inquit*) pri- „ mò, quod fidem, sivè credulitatem, „ quam postremo loco habuit, depone- „ re debet: (quia qui contra conscien- „ tiam agit, ædificat ad gehenam, cap. „ fin. de Præscrip.

3 Secundò (*pergit Navarrus*) „ quod non sufficit deponere illam, & „ ponere se in statu dubii; quia etiam „ qui contravenit conscientiæ dubiæ „ peccat, cap. Ad audientiam. de homi- „ cid. & per multa alia, quæ præ aliis ad- „ ducimus alibi, in cap. Si quis autem „ de Pœnit. dist. 7.

4 Tertiò (*ad rem nostram accedens ait*) quod ex his sequitur, oporte- „ re eum credere firmiter coram Deo, se „ esse legitimum. Tùm quia ad generan- „ dam fidem, sivè credulitatem, ut duo „ requiruntur, ita duo sufficiunt, videli- „ cèt motivum, & pia affectio, ut in „ lib. posteriorum docetur: nam sicut „ nullo motivo quamlibet magno cogi „ potest ad credendum quis, si nollit, ita „ volenti credere parvum motivum suf- „ ficit. Unde licet multi habentes maxi- „ mum motivum credendi Christo, non „ crediderint ei, ita multi habentes lon- „ gè minus crediderunt, & hodiè cre- „ dunt eidem. Tùm quia, qui uno tem- „ pore credidit unum per unum moti- „ vum, alio tempore potest credere con- „ trarium propter aliud, ut multi; qui uno „ tempore crediderunt Christo, alio tem- „ pore negaverunt eum, è contrario.

5 Tùm quia hoc procedit, „ etiam durantibus eisdem motivis, sicut „ in casu proposito durant. Eisdem enim „ argumentis durantibus, multi infideles „ efficiuntur fideles, è contrario: quia vo- „ luntas pro libertate, quam habet, vult „ credere nunc unum, & postea aliud, „ nam ut colligitur ex S. Thoma. 1. p. „ quæst. 82. art. 2. Sicut intellectus non „ assentitur necessario nisi primis princi- „ piis, & conclusionibus ex eis per de- „ monstrationem deductis, ita voluntas „ non vult necessario nisi beatitudinem, „ & quæ monstrantur ei per intellectum „ necessario illam consequentia, quorum „ de numero in hac vita sunt pauca, à „ quibus longè abest, quod in nostro „ casu proponitur: & ita consulens po- „ test velle credere utram partem volue- „ rit.

Tùm

6 Tùm quia nos per multa ar-
„ gumenta probavimus in d. cap. Si quis
„ autem. de Pœnitentia. diſt. 7. quod po-
„ teſt quis credere aliquid ad unum ef-
„ fectum ; & credere contrarium ad
„ alium, non quidem uno, & eodem
„ momento, quia id implicaret contra-
„ dictionem, ſed diverſis, etiam durante
„ eodem pœnitus motivo; pro quo pon-
„ deravimus textum ſingularem in cap.
„ Inquiſitionis de ſent. excommunic.
„ quatenùs probat poſſe dari alicui uxo-
„ ri aliqua talia motiva credendi, mari-
„ tum priorem eſſe, & non eſſe mor-
„ tuum, quibus poteſt, imò debet crede-
„ re, illum eſſe mortuum, quoad redden-
„ dum debitum, & credere non eſſe
„ mortuum quoad exigendum, nulla ra-
„ tione alia, quam quod unus, & idem
„ poteſt credere nunc unum propter
„ unum motivum, & poſtea contrarium
„ propter aliud, non obſtante priore.

7 Hæc Sapientiſsimus Doctor Azpilcueta, in cujus doctrina aliqua pro re noſtra ſunt præcipuè conſideranda: Primum, aſſerere quod: *Volenti credere parvum motivum ſufficit*: Igitur non opus eſt, quod probabilius, aut veriſimilius appareat motivum, ſeù id cui aſſentimur, ut voluntas imperet aſſenſum, conſtat ex *num.* 4. Secundum, quod etiam *eiſdem permanentibus motivis, poteſt quis credere nunc unum, poſtea autem contrarium ex libera tantum voluntatis determinatione*, patet ex *num.* 5. Tertium, hanc tradidiſſe doctrinam per eruditum iſtum Doctorem veluti propriam Ariſtotelis, Divi Thomę, & Theologorum imò, ut à Jure Canonico protectam *ex dict. cap. Inquiſitioni.* patet ex integro textu. Quartum, docere immediatam fidei libertatem. *num.* 4.

SECTIO VIGESSIMA PRIMA.

Magiſtrum Bañez, Illuſtriſsimum Dezam, D. Monteſinos, Mag. Lorcam, & alios meritò in eandem laudat ſententiam.

1 MAg. Bañez tract. *de Jure, & Juſtit. quæſt.* 60. *art.* 4. *in Commentar. prima concluſ.* aſſerit, *in dubiis circa exiſtimationem de proximo, facta ſuppoſitione, quod quis velit judicare, & interpretari rem dubiam, debere in favorem proximi, & in meliorem partem ſententiam ferre.* Unde ſupponit, & ait in dubio æquali pro utraque parte poſſe quempiam ex determinatione libera voluntatis hanc vel illam partem aſſentiendo amplecti.

2 Sed magis perſpicuè opinandi libertatem edocet Bañez 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *concluſ.* 2. ubi aſſerit: *Ad fidem etiam acquiſitam requiri motionem voluntatis*, & ex hoc ortum eſſe proverbium illud: *El creer es corteſia.* Et *concluſ.* 4. ait: ad credendum vel aſſentiendum quomodolibet, neceſſaria eſt ex parte intellectus aliqua perſuaſio, ſivè rationabilis, ſivè apparens ſit. Probatur ex loco Ariſtot. citato, videlicèt, 2. *de Anima.* tex. 154. & 157. & in ſolutione argumenti adducti ad oppoſitum à Cajetano, inquit, *quod intellectus eſt determinatus quantum ad ſpecificationem ad verum, vel ſub ratione veri: cæterum quantum ad exercitium determinatur à voluntate:::: determinare autem intellectum ad exercitium credendi ſemper præſupponit aliquam determinationem ex objecto quantum ad ſpecificationem actus, quæ determinatio quando per ſe non fuerit ſufficiens ad convincendum intellectum, juvatur ab electione voluntatis.* Hęc ille, ubi animadverto, aſſerere, quod intellectus ſolum determinatur quoad ſpecificationem ad verum, vel ſub ratione veri, & aliquando hanc ipſam ſpecificationem, ex ſe inſufficientem, juvari ab electione voluntatis: quæ in noſtram ſententiam, optimè quadrant. Idem ſupponit Bañez *ead.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *concluſ.* 3. *colum. mihi* 579. initio, & alibi ſæpè.

3 Inſignis Doct. & D. Thom. elucidator Ludovic. Monteſinos in 1. 2. *tom.* 1. *q.* 17. *ar.* 6. *num.* 90. *Sed dubium eſt* (ait) *quinam actus rationis imperari poſſint ex aliis actibus? Reſpondetur ſolum illos, qui ſunt in noſtra poteſtate, quia imperium includit motionem voluntatis liberam. Diſtinguit autem D. Thom. inter motionem rationis*

quan-

quantum ad exercitium, & ſpecificationem, aut ex parte objecti: Et ab hoc ſecundo incipiendo non omnes actus rationis ſubduntur imperio ejuſdem; quia non omnes ſunt in noſtra poteſtate, quantum ad ſpecificationem, verbi gratia, non eſt in noſtra poteſtate aſſentiri, aut diſſentiri primis principiis, neque concluſionibus ſcientificis, quæ neceſſario inferuntur ex ipſis. Unde aſſenſus primorum principiorum, & iſtarum concluſionum non ſubditur imperio rationis. Alii vero ſunt actus, qui quoad ſpecificationem ſunt in noſtra poteſtate, nimirum quando intellectus non convincitur ad aſſentiendum, aut diſſentiendum, ut patet de aſſenſu opinativo, & de aſſenſu fidei, tàm divinæ, quàm humanæ: Et iſti ſicut pendent ex motione voluntatis, quæ dicitur pia affectio; ita ſubduntur imperio rationis, ut latius dicitur in materia de fide. Idem confirmat Monteſinos *diſp. 29. poſt quæſt. 21. art. 4. quæſt. 5. num. 162.* ibi: *Exiſtente probabilitate æquali duarum opinionum poteſt accedere pia affectio circa alteram illarum, & eligi una ex illis.* Et idem comprobat num. 164.

4 Illuſtriſsimus Deza Archiep. Hiſpalenſ. ſup. 3. *ſent. diſt. 23. q. 2. in 2. notabili*, ſic ait: *Quando vero intellectus non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis, neque ſtatim per ipſas definitiones terminorum, ſicut in principiis; nec virtute principiorum, ſicut in concluſionibus demonſtrativis eſt: determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentire uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem non autem ad movendum intellectum, utpote quia videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire: & iſta eſt diſpoſitio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens, & utile.* Ecce non ait quia videtur rationabilior ea pars, ſed quia videtur decens, & utile: pende etiam To *eligit, præcisè.*

5 Sed fortè dilucidius nemo quam Sapientiſsimus Lorca rem iſtam enucleavit Commentariis in 2. 2. Div. Thom. *tom. de Fide, Spe, & Charit. diſp. 12.* ubi *num.* 2. difficultatis nodo luculenter propoſito per hæc præcipuè verba: *Cum ergò quæritur an diſſenſus intellectus circa ea quæ non videt, pendeat ex motione voluntatis, quæſtio eſt de libertate non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, quia voluntati ſubeſt facultas imperandi, & cohibendi aſſenſum, & tàm aſſenſum, quàm diſſenſum: Eſt enim quæſtio de libertate non ſolum indirectè, ſed etiam directè, quia non ſolum poteſt divertere conſiderationem objecti, ſed etiam applicato objecto poteſt continere actum:* Sic inquam propoſita difficultate, refert primo Scoti ſententiam, quæ quoad fidem ſupernaturalem videtur eam negare libertatem, ſed à nobis infrà explicabitur.

6 Idem verò Lorca in hunc modum reſpondet: *Sed in contrariam ſententiam conſpirant Theologi omnes ſine diſcrimine, qui expreſsè loquuntur de fide divina; idem tamen ſupponunt, & ſentiunt de fide humana, & opinione: docent vero actum fidei eſſe liberum, & pendere à voluntate quoad aſſenſum, & diſſenſum.* Pro qua ſententia citat Thomiſtas omnes cum D. Thoma, & plures alios. Et num. 5. & 7. latè probat id ipſum, nempè quoad ſpecificationem eſſe liberum actum fidei, non ſolum libertate indirecta, ſed directa, ſeù immediata.

7 Pergit Lorca *num.* 8. & ait: *Hanc vero libertatem convenire fidei humanæ, & opinioni deducitur à ſimili, quia eadem ratio eſt, ac de fide divina, & magis neceſſaria determinatio voluntatis, quatenùs motiva harum minus efficacia ſunt, &c. num. autem* 7. apertè dixerat, quod dum abſolutè pronunciatur, credere eſſe liberum, ſignificatur libertas directa, & propria, libertas inquam quoad ſpecificationem de qua ibi Lorca.

8 Mag. Ferre tom. 2. *in* 1. 2. *tract. 6. q. 8. §. 4. 5. & 6. num. 185.* Signatè, & expreſsè docet intellectum poſſe aſſentire parti æquè, aut minus probabili, & pro hac ſententia laudat Joannem à S. Thoma, M. Serra, & Martinez cum aliis.

Idem

9 Idem tradit ex eadem D. Dominici Sacra, & Inclyta Familia Ludovicus Bancel *Curſ. Theologiæ. tom.* 5. *qui non ſolum in quæſt.* 4. *ar.* 7. tuetur è duobus æqualibus bonis poſſe voluntatem eligere unum, relicto altero æquali bono, vel inter inæqualia eligere minus bonum relicto meliori, verum etiam *quæſt.* 5. *de regulis morum, ar.* 5. latè tuetur, licitum eſſe in praxi, operari ſæpè juxta opinionem minus probabilem, minuſque tutam, & *ar.* 6. in quo elevat objectiones, in ſolutione objectionis 4. (Reſpondeo (inquit) omiſsis variis ſolutionibus, quod voluntas poteſt eligere minus bonum, relinquendo majus, non quidem formaliter, & reduplicativè, prout eſt minus; ſed prout eſt verum bonum, licet aliundè ſit minus bonum: quamvis enim ſub reduplicatione minoris boni ſit malum negativum, ut dicitur in objectione, attamen ſub reduplicatione veri boni nullatenùs malum eſt, neque poſitivè, neque negativè. Ita ſimiliter dicimus, quod intellectus aſſentitur opinioni minus probabili, non ut eſt reduplicativè minus probabilis, ſic enim eſt falſa negativè, ſed ipſi aſſentitur prout eſt verè probabilis, ſub qua ratione non eſt falſa negativè, vel poſitivè, ſed potius moraliter vera.) Nec diſsidet Gonet, *tom.* 3. *trac.* 2. *diſp.* 11. *art.* 5. *n.* 106. *& tom.* 4. *tract.* 10. *de fide. diſp.* 6. *ar.* 1. *n.* 2. *& ſeqq.* & ſi quadantenùs incohærenter his, quæ de in potentia voluntatis ad eligendum minus, vel æquale bonum ſcribit *dict. tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 9. *art.* 3.

10 Raphael Averſa Præclarus doctrina, & acumine, *in* 1. 2. *D. Thom. quæſt.* 12. *ſect.* 2. de actibus imperatis ediſſerens, ſuppoſita voluntatis libertate imperandi actus intellectus quoad exercitium, pergit, & ait: (In ſpecie autem actuum, verè non poteſt voluntas inclinare intellectum ad diſſentiendum veritatibus evidentibus; ſed verè quoad propoſitiones inevidentes poteſt voluntas pro ſua libertate, ob vnum vel aliud motivum inclinare intellectum in unam vel alteram partem, ut docent communiter Theologi in materia de fide.)

11 Sed magis perſpicuè idem Averſa in *Logic. quæſt.* 19. *ſect.* 2. ubi diſſerit de opinionis dependentia ab opinantis voluntate, & docet, quod ſemel aſſenſu præſtito præmiſsis rectè diſpoſitis, licet probabilibus, & licet earum quæpiam ſolum ſit probabilis, non eſt liberum voluntati imperare diſſenſum erga concluſionem rectè deductam, poſſe tamen voluntatem imperare aſſenſum vel diſſenſum præmiſſarum probabilium. *Nam oportet fateri* (inquit ille) *intervenire libertatem in electione opinionis, ſed non poteſt intellectus, ſtante aſſenſu præmiſſarum, diſſentiri concluſioni: ergò poteſt aſſentiri, aut diſſentiri ipſis præmiſsis. Itaque ſimplex apprehenſio prævia per ſe non determinat intellectum ad aſſenſum talium propoſitionum, ſicut aſſenſus antecedentis ad aſſenſum conſequentis. Poteſt quidem fieri, ut cum ipſa apprehenſione magis inclinetur intellectus per modum actus primi ad unam, vel alteram partem, juxta majorem probabilitatem, aut apparentiam: non tamen per hoc determinatur. Sed adhuc abſolutè remanet in libertate voluntatis determinare intellectum ad unam, vel alteram partem.* Idem ferè per totam ſectionem edocet.

12 Alexander Peſantius in ſuis Comentariis *in* 1. 2. *q.* 17. *art.* 6. ſolita ſua brevitate inquit: (Dicit præterea D. Thom. ſubdi intellectum imperio voluntatis quoad aſſenſum, vel diſſenſum, quando eſt obſcuritas in objecto, & utrinque ſunt rationes, quæ probabilitatem afferre poſſent, de qua re diſputatione de demonſtratione, vel fide. Certè Cajetani opinio videtur falſa infra *q.* 65. *ar.* 4. poſſe aliquem aſſentiri propoſitioni, quamvis nulla ſuppetat ratio, propter ſolum affectum voluntatis, ut quod aſtra ſint paria.)

13 Idem Peſantius in 2. 2. *q.* 2. *art.* 10. *diſp.* 1. non ſolum docet, actum fidei eſſe liberum, quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem, ſic enim habet: (Eſt au-

autem actus fidei liber, & quoad exercitium, quia poteſt homo non elicere actum fidei, & quoad ſpecificationem, quia poteſt credere oppoſitum, ad differentiam actus ſcientifici, qui eſt neceſſarius quoad ſpecificationem propter medium.) Et infra *pag. mihi* 507. *col.* 2. *lit. A.* (Eſt autem meritorius actus fidei ex S. Thoma ad 2. non ſolum ratione conſiderationis actualis rerum fidei, ſed etiam ratione aſſenſus, & quoad ſpeciem, nam utroque modo actus fidei liber eſt, ad differentiam actus ſcientiæ, qui tantum liber eſt ratione conſiderationis, non ratione aſſenſus.) Et ead. 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. *pag.* 542. *col.* 2. *lit. C. num.* 4. ait: (De ratione hæreſis eſt pertinacia, ſeù voluntaria adhæſio errori contra fidem, orta, non ex ignorantia vincibili, craſſa, & affectata, ſed ex certa ſcientia, qua quis ſcienter errat, vel dubitat de veritate propoſitionis, quam certò ſcit, eſſe de fide ab Eccleſia determinata, vel haberi in Scriptura, vel in traditione:) porrò autem id pertinaciæ ſtare nequit niſi cum immediata libertate aſſentiendi errori, & objecto fidei, ut patet.

SECTIO VIGESSIMA SECUNDA.

Subtilis, & Seraphici Doctoris Commentatores præcipuos, necnon alios expendit Scriptores.

1 BArtholomæus Maſtrius de Meldula Subtilis Doctoris Sapientiſsimus elucidator in 2. *ſententiar. diſp.* 5. *de actibus hum. quæſt.* 2. *de conſci. probabili. art.* 2. *num.* 49. (Alterum etiam (inquit) aſſumptum probatur, quod ſcilicet voluntas poſsit imperare aſſenſum circa alteram contradictionis partem, quæ magis libuerit, ſivè ſit æquè probabilis, ſivè etiam minus, quia probabilitas ſufficiens eſt fundamentum, ut voluntas aſſenſum imperare poſsit: neque id impedit æqualis, vel major probabilitas, alterius partis, ſiquidem illa, ſivè æqualis, ſivè major intellectum non convincit, ſed indifferentem relinquit ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum majori, vel minori probabilitati, aut æquali: ſola enim veritas, evidenter nota, eſt quæ intellectum convincit, & ad alteram partem omninò determinat ſine ulla alterius formidine.)

2 Idem Maſtrius *cit. diſp.* 5. *de actibus humanis. q.* 2. *ar.* 6. *num.* 124. *in ſolutione ad* 3. ait, (Sicut cum voluntas pro ſua libertate fertur in minus bonum propoſito majori bono, non reduplicativè, quatenùs eſt minus bonum, ſed quatenùs ejus quoque minor bonitas continetur intra ſphæram adæquati objecti voluntatis, ita etiam intellectus ex imperio voluntatis acceptare poteſt, ut veram opinionem minus probabilem etiam in concurſu probabilioris, non quatenùs magis falſam, quàm veram, vel minus veram, quàm alteram; ſed quatenùs ejus quoque veritas, vel minor probabilitas ſufficiens eſt fundamentum aſſenſus ejus; cum ejus quoque probabilis veritas, etiam ſi minor, contineatur intra ſphæram objecti adæquati intellectus.)

3 Joannes Poncius *Commentar. in Scotum. tom.* 4. *in* 2. *ſent. diſt.* 39. *quæſt.* 2. *num.* 28. ſic habet, (Hinc autem ſequitur, quod quamvis quis judicet, unam propoſitionem eſſe magis probabilem, quàm altera, non tamen hoc ſufficit, ut judicet potius illam probabiliter eſſe veram, quàm alteram, imò poſſet judicare alteram eſſe veram; quia cognitio probabilitatis non determinat ad judicium probabile: ea enim non obſtante judicium probabile eſt liberum homini; unde poteſt ex determinatione voluntatis judicare, quam voluerit partem, quando utramque judicat eſſe probabilem, licet unam putet magis probabilem.) Id ipſum tradit Poncius in *Curſu Theol. diſp.* 24. *de conſci. quæſt.* 3. *num.* 6. *fine.*

Aſ-

4 Aſtipulatur Franciſcus Lychetus *in Commentar. ad Scotum. in* 3. *ſentent. diſt.* 25. *q.* 2. *literali, num.* 11. *concluſ.* 2. quæ hujuſcemodi eſt: (Actus fidei, communitèr, ſeù ut plurimum eſt liber quoad ſpecificationem.) Et *num.* 13. probat concluſionem ab experientia qua, inquit, (Conſtat communitèr, non ſolere hominibus proponi objecta determinantia ad ſpecificationem, nec externè, nec internè, quoties credunt, & quod is ipſe qui credit pro eo inſtanti, quo credit, poſſet, quantum ex ſe eſt, & virtute motivorum, non credere, ſed diſcredere:) quo nihil evidentius pro hoc aſſumpto dici potuit, adnotatis præſertim verbis illis, *pro eo inſtanti...* & *virtute motivorum.* Et *num.* 7. ejuſdem quæſtionis. Ait idem Lychetus, (Non nego quidem quin propoſitio objecti ſub ratione credibilis poſsit eſſe talis quandoque, ut intellectus mediante imperio voluntatis poſsit vel diſſentiri, vel aſſentiri.)

5 Gaudentius Bontemp. *Palladii Theologici ad intimam mentem Seraphici Doct. tom.* 4. *de actib. hum. tract.* 1. *diſp.* 13. *q.* 4. *num.* 24. ſic habet: (Aſſero primo, actus rationis omnes quoad exercitium, poſſe imperari. Ita D. Bonavent. locis adductis q. prima. videlicet *in* 2. *diſt.* 25. *p.* 1. *&* *in* 3. *diſt.* 17. *q.* 1. Aſſero 2. (pergit Gaudentius) quoad ſpecificationem, nempè ut rationis actus ſit aſſenſus, vel diſſenſus, non omnes rationis actus imperari, ſed eos ſolos, qui non habent cauſas neceſſarias, & convincentes intellectum. Prior pars aſſertionis patet: nam nullus poteſt non aſſentiri primis principiis, & concluſionibus demonſtratis per illa. Poſterior pars probatur: quia experimento videmus, ſi deſit ratio convincens, nos liberè aſſentiri, & conſequenter poſitum eſſe hoc in arbitrio, & imperio rationis. Idem Gaudentius *tom.* 5. *de virtut. Theolog. tract.* 1. *diſp.* 1. *de fide. q.* 18. ex Div. Bonavent. *in* 3. *diſt.* 23. *ar.* 1. *q.* 2. docet regulariter loquendo voluntatem in aſſenſu fidei determinare intellectum, non ſolum ad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, & addit, eſſe ſententiam S. Bonav. hic, & communè. Nec ab ea recedit Ockã *in* 2. *diſt.* 25.

6 Petrus Cornejo Theologus præſtantis doctrinæ *tom.* 1. *in* 1. 2. *S. Thom. tract.* 5. *circa q.* 8. *& ſeq. diſp.* 8. *dub.* 7. *num.* 17. ubi de actibus imperat. *in* 3. *concluſ.* aſſerit, imperari liberè poſſe actus aſſenſus, & diſſenſus quoad ſpeciem, quando intellectus non convincitur ratione: opponitque ſibi, ex hoc fieri, poſſe nos liberè abiicere opinionem probabiliorem, ſicut amplecti eam, quam judicamus minus probabilem ſine alia nova ratione, quæ nos inducat, quod videtur falſum: ſequela probatur, quia rationes opinionis probabilioris non convincunt nos, cum tantum ſint probabiles: ergò tunc erit in poteſtate noſtra aſſentiri illis, vel non, & conſequenter aſſentiri rationibus cõtrariæ opinionis. Cui objectioni. *Reſpõdetur* (inquit Cornejo) *admittendo ſequelã, nec in hoc eſt aliquod incõveniens, de quo plura* 2. 2. *q.* 3. *ar.* 4. *cũ agitur de pietate, & affectione requiſita ad actum fidei.* Hæc *in* 2. 2. Cõmentaria, neſcio in lucẽ eſſe edita, ad meas autem manus non pervenere. Verumtamen ſatis in hoc loco mentem ſuã aperuit Cornejo, & in ead. 1. 2. *tract.* 8. *circa quæſt.* 19. *diſp.* 3. *dub.* 4. *verſ. Reſpondetur primo*, iterum ait, quamvis opiniones ſint æquè probabiles, poteſt homo per voluntatem inclinare intellectum, ut aſſentiatur determinatè uni potius, quàm alteri, & ſic non manebit dubius ſed determinatus ad unam partem, cum formidine tamen alterius.

7 Franciſcus Zumel percelebris Salmanticenſis Theologiæ Doctor, ac publicus Profeſſor, totius Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Magiſter Generalis. *tom.* 1. *ſuper* 1. 2. *D. Thom. q.* 74. *art.* 5. *de ſubjecto peccatorum.* Cum doceat, in intellectu poſſe eſſe peccatum, nempè quando error eſt voluntarius, opponit ſibi, quod intellectus non poteſt alicui objecto aſ-

ſen-

ſentiri, niſi ei proponatur ut verum, & cum motivo ad aſſentiendum ei ut vero, quia objectum aſſenſus intellectus eſt verum, ac propterea in aſſenſu iſto non reperiri poſſe peccatum. Et huic objectioni aſsignat primo ſolutionem eorum, qui exiſtimant, voluntatem poſſe applicare, & determinare intellectum ad aſſentiendum cuicumque objecto, etiam nullo exiſtente motivo ad talem aſſenſum ex parte intellectus, quam opinionem eſſe dicit Theologorum quorundam,quorum nomina hic non refert,ſed infra pro ea citat Cajetanum, nec improbabilem hanc aſſerit ſententiam, recedit tamen ab illa.

8 Et alia quoque rejecta ſolutione,reſpondet tertio Zumel, (Quod licet intellectus non poſsit aſſentiri alicui objecto,niſi habeat motiva aliqua ex parte ejuſdem objecti ad aſſentiendum, tamen non requiritur, hujuſmodi motiva eſſe ſufficientia ad determinandum ipſum ad aſſentiendum. Et ob id, quando ſunt inſufficientia, intellectus determinari poteſt à libera voluntatis electione, ut docet Sanctiſsimus Præceptor 2.2.*q.* 1. *art.* 4. Et idcircò,ſi intellectus decipiatur tunc, error ejus dicetur voluntarius, licet non ſit circa res, quas ſcire tenetur; quia quod in caſu illo aſſentitur, non oritur totaliter ratione motivorum, ſed ex motione libera voluntatis.) Et paulò infrà: (Quandò intellectus præſtat aſſenſum ſuum circa opinabilia, ſine ſufficienti motivo adjudicandum eſſe probabilia, tunc error ipſius cenſetur voluntarius:quandò verò errat probabiliter opinando per ſufficientes, & probabiles rationes, quia tunc ex ſufficienti motivo ad opinandum circumvenitur, talis error non eſt voluntarius illi; quæ omnia immediatam opinandi libertatem ſatis oſtendunt.)

9 Nec minus dilucidè idem Zumel *cit.q.*74.*art.*5. *dub.*1.*verſ. Secundo colligitur*: rejicit Cajetani doctrinam de aſſenſu præſtito ſine apparenti motivo veritatis,& ait: (Nam ſicut voluntas non poteſt in malum ferri ut ſic,ita neque intellectus in falſum: quia ut minimum,requiritur, ut habeat aliquam rationem probabilem aſſentiendi,quæ etiam ſi minus probabilis ſit, quàm oppoſita; non tamen ob id erit peccatum eligere illam opinionem purè ſpeculativam; nam illam eligit non ut malum, id eſt ut falſum aſſenſum, quamvis fortè à parte rei ita ſit; ſi tamen voluntas conaretur, ut aſſentiret falſo intellectus ipſe,quamvis id poſsibile non eſſet; tamen talis conatus eſſet peccatum, & in hoc habet verum ſententia Cajetani.) Hæc Zumelius.

10 In cujus doctrina præcipuè adnotandũ,quod differit de defectu peccaminoſo intellectus in ſpeculativo aſſenſu elicito,& hunc defectũ,& peccatum inquit vitari, quando intellectus ad aſſentiendum habet rationem probabilem, quamvis hæc ratio ſit minus probabilis: liquidum ergò eſt apud hunc Sapientiſsimum Doctorem, poſſe intellectum aſſentiri parti minus probabili, cum præcipuè Zumel loquatur de aſſenſu ſpeculativo,ut ex ipſius verbis patet.

11 Andreas Duvalius Sorbonicus Doctor, utique pereruditus, *Commentariorum in* 2.*partem D. Thom.tom.* 1. *trac.de hum. action. de libero arbitr. quæſt.* 3.*art. ult.* ubi de actibus imperatis.*verſ. Quinto dico,pag.mihi* 85.ſic habet: (Actus intellectus,qui nõ eſt evidẽter verus,aut evidẽter falſus ſubjicitur imperio volũtatis ſecundũ ſpecificationẽ, ita ut poſsit ei diſſẽtire,vel aſſẽtire:idque comprobat ab experientia in fide, & aliis rebus moralibus,& deinceps hæc adnotat.Quãdo nõ eſt evidẽter verũ, aut evidẽter falſũ, voluntas ex ſe,& ſuapte natura abſque ulla mutatione, poteſt imperare actũ diverſũ ab eo,quem antea exercebat: eſt enim ut diximus libera in aſſẽſu,&diſſẽſu,dico ex ſe, & ex natura ſua, quia practicè, & de facto loquẽdo, nõ poteſt volũtas propoſitũ ſuũ variare,&mutare,niſi aliqua mutatio in objecto, aut in motivo intercedat.) Sic ille,à cujus ultimo dicto alii recedunt.

SECTIO VIGESSIMA TERTIA.

Societatis Scriptores Præſtantiſsimi,& ſignanter PP.Valentia, Molina,ac V.Ludovicus de Ponte eidem placito favent.

1 EX Societatis Jeſu Doctoribus immediatam opinandi, & credēdi libertatē edocere Eximium Doctor. P. Suarez,PP.Vazquez,Leſsium,Molina,& alios conſtitit *ſect.*16. *& ſequentibus*, cui ſententiæ adſtipulatur quoque. P. Gregorius de Valentia *tom.*2.*ſuper* 1.2.*Sancti Thomæ. diſp.* 2. *quæſt.* 12. *de imperio. punc.*5.ubi de rationis actibus, qui imperari poſſunt,hæc habet. *Secunda aſſertio: quoad ſpecificationem autem, nempè, ut rationis actus ſit aſſenſus , vel diſſenſus, non omnes actus rationis imperantur, ſed illi ſoli qui non habent cauſas neceſſarias , & convincentes intellectum*; breviterque probata aſſertione, hanc ſibi objectionem opponit, nimirum quod ex illa ſequitur,eſſe in noſtro arbitrio poſitum, ut abjecta opinione , quam putamus eſſe probabiliorem,& cui proinde adhæremus , poſſimus amplecti aliam , quæ judicio noſtro ſit minus probabilis , idque ſine ulla alia ratione. At iſtud cōſequens videtur eſſe contra experientiam: ergò, & aſſertio ex qua cōlligitur eſt falſa. Sequela probatur. Nam poſito quod illa ſententia, cui adhæremus , ſit tantum opinio, nulla neceſſaria cauſa convincit intellectum noſtrum,ut illi aſſentiamur.Ergò ſecundum illam D. Thomæ aſſertionem ſuberit noſtro libero imperio ejuſmodi aſſenſus,ita ut poſsimus illum abjicere.

2 Quod argumentum elevat P.Valentia in hunc modum,*Reſpondeo*(inquit) *ſequelam eſſe admittendam,poſito quod apud nos maneat talis opinio intra latitudinē opinionis:quod fit, quandiù nobis perſuademus, rationes illius ſolvi poſſe , aut à nobis ipſis, aut ab aliis. Sin autem per errorem accidat, ut exiſtimemus rationes talis ſententiæ eſſe inſolubiles,& neceſſarias;tunc quidem quandiù manet hic error in intellectu , non poſſumus aſſenſum talis ſententiæ abjicere;ſed neceſſariò ex hypotheſi illius erroris ei ſententiæ adhæremus.Neque tamen idcircò aſſenſus ejus opinionis eſt in nobis revera evidens.Nā immobilitas illa ſeù adhæſio firma intellectus , non ex natura aſſenſus, ſed per accidens contingit nobis ex errore, quo nimirum putamus, rationes eſſe neceſſarias. Evidentia autem conſiſtit in immobilitate aſſenſus procedente ex cauſis neceſſariis verè.*

3 Quapropter (pergit P. Valent.) aſſertio illa ſecunda intelligi debet, quādo,& revera, & ſecundum noſtram exiſtimationem aſſenſus non habet cauſam neceſſariam. *Tunc dicimus cum D. Thom. poſſe nos abjicere talem aſſenſum pro libito, & complecti aliam opinionē etiam ſi videatur nobis minus probabilis. Cujus doctrinæ fundamentum poſitū eſt in ipſa experientia, quā unuſquiſque poteſt ſi attendat in ſe animadvertere, quæ proinde experiētia indicat àpoſteriori,hāc eſſe naturā noſtri intellectus, ut id poſsimus facere.*Hactenùs P.Valētia.

4 Hæc porrò tàm præclari Scriptoris ſententia,tanta perſpicuitate aſſumptum edocens, ſingulari commendatione eſt digna,utpote viri,quem *Doctorū Doctorem* Clemens Octavus Pontifex Maximus appellavit , referente P. Adamo Contzeno *lib.*5.*Politic.cap.*1.*&* P.Sotuelo *in Bibliotec. Societ.* & eò magis obſervanda,quò abſolutè,& abſque hæſitatione ulla inquit,eandem eſſe Doct.Angel. D.Thom. doctrinam; eamque tradit inſuper P.Valentia *tom.*3.*diſp.*1. *quæſt.*1.*de objecto fidei,punc.*4.§.1 *in ſolut.ad ſecundū.* ubi de fidei aſſēſu,ait: (Nec verò, ut objiciebatur in argumēto,eodē modo aſſēſus ſcientiæ pendet à libera motione voluntatis,is enim ſolū pēdet à volūtate quoad exercitiū,hoc eſt,ut actus abſolutè eliciatur,& nō ſit otioſa potētia intellectus;aſſenſus verò fidei pēdet à libera motione volūtatis etiā quoad ſpecificationē,id eſt libera motio volūtatis nō ſolū neceſſaria eſt,ut actus circa objectū fidei eliciatur, ſed ut actus talis ſpeciei circa id objectū eliciatur,qui nimirū ſit aſſēſus,&nō diſſēſus,cū alioqui,quātū ex vi motivorum fidei,& natura intellectus, ſecluſa tali motione volūtatis, potuiſſet elici actus circa objectū fidei,qui fuiſſet diſſēſus.In ſciētia

au

autem, ſi actus circa objectum ſcientificum elicitur percepta demonſtratione, neceſſariò debet eſſe aſſenſus, atque ita quoad hoc, non dependet à libera voluntate.) Hactenùs ille nulla ulteriori indigens elucidatione.

5 Pater Ludovicus Molina in *concordia liberi arbitrii cum Divina Gratia, & Prædeſtin. ſuper quæſt.* 24. *Divi Thomæ art.* 13. *diſp.* 12. fuſsè, & doctè propugnat *Eodem modò affectis, æqualiterque à Deo ad fidem vocatis, pro ſola eorum libertate poſſe evenire, ut unus amplectatur fidem, alter verò eandem contemnat*: id autem apertè eſt aſſerere, fidem eſſe immediatè liberam etiam quoad ſpeciem, ſeù voluntatem poſſe imperare aſſenſum, vel diſſenſum erga objectum per divinam revelationem propoſitum, & conſequenter fidei actum eſſe immediatè liberum, quoad ſpeciem ſui.

6 Id quod ex ipſius P. Molinæ probationibus denuò patet, & præſertim ex ea, quæ ab incredulitate Judæorum deſumitur; *Etenim cum quibus auxiliis* (inquit P. Molina ex Chriſti Domini verbis, Matth. 11. *habitatores Corazain, & Bethſaidæ ad Chriſtum non acceſſerunt, rationemque datorum Chriſto à Patre Æterno non habuerunt, eo quòd pro ſua libertate, & nequitia, ad Chriſtum accedere noluerunt, quod Chriſtus ibidem illis exprobravit, cum eiſdem pro eadem arbitrii libertate, acceſiſſent, rationemque datorum Chriſto per vivam fidem habuiſſent Tirii, & Sichonii: utrumque enim apertiſsime, eo in loco, docet Chriſtus.* At habitatores Corazain, & Bethſaidæ non ſolum non credidérunt ſuſpendendo exercitium fidei, ſed etiam contrariè, aſſenſum præbendo errori, quo credebant, Chriſtum Dominum non eſſe Deum; igitur pro arbitrii libertate, ſuppoſito Dei auxilio, liberè poſſumus immediatè aſſentiri fidei objecto, necnon errori contrario, & hæreſi: & hoc quidem juxta P. Molinæ ſententiam, quàm Societatis Schola complectitur, planum eſſe, fiet cuicumque compertum.

7 V. P. Ludovicus de Ponte, qui non ſolum in Myſtica Theologia conſpicuè emicat, verumetiam Scholaſticas diſſertationes acutè, gravitèr, & eruditè in Ambroſiano Noſtro Collegio Pinciæ tradidit, in Manuſcriptis, *tract. de fide. quæſt.* 4. *art.* 2. inquit: *Dico primo: Ad credendum fide ſupernaturali requiritur actus voluntatis moventis intellectum non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem actus, ſcilicet, ut aſſentiatur: Probatur primò, quia credere rebus fidei eſt actus liber omninò; quia cum intellectus non convincatur ab objecto poteſt aſſentiri, & diſſentiri, eſt rurſus difficilimus, tum ex parte rerum credendarum, quæ in ſe ſunt graviſsimæ, & ſupra totam cognitionem luminis naturalis; tùm verò ex parte rationis credendi, quia obligatur homo credere illas majori certitudine, quàm ſit certitudo tota naturalis, & certitudo teſtimoniorum, quæ faciunt illas evidenter credibiles; tùm quia ſæpè res credendæ ſunt contra inclinationem appetitus ſenſitivi, ergò ad talem actum indiget intellectus pia affectione, ac motione voluntatis illum adjuvantis. Confirmatur: In poteſtate voluntatis eſt diſcredere rebus fidei: ergò in ejus etiam poteſtate erit velle credere, & aſſentiri rebus fidei, & ideò talis voluntas eſt laudabilis.* Et *quæſt.* 1. *art.* 4. *de dependentia fidei à voluntate, Primò* (ait) *quandò objectum eſt inevidens, tunc non determinat intellectum, nec quoad exercitium, nec quoad ſpecificationem, & ſic requiritur motio voluntatis.* Hæc Piiſsimus Sapienſque Scriptor: quæ mirificè aſſumptum comprobant: quapropter, dum alibi ſignificat intellectum à voluntate flecti non poſſe ad aſſentiendum minus veriſimili objecto, intelligendus venit de minori veriſimilitudine conſequenti, & comitanti voluntatis affectum, ſecus de præcedenti.

8 P. Jacobus Granado in Commentariis *in* 1. 2. *Sanct. Thom. controv.* 2. *de Actibus humanis. trac.* 12. *diſp.* 4. *ſec.* 3. *n.* 30.

adverſus doctrinam à ſe traditam, de licito uſu opinionis minus probabilis, opponit ſibi hoc argumentum, nempè nemo poteſt licitè agere id, quod non poteſt judicare ſibi licere, ſed contra propriam opinionem, quæ eſt probabilior, nemo poteſt judicare, ſibi aliquid licere: ergò non poteſt contra illam agere. Minor patet, quia nemo poteſt aſſenſum præbere contradictoriis: ergò qui aſſenſum præbet ſuæ opinioni probabiliori, aſſerenti aliquid eſſe illicitum, non poteſt oppoſitæ aſſentire, judicando illud eſſe licitum: adhibitaque confirmatione, quæ rem moralem potius, quàm ſpeculationem noſtram reſpicit, objectioni in hunc modum occurrit.

9 Reſpondetur (inquit) negando minorem, & ad probationem dicitur, non poſſe ſimul intellectum aſſentiri duobus contradictoriis, atque adeò, nec contrariis opinionibus ſimul, poſſe tamè ſucceſsivè, ſcilicet deponendo modò aſſenſum opinionis probabilioris, & aſſentiendo opinioni minus probabili; hæc ille nihilque evidentius pro immediata opinandi, & credendi libertate.

10 P. Petrus Fonſeca *lib. 9. Methaph. cap. 2. q. 2. ſect. 3. lit. F.* Si quæſtio ſit (ait) de neceſsitate quoad ſpeciem actus, non dubium eſt, quin intellectus neceſsitetur ad aſſentiendum omnibus principiis per ſe notis, & concluſionibus demonſtratis. Et ead. *ſect. pagina mihi, 565. lit. E.* pergit: *Hinc enim fit, ut intellectus creatus ſæpè ſit indeterminatus ad aſſentiendum, & diſſentiendum quibuſdam enuntiabilibus, quia non omnia evidenter cognoſcit.* Hæc P. Fonſeca, quæ ſanè locum non habent in contraria ſententia, juxta quam intellectus neceſsitatus eſt, quoad ſpeciem, ad aſſentiendum veriſimilioribus, & ad diſſentiendum minus veriſimilibus. Nam qui opinandi libertatem rejiciunt, fateri nequeunt intellectum eſſe indeterminatum ad aſſentiendum, & diſſentiendum enunciabili alicui, quòniam ſivè evidens ſit enunciabile, ſivè probabilius, aut veriſimilius, determinatus eſt intellectus quoad ſpeciem aſſenſus, ſi minus probabile ſit, minus quæ veriſimile ad diſſenſum determinatur, ſi æquè veriſimile, aut nulla adſit poſitiva ratio aſſentiendi, nequit aſſentiri, nec diſſentiri: igitur nunquam juxta oppoſitam ſententiam verificari poteſt, quod intellectus ſit indeterminatus quoad ſpeciem ad aſſentiendum, & diſſentiendum alicui enunciabili.

11 P. Lambertinus *quæſt. 5. Theol. in quintum Corolarium ex tertio princip. Philoſoph. dubit. 3.* ubi de actu voluntatis ad fidem requiſito, hæc habet. *Sciendum eſt ſupponi primò tanquam certum, requiri actum veluntatis liberum ad determinandum intellectum ſpeculativum ad aſſenſum fidei infuſæ, hic autem actus duplex eſt; vel quædam pia affectio, ſeù animi propenſio, vel ad res, quæ proponuntur de fide, vel ad ipſum proponentem, & de hoc actu non eſt præſens ſermo: non enim neceſſario prærequiritur ad aſſenſum fidei, quia poteſt eſſe tanta evidentia credibilitatis, ut ſine hac pia affectione inclinetur intellectus ad aſſentiendum fide divina. Alius actus voluntatis eſt, qui neceſſario prærequiritur ad aſſentiendum fide divina, tanquam movens intellectum indifferentem. Non enim poteſt neceſsitari, nec quoad exercitium, neque quoad ſpecificationem, cum obſcurè aſſentiatur objecto, tanquam à Deo revelato, prærequiritur igitur actus liber voluntatis, qui moveat intellectum ad talem aſſenſum.* Hæc P. Lambertinus, quæ ſatis ſunt dilucida.

12 P. Joannes de Salas in *1. 2. tom. 1. q. 11. uſque ad 18. tract. 6. diſp. 2. ſect. 6. concluſ. 2. num. 53.* *Quando verò* (ait) *propoſitio non eſt evidenter vera, nec falſa, ſed utrimque ſunt rationes probabiles, poteſt ſine ulla nova ratione intellectus ex imperio voluntatis aſſentiri, vel diſſentiri etiam contra rationes probabiliores, niſi exiſtimentur evidentes.* Idem Salas *in 1. 2. tract. 6. diſp. 1. ſect. 5. n. 53. verſ. Decimo.* *Intellectus* (inquit) *ex impulſu voluntatis aliquando amplectitur opiniones minus probabiles.*

Ada-

13 Adamus Tannerus *tom. 2. Theolog. Scholaſticæ diſp. 2. de Actib. human. quæſt. 2. dub. 7. in expoſitione D. Thom. 1. 2. q. 17.* differit de ratione, qua voluntas movet intellectum, & *num. 69. §. 4. Quoad vero ad aſſenſum attinet*, (inquit) *non eſt is quidem, quantum ad actus ſpecificationem attinet in poteſtate voluntatis, ſi veritas ſit clara, & evidens operanti; at verò quandò ſolum eſt probabilis, & inevidens, poteſt voluntas ſuo arbitratu movere intellectum. Probatur; quia evidentia veritatis cogit intellectum ad aſſenſum ſaltem quoad ſpecificationem actus, ita ut intellectus diſſentire nequeat. Secus ſit quando veritas ſolum eſt probabilis, ſeù inevidens, ut in ipſis etiam fidei veritatibus cernere eſt. Unde rectè aſſerit Gregorius de Valentia quæſt. 12. punc. 5. eſſe in noſtro arbitrio poſitum, ut abjecta una opinione, quam putamus eſſe probabilior em, & cui proinde adhæremus, poſsimus amplecti aliam, quæ judicio noſtro ſit minus probabilis, idque ſine ulla nova ratione. S. Thomæ enim doctrina generalis eſt. Atque hoc modo proinde, in rebus practicis, ſæpè poteſt judicium intellectus, vi voluntatis ad unam potius, quam alteram partem inclinari.*

14 P. Ludovicus Turrianus *in 2. 2. D. Thom. q. 2. art. 9. diſp. 29.* apertè docet, aſſenſum fidei pendere ab affectu voluntatis non ſolum quantum ad exercitium, ſed etiam quantum ad ſpecificationem. Et ſufficienter propoſitis fidei myſteriis in poteſtate hominis eſſe illis aſſentire, & diſſentire: Et in fine pag. 371. & initio 372. ait, (Objectum obſcurè propoſitum non convincit intellectum, ergò eget aliquo determinante juxta doctrinam S. Thom. *q. 1. art. 4.* Eſt enim intellectus de ſe indifferens ad aſſenſum vel diſſenſum, & ita eget determinante. Poteſt verò determinari ab evidentia objecti, quando objectum eſt evidens; quando autem objectum eſt obſcurum non poteſt ab eo determinari; ergò neceſſarium eſt dicere determinandum eſſe à voluntate, ut poſsit aſſentire aſſenſu obſcuro. Quę omnia tanti momenti ſunt, ut multi viri hujus ætatis ſenſerint contrarium placitum non eſſe ullo modo admittendum:) hæc P. Turrianus, qui ad Ariſtotelis verba circumferri ſolita, ſcilicet, *opinari non eſſe in noſtra poteſtate*, reſpondet, (Non eſſe in poteſtate hominis opinari abſque ratione aliqua, vel authoritate) ac tandem excitat quæſtionem illam, an voluntas poſsit determinare intellectum abſque ulla ratione, in qua negativam partem tuetur, fatetur tamen levem rationem ſufficere ad leviter credendum.

15 Cardinalis de Lugo *tract. de fide. diſp. 1. ſect. 1.* perſpicuè tradit immediatam libertatem voluntatis ad imperandum aſſenſum, vel diſſenſum erga res fidei, ſed præcipuè perpendo ejus verba in *ſolutione 3. objectio. num. 11. fine*, ubi ex libertate voluntatis reſpectu ſui objecti colligit libertatem imperandi intellectus aſſenſum, vel diſſenſum in obſcuris, & ita concludit. (Sic ergò intellectus manet indifferens ad aſſenſum vel diſſenſum, quandò objectum proponitur cum ſpecie veri, & falſi: cæterum quia ipſe intellectus non eſt liber, non poteſt determinare ſuam indifferentiam, poteſt tamen determinari à voluntate, ut aſſentiatur, vel ut diſſentiatur, ad utrumque enim habet motivum ſufficiens.) Hæc Sapientiſsimus Purpuratuſque Pater.

16 P. Ripalda *tract. de fide divina diſp. 16. ſect. 1. num. 3.* aſſerit imprimis, omnem aſſenſum obſcurum fidei procedentem ab intellectu potente diſſentire objecto, indigere determinatione, & imperio poſitivo voluntatis; procedentem verò ab intellectu impotente diſſentire, non indigere illa. (Procedit aſſenſus (inquit ille) ab intellectu cum poteſtate diſſentiendi, qui efficitur ex plana, ac perfecta objecti advertentia, proponente indifferenter veritatem, & falſitatem, ſeù motiva ſuadentia utrumque extremum contradictorium. Procedit verò abſque poteſtate diſſentiendi, qui ex imperfecta objecti advertentia

elicitur, proponente ſolum veritatem illius abſque motivis ſuadentibus diſſenſum.

17 Deinde Idem Author *n.* 4. *ejuſd. ſect.* ſic habet (Aſſero igitur primo. Aſſenſus fidei regularis, & communis procedens ex perfecta propoſitione objecti cum poteſtate diſſentiendi deſiderat ſemper prævium determinationem voluntatis. Id communiter probatur ex teſtimoniis Sacræ Paginæ, Conciliorum, & Patrum, &c.) Et *num.* 8. (Nam intellectus, (inquit) qui non poteſt ab evidentia objecti cogi, & determinari ad aſſenſum, præſentiaque habet motiva aſſentiendi, & diſſentiendi, indifferens eſt ad aſſenſum, & diſſenſum. Aliunde cum ſit potentia naturalis, libertatis expers, non poteſt ſe ipſum determinare ad aſſenſum: ergò indiget determinatione alterius potentiæ, quæ alia eſſe non poteſt, quàm liberæ voluntatis.) Hæc prælaudatus Ripalda, quæ immediatam poteſtatem aſſentiendi, & diſſentiendi ex imperio voluntatis evincunt: ſicut & cuncta, quæ idem Author in progreſſu diſputationis tradit.

18 P. Franciſcus Amicus *de fide, diſp.* 10. *ſect.* 5. *num.* 63. expreſsè docet fidem pendere à voluntatis imperio determinante non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, & addit, neque hæc Concilia (videlicet Arauſicanum, & Tridentinum) intelligi poſſunt ſolum de libertate quoad exercitium; nam expreſsè Arauſicanum docet, per hanc voluntatem hominem corrigi ab infidelitate ad fidem, hoc eſt ex diſſenſu infidelitatis ad aſſenſum fidelitatis, quæ non ſolum eſt determinatio quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem) id quod deinceps fulcit idem Author; & *num.* 75. ſolum contra Cajetanum docet non poſſe intellectum à voluntate determinari ad aſſenſum abſque ratione aliqua.

19 P. Petrus Hurtado de Mendoza in *Scholaſticis, & moralibus diſput. de tribus virtut. Theolog. volum. ſecundo de fide, diſp.* 45. *ſect.* 2. §. 3. inquit: (Arbitror aſſenſum fidei eſſe proximè liberum quoad ſpeciem, ita ut poſitis omnibus conditionibus, proximè neceſſariis ad aſſenſum, ſit in noſtra poteſtate aſſentiri, & diſſentiri, non quod poſsimus componere aſſenſum, & diſſenſum; ſed quia alterutrum ex his poſſumus componere cum applicationum cognitione. Pergit hic Author, & immediatè ſubjungit: concluſio hæc eſt Sancti Thom. *q.* 2. *art.* 9. maximè verò ad ſecundum. Et propoſita D. Thomæ in hoc puncto doctrina, ut præfatam fulciente ſententiam, addit, *S. Thomam comitantur Scholaſtici omnes, vix uno aut altero excepto*; aitque eſſe apertè ſententiam S. Auguſtini, de quo infra: multiſque, & validiſsimis ab authoritate, & ratione deſumptis rationibus præfixam illuſtrat concluſionem. Nec te prætereat Lector ſapiens eloqui hunc Doctorem de libertate quoad ſpeciem, & proximam, quæ autem ex inquiſitione novarum rationum penderet, non proxima libertas, ſed remota eſſet equidem.

20 P. Gaſpar Hurtado *tract. de fide, ſpe, & charitate. diſp.* 4. *difficult.* 7. *pag. mihi* 79. ſic habet: (Ex dictis conſtat actum fidei humanæ, & actum opinionis immediatè, & in ſe ipſis pendere ab imperio, ſeù affectu voluntatis, non tantum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, quando apparet ratio aliqua alias ſufficiens ad diſſentiendum, ut contra Ægidium *diſp.* 13. *num.* 40. advertit Lorca *num.* 8.) Hæc Hurtado probat, & ab objectionibus liberat, præſertim à vulgari illa deſumpta ex Ariſt. 3. de Anima.

21 Sed quia P. Hurtadus ſupponere videtur Ægidium Coninch aliquid contra aſſumptum noſtrum docuiſſe, haud incongruum erit verba, & mentem Ægidii proponere: illa igitur *diſp.* 13. *de fide. dub.* 4. *num.* 36. Cininchus hæc habet: (Secunda concluſio: voluntas

tas noſtra communiter in aſſenſu fidei determinat intellectum non ſolum ad exercitium, ſed etiam ad ſpecificationem:) pergit,& ait: (Hanc etiam tenent Auctores citati pro priori concluſione. Vide Turrianum 2. 2. *diſp.* 29. *dub.* 2. Probatur quia tunc una potentia aliam determinat ad ſpecificationem actus, cum eam ad utramque partem ex ſe indifferentem movet, ut potius eliciat aſſenſum,quàm diſſenſum; atqui hoc accidit communitèr in noſtro aſſenſu fidei: ergò voluntas communitèr movet intellectum noſtrum ad ſpecificationem actus. Minor probatur: quia communitèr propoſitis objectis fidei eſt in noſtra poteſtate non ſolum eis non aſſentiri, ſed etiam diſſentire, ut patet experientia in multis, qui objectis fidei ſibi ſufficienter propoſitis, ita ut teneantur credere, & non credendo peccent, tamen propter malum voluntatis affectum poſitivè diſcredunt adhærentes pertinaciter ſuis contrariis erroribus.)Hæc P. Conink, in quibus plura apertè docet,& propugnat, quam quæ Adverſarii Recentiores admittunt.

22 Fateor eundem Authorem in numero immediatè ſequenti aſſerere, voluntatem non determinare intellectum ad aſſenſum partis minus veriſimilis, niſi determinando pro priori intellectum, ut fortius apprehendat rationes illius partis,quàm contrarias; hoc tamen liberè poſſe à voluntate imperari dicit,quoties apparens ſaltem aliqua ratio probabilis proponitur intellectui pro eadem parte: Id quod iterum edocet *num.* 13.ubi Philoſophi textum ex lib. de Anima exponit: hæc autem non rejiciuntur à pluribus libertatis opinandi propugnatoribus, ut conſtat ex dictis *ſect. ſuperioribus*, & infra magis inclareſcet. Denique apprehendere fortius objectum, non eſt idem objectum apparere veriſimilius oppoſito, ſed veriſimilius ſe ipſo tepide, aut remisè apprehenſo.

23 P. Sebaſtianus Izquierdo in *Pharo Scient. diſp.* 7. doctè, ſcribit de dependentia intellectionis humanæ à voluntate,& in *quæſt.* 3. præmiſsis nonnullis,*num.*49.(Difficultas eſt, (inquit)an etiam poſsit intellectus ex voluntatis imperio moveri illo, quod minus ponderat, minuſque quàm alterum inclinat ad eam partem judicandam, in quam inclinat. Tùm an poſsit moveri alterutro, quando ambo inclinant æqualiter.)

24 Pergit hic Author. Et *num.*50.ſic habet: (Suppono tertio. Plerumque poſſe intellectum in caſu quæſtionis ex voluntatis imperio facere, ut fundamentum, quod aut æqualiter, aut minus quàm alterum inclinabat ad judicandum,jam magis inclinet; atque adeò ſufficiens ex ſe citra dubium ad judicandum evadat; nempè aut applicando attentionem ad eam partem, & removendo ab oppoſita,atque adeò exagerando, expreſsiuſque, & melius concipiendo momenta ejus partis, quaſi deſpectis, & rejectis,minuſvè expreſsè conceptis momentis alterius, aut facto diſcurſu ſubſidii aliquid attrahendo pro parte illa contra oppoſitam à conjecturis denuò inventis,aut aliter. Pro quo multum facit voluntatis affectus ad talem partem judicandam propenſæ. Quò pacto evenit ſæpiſsime, ut judicemus quod volumus, quando materia incerta eſt, quæ etiam frequenti experientia conſpicua ſunt.)

25 Porrò hæc libertatem opinandi, & credendi haud parum commendarent,ſed ad magis proprios quæſtionis terminos gradum faciens, (Difficultas igitur (inquit num. 51.) tandem eſt,an invariatis,& prorſus eodem modo ſe habentibus fundamentis pro utraque parte contradictionis, aut æqualiter, aut inæqualiter inclinantibus ad judicium, intellectus humanus poſsit pro voluntatis electione utramvis ſeorſim judicare? Quæ difficultas in eam recidit. An pro ambabus partibus contradictionis poſ-

ſint

ſint eſſe ſimul fundamenta ſufficientia ex ſe ad judicandum, ſivè ea æqualia, ſivè inæqualia ſint, quoad inclinationem? Tùm etiam in eam: An intellectus humanus in rebus incertis ex vi fundamentorum præſentium, prout jacent, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem ſit liber, adeò ut non ſolum poſsit judicare, aut non judicare alteram partem contradictionis; ſed etiam poſsit judicare unam vel alteram, prout voluntati libitum fuerit, addo, ſivè prudenter, ſivè imprudenter? Profectò nequit dilucidius difficultas proponi, ipſique reſpondet *Propoſ.* 1. *num.* 52. & ob erratum 51. in hunc modum.

26 Exiſtimo, ſæpè eſſe pro ambabus partibus contradictionis fundamenta ex ſe ſufficientia ad judicandum illas ſeorſim, ſivè illa ſint inæqualiter, ſivè æqualiter inclinantia ad judicium. Atque adeò intellectum noſtrum circa extrema contradictionis ex vi fundamentorum, prout jacent, ſæpè eſſe liberum ad judicandum non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem; ſubindeque in talibus caſibus, penès arbitrium voluntatis eſſe, utramvis partem contradictionis judicare abſque ulla varietate fundamentorum.) Hæc P. Izquierdo, omnigena ex cultus eruditione, ſuamque mentem quadruplici argumento fulcit, quæ nos infra adſavente numine dabimus.

27 Et ne quidpiam ex traditis ab hoc Authore, quoquomodo ad rem conferens tegere videar, adnoto in 2. *Propoſitione num.* 56. aſſerere, quod ſtantibus pro utraque parte contradictionis fundamentis inclinantibus ad ejus judicium, non ſemper eſt, penes arbitrium hominis judicare utramvis. (Ratio eſt, (inquit) quia inclinatio fundamenti ad judicium certam quantitatem debet attingere, ut illud ex ſe ſufficiens ad judicandum faciat, citra quam utique non faciet. Ob id enim ſæpè ad aliquam partem contradictionis ita inclinamur, ut licet compotes ſimus formidare, aut ſuſpicari de illa, compotes tamen judicare non ſumus ex vitalis inclinationis.) Hæc verò aſſertæ opinandi libertati nihil officere, conſpicuum eſt, oſtendunt tamen, quam minuta ſubtilitate P. Izquierdo iſtud limat argumentum: Et facilius quoad hanc partem illi aſſentiar, ſi de prudenti electione, & judicio ſit ſermo, quia ad imprudenter judicandum leviſsima ratio ſufficere ſolet.

28 Nec inferiori acumine, & doctrina de eadem re diſſeruit P. Oviedo in 1. 2. *D. Thom. de Actibus humanis, tract.* 2. *controv.* 5. *punc.* 2. ubi de ratione qua voluntas moveat potentias ſibi ſubditas, ad rem noſtram deveniendo *num.* 31. (Poteſt autem (inquit) determinare, & imperare aſſenſum opinativum, & aſſenſum fidei, quia objecta horum aſſenſuum non proponuntur ut evidenter vera, & eo ipſo quod objectum, ut probabile proponitur, ſeù per præmiſſas tantum probabiles, proponitur cum aliqua ratione potente movere ad diſſenſum, & eo ipſo quod intellectui proponatur unum objectum formale ſufficiens ad aſſenſum, & aliud ad diſſenſum ſufficiens, hæret inter utrumque donec à voluntate determinetur ad unum actum potius, quàm ad alium per imperium, cui intellectus deſpoticè obedit in hac re. Ita communitèr Doctores, in quibus Valentia, *quæſt.* 12. *punc.* 5. ait in noſtro arbitrio poſitum eſſe, ut relicta una opinione, quam probabiliorem putamus, & cui adhæremus, poſsimus amplecti aliam, quæ judicio noſtro ſit minus probabilis, idque ſine ulla nova ratione.) Hucuſque P. Oviedo, qui nec in minimo à doctrina P. Valentia diſsidet, ut vel ex traditis liquet.

29 Sed inclareſcet amplius ex his, quæ in eiſdem tractatibus *in* 1. 2. ſcribit nempè *tract.* 5. *controv.* 3. *punc.* 2. *num.* 18. ibi: (Nec poteſt dici hoc fundamentum videlicet probabilitas ut duo, non eſſe ſufficiens fundamentum in

præ-

præſentia probabilitatis, ut quatuor, ad hoc ut intellectus poſsit per imperium voluntatis determinari ad aſſenſum, etiam ſi ea abſente, probabilitas ut quatuor (ut duo videtur legendum) ex ſe ſufficiens ſit, quia poſtquam voluntas liberè voluit non acquieſcere majori probabilitati, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet reſpectu minoris probabilitatis, cui nec quidquam virtutis imminuit, ut ratione illius voluntas poſsit imperare aſſenſum. Similem huic quæſtionem tractavi latè *Controverſ.* 11. *de Anima punct.* 6. ubi probavi, voluntatem poſſe ferri in minus bonum propoſito majori bono, etiam ſi illius objectum ſit bonum ut ſic, ex quo inferes poſſe imperare aſſenſu m circa id, quod minus veritatis fundamentum habet in præſentia illius, quod majus veritatis fundamentum habet, etiam ſi objectum aſſenſus ſit id, quod fundamentum, ſeù apparentiam habet veritatis.) Enim verò Oviedo nedum protectam opinandi libertatem his edocet, ſed nobis exhibet jam pharetram ex qua rationum ſpicula ad eandem elucidandam ſententiam educere poſſumus.

30 P. Joannes de Cardenas novam lucem eidem doctrinæ adfert 1. *part. Criſ. diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 9. ubi prius traditis variis modis, quibus voluntas indirectè poteſt flectere intellectum, & movere ad aſſenſum partis minus probabilis, progreditur ad directum imperium, & *num.* 303. (Aſſero (inquit) ſecundo: Etiam quandò una pars repræſentatur intellectui, ut evidenter probabilior, poteſt voluntas flectere intellectum ad aſſenſum partis minus probabilis. Et quidem, cum repræſentatur evidenter ut probabilior, adhuc ea pars repræſentatur ut incerta, & talis, ut ab ejus aſſenſu abſtinere poſsit, niſi à voluntate flectatur. Unde dum intellectus videt partem oppoſitam eſſe incertam, & ſi probabiliorem, ad cujus aſſenſum ideò non cogitur, poteſt voluntas flectere intellectum ad partem oppoſitam. Patet concluſio. Nam dum quis fruitur bona fama de honeſtate morum, non eſt certum eſſe innocentem; tamen probabilius eſt, illum eſſe innocentem; & tamen hominis infenſi voluntas ſæpè flectit intellectum, ut temerè judicet, illum eſſe noxium: ergò ubi pars aliqua probabilior eſt, ſivè ubi præponderat majus robur probabilitatis, poteſt voluntas flectere intellectum ad partem oppoſitam.) Hæc Cardenas, pluraque annectit pro eodem placito, ſed præcipuè excerpere placuit, quod infra *num.* 307. aſſerit, nempè: (In eo ergò caſu, quo aſſentitur parti, quæ ſibi proponitur ut minus probabilis ex parte motivi, judicat motivum oppoſitum magis accedere motivo veritatis; adhuc tamen judicat falſum, ubi non cogit ad ſui aſſenſum id motivum fallibile, & incertum: & partem minus probabilem judicat veram, quamvis debiliter, & cum formidine.) Hęc ille.

31 Sed venit adnotandum, in hoc ultimo loco videri docere P. Cardenas, quod etiam in ſenſu compoſito, ſeù cum judicio de majori probabilitate unius contradictoriæ, poſsit intellectus aſſentiri oppoſitæ, id quod plus eſt quàm quod modò intendimus, quòniam vel ex affectione, & imperio voluntatis, ut plures aſſerunt, vel ex ipſo formali intellectus aſſenſu deficit apparētia cōtraria majoris probabilitatis, ſeù major veritatis apparētia; de iis autē infra diſſeram. Cæterum P. Cardenas licet docere videatur id ſenſus compoſiti majoris probabilitatis unius partis cum aſſenſu præſtito parti contradictoriæ, tamen in 3. *part. criſ. tract.* 1. *diſp.* 56. *cap.* 7. *art.* 3. *num.* 363. expreſsè animadvertit, ſe præſcindere ab eo, quod ſit poſsibilis, vel repugnans talis ſenſus compoſitus, & ſibi ſufficere, quod voluntas poſsit intellectum flectere ad aſſentiendum parti minus probabili, quod ſine eo compoſito ſenſu fieri poteſt, deponendo nimirum judicium de oppoſita probabilioritate, & aſſentiendo

vel

vel tanquam probabiliori conſequenter ſcilicet ad electionem, & imperium voluntatis, vel tanquam æquè probabili, & in hoc ſenſu ſe loquutum fuiſſe *in prim. part.* adnotat *in* 3. *part. dict. art.* 3. *num.* 364. Eodemque articulo 3. latè communit opinandi minus probabilia phyſicam libertatem, & comprobat *in* 3. *part. criſ. diſp.* 56. *cap.* 17. *ar.* 1. *à n.* 897. Tãdem aliis omiſsis, candidũ calculũ eidem opinãdi, & credẽdi libertati præbẽt P. Anton. Terilus *de conſc. probab. q.* 8. & 9. & *in tract. de Regula moral.* 1. *part. quæſt. trigeſ. per totam*: P. Martin. Eſparça *in Appendice ad quæſt. de uſu licit. opin. probab. part.* 2. nimirum *ab articulo* 103. *uſque ad artic.* 139. & *lib.* 3. *de act. hum. q.* 23. *in ſolut. arg. ad* 1. *art.* 1. 2. 3. & 4. qui doctè, & argutiſsimè, atque eleganter de hac re diſſerunt, eiſdemque ingenioſi alii adſtipulantur Recentiores, & noviſsimè P. Carolus Antonius Caſnedi eruditione præſtans, mihique ſanè quàm colendus *in Criſ. Theol. tom.* 1. *diſp.* 8. *ſect.* 3. & *ſeqq.* Liquet ergò, aſſenſum fidei pendere ab affectu, ſeù determinatione liberæ voluntatis, quoad exercitium, & quoad ſpecificationem, non ſolùm remotè, ſed etiam proximè, & immediatè, ſententiã eſſe communem, quam tuentur, & illuſtrant ex omni Schola, ex omnique ferè ſacro ordine Authores veneranda antiquitate, & ſapientia conſpicui, Recentioreſque haud deſpicatui habendi, ſed doctrina potius ingenti commendabiles, & præclari. Patet ex ſectionibus præcedentibus.

SECTIO VIGESSIMA QUARTA.

Notatis erroribus, refert ſententias, & Subtilem Doctorem pro immediata fidei libertate ſtare oſtendit.

1 PRimò Manichæi hæretici fidem evidentem eſſe oportere arbitrati fuiſſe videntur. Nam contendebant, nihil eſſe credendum, quod non ratione oſtenderetur eſſe verum, ut ex S. Auguſtino intelligi poteſt in libro *de utilitate credendi, cap.* 1. ubi ipſe Auguſtinus narrat, ea opinione vel maximè ſe fuiſſe adductam, ut Manichæis crederet. *Quid enim me* (inquit) *aliud cogebat, annos ferè novem ſpreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus inſita erat, homines illo ſequi, ac diligenter audire, niſi quod nos ſuperſtitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: ſe autem nullum premere ad fidem niſi prius diſcuſſa, & enodata veritate.*

2 In eodem errore fuiſſe videtur Petrus Abailardus, ſiquidem S. Bernardus *epiſt.* 190. inter errores illius numerat, quòd aſſeruerit, *non eſſe credendum aliquid ſine ratione*, & quòd, ſe rationem reddere velle quorumcumque fidei Myſteriorum, profiteretur. Haud dubiè enim, inquit P. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *de object. fidei, punc.* 4. de ratione evidenti Petrus hic loquebatur: nam quod fides nitatur ratione inevidenti, ut puta divina auctoritate, & teſtificatione, extra controverſiam eſt. Unde Bernardus ubi ſuprà Petro illi objecit teſtimonium S. Gregorii dicentis, *fidem non habere meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Homil. 26. in Evang.

3 Videtur quoque in eadem ſententia fuiſſe Calvinum *lib.* 2. *Inſt. cap.* 17. *ſect.* 2. & 3. ubi ait: *Fidem non in ignorantia, ſed in cognitione ſitam eſſe, & cum intelligentia conjunctam.* Ac poſtea quidam ſectarius in reſponſione ad Analyſin fidei doctè conſcriptam à P. Valentia, imperitiſsimè contendit, fidem non inevidentem, ſed evidentem eſſe, neſciens nimirum diſtinguere inter evidentiam, & certitudinem infallibilem, ac proinde ignoranter detorquens ad evidentiam ea, quæ in Scripturis extant de fidei certitudine infallibili, ut in peculiari tractatu contra prædictum ſectarium edocet idem P. Valentia.

4 Fuerunt autem ex Scholaſti-

ticis Theologis unus, aut alter, qui docuerint fidem eſſe evidentem. Ita enim ſenſit, Franciſcus de Marchia *in Prolog. ſent. quæſt.* 3. quem refutant Gregorius Ariminenſis ibidem *quæſt.* 1. *art.* 4. & Ockam. *quæſt.* 3. & adſavere videtur Holcot *in* 1. *ſent. quæſt.* 1. *art.* 6. *in reſponſ. ad prim. argum. primi dubii.*

5 Alia verò ſententia inter Catholicos Theologos docet, quod dum ſacra myſteria cum evidenti credibilitate intellectui proponuntur, poteſt quis, vel ob malitiam, vel ob difficultatem fidei, eam non amplecti: cæterùm in in eo inſtanti non poſſe quempiam amplecti intellectualiter ſectam contrariam, eique per aſſenſum pertinaciter adhærere: conſequenter ajunt hujus ſententiæ Authores, quod quicumque credit fide divina myſteria noſtræ religionis in illo inſtanti, & pro priori illius ad aſſenſum non habet poteſtatem proximam antecedentem ad diſſentiendum illis: tandemque fidem eſſe nobis immediatè liberam quoad exercitium, ſecùs quoad ſpeciem, ſic tenent Julius Mercorus, *par.* 2. *Baſ. Theol. mor. art.* 3. 4. 5. & 6. Antonius Celladeus, ſeù P. Michael de Elizalde *de Recta doc. mor. in Appendice, de Natura opin. quæſt.* 2. §. 2. *& per totam quæſt.* Cardin. Palavicin. *in* 1. 2. *diſp.* 8. *quæſt.* 6. *ar.* 4. *num.* 9. R. A. P. N. Thyrſus Gonçalez *de Rec. uſu opi. prob. diſſert.* 3. *num.* 11. P. Camargo *part.* 1. *lib.* 1. *controv.* 5. *art.* 12. §. 3. Doc. Euſebius Rios, *lib.* 1. *de liber. ad fid. diſp.* 1. *dub.* 1. §. 4. *num.* 74. Mag. Palanco *diſp.* 5. *de fide. quæſt.* 8. *num.* 21. *& ſeqq.*

6 Porrò ex antiquis Scriptoribus vix poteſt aliquis pro hac ſententia laudari, licet enim plures exiſtiment Holcotum *in* 1. *ſenten. q.* 1. *art.* 1. docuiſſe voluntatis affectum neceſſarium non eſſe ad aſſenſum fidei; hæc tamen ſententia diſsidet à prælibata, illa quippè admittit neceſsitatem affectus voluntatis ad aſſenſum fidei, tùm in applicatione intellectus ad percipienda motiva credendi, tùm propoſitis motivis, ad aſſentiendum divinis myſteriis; non enim aſſerunt citati Authores objectum fidei eſſe evidens, ſed potius dicunt eſſe obſcurum; Holcot autem, licet diffiteri non poſſet, opus eſſe affectu voluntatis ad perquirenda fidei motiva, his tamen propoſitis, juxta præfatam exiſtimationem, negabat opus eſſe affectu voluntatis ad exercitium credendi: & juxta hunc ſenſum Holcoti ſententiã referunt, & rejiciũt communiter Theologi *in tract. de fide*, ſed præcipuè Almain *in* 3. *ſenten. quæſt.* 1. *fol. mihi* 75. & in dictatis ſuper ſententias Holcot. *tit. de actib. fidei in princ.* ubi tanquam Holcoti ſententiam proponit, quod *non poteſt intellectus non habituatus alicui propoſitioni aſſentire aſſenſu fidei, niſi neceſsitatus per rationem.* Hæc Almainus, cui, ut ſpeciali enucleatori ſententiarum Holcoti fides maximè videtur adhibenda. Pro eodem placito referunt Holcotum Exim. Doct. *diſp.* 6. *de fide, ſect.* 6. *n.* 2. Ægid. Conink *diſp.* 13. *dub.* 4. *num.* 26. Picus Mirandul. *in Apolog. concluſ.* 8. Aragonius *in* 2. 2. *D. Thom. q.* 1. *a.* 4. *in explic. artic.* & alii ſatis frequenter.

7 Cæterùm P. Ludovicus de Torres *in* 2. 2. *tract. de fide, ſpe, & charit. diſp.* 29. *dub.* 1. inquit aliam fuiſſe mentem, ſententiamque Holcoti, ſolùmque dixiſſe: non eſſe in poteſtate liberi arbitrii aſſentiri cuilibet parti cõtradictionis, abſque ratione aliqua, & quod licet in ſeptimo argumento docuiſſet, aliquando poſſe convinci intellectum, ad credẽdum etiam repugnante voluntate, expreſsè tamen loqui de fide humana, de fide autem divina, & infuſa nihil aſſeruiſſe: ita Holcotum explicat Turrianus. At reor merito pro relata ſententia allegari Holcotum, quòniam *in* 1. *ſentent. q.* 1. poſt plura argumenta pro diverſis articulis, & in utramque dubitationis partem adducta, exponit, quid ſit credere, inquiens, *Similiter poteſt dici quod velle aſſentire, vel acceptare aſſenſum, vel gaudere de aſſenſu eſt meritorium, quia omne quod eſt meritum eſ-*

eſſentialiter eſt actus voluntatis, quæ ſola meretur, & demeretur ſecundùm Ambr. de concep. Virgin. cap. 4. & ideò propriè, & ſtrictè loquendo de merito: aſſentire articulis fidei, non eſt meritum, nec meritorium: ſed accipiendo meritum pro illo quod ſupponitur merito: ſicut articulus fidei: aſſentire eſt meritorium: ſimilitèr actus credendi poteſt imperari à voluntate, ſicut actus conſiderandi aliquam concluſionem geometricam, vel phyſicam quamcumque, & hoc poteſt eſſe meritorium in caſu ſic credere. Hæc Holcot, qui paulò inferius etiam ait: *In eis, quæ fidei ſunt, ſtatuit Deus, quod homo ſit ſolicitus circa ſalutem propriam, & inquirat, & addiſcat. Et videtur mihi quod ſufficientèr inquirenti ſunt rationes ſufficientes ad cauſandum aſſenſum fidei.* Hactenùs Holcot.

8 Tribui etiam ſolet hæc ſententia Subtili Doctori Scoto, ſed alia eſt ejus mens ut infrà dicemus. Hanc tamen ſententiam, in qua diximus eſſe Holcotum inquit P. Turrianus ſupra cit. loco, docuiſſe in Academia Complutenſi Primarium Regentem Doc. Otadui Epiſcopum Abulenſem; alioſque haud in doctos viros innominatos ita cenſuiſſe, ac docuiſſe, Concilia, Patreſque requirentes actum voluntatis ad aſſenſum fidei, intelligendos eſſe de actu voluntatis neceſſario ad exercitium, & applicationem intellectus, ad conſiderationem rerum fidei perfectam, & diuturnam; conficitur ergò hanc ſententiam differre à prima, quatenùs Recentiores pro prima ſententia laudati exigunt motionem voluntatis ad exercitium actualem credendi, ſecunda verò ſententia, eum affectum ſolum ponit neceſſarium ad conſideranda credendi motiva: unde recidit hæc ſententia in opinionem Franciſci de Marchia, ſupra memorati.

9 Tertia ſententia docet, aſſenſum fidei pendere ab affectu, ſeù determinatione voluntatis non ſolùm quantum ad exercitium, ſed etiam quantum ad ſpecificationem, non ſolùm remotè, & indirectè, ſed etiam directè, & immediatè. Hæc eſt D. Thomæ communis, & vera, ut inclareſcit ex adductis in ſuperioribus ſectionibus; adeòque percrebuit, ut jam pridem inſederit in ſapientum animis, & in eam, in terminis propoſitam, conſpirare omnes Theologos ſine diſcrimine, uno excepto Scoto inquit Magiſter Lorca *in* 2. 2. *D. Thomæ tom. de fide, ſpe, & charitate. diſp.* 12. *num.* 5. & P. Hurtado de Mendoza *in Scholaſticis diſput. de virtutibus Theologicis, volum.* 2. *de fide. diſp.* 45. *ſect.* 2. §. 3. non ſolum aſſerit, eſſe concluſionem D. Thomæ, ſed quòd, in hac re Doctorem Angelicum committantur Scholaſtici omnes, vix uno aut altero excepto: utriuſque verba dedimus ſupra.

10 Cæterùm Subtilem Doctorem Scotum à celeberrima hac ſententia minimè diſſidere, haud ex mea proferam penu, ſed authoritate ſua id ſtabiliunt inclyti ipſius Scoti Diſcipuli, & elucidatores Maſtrius, & Pontius: ille *in* 3. *lib. ſenten. diſp.* 6. *de virtut. Theolog. quæſt.* 8. *de dependentia aſſenſus fidei à voluntate, art.* 1. *num.* 239. per hæc verba: (Secundo dicendum eſt, communitèr, & regularitèr loquendo, voluntatem in aſſenſu fidei determinare intellectum, non ſolum ad exercitium, ſed etiam ad ſpecificationem actus. Hæc etiam eſt communis apud Coninchium cit. Turrianum 2. 2. *diſp.* 29. *dub.* 2. Pontium ex noſtris *diſp.* 28. *q.* 2. Aretinum. 3. *diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 1. & alios, & deducitur expreſsè ex Scoto loco cit. (nempè *in* 3. *diſtinct.* 25. *q.* 1. *in fine.*) Probatur, quia tunc voluntas intellectum determinat, non tantum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, cùm eum ad utramque partem ex ſe indifferentem movet, ut potius eliciat aſſenſum, quàm diſſenſum; ſed ita communitèr accidit in noſtro aſſu fidei: ergò, &c.

11 Minor probatur (pergit Maſtrius) quia communitèr, & regularitèr

ter propositis fidei objectis est in nostra potestate non solùm eis non assentiri ; sed etiam dissentiri , ut patet experientia in multis , qui objectis fidei sibi propositis ita sufficienter ut credere teneantur, & non credendo peccent, nihilominus propter malum voluntatis affectum positivè discredunt , suis adhærentes erroribus ; ratio hujus est quia communiter , & regulariter loquendo, homines non moventur ad credendum per motiva credibilitatis, sic sufficienter propositis ut ab eis determinari debeant ad speciem actus circa id quod credunt ; simpliciores enim , & idiotæ communiter non sunt capaces discursuum , qui sunt necessarii , ut sic illa motiva proponantur ; nam communiter ad fidem moventur ex eo quod Parochus, vel parentes proponant illis, credenda esse illa , quæ credunt, quod motivum non sufficit ad specificationem actus ut benè discurrit Pontius loco cit.

12 Hinc Concilium Arausicanum loco cit. (scilicet *cap.* 5.) docet , per voluntatem credendi hominem corrigi ab infidelitate ad fidem , hoc est , ex dissensu infidelitatis ad assensum fidelitatis; quæ non solùm est determinatio quoad exercitium , sed etiam quoad specificationem ; hoc loquendi modo significans communiter requiri imperium voluntatis ad determinandum intellectum etiam ad specificationem actus circa propositionem credendam , quo determinetur ad credendum potius , quam discredendum ; & ideò communiter actum fidei esse liberum , tàm quoad exercitium , quàm quoad specificationem. Hactenùs Mastrius.

13 Pontius autem *disp.* 28. *quæst.* 2. calculum suum eidem sententiæ adhibet , nec non *Comment. Scoti in* 3. *lib. Sententiarum distinct.* 25. *quæst.* 2. *lateral* , nec opus est hæc loca ad litteram referre , per omnia quippè Mastrio adsonant. Porrò autem , Subtilem Doctorem adfavere huic sententiæ, deducitur ex ipsius verbis *in* 3. *sentent. distinct.* 25. *q.* 1. *fine*, ubi cum stabiliat in intellectu recipi fidem, objicit sibi, ex eo colligi posse, quod aliquis possit credere nolens ; quia quæ sunt in intellectu præcedunt velle, & argumentum elevat in hunc modum : *Dico quòd non sequitur, quia actus credendi dependet ex duobus, scilicet habitu inclinante , & credibili præsentato , non quomodocumque , sed præsentato tanquam credibile , & sic communiter non præsentatur nisi per doctrinam , & adhuc si sic præsentatur , non necessariò credit intellectus , ut sic credere prævedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonstrat , ita ut cogat intellectum ad assentiendum , ideò non credit nisi volens , quamvis autem voluntas sic habeat imperium super actum credendi , non tamen habet imperium super oppositum actum , stante fide: ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis , sed solum potest impedire intellectum , ne exeat in actum suum credendi elicitum circa credibilia proposita.* Hæc Subtilis Doct. Scotus.

14 In hisce igitur verbis, ne sibi contrarius extitisse dicatur tantus Doctor , ea ipsius mens esse videtur , scilicet fidei assensum esse liberum immediatè , & quoad exercitium, & quoad speciem, quando intellectui proponuntur non solum evidentis credibilitatis rerum fidei motiva, verum etiam opposita errorum argumenta , & si longè minus verisimilia : quando autem homo fi-

delis ita firmiter adhæret fidei objectis, ut omninò non appareant hæreſum argumenta, & de illis non cogitat, tunc ſolùm quoad exercitium fidem eſſe liberam; id quod ſimiliter edocet P. Ripalda *tract. de fide. diſp.* 16. *ſect.* 1.

15 Nunc tandem adnotatum velim primo, in præ excerptis ſapientum Scriptorum locis, me non omnia, quæ in ipſis continentur defendenda ſuſcipere, ſed ex illis momentum aliquod, & authoritatem credendi immediatæ libertati afferre adnitor. Secundo dum opinandi libertatem munire conor, mihi ſermonem non eſſe de libertate honeſtatis, & licitudinis circa utrumque libertatis extremum: certum quippè eſt, nec judicium temerarium, nec hæreticum aſſenſum eſſe honeſtum, nec licitum, ſed potius ut malum fugiendum, & deteſtandum: adeòque de libertate præcisè ſumpta diſſero juxta illud Eccleſi. cap. 15. v. 17. *Appoſuit tibi aquam, & ignem, &c.*

SECTIO VIGESSIMA QUINTA.

Ex Sacra Scriptura fidei immediata quoad ſpeciem libertas probatur, videlicet ex Marc. cap. 16. *v.* 15. *&* 16. *Paul. Ad Roman. cap.* 10. *v.* 16. *Actor. cap.* 17. *v.* 32. *Joann. cap.* 12. *v.* 37. *&* 38. *Judæorumque obdurationem cum immediata eorundem libertate ſtetiſſe.*

1 ASſero igitur, actum fidei eſſe liberum, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, non ſolum mediatè, ſed etiam immediatè: concluſio colligitur ex divinis literis, tùm ex Sacris Conciliis, & Patribus; & primo ex divinis literis, nam Marci *ultimo cap. v.* 15. *&* 16. dicitur: *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit ſalvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur.* Et Paul. *ad Rom.* 10. *v.* 16. *cum Iſaia dicit: Domine quis credidit auditui noſtro?* Quia nimirum hoc poſitum eſt in libertate hominum, ut ſcilicet audita Evangelii prædicatione quiſpiam cum Dei adjutorio credat, aut pro ſua prava, & libera voluntate non credat, non ſolum ſuſpenſivè, verùm, & diſſenſu poſitivo, ut elucéſcit ex *Actorum* 17. *cap. v.* 32. ubi hæc exarata colimus: *Cum audiſſent autem* (nempè alloquente Apoſtolo in medio Areopagi) *reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus, & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum iis.*

2 Cernimus autem in hoc eventu tres Auditorum claſſes, ſeù triplicem modum, quo Apoſtoli prædicatio fuit ab Auditoribus excepta, quòniam D. Dionyſius, Damaris mulier, & alii, vocationi Dei obtemperantes crediderunt, adhæſeruntque Paulo; alii aſſenſum ſuſpendentes, nec tamen poſitivè diffitentes dixerunt: *Audiemus te de hoc iterum.* Alii tandem poſitivè reluctantes irridebant Apoſtolum. Tùm ſic: tribus his audientium claſsibus myſterium de quo differebat Apoſtolus, fuit ſufficienter propoſitum, ut

ut aſſenſum illi præberent: ſed id omnes non præſtitere, ſed aſſentientibus quibuſdam, alii aſſenſum ſuſpenderunt, alii verò poſitivè diſſentiebant; utique liberè, ut liquidum eſt: igitur ex divinis conficitur literis, poſſe quempiam vocationi ad fidem proximè, & immediatè, nedum cum divina gratia aſſentiri, verùm, & pro ſuo libito, & vitioſo affectu, poſitivè contradicere. Nihil non verum ex ſacro textu non deductum complectitur hæc ratiocinatio.

5 Aſſumptio ſiquidem prima perſpicua mihi eſt, quòniam cum Paulus cœleſti ſua eloquentia, ſcientia, & gratia, ut ad fidem traheret audientes, tam ingenti zelo, & niſu, in hoc eventu operam dederit, id quod vel ipſa ſatis fuſè ducta diſſertatio, in ſacro textu conſcripta, demonſtrat, ambigendum non eſt, de ſufficienti hac fidei myſteriorum propoſitione, etiam reſpectu eorum, qui rebelles fuerunt: imò quamvis auditores, & ſapientiſsimi eſſent Philoſophi, & eloquentiſsimi, vinci potuerunt Sapientia Pauli, unde D. Ambroſ. *Epiſt.* 25. *ad Eccleſiam Vercell.* de hac Apoſtoli diſſertatione ait: *Illi doctiſsimorum, & eloquentium cœtus ſimplici diſputatione victos ſe eſſe, credentium exemplo manifeſtarunt.* Quamobrem pertinaciter ſolum obnitentes ſophi in ſuis erroribus permanſerunt; credentium quippè exemplo victos ſe eſſe ab Apoſtolo, manifeſtarunt.

6 Quod autem Ambroſius, (opportunè adnotat P. Lorinus *in cap.* 17. *in Acta Apoſt.*) ſimplicem diſputationem vocat (idemque ut extollat promptam fidem Dioniſii, Michael Syngelus videtur affirmare in Encom. de Dioniſio Areopagita) non intelligit ineruditam, & ineloquentem. Contrarium enim potius hic argumentari licet cum Chryſoſtomo *lib.* 4. *de Sacerdotio* adverſus illos, qui Paulum idiotam cenſebant, atque de tam illuſtri hac Apoſtoli conſertatione, qua mundi ſapientiſsimos ſuperavit elegantèr cecinit Arator:

O Lupe Paule rapax, dedit hoc benedictio Jacob.
Nomen habere tibi: quid jam remanebit in Orbe,
Quod non ore trahas, poſtquam ſolertia graja
Ceſſit, & indoctas in dogmate vincis Athenas?

Liquidum ergò fit ex ſacro textu, fidei noſtræ myſteria ſufficienter fuiſſe propoſita cunctis Athenienſibus Pauli auditoribus, ut in aſſumptione prima dicebam; ſecunda, nimirum, aliquos poſitivum diſſenſum myſteriis fidei præſtitiſſe, ex ſacro textu conſtabit, ibi: *Quidam quidem irridebant*: bonaque eſt conſecutio, ab actu ſcilicet ad potentiam, id eſt Athenienſes Pauli Auditores potuiſſe proximè, & immediatè aſſentiri, & poſitivè diſſentiri fidei noſtræ myſteriis.

7 Ex hac animadverſione, & iſtius divini eloquii attenta inſpectione non difficulter præcluditur aditus evaſioni cuidam, à nobili exhibitæ Recentiore ſcilicet P. Camargo *part.* 1. *lib.* 1. *controv.* 5. *art.* 12. §. 3. *num.* 147. reſpondente, opus eſſe probare, eos omnes, qui audierunt divinam illam prædicationem Apoſtoli, fuiſſe eodem modo diſpoſitos, eandemque præſtitiſſe attentionem, tandemque eodem modo apprehendiſſe myſteria expoſita; alioqui, quis neget, idem numero objectum materiale, diverſo modo cognitum, aut apprehenſum poſſe movere ſimul ad oppoſitos actus comparativè ad plures intellectus? At id ex Scriptura minimè conſtat neque probari poteſt, aliundè, quàm per divinam revelationem, quam nunquam quiſpiam oſtendet: hactenùs ille.

8 Cujus ſolutioni occluditur, inquam aditus, quòniam non inficiamur auditores diverſo modo diſpoſitos fuiſſe, eamque eſſe poſſe apprehenſionum ejuſdem objecti diverſitatem, ut actus oppoſiti inducantur ex illis;

cæterum dicimus eam audientium diſpoſitionem diverſam non fuiſſe impedimento, ut ex mirabili Apoſtoli prædicatione ſufficienter cunctis proponerentur divina myſteria, ut ſi vellent aſſenſum ipſis præſtarent, adeòque diſſentientes, & Paulum irridentes, potuerùt, conſentiendo, adhærere: nec ſine fundamento id aſſerimus, adducimur quippè, tùm ex ſupremo illo concionandi dono, quo Gentium Apoſtolus fuit à Deo præditus, tùm ex concionis ipſius divina ſerie, in ſacro textu *Actor.* 17. deſcripta, tùm etiam ex divinæ gratiæ auxilio, quod omnibus etiam maximis peccatoribus præſto eſt; tùm denique ex intelligentia D. Ambroſii, in *Epiſt.* 25. *ad Eccleſiam Vencell.* de his Athenienſibus Pauli auditoribus, ipſiuſque doctrinæ diſſentientibus, ajentis: *Illi doctiſſimorum, & eloquentium cœtus, ſimplici diſputatione victos ſe eſſe, credentium exemplo manifeſtarunt.*

9 Probatur ſecundo ex D. Joannis *cap.* 12. *v.* 37. & 38. ubi dicitur: *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui revelatum eſt?* Præfectò in his ſacris verbis cernere eſt primo, eximia, & plura fuiſſe miracula, quæ Chriſtus Dominus coram Judæis perfecit; quòniam, & Lazarus ſuſcitatus fuerat, ipſiuſque mentio fit à D. Joanne in initio ejuſdem capitis, & ut in eodem capite aſſeritur, verba faciente Chriſto Domino ad populum, & *v.* 28. poſtulante à Patre, ut *clarificaret nomen ſuum*, venit vox illa de cœlo, nempè, *Et clarificavi, & iterum clarificabo*, quamobrem turba illa, *quæ ſtabat, & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum. Alii dicebant, Angelus ei locutus eſt:* & Chriſtus Dominus apertè eis dixit: *Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.* Imò D. Chryſoſtomus, Theophilatus, & Euthimius in ea ſunt ſententia, ut exiſtiment, Chriſtum Dominum tunc multa alia feciſſe ſigna, ſed ab Evangeliſta, ut multa alia, fuiſſe prætermiſſa; nec ambigere licet, ob multitudinem, conſpicuitatemque ſignorum, quæ viderant Judæi, increpatione dignos eos fuiſſe, ut propterea dixerit D. Joannes: *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.*

10 Secundò etiam liquet, illam incredulitatem non fuiſſe tantùm ſuſpenſivam, ſed poſitivam; maximè cum Lazarum jam ſuſcitatum interficere vellent, ut in eodem *cap. v.* 10. habetur, ne ſcilicet propter illum alii crederent. Tùm ſic: viſis tot ſignis, poterant quidem Judæi credere in Chriſtum Dominum; at non crediderunt, ſed poſitivè ipſius divinis verbis diſſentiebant; igitur, quia nollebant, & voluntatis ſuæ libero arbitrio veritati ſufficienter propoſitæ obſiſtebant: quapropter ex Ruperto P. Joannes Maldonatus hoc loco inquit: *Judæi mortem, humilitatem, & ignominiam ejus, ſcilicet Chriſti, libenter, & facilè intellexerunt, poteſtatem, divinitatemque intelligere noluerunt; ſic hæretici ſunt* (pergit Maldonatus) *quæ volunt intelligunt: quæ nolunt non intelligunt: fidemque ſuis affectibus ſervire cogunt:* igitur ſuppoſita Chriſti Domini prædicatione, tot ſignis munita, in Judæorum proxima poteſtate erat aſſentiri veritati cum gratia ſufficienti, quam ipſis Deus largiebatur, diſſentiebant tamen perfidi Judæi.

11 Sed dices, Judæos caruiſſe ea proxima libera, & immediata potentia aſſentiendi divinis myſteriis; quòniam excæcati erant, ut ex ipſo textu D. Joannis conſtat, reddit quippè S. Evangeliſta rationem hujuſce Judæorum obdurationis, & ait: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias* (nimirum cap. 6. verſ. 19.) *Excæcavit oculos eorum, & in-*

du-

duravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos. Unde Lucę 23. *cap. v.* 34. Chriſtus Dominus dixit: *Pater dimittè illis: non enim ſciunt, quid faciunt.* Et Paulus 1. *Ad Corinth. cap. 2. v. 8. Si enim cognoviſſent numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

12 Verumenimverò nihil energiæ ex hoc capite probationi noſtræ adimitur, ſed ex recta intelligentia hujuſcemodi divinorum eloquiorum aſſumptum noſtrum denuò fulcitur; quòniam excæcatio, & obduratio, de qua in divinis his Scripturis ſermo eſt, proximam, & immediatam libertatem ad rectè operandum non aufert, ſed ex iniqua voluntatis affectione libera deſcendit, & cum ea componitur, & in ipſa conſiſtit; unde *Jerem. cap. 5. v. 3.* dicitur: *Percuſiſti eos, & non doluerunt; atriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, & noluerunt reverti.* Eademque ferè verba repetuntur Jerem. 12. poſt medium, & *cap. 19. fine. & 1. Reg. cap. 6. v. 6. Quarè aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus, & Pharao cor ſuum?* Et 4. *Reg. cap. 17. v. 14. Qui non audierunt, ſed induraverunt cervicem ſuam juxta cervicem Patrum ſuorum, qui noluerunt obedire Domino Deo ſuo.* Et 2. *Paralip. cap. 30. v. 8. Nolite indurare cervices veſtras ſicut Patres veſtri: tradite manus Domino. Et cap. 36. v. 13. Et induravit cervicem ſuam, & cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Iſrael. Eſdræ 2. cap. 9. v. 16. Ipſi verò, & Patres noſtri ſuperbè egerunt, & induraverunt cervices ſuas, & non audierunt mandata tua.* Et *Pſalm. 94. v. 8. Nolite obdurare corda veſtra.* Et *Pſal. 35. v. 4. Noluit intelligere, ut benè ageret.* Eodem ſpectat illud *Job. 21. v. 14. Qui dicunt Domino: recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

13 Unde D. Hieronymus ſuper illud Pſalm. 57. *Sicut Aſpidis ſurdæ, & obdurantis aures ſuas.* inquit: *Poſuerunt cor ſuum adamantem propria voluntate cordis duritiam ſuſcipientes.* Et D. Auguſtin. *lib. de Prædeſtin. & grati. cap. 14.* de Pharaone ſic loquitur: *Numquid non potuit, ſicut flagelis cedens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoſcere?* Et *cap. 15.* ait Pharaonem potuiſſe mutari, ſed ea ratione induratum reſtitiſſe, *Quia libero contra Deum pugnavit arbitrio:* Planum ergò eſt, non ex defectu ſanctarum illuſtrationum, ſed ex propria, & libera determinatione infidelem permanſiſſe Pharaonem, & quemadmodum ex immediata, & proxima libertate, licet metu perculſus, flagellis cedens expulit Populum, ita juxta D. Aug. potuit immediatè, & proximè fidem adhibendo miraculis, Deum tantæ virtutis agnoſcere, quod non præſtitit, *quia libero contra Deum pugnavit arbitrio.*

14 In eundem ſenſum D. Joannes Chryſoſtomus *ſerm. 16. inter medium, & finem,* de Pharaone. *Propterea,* (inquit) *non ſolum vas iræ illum appellat Apoſtolus, ſed & apparatum in interitum, hoc eſt, à ſe ipſo, utique ſuo ad hoc apparatum vitio. Neque enim Deus quidquam non fecit, quod ad illius correctionem conferret: neque ipſe Pharao viciſſim quidquam omiſſit, quod ad ſuam perditionem faceret, omnique venia privaret.* Et infrà: *quod autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam voluntatem ſtetit.* Habuit ergò Pharao ſufficientem cognitionem, & gratiam, ut ſalutarem aſſenſum verbis Dei præberet, diſſenſit tamen, ex libera ſua voluntate. *Neque enim Deus quidquam non fecit, quod ad illius correctionem conferret.*

SECTIO VIGESSIMA SEXTA.

Chananæos de quibus Sapien. 12. & Philoſophos apud Apoſt. Ad Roman. cap. 1. poſitivè infideles fuiſſe, cum immediata libertate ut unũ ſolum verum Deum colerent oſtenditur, & quatenùs Dei exiſtentia ſit naturaliter cognoſcibilis.

1 STabilitur eadem noſtra ſententia ex præclaro textu *Sapient. 12.* ubi habitatorum terræ Chanaan graviſsima, &

horribilia peccata referuntur præſertim infidelitatis, ut patet ex initio capitis, ibi: *Admones, & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Et ſanè Chananæos, & illorum exemplo Hebræos, filios ſuos immolaſſe Moloch, liquet 4. *Reg.* 23. *v.* 10. *Pſalm.* 135. *v.* 37. *Levit.* 18. docent Euſebius *lib.* 4. *de Præparat. cap.* 7. *Philo lib.* 1. *Hiſtor. Phœnicum.* Curtius *lib.* 4. Didorus *lib.* 20. Et P. Cornelius à Lapide in prædictis Sacræ Scripturæ locis; adnotat etiam Nicolaus de Lyra in hoc *cap. num.* 4. Imò obdurati, & excæcati erant, ut ex *eod. cap.* 12. conſtat, dum dicitur: *Non ignorans, quòniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quòniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.*

2 Nihilominus toto hoc capite Sapiens incumbit, ut proponat, & commendet largiſsimam, & ſuaviſsimam miſericordiam, qua Deus eos ſuſtinuit, & provocavit, ac expectavit ad pœnitentiam: & præcipuè *num.* 2. ſic habetur: *Eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Quæ proculdubio correptiones, admonitiones, & alloquutiones divinæ continent gratiam ſufficientem, non ſolùm externam, ſed etiam internam ad fidem, & obedientiam Dei neceſſariam; & tamen rebeles, & increduli fuerunt: cum immediata igitur poteſtate, ſeù ſufficientia ad credendum, poteſt voluntas liberè determinare ad diſſentiendum.

3 Nec hujus argumenti vis infringitur ex ultimis ejuſdem *cap.* 12. *Sapient.* verbis, ex quibus colligi videtur Chananæos converſos fuiſſe ad fidem, & cognitionem veri Numinis, licet alia non reliquerint peccata, ſic enim dicitur *v.* 27. *Quem olim negabant ſe noſſe, verum Deum agnoverunt.* Quòniam per hæc verba non ſignificatur converſio, ſeù fides harum gentium, ſed arguitur potius illorum infidelitas, magis reprehenſibilis, quod cum ex divinis portentis, & illuſtrationibus potuiſſent Deum verum colere, id non præſtiterunt, ſed coluerunt idola, ut colligitur ex eodem ſacro textu ſic ajente: *Per hæc, quos putabant Deos, in ipſis cum exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant ſe noſſe, verum Deum agnoverunt: propter quod, & finis condemnationis illorum veniet ſuper illos.* Quæ Nicolaus de Lyra ita exponit: *Hic conſequenter removet, quandam reſponſionem falſam, quia poſſet aliquis dicere, quod propter hoc punitionem Dei ferebant indignanter, & moleſtè, quia notitiam ejus non habebant; hoc removet per hoc, quod videntes Deos ſuos deſtrui per filios Iſrael, quibus Deus præceperat Deos Chananæorum deſtruere. Exod.* 34. *Cognoverunt, quod Deus Hebræorum erat potentior Diis ſuis: & ſic eum cognoverunt, non tamen adoraverunt, ſicut ad Roman.* 1. *cap. dicitur de Philoſophis. Qui cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, &c.* Hactenùs Lyranus, & pro re noſtra ſatis perſpicuè.

4 Lucem tamen impertiet novam D. Paulus in præcit. *cap.* 1. *Epiſt. ad Roman.* ubi *num.* 20. *fine, & num.* 21. & 23. *Ita* (inquit) *ut ſint inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Quibus verbis Apoſtolus nos docet, æthnicos illos antiquos Philoſophos ſufficienti, & cumulata Dei gratia, & illuſtratione fuiſſe prævent os, ut ipſum verum Deum colerent, reſtitiſſeque pertinaci errore, & ad idola defeciſſe.

5 Id quod compertum fiet ex S. Joanne Chryſoſtomo *homil.* 3. *in cap.* 1. *Epiſt. ad Romanos*, & præcipuè ad illa verba ejuſdem Apoſtoli exaratis nunc antecedentia, nempè: *Qui veritatem in juſ-*

juſtitia detinent. Sic ait: *Quid autem illud eſt? Qui veritatem in juſtitia detinent. Per ſubſequentia diſcito: Propterea quod id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis patefecit. Verum hujuſmodi gloriam lignis circumpoſuerunt, & lapidibus.* Hæc Sanctus Doctor, & interpoſitis quibuſdam in eundem ſcopum, ſic pergit: *Apertum ne vobis eſt quod diximus? An apertius denuò dicendum illud eſt? Quidnam igitur eſt illud, quod dicimus? Cognitionem ſui Deus hominibus jam inde ab initio indidit. Verum hanc cognitionem Ethnici lignis, ac lapidibus circumponentes, veritatem, quod in ipſis fuit, injuria affecerunt. Illa enim immutabilis manet, ut quæ habeat propriam gloriam immotam. At undenam liquet, quod ipſis indidit Deus ſui cognitionem ò Paule? Propterea quod, inquit, quod de eo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Hoc ipſum verò ſententia eſt, non demonſtratio. Tu porrò mihi adſtruito, probato, ac declarato, quod cognitio de Deo illis manifeſta fuerit. Et quod ſponte ſua illam prætermiſſerint. Unde nam igitur manifeſta erat? Vocem è ſupernis imiſsit illis Deus? Nequaquam. Sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit.* Hacteuùs Chriſoſtomus, & in demonſtratione unius veri Numinis progrediens eâ perfecta oſtendens, quomodò defenſione ſint privati, ait: *Propterea quod cum Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt, neque grati fuerunt. Unum hoc crimen maximum, alterum poſt illud, quod etiam Idola coluerint; quod, & Hyeremias increpans ait: Duo mala patravit Populus iſte, me dereliquerunt fontem aquæ viventis, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.*

6 Conſimiliter P. Cornelius à Lapide in *cap.* 1. *Epiſt. ad Rom. v.* 18. hæc habet: *Sed ait Paulus, Qui veritatem Dei detinent in injuſtitia; quia ſcilicet homines plerique ante Chriſtum, licet agnoſcerent veritatem Dei, ſcilicet unum eſſe Deum verum opificem, & rectorem Univerſi; tamen hunc Deum non coluerunt, ſed juſtum, & Deo debitum cultum, creaturis, & idolis injuſtiſsimè dederunt: ergò quaſi incarcerarunt veritatem, eamque detinuerunt ſeris iniquæ voluntatis, ne exiret ad effectus, & opera conformia veritati notæ; itaque vim illi intullerunt, illique ſummam injuriam irrogaverunt.* Et infrà ſuper verba: *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt,* ait: *Hinc, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, adeòque ſtulti facti ſunt, quia veram ſapientiam, quæ in praxi, & pietate conſiſtit, reſpuerunt, & ſtultiſsimè Idola pro Diis habuerunt, & coluerunt.*

7 Idem Cornelius infra *v.* 23. ad illa Apoſtoli verba: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum. &c.* inquit: *Quaſi diceret: Iſti ſophi cæci, & ſtulti glorioſum divinitatis nomen, adorationem, & confeſsionem, quæ Deo immortali præſtare, & exhibere debebant converterunt, & collocaverunt in ſimilitudine Græcum enim poteſt propriè capi pro in ſimilitudine vel in ſimilitudinẽ: ſivè aſsimilationem imaginis hominis, id eſt, in imaginem hominis, id eſt, in imaginem hominis, non naturalem, ſed artefactam, & aſsimilatam, q. d. Idola pro Deo coluerunt hi ſophi. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. & Oecumenius.*

8 Compertum igitur fit, antiquos eos Philoſophos ſufficienti veri Dei notitia perfuſos fuiſſe, ea tamen minimè uſos, ſed ita Deum injuria affeciſſe, ut ad Idola defecerint, unde non cognitionis, & illuſtrationis defectu, ſed ſponte ſua, ut inquit D. Joannes Chryſoſtomus hanc Dei cognitionem prætermiſſerunt, & coluerunt Idola: nec de illa ſufficienti cognitione dubium eſſe poteſt; nec de reſiſtentia ipſi præſtita, per poſitivam infidelitatem, & ad Idola defectionem ulteriori probatione indigemus: ergò cum immediata verum Deum colendi libertate ad Idola pro lapſi ſunt.

9 Quod ſi opponas: ſi divini unius, verique Numinis exiſtentia natura-

raliter ex Mundi opificio demonſtratur, quî fieri potuit, ut Sapientes, & Philoſophi in idololatriæ errorem laberentur? Reſpondeo Dei exiſtentiam, etſi demonſtrabilem naturaliter, tamen quoad nos non eſſe per ſe notam, ut communis fert Theologorum ſententia cum Ang. Doctore 1.*part. quæſt.*2. *art.*1.ubi Cajetanus,Bañez, Zumel, Nazarius, Trigoſi, PP.Valentia, Molina, Vazquez *diſp.*19. Faſolus,*dubit.*1.2.& 3. Gillius *lib.*1.*trac.* 8.*cap.*2.& *ſeqq.* Granad. *controv.*1.*tract.* 1.*diſp.*1.Tanner.*diſp.*2.*q.* 1.*dub.*2.Exim. Doctor *diſp.* 29. *Metaph.ſect.* 3. Franc. Amic.*tom.*1.*diſp.*2.*ſect.*7. *num.*62.Recupit.*lib.*1.*de* Deo *quæſt.*2.& *ſeqq.*Quirós 1. *part.tract.*2.*diſp.*12.& apud eos alii.

10 Eandemque ſententiam edocent Subtil.Doct.Scotus in 1. *diſtin.* 2. *quæſt.* 2. & cum eo communitèr ejus diſcipuli, necnon Ocham *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.*3.Gabriel ibidem *q.* 4. Gregori. *in* 1.*diſt.*2.*quæſt.* 1.*art.*2. Enric. *in Sum.artic.* 3. *quæſt.* 2. hoc ſolum interveniente diſcrimine inter Scotiſtas, & Thomiſtas, quod illi rejiciunt diſtinctionem propoſitionis per ſe notæ quoad ſe, & per ſe notæ quoad nos, quam diſtinctionem adſtruunt cum D.Thom. ejus Commentatores,ac diſcipuli,utraque tamenSchola,& Jeſuitica noſtra, & Patrum Dominicanorum tuetur, nobis non eſſe per ſe notam unius Dei exiſtentiam; quamobrem licet antiqui Sophi, de quibus loquitur D. Paulus, ſufficienti cognitione præditi à Deo fuerint, ut ad ipſius Dei cognitionem demonſtrativam pervenirent, tamen terrenis affectibus obſcuratum fuit inſipiens cor eorum,noluerunt-que aſſentiri illuſtrationibus, utique valdè ad id aſſenſus allicientibus, & ſufficientibus ad illum, ſed Diis inanibus cultum adſcripſerunt.

11 Nec etiam obeſt, aliquos aſſerere, Dei exiſtentiam nobis per ſe notam eſſe,pro qua ſententia referuntur Albert.Magnus in *Sum.tract.*3.*quæſt.*57. Seraphic.Doct.*in* 1.*diſt.* 8. *artic.*1.*quæſt.* 2.*Ægid.in* 1.*diſt.*3.*q.*2. Argentin.*diſtinct.* 3.*q.* 2.*ar.* 3. Illuſtriſs.Abulenſ.*in cap.*5. *Exod.q.* 2. Lyran. ibid. & ex preſsè eam defendunt Michael P alat.*q.*1.*Prolog.*ubi alios refert, & Paſqualig. *de Sacr. doctr. tom.*1.*diſp.*7.*ſec.*2.Averſa que 1.*par.q.*2. *ſect.*1.& acuti alii Recentiores.Haud inquam obeſt, tùm quia contraria ſententia eſt communis,tùm quia ex prava terminorum apprehenſione ſæpè fit, ut propoſitio non ſit per ſe judicabilis,judicanda alias per ſe, ſi termini melius, & clarius apprehenderentur, ut optimè animadvertit P.Izquierdo *tom.* 1.*de* Deo *uno tract.*1.*diſp.*1.*q.*5.*num.* 45.& in *Pharo ſcienti.diſp.*19.*q.*8.quo circa ob minus rectam, minuſque claram Philoſophorum veterum cognitionem, potuit ipſis non eſſe evidens veri Dei exiſtentia, ac per ſe nota, licet ſimul ſufficienti gauderent cognitione ad aſſentiendum Deo uno,ut ex Apoſtolo probatur.

SECTIO VIGESSIMA SEPTIMA.

Ex aliis Sacræ Scripturæ locis ſtabilit aſſumptum ſcilicet ex Paralip. cap. 32. *v.* 13. 14. & 15. *Joan. cap.* 9. *v.* 11. *cap.* 15. *v.* 22. *Actor.* 7. *v.* 51. *Apoſt. Ad Timot.* 2. *cap.* 3. *v.* 8. & *Ad Hæbr. cap.* 3. *v.* 7.

1 URgetur probatio ex infideli Judæorum pertinacia, tùm ante adventum Chriſti Domini, tùm adveniente jam Chriſto, & cum illis commorante; tùm denique poſt aſcenſionem Domini in Cœlum: nam in primo ſtatu ante adventum Domini, *in* 2. *lib. Paralip. cap.* 36. *de Sedecia Rege Judæ, num.* 13. dicitur: *Induravit cervicem ſuam, & cor ut non reverteretur ad Dominum Deum Iſrael.* Et num. 14. de aliis Populi Principibus, & univerſim de populo, aſſeri-

ritur: *Sed & univerſi Principes Sacerdotum, & populus, prævaricati ſunt iniquè juxta univerſas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam ſanctificaverunt ſibi in Jeruſalem.* En obſtinatam infidelitatem, duritiam, & idololatriam illius populi, non utcumque, *ſed juxta univerſas abominationes gentium*, ut inquit ipſe ſacer textus; tamen non defuiſſe illis ſufficiens auxilium gratiæ, ſufficientemque cognitionem ad unum verumque ſolum Deum colendum, probatur tum ex retro conceſsis eidem populo beneficiis, & cumulata ſanè Dei munificentia; tùm quia in eodem textu continuo ſubditur num. 15. *Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manus nuntiorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens.* Juxta quod Jeremias cap. 25. num. 3. *Locutus ſum*, inquit, *ad vos de nocte conſurgens, & loquens, & non audiſtis.* Pergitque per plures numeros oſtendens ſummam Dei benignitatem, qua hunc populum ad ſe convertere ſatagebat, & ſimul ipſius populi reſiſtentiam.

2 Sed præcipuè illud: *de nocte conſurgens*, ſignificat vigilantiſsimum ſtudium gratiæ pulſatricis, qua Deus eorum ſaluti conſuluit, ut rectè obſervat Lyra: illud verò: *Quotidie commonens*, notat aſſiduitatem, & frequentiam nunquam intermiſſam illius, ut optimè docuit D. Hieronymus per hæc verba: *Ut oſtendat Dei nos ſemper indigere auxilio, & nunquam poſſe ſufficere, quod ſemel datum eſt, niſi quotidiè Domini admonitione renovetur.* Ergò ſupponit, quotidianas admonitiones Dei illi populo factas, & auxilia fuiſſe ſufficientia gratiæ, quibus ad credendum, & benè agendum indigebat, omneſque indigemus: at de reſiſtentia præſtita his Dei auxiliis, & illuſtrationibus ex eodem ſacro textu, & lib. Paralip. & Jeremiæ conſtat: igitur quia voluntas liberè poteſt intellectum flectere tùm ad aſſenſum, tùm ad diſſenſum fidei.

3 De infidelitate autem poſitiva, ac immediatè libera Judæorum, Chriſto Domino præſente, & cum illis commorante plura ſunt Evangelica aſſerta; egregium vero eſt, quod Chriſtus Dominus Joann. *cap.* 9. *v.* 41. ipſis judæis teſtatus eſt inquiens: *Si eſſetis cæci, non haberetis peccatum; nunc autem dicitis, quia videmus: peccatum veſtrum manet.* Item Joann. 15. *v.* 22. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Quibus non ſolum proditur eorum peccatum nempè infidelitas, poſitivuſque diſſenſus de divinitate Chriſti Domini, quod omnibus apertum eſt, ſed etiam ratio, & cauſa peccati, nempè eorum prava voluntas, quæ divinæ Chriſti Domini prædicationi, interiori etiam gratia aſſociatæ reſtitit, cum poteſtate, & libertate utique immediata aſſentiendi ejus ſacris eloquiis.

4 Id quod dilucidè oſtendit Angelicus Doctor in Catena aurea ſuper hæc Chriſti Domini verba Joann. 9. ubi ex Theo, inquit: *Vel aliter ſi cæci eſſetis, id eſt, inſcii Scripturarum, nequaquam tam grande vobis peccatum incumberet, tanquam ignorantia peccantibus, nunc verò, quia prudentes vos, atque legis peritos aſſeritis, per vos ipſos condemnabiles eſtis.* Cohærenterque P. Cornelius à Lapide ad dicta verba *D. Joann. v.* 41. ſic habet: *Tertiò præciſè, & ſcholaſticè, q. d. ſi eſſetis cæci, ſcilicet per ignorantiam ſcript. & legis naturalis, non haberetis peccatum juxta ignorantiam hanc operando, & me Meſsiam veſtrum non agnoſcendo; ſcilicet ſi ignorantia veſtra eſſet planè inculpata, & invincibilis, haberetis quidem aliquod peccatum,* (intellige in aliis mandatorum tranſgreſsionibus, non in iis quæ ex invincibili fierent ignorantia) *ſed minus grave, & excuſabile, atque facilè à me, ignorantiam veſtram mea doctrina diſpelente, poſſetis illuminari, & curari: nunc verò apud vos dicitis: quia quod videmus, hoc eſt putatis vos videre, eſſeque ſapientes, ut de Chriſti adventu, & perſona optimè judicetis: idcircò, ut habet Græcus, Arabicus,*

& Syrus, peccatum veſtrum manet. q. d. idcirco vos ex malitia, & arrogantia permanetis in veſtro infidelitatis contra me peccato, idcirco obſtinatis, & obfirmatis animum, ut me Meſsiam eſſe, credere nolitis, etiam ſi ego id ipſum plurimis ſignis, & miraculis verum eſſe demonſtrarim. Quo circa nulla ratione à me illuminari, & curari poteſtis, quia obſtinatè me audire non vultis. Ita Theophil. Janſen. & alii. Hactenùs Cornelius, ex quo, & magis conſpicuè ex D. Thom. cernere eſt, Judæorum incredulitatem poſitivam non ex ignorantia, ſed ex malitia, pertinacique adhæſione, & immediatè liberè cum ſufficienti ad credendũ notitia, & gratia ortũ duxiſſe.

5 In tertio eorum ſtatu, nempè poſt diſceſsionem Chriſti, idem probatur ex illo *Actor.* 7. *v.* 51. ubi à D. Stephano in hunc modum reprehenduntur: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Nam reprehenſione digni non eſſent, niſi obedire, & aſſentiri potuiſſent; nec Spiritui Sancto reſiſtere poſſent, niſi præſentia illis adfuiſſent ejus auxilia, & illuſtrationes, quibus poſſent præſtare aſſenſum: unde ipſum vitium obſtinationis, explicat Scriptura Sacra, per *contentionem*, & *contentiosè agere.* Exod. 31. 27. *Per eſſe durum*, Iſai. 48. v. 4. & *per frontem æream*, Per *attritam.* Ezech. 3. v. 7. Per *peccata dura*, Jeremiæ c. 30. v. 14. & 15. *Per durum, ſeù obduratũ cor.* Iſai. 46. v. 12. vel *indomabile.* Ezech. c. 2. v. 4. Et per *gentem, ſeù domum apoſtatricem, aut exaſperatricem, ſivè exaſperantem*, ſeù per *irritatores*, præterea per *cor incredulum*, atque *exaſperans*, Jerem. cap. 5. v. 2. Ezech. c. 2. v. 3. 5. 7. & *impœnitens*, Rom. c. 2. v. 5. Quę omnia nõ ſignificant peccatũ ex ignorantia, ſed potius ex malitia; non carentiam cognitionis, ſed defectum affectionis, & voluntatis, ſanctis quidem illuſtrationibus, & abundanti, omninòque ſufficienti cognitione, & gratia præditæ: poterant ergò immediatè, & proximè Judæi converti, & divinis eloquiis aſſentiri, cum tamen diſſentirentur.

6 Quod oſtenditur etiam ex Syra lectione; præfata quippè Stephani verba ſic legit Syrus: *Vos in omni tempore contra ſpiritum ſanctitatis ſtantes fuiſtis.* Unde P. Joann. Lorin. ibidem: *Hoc eſt* (ait) *Judæorum, quaſi naturale, & proprium vitium, induratio, atque excæcatio cordis, & pertinax, ac obſtinatus contra Deum animus, eoſque qui Dei loco illos regebant; ut abundè docent, quæ adhuc diximus, & illud Eccleſiæ epithetum, quo adhuc eos inſignit, cognominans perfidos, in oratione, pro Judæis ferial. Paraſ. Jam pridem Iſaias cap. 63. 10. hoc ipſum videtur apertioribus verbis expreſiſſe: ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti ejus, & converſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellavit eos, ubi ſeptuaginta legunt, ipſi autem non crediderunt, & exacerbaverunt Spiritum Sanctum ejus, &c.* Hæc P. Lorinus, qui deinceps ad verbum *reſiſtitis*, pergit dicens: *Tanta quippè eſt arbitrii liberi vis, ut divinæ gratiæ, atque inſpirationi reſiſtere poſsit.* Idque probat ex Concilio Tridentino, cujus decretum expendemus infrà.

7 Innoteſcit inſuper eadem immediata aſſentiendi libertas, & diſſentiendi fidei myſteriis ex *Apoſt. 2. ad Timot. cap. 3. v. 8.* ajente: *Quemadmodum autem Jannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Fuerunt autem Jannes, & Mambres, ſeù Jambres, ut in aliis legitur verſionibus, duo Magi Pharaonis, qui in Exodo narrantur Moſi reſtitiſſe, & cum eo in miraculis, & portentis edendis certaſſe; & licet Moſes eorum nomina non exprimat, Paulus tamen aliundè ea didicit, & hic expreſsit, ſcilicet vel traditione, vel certè inſpiratione Spiritus Sancti, qui hæc ei dictabat, ita Chryſoſt. Teophylatus, & alii: tùm ſic: Pharaonis Magi aperto marte Moſi reſiſtebant, & quidem ſaltem poſtquam devoravit Virga Aaron, ſeù coluber in quem verſa erat, Virgas ſeù dra-

co-

cones, quos fecerant Magi, jam dignoſcere poterant ſuperioris eſſe poteſtatis Moſem, & Dei veri nuntium, & prophetam; & tamen progreſsi ſunt in reſiſtentia, ut habetur *Exod. cap. 7. v. 12. & 22. & cap. 8. 7.* igitur hæretici, & hujus furfuris homines reſiſtunt Dei illuſtrationibus, & interiori gratiæ diſſentiendo, cum proximè aſſentiri poſſent fidei myſteriis.

8 Præterea ad *Hebr. cap. v. 3. 7.* Apoſtolus ad Judæos primò refert præceptum Pſalmi 94. v. 8. his verbis: *Quapropter ſicut dicit Spiritus Sanctus: hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri: probaverunt, & viderunt opera mea quadraginta annis: propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: ſemper hi errant corde.* Hoc dicto, Apoſtolus exhortationem addiicit *v. 12. Videte fratres ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo vivo, ſed adhortamini vos metipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*: Theodoretus autem in eum verſ. Pſalm. 94. ita ponderat, *oſtendit mentis liberum arbitrium. Non enim ſimpliciter dixit, ne obdurescite, ſed nolite obdurare corda veſtra, edocens ipſos eſſe Architectos hujuſmodi duri cordis*: cum obduratione igitur componitur poteſtas antecedens, indifferentiæque libertas ſufficiens ad converſionem, & pœnitentiam, quæ juxta fidem etiam vendicat neceſſaria, & ſufficientia auxilia gratiæ. Nam poteſtas abjiciendi obdurationem poſitivæ infidelitatis, individua eſt à poteſtate converſionis ad fidem, quòniam obduratio per ſolam converſionem in Deum, & pœnitentiam peccati depellitur: ergò ſi cum ipſa obduratione componitur poteſtas antecedens depellendi ipſam, ſimul conjungitur poteſtas antecedens, & ſufficiens ad converſionem, & pœnitentiam, id eſt ad aſſentiendum fidei myſteriis: liquidum ergò ſit, poſſe intellectum ex determinatione voluntatis, ſuppoſita divina gratia flecti immediatè ad aſſenſum fidei, etiam in his infidelibus qui obdurati ſunt in ſua infidelitate: & in his qui credunt, poterit voluntas libertate antecedenti determinare intellectum ad diſſentiendum, cum par ſit utrobique ratio.

SECTIO VIGESSIMA OCTAVA.

Ex Sacris Literis, & Patribus infringitur Adverſariorum ſolutio, & ſententia noſtra denuo elucidatur.

1 QUamvis cuncta divina eloquia, quæ pro immediata fidei libertate quoad ſpeciem, non viderim ab Adverſæ ſententiæ Authoribus expendi, ſed vel unum, aut alterum obiter attingi; tamen ex traditis ab ipſis fortaſsè reſpondebis, fidei libertatem quoad ſpeciem conſiſtere ex eo, quod voluntas poteſt divertere intellectum ab objecto fidei, ut cogitet ſolū, aut magis, de oppoſito, & ex novo ſtudio valet homo adquirere credibilitatē de altero, quod antea videbatur ſibi minus credibile, & amittere credibilitatē de eo, quod ſibi magis credibile videbatur. Utique hoc liberè poteſt voluntas; imò ait Mercorus in *Baſ. Moral. Theol. 2. par. art. 6. pag. mihi* 195. hæc unica eſt via, qua damnabiliter amittant fidem, qui ſemel eam ſuſceperunt. Hi namque piam affectionem in odium erga Eccleſiam, quæ eſt prima regula credendi quoad nos, voluntate perverſa commutare ſolent, paulatimque ea omnia, quæ pietatem redolent, nauſeare, aut irridere non erubeſcunt, neceſsitudinem hoſtium fidei affectant, eorum libros attentè legunt, objectiones contra fidem fovent, extolluntque, & ne ſolutio aliqua occurrat, libros Catholicorum negligunt, atque contemnunt, Orthodoxorum conciones, privataque declinant colloquia, ſicque rerum fidei ſenſim credi-

dibilitate amissa, hæsitantes ab illis primò suspendunt assensum, dein, pertinaci animo dum renuunt credere, sicuti prius credebant, infideles evadunt, facillimèque tunc oppositis erroribus, de quibus persuasiones habent, aliqualiter adhærent: hæc ille.

2 Cum igitur, (pergit Mercorus) liberum sit unicuique, credibilitatem rerum fidei, adipisci, & adeptam conservare, quamvis, supposito quod voluntas velit, alicui parti adhærere, non possit, non eligere assensum illius partis, quæ est simpliciter credibilis, electio nihilominus erit libera, libertate specificationis. Hactenùs Mercorus, cui reipsa adstipulatur Celladei de *Rec. doctr. Mor. in Append. q.* 5. *præcipuè* §. 2. ubi *pag. mihi* 679. apertè addit, intellectum quoad speciem actus immediatè mobilem, & determinabilem à voluntate haud esse: concinit Illustrissimus Mag. Palanco, Jacetanæ Ecclesiæ nunc meritò electus Episcopus, *tract. de fide*, *disp.* 5. *q.* 8. *num.* 60. *& ferè per totam*. Nec dissimiliter P. Camargo *dict. controv.* 5. *art.* 12. §. 3. refundens infidelitatem non credentium, etiam audita sufficienti rerum fidei prædicatione, ad pravam dispositionem, ad attentionis defectum, diversumque apprehendendi modum, videtur docere, iis, qui dissentiunt rebus fidei, non adesse cognitionem, illustrationemque sufficientem, ut pro tunc, & potentia antecedenti possint assentiri divinis mysteriis: imò omnes, qui hanc immediatam, proximamque fidei libertatem, quoad speciem inficiantur, asserunt, eos qui assentiuntur fidei mysteriis pro eo instanti, etiam in signo illius priori, carere libertate dissentiendi; eos autem, qui dissentiunt, pro priori illius instantis, & potentia antecedenti, carere proxima libertate assentiendi, adeòque, & carere divinis illustrationibus, & gratia interiori ad immediatè assentiendum rebus fidei in instanti illo. Hæc enim colligi videntur ex eorum doctrina.

3 Verumenimverò hæc solutio rejicienda venit ex præadductis Sacræ Paginæ locis, ex quibus instauratur probatio, & sic nostra stabilitur sententia: Philosophis, quibus Apostolus concionatus fuit *cap.* 17. *Actuum Apost.* & multò magis Judæis, quibus Christus Dominus prædicavit, concessæ fuerunt à Divina benignitate, & largitate vocationes externæ cumulatæ, & sufficientes ad fidem amplectendam, etiam in instanti, & tempore, quo dissentiebantur divinis mysteriis; imò, & Philosophi de quibus Paulus *ad Roman. cap.* 1. suasionem habuerunt etiam externam, & naturalem, sufficientem, ut idola contemnerent, unumque solum Deum Optim. Maximum colerent; dummodo his externis vocationibus adjungerentur interiora gratiæ auxilia sufficientia; sed superna divinæ gratiæ auxilia, ex lege Dei, annexa, seù conjuncta sunt ministerio creaturarum proponentium objecta honesta, præsertim prædicationi, & instructioni vocali hominum, tùm Sacris, ac piis Scripturis, & miraculis, & exemplis: igitur Philosophi eo tempore, & instanti, quo dissentiebant Paulo, resurrectionem, & fidem prædicanti, & multò magis Judæi dissentientes Christo Domino, pro eodem instanti, potentia antecedenti proxima, & immediata poterant assensum rebus fidei præbere, & dum Philosophi ab agnitione unius veri Dei recedebant, ipsum solum Deum colere poterant.

4 Nihil in hac complexione videtur negabile: & in primis consequentia est legitima, nam ex hypothesi sufficientis propositionis, & auxilii interni ad credendum, fit evidens potentia proxima credendi, & colendi verum Deum; prima verò assumptio etiam patet, & primo quoad externam propositionem, nam respectu Philosophorum Ethnicorum, cum habuerint scientiam, & cognitionem creaturarum, per hæc visibilia intellecta docebantur, eorum supremum

authorem, Divinumque, ac verum Numen colere,& honeſtè vivere: ut Apoſtolus inquit *Ad Rom. cap.*1.*v.* 18.*Revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem hominum eorum,qui veritatem Dei in injuſtitia detinẽt,quia quod notũ eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas.* Paulum verò loqui de Philoſophis Gentilibus approbat D. Athanaſius in *diſp. contra Arium*, habita *in Concilio Niceno col.* 5. omniſque Interpretum conſenſus teſte P. Juſtiniano, & P.Cornelio in hunc locum.

5 Quamobrem perſpicuum eſt, Deum gentilibus Philoſophis conceſſiſſe exteriora media, & monita ad ſuæ divinitatis cognitionem, adorationemque omninò ſufficientia:de Philoſophis verò illis, ad quos cœlicus D. Pauli ſermo in Areopago factus eſt, ſicut de Judæis in triplici eorum ſtatu, nempè ante ChriſtumDominum,& cum ipſis jam commorante mundi Aſſertore, necnon poſt illius aſcenſionem,etiam certò certius eſt, ipſis Deum Optimum Maximum ingentem externarum vocationum copiam feciſſe in inſtanti, ac diuturno tempore, quo & Prophetis,& Chriſto Domino,ac Apoſtolis prædicantibus diſſentiebant.

6 Unde jam ſecunda noſtra aſſumptio videlicet his externis vocationibus, prædicationi,& miraculorum oſtenſioni ex lege, & miſericordia Dei conjuncta fuiſſe interiora divinæ gratiæ ſubſidia ad ſalubriter operandum ſufficientia, & gentilibus ad Deum verum cognoſcendum lucem ſivè naturalem,ſivè ſupernaturalem verè ſufficientem fuiſſe impertitam,cũ viſibiliũ rerũ cognitione, probatur, & primò quoad Gentiles Philoſophos oſtenditur ex eod.D.Pauli textu ad Romanos, ubi veram ipſis cognitionem ſaltẽ naturalẽ fuiſſe cõceſſã, cui poſſẽt aſſentiri, verum Deum ſolum colendo apertè conſtat.

7 Inſuper hunc Pauli locum, licet à pluribus de manifeſtatione naturali ſupremi numinis exponatur,ut videre licet apud prælaudatos PP.Corneliũ,& Juſtinianũ,exponi etiã poſſe de ſupernaturali illuſtratione,interpretes ſunt Anſelmus dicens: *Dominus manifeſtavit,ideſt,nõ ſolũ naturalis ratio profuit,ſed Deus quotidiè adjuvit, ne ſola natura ſufficere videretur, & quia Deus eorũ cordibus notitiã ſui dignatur infundere:* igitur externã internãque ſuaſionẽ,ſufficientiãque ex divina gratia habuere Philoſophi, non pro uno, aut alio tantũ inſtanti,ſed frequentẽ valdè,ut ſignificat To *Quotidie*, quo utitur D. Anſelmus,ut Divinum numen, ſolũque unum verũ Deũ, & Dominatorẽ cœli, & terræ venerarentur: & conſequenter dũ huic ſanctæ, & etiã ex creaturis ductæ cognitioni diſſentiebantur, poterant proximè, & immediatè aſſentiri.

8 Hugo de S. Victore *in Sum.lib.*1. *Senten.trac.*1.*cap.*3. inquit: *Cum ſubjungit Deus illis revelavit, oſtendit quod ratio humana per ſe inſufficiens eſſet, niſi revelatio divina illi inadjutorium adeſſet.* Et Angel. Doct.ibidẽ *lec.*6.*Manifeſtavit* (inquit) *vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo viſibiles creaturas, in quibus, ſicut in quodam libro,Dei cognitio legeretur.* Accedit P. Juſtinianus, favetque contextus Apoſtoli, qui proximè diſſerebat,*de virtute Dei,quæ eſt in ſalutem omni credenti,*& de juſtitia,*quæ omnibus revelatur ex fide in fidem.*Quibus ſubjungit rationem: *revelatur enim ira Dei,&c.*

9 Quam expoſitionem confirmat *Enchird. Colon. Chriſtianæ eruditionis. De Sacramento Pœnitentiæ fol.* 92.*p.*1. *Quod autẽ* (inquit) *Actor.* 14. *Legimus Deum in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gẽtes ingredi vias ſuas, non ſic intelligendum, quaſi Deus gentibus ſua gratia defuerit, cum gentes id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum habuerint, quod Deus illis per gratiam prævenientem manifeſtavit, factum eſt, ut gentes Dei gratiam contemnentes,*

dimissæ sunt ingredi vias suas. Atque eàdem omninò ratione fit, ut non omnes illos motus gratiæ specialis, omnibus peccatoribus Deus impertiat. En Deus notitiæ divinitatis humano lumine acquisitæ ingerit illustrationes supernaturales gratiæ, quæ Deum salubriter manifestant, viasque gentium inexcusabiles reddant.

10 Consequenter D. Augustinus *lib. 2. de Serm. Domini in monte: Si hominis* (inquit) *anima rationalis, etiã cupiditate cæcata, tamẽ cum cogitat, & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, nõ ei tribuendũ est, sed ipsi lumini veritatis, à quo, licèt tenuiter, pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat.* Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromatum fol. penult.* satis perspicuè: *Meritò ergò* (ait) *Judæis quidem lex, Græcis autem data est Philosophia usque ad adventũ Christi. Hinc autẽ est universa, ac generalis vocatio ad peculiarẽ populũ justitiæ, per eã quæ est ex fide, doctrinã, per eandem cogente Dominum eo, qui est unus solus Deus amborum, Græcorũ scilicet, & Barbarorũ, vel potius totius humani generis.* Igitur Græci, atque Barbari vocatione generali ducũtur ad justificationẽ, & fidẽ per eã notitiã, quam res naturales intellectui ministrãt, quod verum esse minimè potest, nisi gẽtilibus, simul cum cognitione naturali, tribuerẽtur notiones supernaturales gratiæ, & piæ affectiones, quæ simul necessariæ sunt hominibus ad salutem.

11 Proptereaque ad finem ejusdem libri Clemẽs subdit, *opẽ eis ferẽte gratia ad quantulamcumque cognitionẽ, utpote voluntate voluntatẽ, & Sãcto Spiritu, Sanctũ Spiritũ contẽplari assuefacientes, quòniã spiritus scrutatur Dei profunda, animalis autem homo non capit ea, quæ sunt spiritus.* Itaque quantulacumque cognitio Dei ducit hominẽ in justitiã, & fidẽ, atque idcircò adjungitur Spiritus Sancti gratia: unde Gẽtiles Philosophi de quibus Apostolus ad *Rom.* 1. inexcusabiles prædicantur, quod adorãtes superstitiosè creaturas, unicũ, & invisibilẽ Deum non coluerunt, quia ex creaturis ipsum Deum noscere, & firma suasione celere potuerunt, ut ad salutem necessariũ erat, illustrante simul Deo supernaturaliter mentem ipsorum, & divina gratia sufficienter eis auxiliante.

12 Clarius, & constantius hanc firmat expositionem Augustini Discipulus Prosper. *lib. 2. de vocatione Gentium. cap. 4. Sed ne præteritis quidem* (inquit) *sæculis hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri Jesu-Christi resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura, atque indulgentia Dei Populũ Israeliticũ constet electũ, non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab aliis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendũ nullis significationibus admoneret*, & post repetitam hujusce divinæ gratiæ affirmationẽ asserit, hanc gratiã dispensatam à Deo, *in Israel quidẽ per constitutionẽ legis, & prophetiæ eloquia, in universis nationibus per testimonia creaturarum, & bonitatis Dei miracula.* Innumeraque sunt quibus Prosper gratiam gentilibus concessam illustrat. Videatur *lib. 1. de voc. Gent. cap. 19. 20. & 21. & lib. 2. cap. 10. 13. 23. 25. usque ad 31.* necnon *lib. de ingratis cap. 24.* ac denique ad *cap. Gallorum 8.*

12 Eandem doctrinam manifestè tradit Paulus Orosius, Divo Augustino Cœvus, & ipsius defensor acerrimus in *Apolog. de lib.* longè ante medium. *Mea semper hæc est fidelis, atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur verumetiam universis in mundo Gentibus propter Longanimem sui, æternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cœlestio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam cõtributã, sed speciatim quotidiè per tempora per dies, per momenta, per atomos cunctis, & singulis ministrare.*

14 Inclarescit ergò ex Patribus adductis D. Anselmo, Hugone, Augustino, Colonienſi Enchirid. Clemente

Ale-

Alexandrino, Proſpero, & Oroſio, Antiquos Philoſophos, ſimul cum cognitione ex Philoſophia, & teſtimonio creaturarum, interiori Spiritus Sancti gratia illuſtratos fuiſſe ſufficienter, ut ſoli Deo immortali, & inviſibili cultum præſtarent, & hoc quidem. *quotidiè*, ut inquit Anſelmus, ideſt ingenti aſſiduitate, quam per tempora, dies, & momenta, imò per atomos explicat Oroſius, ut licet non ad literam per omnia momenta, frequentem, tamen eſſe hanc Dei miſerentis, auxiliantiſque ſufficientem gratiam, agnoſcamus: igitur plurimis in inſtantibus, ex iis, in quibus Philoſophi creaturas colebant, poterant proximè uni ſoli Deo cultum aſſentiri, & deferre: ut à nobis aſſumebatur.

15 Sed & in aliis Philoſophis Areopagitis, & in Judæis haud minus luculenter probatur: quòniam vocationem ſupernaturalem internam adjunctam eſſe ex benignitate, & decreto Dei, prædicationi, & inſtructioni vocali hominum, ſuadet Apoſtolus *ad Epheſios* 4. *v.* 11. dona à Chriſto Domino collata referens: *Dedit* (inquiens) *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſumationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, veritatem autem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia.* Ubi juxta Apoſtolum, Prophetæ, Paſtores, & Doctores Eccleſiæ ſuo miniſterio, & doctrina operantur conſumationem Sanctorum, & in charitate Dei ædificant Corpus Chriſti ex congregatione fidelium. Id autem qua ratione firmum eſſet, ſi hominum inſtructioni prædicationi, & labori ad permovendos aliorum animos non jungeretur perpetuò abundans auxilium gratiæ internæ?

16 Quod non minus apertè docuiſſe videtur. 1. *Corinth.* 3. inquiens: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quæ Div. Aug. *de peccatorum meritis, & remiſſione lib.* 1. *cap.* 25. ſic interpretatur: *Adhibetur ſermo veritatis extrinſecus, vocis miniſterio corporalis. Verùm tamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Audit quippè homo dicentem hominem, vel Angelum; ſed ut ſentiat, & cognoſcat, verum eſſe quod dicitur illo lumine intùs mens ejus aſpergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Proſper verò *de vocatione Genti. lib.* 1. *c.* 9. *leges ſuas Deus in cordibus hominum digito ſuo ſcribit, ut agnitionem Dei non doctrinæ humanæ opere, ſed magiſterio ſummi eruditoris accipiant, quia neque qui plantat eſt aliquid, &c.* Igitur eruditionis humanæ conſors eſt eruditio ſupernaturalis divina; ſemperque ac homo aliquid plantat, aut rigat, cœleſtis Agricola ad juſtitiæ incrementum rorem cœleſtem adjungit.

17 Firmat hanc doctrinã Concilium Moguntin. *c.* 7. ita decernẽs: *Hãc verò prevenientẽ gratiã, cũ per alia media, tũ potiſsimũ in prædicatione verbi ad converſionẽ hominis operari, dum homo peccatorũ ſuorũ admonitus, & à Deo juſto judice conſtituta peccatis ſupplicia metuens, mox excitatus, & adjutus Dei gratia, à timore peccati ad Dei miſericordiã cogitationem deflectit.* Obſerva illud, *cũ per alia media, tũ potiſsimũ prædicatione verbi*, gratiã prævenientẽ ſalutẽ hominis operari. Unde Aug. *lib.* 1. *Cõfeſſionũ, c.* 1. *Invocat te Domine fides mea, quã dediſti mihi, quã inſpiraſti mihi per humanitatẽ filii tui, per miniſterium Prædicatoris tui.* Nota fidem per miniſterium Prædicatoris inſpiratam per merita Chriſti.

18 Accedit Hieronymus expendẽs ingreſsũ filii Prodigi in domũ ſui Patris *Epiſt. ad Damaſ. col.* 3. *Quã benignus, & clemẽs Pater rogat filiũ, ut letitiæ domus particeps fiat. Rogat autẽ per Apoſtolos, rogat per Evãgelii prædicatores, de quibus Paulus ait, præcamur pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Deus autẽ rogãs per Evãgelii Prædicatores, & alios Miniſtros Eccleſiæ, proculdubio largitur auxilia gratiæ, quæ ad ingreſſum convivii neceſſaria ſunt. Conſimiliter Fulgentius *de Incarn. & Gratia. c.* 31. *fine: Pro quibus, ſcilicet Pelagianis pec-*

catoribus nec oratio fidelium debet desistere, ut Deus eis gratiam suæ illuminationis donet, per quam in eis semen divini sermonis fructificet, qui frustrà exterioribus auribus sonat, nisi Deus, spirituali munere, auditum hominis interioris aperiat. Munere igitur Dei exterior sermo fructificat, immisso supernaturali lumine in auditum interioris hominis.

19 Prosper elegantissimus est in hac statuenda doctrina, *lib. 1. de vocatione gentium. cap. 8.* ad illa verba *Jerem. 31. v. 33.* & *ad Hæb. 10. v. 16. Dabo leges meas in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eas,* sic pulchrè fatur: *Quod utique quotidiè facit, dum cordibus vocatorum suam inserit voluntatem, & stylo Spiritus Sancti, quidquid in animæ paginæ diabolus invidendo falsavit, veritas miserando rescribit. Cum igitur verbum Dei per ministerium prædicantium auribus carnis infertur, miscetur operatio potētiæ divinæ cū sono vocis humanæ, & qui incitavit Evangelizātis officium, audientis quoque firmavit affectū.*

20 Et Epistol. ad Demetriadem pag. 13. Idem Prosper ait: *Voces docentium, & literæ paginarum, quæ ad eruditionem audientium, vel legentium Deo serviunt, non carent ejus virtute, cui serviunt, & quandò id, quod jubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus divini operis declaratur.* Non ergò inanes sunt voces Ministrorum Ecclesiæ, sed virtute divina animatæ, quæ illustrationibus, & affectionibus supernaturaliter excitatis in cordibus hominum, vel effectum salutarem agunt in obsequium Dei, cui serviunt, vel saltem sufficientiam ad operandum homini tribuunt. Idque supponit D. Gregor. *Homil. 4. in Evang.* propè initium, dum inquit: *Subtili ergò, occultoque judicio à quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.* Ergò gratia suscitans, seù excitans ex lege Dei ministerium prædicationis comitatur.

21 Etiam spirituali lectioni librorum, qui nos ad omnium virtutum officia permovent, admonitiones, & affectiones supernaturales interius inseri, ostenditur ex *Luca cap. 16. v. 27.* ubi avarus dives in inferno sepultus sic proponitur præcans Abrahamum. *Rogo te Pater, ut mittas eum* (Lazarum) *in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum, & ait illi Abraham: habent Moysem, & Prophetas; audiant illos. At ille dixit. Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurexerit, credent.* Suppono Moysem, & Prophetas, in quos auxilia salutis rejicit Abrahamus fratribus istius divitis, esse Mosaycos libros, & prophetias, in quibus omnis doctrina, atque instructio ad salutem Hæbreorum necessaria continebatur. Ita Euthymius: *Habent Moysem, & Prophetas, Mosaycos libros, & prophetias: nec enim ita tibi curæ sunt fratres, ut Deo, qui fecit illos, & sexcentos adhibuit præceptores.*

22 Unde sic arguere licet: Avarus dives proponit Abrahamo, ut redeunte de mortuis concionatore, viventes ipsius fratres in salutē excitētur. At Abrahamus, divitis providentiā incusans, eos ad lectionē, & instructionē, sacrorum librorum rejicit, asserens æqualia, & majora eis in esse remedia, quā ea, quæ ex prædicatione, & instructione vocali redeuntis, è mortuis possent accipere: ideòque si eis auxiliis non sanātur, irremediabilem fore eorū ægritudinē. Ergò negari nō potest, providisse Deū, ut cū lectione, & instructione scripta sacrorū librorū infunderentur menti auxilia interna supernaturalia sufficientia ad salutem, adimpletionemque eorū, quæ in eis nobis proponuntur.

23 Dissertè etiā idē docet Apostol. *ad Rom. c. 15. v. 4.* inquiēs: *Quæcūque scripta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt, ut per patientiā, & consolationē scripturarū spem habeamus.* Theophylactus autē ex superiori Abrahami respōso colligit. *Nūc nihil tā utile est, ut diligens scripturarū scrutatio.*

Qua-

Quare D. Augustinus *lib.* 83. *quæst.* 68. *fine.* docet, Pharaonem vocatum fuisse, ut non esset ingratus in populum Israel ex cognitione historica eorum, quæ in eo regno à Joseph gesta sunt, quam ex libris Ægyptiorum accepit. *Ad misericordiam Dei* (inquit) *pertinet vocatio: Numquid ergò latebat Pharaonem, quid boni consequutæ fuerant terræ illæ per adventum Joseph? Illius ergò rei gestæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus*: Et mox subdit idem Augustinus: *Hæc autem vocatio, quæ per temporum opportunitates operatur altæ, & profundæ ordinationis est.*

SECTIO VIGESSIMA NONA.

Superna divinæ gratiæ auxilia ex Dei misericordia, in præsenti providentia, externæ vocationi adjungi, ex Sacris Literis, & PP. ulterius probatur.

1 INstructioni scriptæ Ministrorum Ecclesiæ, ad opportunam vocationem Dei, accedunt miracula, quę in testimonium fidei, ac pietatis, aut sanctitatis justorum eduntur. Ideò Joann. *cap.* 12. *v.* 37. exprobrantur Judæi, quod increduli existerent, actis à Christo Domino tot signis, ac miraculis: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Et ipse Christus Dominus exprobat Corazainitis, & Bethsaiditis *Matth. cap.* 11. *v.* 21. & Lucæ *cap.* 10. *v.* 13. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus: quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corazaim, væ tibi Bethsaida: quòniam si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Unde ad agendum pœnitentiam, & corrigendos pestilentes mores Corazain, & Bethsaidæ, facta sunt à Christo Domino miracula, quibus validæ illustrationes supernaturales pulsarent cæcam ipsorum mentem, & fidem salvatoris vehementer suaderent; eisdemque proculdubio virtutibus in Tyro, & Sydone similes cogitationes excitatæ reipsa pœnitentiam salutarem, fidemque obtinerent; ideòque meritò exprobrantur Corazainitæ, & Bethsaiditæ. Confert D. Augustinus *de spiritu, & lit. cap.* 34. dum ait: *Visorum suasionibus, agit Deus, ut velimus, & ut credamus.*

2 Miraculis proxima sunt aliorum exempla, quæ nobis proposita, interioribus vocationibus gratiæ movere animum ad sui imitationem, & omnem pietatem, probatur ex Jobi cap. 10. v. 17. ubi asseritur: *Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam.* Super quæ D. Gregorius *cap.* 35. *aliàs* 43. *Testes* (inquit) *suos contra nos Dominus instaurat, quia bona, quæ facere ipsi negligimus, hoc ad correptionem nostram fieri ab aliis demonstrat; ut qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis nihil sibi mens difficile æstimet, quod perfectè peragi ab aliis videt.* En exempla bonorum nobis proponit Deus; ut qui præceptis ad virtutem non accenduntur, aliorum exemplis excitentur: in eundem sensum facit quod Lucæ cap. 21. v. 13. Christus Dominus dixit: *Continget vobis in testimonium*; quia ut exponit D. Gregorius, apud D. Thom. in Catena, *Vos videndo, inde perversi sine excusatione peccant, unde electi exemplum capiunt, ut videant.* Certum igitur est, quæ gratiæ interioris auxilio alii agunt, possibilia, & facilia, simili auxilio nobis fieri, si imitari velimus.

3 Ex quibus dilucidè conficitur, superna divinæ gratię auxilia ex providentia, lege, & misericordia Dei conjuncta esse ministerio creaturarum proponentium objecta honesta, præsertim prædicationi, & instructioni vocali hominum, tùm sacris, ac piis scriptis, & miraculis, ac exemplis, ut in minori, seù secunda nostri principalis ratiocinii assumptione dicebamus; id quod perdoc-

tè, & fusè edocent P. Didacus Ruiz de Montoya *de prædestina. disput. 42. sect. 4. per totam*, fusiorique calamo, permultis Patrũ, & Sacræ Paginæ eloquiis P. Joan. Martinez de Ripalda *tom. 1. de Ente supernat. disp. 20. sect. 9. usque ad 16.* ubi *num. 71.* adnotat à Theologis communitèr admitti in fidei propositione, nempè, cum infidelibus proponitur sufficienter ex parte objecti ab aliquo Ministro Evangelii, aut alio homine ratio motiva fidei supernaturalis, infundi simul à Deo illustrationem, & inspirationem supernaturalem, quibus actum fidei supernaturalem eliciant, vel elicere possint.

4 At Philosophis omnibus, in Areopago cum D. Dionysio existentibus, ministerio, & prædicatione D. Pauli sufficienter externè fuit proposita fides, ut perspicuum est, ergò omnibus etiam illis Philosophis tunc temporis infussæ fuerunt à Dei largitate illustrationes, & inspirationes supernaturales, quibus actu fidei supernaturali ipsi credere possent; & hoc quidem, minimè obstante diversa dispositione illorum Philosophorum, quòniam doctrina à nobis communita de conjunctione divinorum internæ gratiæ auxiliorum cum prædicatione, & aliis externis vocationibus, universaliter procedit, nec Sacræ Scripturæ Oracula, nec Patres hanc Dei miserentis largitatem restringunt ad homines hujus, vel illius dispositionis: igitur omninò fateri debemus prædictos Philosophos audientes D. Pauli prædicationem, sufficienti Dei gratia tunc perfusos fuisse ad actum fidei supernaturalem eliciendum; at ex sacro textu habetur, quod quidam quidem irridebant, adeòque dissentiebantur positivè, alii verò assentiebantur, ut Dionysius: igitur, quia facta nobis sufficiente rerum fidei propositione liberè immediatè potest voluntas, & dissentiri positivè, & cum gratia Dei assentiri.

5 Idem cernere est in Judæis; quibus in triplici eorum statu supra perspecto, non solùm à Deo concessa fuit externa vocatio admonitionis Prophetarum, sed & Sacrorum Librorum instructio, editio portentorum, imò in secundo statu, & ex illo profluens in tertium ipsius Christi Domini prædicatio, tot signis præ oculis eorum ab ipso patratis, & tandem aliorum exempla, Magdalenæ præsertim, Lazari, & Apostolorum, necnon Chananeæ mulieris, seù Syrophœnissæ, & Præcursoris Domini; illis igitur, & maximè iis, cum quibus Christus Dominus commoratus fuit, uberes illustrationes, & inspirationes, & internæ gratiæ cumulata auxilia ad credendum, eliciendumque supernaturalis fidei actum sufficientia concessa fuerunt à Divina largitate: sed nihilominus eorũ plurimi pertinaciter Christi Domini verbis dissentiebantur: igitur quia liberæ voluntatis est, cum potestate, & sufficientia proxima ad assensum, oppositum dissensum imperare.

6 Confirmatur ex comparatione malitiæ in peccato infidelitatis, quæ in Judæis gravior esse convincitur, quàm in Ethnicis, ac proinde graviori supplicio plectenda in supremo judicio: quod apertè habetur *Matth. cap. 10. v. 15.* ajente Domino: *Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi Civitati.* Rationemque D. Hilarius assignat inquiens: *Quia illis ignorato Christo errasse sit levius: his verò inexpiabile sit, aut prædicatum non recepisse, aut receptum non sanctè neque Catholicè prædicasse.*

7 Item bona pars *cap. 16. Ezechiel.* ponitur in comparanda Jerosolyma cum sororibus Samaria, & Sodoma, quas sceleribus superavit: *Et justificasti* (ait num. 51.) *sorores tuas, in omnibus abominationibus tuis.* Quod D. Hieronymus ita interpretatur: *Non simpliciter justas Sodomam, & Samariam esse decernit; sed comparatione deteriorum: quomodo, & publicamus, de quo supra diximus non absolutè justus dicitur, sed collatione pejoris. Et*

ta-

tamen cum tales ſint Sodoma, & Samaria, ne dimidium quidem peccaverunt, comparatione Hyeruſalem. Servus enim, qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit eam, vapulabit multis, & potentes potenter tormenta patientur. Hactenùs D. Hieronymus, apertè edocens, ideò gravius deliquiſſe Judæos, quia cum ſufficienter illuminati, & à Dei gratia eximiè adjuti fuiſſent, ſpecialibuſque auxiliis inter alias gentes, præſertim doctrina, & miraculis inſtructi, & ſuffulti, noluerunt verbo Dei aſſenſum præbere, ſed perfidè diſſenſerunt. Hæc, & ſimilia adnotata reperies apud omnes Expoſitores. *Matth.* 11. & *Lucæ* 10. Hieronymum, Chryſoſtomum, Theophylactũ, Euthymium, Hilarium, Anſelmum, Gloſſam ordinariam, Interlinealem, Lyram, Hugonem, & alios. Igitur Judæi non utcumque ſufficientem gratiam aliis gentibus communem, ſed majorem, & eximiam ſortiti fuerunt, ut Chriſti Domini prædicationi, & Prophetarum eloquiis fidem præberent, cum tamen perfidè diſſentirent, & conſequenter cum immediata aſſentiendi libertate.

8 Illuſtrat autè id ipſum Angelicus Doctor in Catena Aurea ad caput 20. *D. Lucæ* v. 14. ad illa verba: *Hic eſt hæres*, ſic ex venerabili Beda inquiès: *Manifeſtiſſimè autem Dominus probat Judæorum Principes, non per ignorantiam, ſed per invidentiam crucifixiſſe Filium Dei: Intellexerunt enim hunc eſſe, cui dictum eſt: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et infrà *cap.* 23. ejuſdem D. Lucæ ad illa verba, *Non enim ſciunt quid faciunt.* Ex Beda etiam ait: *Notandum ſanè, quod non pro eis oravit, qui Filium Dei intellexerunt crucifigere, nec confiteri voluerunt; ſed pro eis, qui neſciebant, quid facerent, zelum Dei habentes, ſed non ſecundum ſcientiam:* Quibus ex Græco annectit D. Thomas hæc alia: *Permanentes verò poſt crucem in infidelitate, nullus per ignorantiam juvari putabit, dignis miraculis, ſonora voce ea prædicantibus eſſe.* Sic D. Thom. qui tamen cum aliis Patribus ita intelligendus videtur, ut licet Judæorum Principes non crediderint Chriſtum Dominum eſſe Dei naturalem filium, nec Meſsiam, tamen, quia conſpicua ad id credendum habuerunt ſigna, quibus aſſentiri noluerunt, ob odium, & invidiam, ideò inexcuſabiles fuerint; & cognoviſſe, Chriſtum Dominum eſſe verum Dei filium, dicuntur.

9 Quod luculenter D. Thomas expreſsit in 3. *part. q.* 47. *art.* 5. *ad* 1. ubi teſtimoniis Sacræ Scripturæ, & Patrum, quibus videtur probari Judæorum Principes verè cognoviſſe Chriſtum Dominum eſſe filium Dei, reſpondet Ang. Doct. in hunc modum: *Sed adhoc poteſt reſponderi, quod cognoverunt, eum eſſe filium Dei, non per naturam, ſed per excellentiam gratiæ ſingularis. Poſſumus tamen dicere, quod etiam verum Dei filium cognoviſſe dicuntur: quia evidentia ſigna hujus rei habebant, quibus tamen aſſentire, propter odium, & invidiam noluerunt, ut eum cognoſcerent filium Dei eſſe.* Unde fit D. Thomam, & Eccleſiæ Patres exiſtimare, docereque, Judæorum Principes, cum habuiſſent ſufficientia ſigna, & Dei auxilia ad aſſentiendum divinitati Chriſti Domini, perfidè tamen, & pertinaciter eam negaviſſe.

8 Ad eandem Judæorum cõvincendam inexcuſabilem perfidiam, conjunctam cum poteſtate proxima ad credendum Chriſto Domino, pro ſigno priori liberæ voluntatis eorum, confert quod ſcribit D. Thom. in *Matth. cap.* 11. *Sicut aliquis* (ait) *quandò alicui fecit quidquid boni potuit, & ipſe eſt ingratus: neſcit cui comparare eum: ſic Dominus omnia bona fecerat generationi huic.* (ſcilicet Judæorum) *unde Iſaiæ* 5. *Quid ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Cui ergò potero comparare tantã malitiam?* Ubi perpẽde verba illa Iſaiæ, *Quid ultrà facere debui?* Tùm illa D. Thomæ, *omnia bona fecerat generationi huic*: quæ ſatis apertè mihi oſtendunt, plures ex Judæis, qui & verba Chriſti Domini audierunt, ejuſque præclara ſigna conſpexerant, & mediocriter ſaltem

inſ-

inſtructi erant in lege, dum eloquiis, ac Divinitati Chriſti Domini diſſentiebantur, habuiſſe in mente ſufficienter propoſitam harum rerum credibilitatem, uberique Dei gratia ad aſſentiendum divinis myſteriis fuiſſe præditos, prava tamen affectione pertinaciter diſſenſum præſtitiſſe.

11 Idem evincitur ex Iſaia *cap.* 65. *v.*2. ex Apoſtolo *ad Rom.* 10. 2. Iſaias quippè ſic ait: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Quæ Apoſtolus exponit,& ſic vertit:Ad Iſrael autem dicit:*Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*To.Enim *ſorer* Hæbraicum,ſignificat incredulum, recedentem, rebellem, & contumacem; contumax autem, rebellis,& contradicens ille meritò nuncupabitur, qui agnoſcens ſufficienter id, quod ad credendum ſufficienter ſibi proponitur, diffitetur tamen, & diſſentitur;igitur Judæi ſufficienti cum credibilitate rerum fidei, quæ à Chriſto Domino proponebantur, voluntate libera diſſentiendo rebelles, contradicentes, & perfidi fuerunt, & ex hac contradictione, & contumacia, fieri poſſe, fatebor, quod licet mens deinceps ignorantiæ tenebris obtegatur, perfidiæ peccatum perſeveret, ex cauſa ſcilicet, & priori pertinacia moraliter perſeverante: tùm quia Deus nõ definit gratia ſua pulſare.

12 Eleganter autem, & ad rem noſtram, Judæorum perfidiam uberemque Dei erga ipſos beneficentiam exponit D. Petrus Chryſol. *Serm.* 108. *ſub init.* tractans illud Roman. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei: Rogat Paulus:* (inquit) *imò per Paulum rogat Deus, quia plus amari vult, quam timeri. Rogat Deus, quia non tàm Dominus eſſe vult,quàm Pater,rogat Deus per miſericordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum:Tota die,inquit,expandi manus meas. Nonnè qui expandit manus, ipſo habitu rogat? Expandi manus meas; ad quem? Ad populum non credentem, ſed contradicentem. Diſtendit membra, dilatat viſcera,pectus porrigit, offert ſinum; gremium pandit, ut patrem ſe tantæ obſecrationis demonſtret affectu. Audi, & aliter rogantem Deum:Populus meus,quid feci tibi, aut quid contriſtavi te?* Quibus,& aliis multis concinnè explicat Eximium Dei affectum, uberemque gratiam allicientem, vocantem,miriſque modis excitantem Judæos Chriſto Domino contradicentes; adigimur ergò fateri, in ipſo inſtanti, contradictioniſque tempore, pro ſigno priori libertatis, Judæos ſufficienter habuiſſe propoſitam rerum fidei,Divinitatis nempè Chriſti Domini, ipſiuſque dignitatis Redemptoris credibilitatem; & conſequenter ex libera immediatè voluntate diſſenſum præſtitiſſe, cum immediatè aſſentiri potuerint.

13 Quapropter Patres frequenter edocent, ex libera Judæorum voluntate ſufficienter ex Dei gratia expedita ad aſſenſum fidei eliciendum, & cum omnibus ad id prærequiſitis completa, eorumdem infidelitatem, perfidiamque ortum duxiſſe, & immediatè dimanaſſe, ſic D. Auguſtin. *lib. de bono perſeverant. cap.* 9. *poſt medium,* inquit: *Facilè eſt ut infidelitatem accuſemus Judæorum, de libera voluntate venientem; qui factis apud ſe tàm magnis virtutibus, credere noluerunt. Quod Dominus increpans arguit, & dicit: Væ tibi Corazain, væ tibi Bethſaidæ, quia ſi in Tiro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, &c.* Ubi notandum infidelitatem Judæorum venire de voluntate non ligata, ſed libera, & expedita, & credere illos noluiſſe, igitur quia credere tunc potuerunt,noluerunt tamen.

14 Gaudentius Brixienſis in *Serm.* 3. *de manducatione agni paſchalis, in medio.* Utitur eiſdem verbis *Matthæi* 11. ut probet incredulitatis culpam,non ex Dei præſcientia, ſed ex libero arbitrio provenire. Peculiariter verò notandum eſt illud Gaudentii: *Libertatem diximus arbitrii, quia voluerunt Judæi facere, quod fe-*

fecerunt, & utique si voluissent, non fecissent.

15 Differte admodum Hieronymus *Ezechiel* 3. explicans illa verba, videlicet: *Si ad illos mittereris illi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnes quippè domus Israel attrita est fronte, & duro corde*, ait; *In quo apertè liberum monstratur arbitrium, & duæ redduntur causæ, quare non audiant; quia perversæ inquit sunt voluntatis, & attrita fronte; sivè ut septuaginta vertunt, contentiosi sunt. Et subauditur, quod sæpè ad salutem provocati noluerunt obedire.* Diffiteri ergò non possumus, eam fuisse Judæorum inobedientiam, & perfidiam; ut cum divinis illustrationibus, & inspirationibus auxiliantis gratiæ sufficienter ad credendum, fidei quæ obediendum misericorditer pulsati, & provocati fuissent, noluerunt credere, & obedire, cum id absolutè, & immediatè ex Dei gratia præstare possent, quandò enim magis perspicuè Divinitatis Christi Domini credibilitatem perspectam habere potuerunt, quàm cum tot signis, virtutibus, & prædicatione ipsius Domini fuit ipsis proposita; & nihilominus increduli dissentiebantur: cum immediata igitur credendi libertate potest dissensum imperare voluntas.

16 Præadductis ergò Sacræ Paginæ locis ex se ipsis, & ad PP. Ecclesiæ mentem animadversis sæpè fit liquidum, in ipso tempore, & instanti, quo quispiam fidei dissentitur, non obstante prava ipsius dispositione, potuisse illum ex gratia Dei proximè, & immediatè pro signo prioris ejusdem instantis liberè assentiri fidei propositioni, & consequenter, licet quandoque, aut sæpè à fide deficere, contingat sensim, & tardo gressu supra à Mercoro descripto; tamen ea temporis, & rerum intercapedine opus non est, ut ex assertis patet, & iterum ostenditur in fidelibus, qui licet timorati, probique sint, aliquando gravi aliqua contra fidem tentatione sic pulsantur, ut quamvis ex Dei gratia illi resistant, in se ipsis experiantur, potuisse quidem immediatè succumbere tentationi, & prolabi in hæresim.

SECTIO TRIGESSIMA.

Ex Sacris Conciliis immediatam fidei libertatem colligit.

1 PRimò ex Concilio Arausicano 2. circa tempora Leonis Papæ primi. *Canone* 5. cujus hæc sunt verba: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, ideſt, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Ex quo sacro decreto sic differes, per credulitatis affectum, seù credendi voluntatem, quæ ex Dei adjutorio elicitur, corrigitur voluntas nostra, ut Concilium inquit, *ab infidelitate ad fidem*; sed hæc motio voluntatis libera est, non solum libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, repertæ inter assensum, & dissensum, seù inter fidem, & infidelitatem positivam: igitur voluntas ejus, qui ab infidelitate convertitur ad fidem, libera est, non solum libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis repertæ inter assensum, & dissensum, seù inter fidem, & infidelitatem positivam: igitur illius fides, qui ab infidelitate convertitur ad fidem juxta communem Dei legem, libera est non solùm mediatè, sed etiam immediatè, & proximè. Prima hujus ratiocinii assumptio est ex ipso Sacro Concilio excerpta: secunda juxta communem Theologorum sententiam est vera, imò certa, ut præcipuè adnotat P. Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *de fide. quæst.* 1. *punc.* 4. §. 1. *colum. mihi* 59. habe-

tur-

turque ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. cap. 6.* ubi dicitur, homines diſponi ad juſtitiam *dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.*

2 Prima etiam conſecutio legitima eſt, quòniam tàm Concilium Arauſicanum, quàm Tridentinum loquuntur de motione libera voluntatis, qua ab errore infidelitatis poſitivæ homines ad veram fidem convertuntur, ut nemo ibit inficias: ſecunda itidem conſequentia eſt bona; quòniam, ſi fides ſolum mediatè libera eſſet, quoad ſpeciem, utique non eſſet libera libertate contrarietatis, ſed tantum contradictionis, nempè voluntas libera tantum eſſet ad aſſenſum fidei, & ad ipſius omiſsionem, vel ad ipſum ſuſpendendum aſſenſum, & ad avertendum intellectum à conſideratione motivorum fidei, ut fatentur adverſarii; at juxta Arauſicanum Concilium voluntas ex Dei gratia movetur, utique liberè, ab ipſa infidelitate poſitiva ad fidem: ergò non ſolum à ſuſpenſione aſſenſus fidei, ſeù à negativa infidelitate, ſed ab infidelitate poſitiva ad fidem liberè convertitur homo, igitur, & credit cum immediata diſſentiendi libertate. Confirmatur, quòniam Aruſicanum Concilium loquitur de converſione ab impietate ad pietatem, igitur, & de converſione immediata, & libera à poſitiva infidelitate ad fidem.

3 Probatur ſecundo ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. Can. 4.* ſic decernente: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire ſi vellit, ſed velut inanimæ quoddam nihil omninò agere, merèque paſsivè ſe habere, anathema ſit.* Porrò in hoc ſacro canone ſermonem eſſe de converſione non ſolum fidelis peccatoris ad gratiam, ſed etiam infidelis ad fidem, conſtat, quia Concilium loquitur de cooperatione, præparatione, & diſpoſitione ad obtinendam juſtitiam, ſeù juſtificationem, ut patet ex illis verbis: *Quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet. Diſponuntur autem* (adulti) *ad ipſam juſtitiam*, inquit idem Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 6.) *dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.* Igitur juxta Sacrum Trident. Concilium, hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum ad fidem, ſic cooperatur credendo, ut Deo ſic vocanti, & excitanti, poſsit diſſentire, ſi vellit: propoſita ergò myſteriorum fidei ſufficienti credibilitate, inſpiratione que Dei, & gratia ſufficienti, imò, & congrua, poteſt homo liberè diſſentire fidei, ſi vellit, & conſequenter aſſenſus fidei, vel diſſenſus eſt immediatè liber.

4 Nec adverſariis patet aditus ad diſtinctionem libertatis mediatæ, & immediatæ, præcluditur quippè ex eodem Concilio, primo: nam ſi homo à Deo ad fidem vocatus, & excitatus ſolum mediatè reſiſtere, & diſſentire poteſt, fieret, ut id diſſenſus obtineri non poſſet ab homine in inſtanti ipſius vocationis, & excitationis, de qua loquitur Concilium, ſed poſtea ſcilicet, quando poſt aſſenſus fidei omiſsionem, voluntas averteret intellectum à conſideratione motivorum fidei, eundemque converteret ad apparentia hæreſum fundamenta vividè conſideranda; ita ut jam rerum fidei credibilitas amiſſa ſit ab intellectu illius, qui proximè eſt potens diſſentire fidei myſteriis, ut docet Mercorus in *Baſi moral. Theol. 2. par. art. 6.* cui ſubſcribũt Palãcus, & quotquot propugnãt, mediatè tantũ, & remotè fidẽ eſſe liberã quoad ſpeciẽ: hi enim aſſerere cogũtur, & dicunt, neutiquã poſſe componi proximã libertatẽ diſſendi fidei myſteriis cum ſufficienti credibilitate, & eorũ vocatione Dei ad fidem, nec libertatem

pro-

proximam, & immediatam aſſentiendi fidei objecto cum libertate proxima aſſentiendi errori, & hæreſi.

5 Tùm ſic: ſed juxta Tridentinum Concilium utraque proxima libertas adeſt in eodem inſtanti: igitur non ſolum mediatè, & remotè, ſed proximè, & immediatè libera quoad ſpeciem eſt fides noſtra: minor, quæ ſolum poteſt probatione indigere, oſtenditur; nam diſſentire Deo vocanti, & excitanti per intellectus illuſtrationem, rerumque fidei credibilitatem, eſt conjungere diſſenſum hæreticum cum vocatione, & excitatione Dei præfata; ſed liberum arbitrium poteſt Deo vocanti, & excitanti diſſentire, ſi velit, juxta Tridentinum; igitur poteſt in eodem inſtanti cum vocatione, & excitatione Dei conjungere diſſenſum erroneum, ſeù hæreticum.

6 Secundo eadem Adverſariorum doctrina refellitur: nam in præfato Canone Tridentinum Concilium loquitur de vocatione congrua, & efficaci, cui homo obtemperat, *aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti*, ut in Tridentino Canone aſſeritur: idque adnotant noſtri Doctores, dum ex eodem Canone nituntur gratiam intrinſecè indifferentem ſtabilire, & intrinſecè efficacem rejicere, ut videre licet apud Eximium Doctorem Patrem Suarez *Tomo De vera intelligentia auxilii efficacis cap. 32. pag. 195.* Et apud Reverendum admodum P. Tyrſum *tom. 1. ſelec. diſp. 17.* ferè per totam. Et ex præclara Prædicatorum Religione idem fatetur. Illuſtriſsimus Alvarez *diſp. 92. de Auxiliis num. 8.*

7 Congruum verò auxilium, ſeù efficax, imò & ſufficiens ad credenda vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt, & promiſſa conſtituitur intrinſecè, & eſſentialiter ex notitia, ſeù cognitione credibilitatis rerum fidei, ut per ſe patet: nec ſtare poteſt efficax, ſeù congruum auxilium ad credendum, abſque ea interiori illuſtratione, qua intellectus percipiat, credibilia eſſe fidei myſteria. Sed juxta Concilium Tridentinum, liberum arbitrium poteſt huic vocationi, & auxilio Dei congruo, & efficaci diſſentire, ſi velit: igitur poteſt liberum arbitrium conjungere diſſenſum cum cognitione credibilitatis rerum fidei; ſed hoc eſt poſſe immediatè, & in eodem ſigno elicere, vel poſitivum aſſenſum rerum fidei, vel diſſenſum poſitivum earum rerum, ut liquet ex terminis, igitur juxta Tridentinum Concilium aſſenſus fidei liber eſt quoad ſpeciem ipſius aſſenſus proximè, & immediatè.

8 Tertiò, & præcedens ratiocinium confirmatur: ex terminis, diſſentire auxilio eſt conjungere diſſenſum cum auxilio, ſicut conſentire auxilio, ex terminis, eſt conjungere conſenſum cum auxilio: reſiſtere enim alicui virtuti eſt conjungere cum virtute oppoſitum ejus, quod ipſa intendit: ſic reſiſtere hoſti conanti in arcem irrumpere, eſt facere, ut conjungantur conatus, viſque hoſtis, & reſiſtentia arcem propugnantium; ſed homo pro libertate ſua poteſt diſſentiri Deo vocanti, & excitanti, ſi velit: igitur poteſt efficere, ut cum ſufficienti excitatione, & libertate ad fidem, & cum rerum fidei credibilitate cognita conjungatur diſſenſus, & error contrarius fidei.

9 Quartò. Potentia diſſentiendi vocationi, & excitationi ad fidem non eſt potentia ad ponendum diſſenſum, quandò non datur auxilium ſufficiens ad operandum aſſenſum, aſſentire enim errori, quando non datur vocatio, excitatio, & auxilium ad credenda, quæ à Deo ſunt revelata, & promiſſa, non eſt diſſentire auxilio vocanti, & excitanti ad credendum, diſſentire enim, cum ſit quędam intellectualis reſiſtentia, ex terminis ſuis importat renitentiam contra impetum alterius: ergò potentia ad diſſentiendum vocationi, & excitanti auxilio ad credendum divina myſteria eſt formaliſsimè potentia ad ponendum diſſenſum erroneum, & hæreticum, quando da-

datur Dei vocatio, & auxilium excitans ad credendum, ſeù quando ſufficienter cognita eſt rerum fidei credibilitas: ergò eſt immediata, & proxima diſſentiendi potentia,ac libertas.

10 Quintò idem aſſumptum evincitur ex Concilio Senonenſi Lutetiæ Pariſiorum congregato ann. 1528. ab Archiepiſcopo Senonenſi.Iſtud quippè Concilium in decreto 15. poſtquam contra Pelagianos docuit gratiæ prævenientis neceſsitatem ad ſalutariter operandum, ſubdit: *Neque tamen tanta gratiæ neceſsitas libero præjudicat arbitrio,cum illa ſemper ſit in promptu , neque momentum quidem prætereat , in quo Deus non ſtet ad oſtium , & pulſet , cui ſiquis aperuerit januam,intrabit ad illum,& cœnabit cum illo: neque denique tale ſit ejuſmodi Dei trahentis anxilium,cui reſiſti non poſsit.* Hactenùs Concilium,quod certum eſt,loqui etiam de gratia excitante , & prærequiſita ad aſſenſum fidei ſupernaturalem, tùm quia ejuſdem indolis, & naturæ quoad reſiſtibilitatem, ſeù fruſtrabilitatem , eſt gratia requiſita ad credendum ſalutariter,& ad alios ſupernaturales, & meritorios actus exercendos: tùm quia , & ſufficientia ad ſalutariter credendum neceſſariò conſtitui debet ex gratia ſupernaturali.

11 Tùm quia idem Senonenſe Concilium ſuum decretum deſumit ex D.Stephani verbis *Actor.7.v.51.* ut enim oſtendat reſiſtibilem eſſe gratiam,ab ipſo Concilio comprobatam , & propoſitam, poſt verba ſupra exarata ſubjungit: *Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hieruſalem , ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas , & noluerunt? Fruſtrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis , & incircumciſi cordis argueret , qui ſemper Spiritui Sancto reſiſterent , &c.* Peccatum verò propter quod maximè Stephanus increpat Judæos, eorum fuit infidelitas, quòd tot viſis ſignis , factiſque apud ipſos virtutibus , tùm à Chriſto Domino, tùm ab Apoſtolis , credere nolent. Simileque fuit peccatũ Scribarum,& Phariſæorũ in Hieruſalem, commorante apud eos , & prædicante Chriſto Domino.

12 Tùm denique , quia eadem eſt in hoc puncto ſententia Concilii Senonenſis , dum definit poteſtatem reſiſtendi,ac Tridentini, dum definit poteſtatem diſſentiendi , ut inquit Mag. Joannes à S. Thom. *tom. 2. diſp.5.art.6.* & frequenter alii Doctores ex noſtræ Societatis Jeſu Schola , & PP. Dominicanorum, idem adnotant : unde cum Tridentinum loquatur de gratiæ auxilio ad ſalutariter credendum, ut conſtitit hac eadem *ſect. num.* 3.pariter ſupponendum eſt , in Senonenſi decreto ſermonem eſſe de auxiliis gratiæ ad ſupernaturalem, meritoriamque fidem neceſſariis, imò de auxilio quo ad ſalutariter credendum trahitur homo,atque de eodem decernere, *quod tale non eſt Dei trahentis auxilium,cui reſiſti non poſsit.*

13 His prælibatis , ſic arguo: Potentia ad reſiſtendum auxilio excitanti ad credendum, eſt potentia ad ponendam à parte rei reſiſtentiam contra illud auxilium: ergò , vel eſt potentia ad ponendam illam reſiſtentiam,antequam incipiat exiſtere illud auxilium, vel poſtquam deſinit exiſtere : vel quando exiſtit.At non poteſt dici primum,neque ſecundum , quia hoc perinde foret,ac habere potentiam ad ponendam reſiſtentiam contra hoſtem nondum natum, vel jam mortuum: ergò debet dici tertium: ergò potentia ad reſiſtendum auxilio impellenti ad credendum eſt potentia ad ponendam reſiſtentiam contra illud auxilium , quandò exiſtit tale auxilium: ergò eſt potentia ad conjungendam reſiſtentiam,ſeù diſſenſum cum auxilio impellenti ad aſſentiendum ; tunc autem Dei auxilium infidelibus præcipuè conceditur ad credendum,quando prædicatione, exortatione, lectione,vel miraculis, aut exemplis credibilitatis fidei motiva ſufficienter proponuntur , ut in *ſect. 26.& 27.cum ſeqq.* oſtenſum manet;ergò propoſita, & habita in mente ſufficienti

myſ-

myſteriorum fidei credibilitate, poteſt liberum arbitrium imperare diſſenſum erroneum,& hæreticum.

14 Sed, ut noſtræ doctrinæ veritas eluceſcat amplius, animadvertendum eſt, quod licet inter Patrum Dominicanorum,& Jeſuitarum noſtram Scholam ingens diſsidium adſit in præfatis Senonenſis, ac Tridentinæ Synodi decretis exponendis, quòniam Noſtri Doctores aſſerunt omninò de gratia congrua,& efficaci,nimirum extrinſecè, Concilia eſſe intelligenda,ut adnotatum jam fuit ex Eximio Doctore P. Suarez, *tom. de vera intelligentia auxilii efficacis cap.32.pag.*195.& R.Adm.P.Tyrſo,*tom. 1. Select. diſp.* 17. E regione autem Dominicani Patres nituntur oſtendere, vel Concilia tantum loqui de gratia ſufficienti,vel aliter dicunt,poſſe voluntatem reſiſtere, & diſſentiri in ſenſu diviſo, ſecus in ſenſu compoſito,ut ſcribitIlluſtriſſimus Alvarez *diſp.*92.*de Auxiliis n.*8. & Magiſt.Gonet.*in Apolog.Thomiſtarum.ar. 2.n.* 26. *& diſp.*4.*de Scientia Dei. n.*179.

15 Id tamen diſsidii nihil doctrinæ noſtræ officit,ſed apud utramque Scholam,& Dominicanorum Patrum,& noſtram Jeſuiticam firma manet argumentatio; quòniam primò Prædeterminatores Dominicani omninò concedunt poteſtatem proximam, & immediatam diſſentiendi gratiæ ſufficienti ad operandum; unde cum ſufficientia ad credendum,fide divina,non poſsit conſiſtere ſine cognitione etiam ſufficienti credibilitatis rerum fidei, fit evidens juxta Dominicanos Patres prædeterminationum protectores, (quidquid ſit de inconſequentia eorum doctrinæ de qua ſuis locis Doctores Societatis) fit,inquam,liberum noſtrum arbitrium poſſe proximè, & immediatè diſſentire fidei myſteriis, ſufficienter propoſitis, eliciendo poſitivum eorum diſſenſum; id quod nos modò intendimus,negantque Authores nobis in hoc puncto contrarii.

16 Secundò Dominicani Patres, poſitâ etiam prædeterminatione ad aſſenſum, firmiter propugnant, voluntatem noſtram liberam manere libertate antecedente proxima, & immediata ad eliciendum diſſenſum, ſolumque per gratiam intrinſecè efficacem,ſeù per decretum prædeterminans aſſerunt,conſequentem induci neceſsitatem, ad non diſſentiendum. Authores verò cum quibus modo differimus, negantes ſcilicet immediatam quoad ſpeciem fidei libertatem, apertè edocent, nec antecedentem nobis in eſſe libertatem proximam, & immediatam ad diſſentiendum myſteriis divinis, ſufficienter intellectui noſtro ad credendum propoſitis: quia dicunt, & tuentur cum evidenti rerum fidei credibilitate ſtare non poſſe potentiam phyſicam in intellectu ad diſſentiendum illis, ideòque nec voluntatem poſſe imperare diſſenſum fidei contrarium:tùm etiam in caſu, quo ſufficienter hæreſis intellectui proponitur, ut immediatè poſsit à voluntate hæreticus imperari aſſenſus, dicunt ipſi,eſſe intellectum antecedenter impotentem elicere aſſenſum verum,& Catholicum,voluntatemque antecedenter neceſsitatam, ne talem imperet aſſenſum,ex defectu ſcilicet credibilitatis myſterii, aut myſteriorum fidei, quam ſufficientem credibilitatem proximam,iidem Authores aſſerunt,non poſſe conjungi in eodem intellectu cum proxima apparenti ſufficienti credibilitate hæreſum; igitur Mercorus Thomiſta, & alii in hac noſtra controverſia illi adhærentes diſsident tùm à Societatis Schola,tũ à Prædeterminantiũ doctrina.

17 Tertiò Dominicani Patres, & reliqui Prædeterminatores totis viribus, totiſque conatibus ſuadere conantur, prædeterminationem non pertinere ad poſſe agere,ſed ad agere ipſum, vel quia prædeterminatio non conſtituit actum primum,ut communiter jam ipſi dicunt, ſed ad actũ ſecundũ,ſeù ad applicationé actus primi ad ſecundum pertinet, ut videre licet apud Magiſtrum Albeldam

disp.97.sect.3. Joann.à S.Thoma *quæst. 25.Physicæ. art.2. §.Dico tertio.* vel quia licet se habeat ex parte actus primi, ut docuit Illustrissimus Alvarez *disp. 18.de Auxiliis. num. 18.* tamen ad posse agere non requiritur, & ideò, ut ipse Alvarez docet *lib. 4. Responsionum, cap.1. num.8.* manente præmotione in ipsa potentia, habet illa veram facultatem,qua possit, non elicere illum actum,sed exire in actum contrarium, si velit, & *disp. 25. de Auxiliis. num. 19.* idem Alvarez inquit: Hæc propositio: *voluntas præmota in sensu composito, non potest dissentire*, non habet hunc sensum, quod voluntas, quo tempore est præmotio, non possit dissentire;sed quod non possit componere præmotioni actualem resistentiam: unde fit liquidum, juxta horum Auctorum mentem in ipso instanti reali,in quo voluntas prædeterminatur, eam esse proximè, & immediatè liberam ad actum prædeterminato oppositum;etsi id contradictionem involvere, cum Jesuitica nostra Schola existimem.

18 At qui negant immediatam fidei libertatem, docent,& credibilitatem rerum fidei pertinere ad actum primum, ac constituere potentiam credendi proximam, & ad hanc immediatam libertatem sic requiri, ut sine illa impotens sit in illo instanti voluntas imperare assensum;&aliunde ipsi asserunt, in eodē instanti, in quo rerum fidei credibilitas sufficienter est proposita, nullo modo posse voluntatem imperare actum contrarium, seù dissensum, igitur consequenter hi Auctores Dominicani, & alii ex eadem Schola dissident valdè à communi mente Patrum Dominicanorum in exponenda libertate in prædeterminata potentia: ac proinde doctrina nostra de immediata fidei libertate independens est à scientiæ mediæ, & prædeterminationum controversiis, & tàm in Dominicanorum Patrum Schola, quàm in nostra Jesuitica procedit, & vera constitit. Hæc juxta prædeterminantium principia exponere operę pretium fuit, quòniam in nostra Societatis Schola, cum auxilium sufficiens, seù etiam congruum ad credendum sit intrinsecè indifferens, & ex se conjungibile cum assensu,& fide,& cum dissensu,& pertinaci errore, perspicuum est indifferentiam,& libertatem ad credendum, esse etiam immediatam libertatem, & potestatem dissentiendi mysteriis fidei.

SECTIO TRIGESSIMA PRIMA.

Adversariorum effringit solutiones, & plura de infidelitate tradit.

1 SUperioris argumenti robur diluere satagit Illustrissimus Palanco *tract. de fide. disp.5.quæst. 8.num.58.*in hunc modum. Respondeo (inquit) primò, quod ly *dissentire* potest sumi pro actu intellectus oppositum sentientis, vel pro actu voluntatis nolentis assentiri : cum igitur Concilium Tridentinum definit,liberum arbitrium posse dissentire,si velit,non est sensus, quod possit dissentire per actum intellectus positivè sentientis contra suasionem gratiæ excitantis ad fidem in sensu composito talis gratiæ excitantis, sed solum quod possit dissentire per actum voluntatis nolentis credere, nec assentiri, hoc enim satis est ad salvandam mentem Tridentini, quia posse liberum arbitrium nolle assentiri, dum actu excitatur ad assensum, & in sensu composito talis excitationis, formalissimè est posse liberum arbitrium dissentire gratiæ excitanti, & hoc solum definit Concilium Tridentinum.

2 Secūdo respōdeo,(pergit Palāc.) quod nō omnis gratia excitans ad credēdū reddit nostrā fidem proximè credibilem, quia ut infra explicabo, est gratia excitans, quæ illustrat species, ut debitè apprehendatur motivum nostræ fidei, vel etiam motiva credibilitatis, & hæc sola gratia non red-

reddit proximè, & completè credibilem nostram fidem, sed solum initiativè, & remotè: est etiam gratia excitans ad debitam considerationem, & attentionem motivorum, quæ consistit in pia affectione voluntatis, & nec ista sola reddit proximè credibilem nostram fidem: est denique gratia excitans, quæ supposita debita consideratione motivorum, repræsentat nostram fidem, ut unicè re ipsa revelatam à Deo, & unicè credendam inter omnes sectas, & hæc est quæ proximè, & completè credibilem reddit nostram fidem: ad hoc igitur, ut salvetur mens Tridentini, satis est, quod possit intellectus dissentire fidei ut falsæ in sensu composito gratiæ excitantis, quæ reddit initiativè credibilem nostram fidem, non verò in sensu composito gratiæ excitantis, quæ reddit proximè, & completè illam credibilem. Vel respondeo tertiò, quod si Concilium loquitur de libero arbitrio excitato ad credendum, & definit, posse assentire, dissensu positivo intellectus, non est sensus quod possit dissentire gratiæ excitanti, sed divinæ revelationi propositæ per illam, & hoc pacto posse illi dissentire si velit, solum facit sensum compositum cum revelatione, & potest intelligi in sensu diviso illius gratiæ excitantis, quæ reddit proximè credibilem nostram fidem, quia si velit potest avertere considerationem à motivis nostræ fidei, & sic impedire illam gratiam excitantem, quæ reddit completè credibilem nostram fidem, & in sensu diviso illius dissentire revelativi divinæ. Hactenùs præcitatus Author.

3 Cujus doctrina refellitur ex dictis in superiori sectione; & in primis, falsum quidem est, quod Palancus intendit, videlicet, quod Sacrum Concilium Tridentinum non doceat in sensu composito gratiæ excitantis ad fidem, posse hominem vocatum ad fidem dissentire divinæ revelationi, si velit; sed solum posse liberè non assentire, seù vele, non assentire; ista enim interpretatio, opponitur verbis ipsius Tridentini: certum quippè est in dicto *cap.* 6. *Sess.* 6. sermonem esse de eventu, quo adulti disponuntur *ad justitiam dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* De hac autem eadem dispositione ad justitiam, seù justificationis gratiam loquitur Concilium in *Can.* 4. illius Sess. & in hunc modum decernit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil Deo cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, Anathema sit.* Ubi cernere est de homine se disponente ad justitiam, seù justificationis gratiam, fidem ex auditu cõcipiente, decernere Sanctã Synodũ, quod potest dissentire, si velit: ergò in sensu cõposito gratię excitantis ad fidem, & præsuppositа rerum fidei credibilitate ex auditu, gratiaque, & illustratione supernaturali, potest homo dissentire si velit.

4 At inquies ex Illustrissimo Palanco, potest sanè homo in sensu composito talis gratiæ dissentire rebus fidei revelatis, sed non per actum intellectus positivè sentientis contra suasionem gratiæ excitantis ad fidem, sed per actum voluntatis nolentis credere, & assentiri: sed contra, quia dissentire rebus fidei sufficienter ex gratia Dei propositis, & revelatis, est dissentire per actum intellectus positivè sentientis contra suasionem gratiæ, & contra fidem: at Tridentinum definit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, ut credat, vera esse quæ revelata sunt, posse dissentiri, si velit, ergò definit posse hominem dissentiri per actum intellectus, qui sit dissensus positivus. Assumptum constat, licet enim pro-

prium quoque ſit voluntatis diſſentiri; tamen dum de virtutibus, & viciis intellectus eſt ſermo, aſſenſus, & diſſenſus ſignificant ipſius intellectus actus poſitivos: at Concilium loquitur de virtute fidei, quæ ad intellectum pertinet: & qua homo diſponitur ad juſtificationis gratiam: vel ergò homo dum vocatur ad fidem ex gratia Dei excitanti, & movente, poteſt diſſentire rebus revelatis ipſi propoſitis, ſi velit? Aut diſſentire non poteſt, etiam ſi velit? Secundum abſolutè dici nequit, eſſet enim contra Tridentini decretum. Si primum dicatur, ut par eſt, & ſanctum; ergò homo poteſt, diſſentire myſteriis revelatis per diſſenſum poſitivum intellectus: quia objecto propoſito in ratione veri nemo diſſentit, niſi per poſitivum intellectus diſſenſum: ſicut nemo vivit, nec audit, niſi per poſitivum actum vitæ, & auditionis: igitur cum Sacrum Concilium decernat, hominem poſſe diſſentire rebus fidei revelatis, quæ intellectui illius proponuntur in ratione veri, ſtatuit utique poſſe, diſſentire per poſitivum intellectus actum ſentientem contra ſuaſionem gratiæ, & ſupernæ illuſtrationis excitantis ad fidem. Itaque licet liberi arbitrii ſit formaliter, vele, aut nole diſſentire; at diſſenſus, & aſſenſus erga myſteria revelata ſunt actus intellectus.

5 Secundò Illuſtriſsimi Palanco expoſitio inefficax oſtenditur: quòniam ſi in ſenſu compoſito gratiæ excitantis ad fidem, poteſt voluntas nole credere, nec aſſentiri revelatis, idque per actum voluntatis poſitivum, ut ipſe concedit, iſte voluntatis actus (in hypotheſi Concilii, hominis ſcilicet infidelis, aut hæretici, qui per fidem diſponitur ad juſtificationis gratiam,) elici non poterit abſque infidelitate, non præcisè negativa, ſed contrarietatis, & poſitiva: id quod deducitur ex Angelico Doctore, 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *corp.* ubi hæc habet: *Reſpondeo dicendum, quod infidelitas dupliciter accipi poteſt. Uno modo ſecundum puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc ſolo, quod non habet fidem. Alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundum contrarietatem ad fidem: qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundum illud Iſai.* 53. *Quis credidit auditui noſtro? Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ.* Sic D. Thomas.

6 Ex cujus aurea doctrina, ſic diſſero: Ille qui, audita fide, ſivè propoſita ſibi myſteriorum fidei evidenti credibilitate, cum teneatur ex gravi præcepto credere, præcipuè ut ab admiſſa hæreſi mundetur, fiatque orthodoxus, poſitivè tamen vult non credere, repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam Deique Optimi Maximi per Eccleſiam ſuam loquentis deſpicit Authoritatem; ſed qui fidem contemnit, eſt propriè infidelis: igitur hæreticus, cui ut diſponatur ad juſtificationis gratiam, proponeretur ſufficienter rerum fidei evidens credibilitas, ſi Deo ſic vocanti, & moventi diſſentiret per actum voluntatis, quo nolet credere, eſſet utique infidelis propriè talis: at infidelitas propriè talis non ſolum includit actum voluntatis, ſed etiam formaliter dicit actum intellectus, ut communis fert Theologorum ſenſus cum D. Thoma, *ead.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. Solutio ergò prælibata in id ipſum recidit, quod admittere renuebat, ſcilicet, vocatum à Deo, motumque auxilio gratiæ ad credendum revelatis à Deo, in ſenſu compoſito talis gratiæ, & vocationis poſſe diſſentire fidei rebus, per diſſenſum intellectus, & non ſolum voluntatis.

Hu-

7 Hujus ratiocinii vis cuncta ex prima illius descendit assumptione, quæ sanè sensum continet communem Theologorum, ex Sacris Scripturis depromptum, ut optimè animadvertit P. Gregorius Valentia, eximia præditus eruditione, præsertim in fidei controversiis, ac dissertationibus enodandis, ille igitur *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 10. *de infidelitate. punc.* 1. §. *sed quæritur tunc secundo* hæc habet: (Respondendum est, cum Theologi affirmant infidelitatem contrariè esse peccatum, non solum loqui de infidelitate illius, qui actu negat aliquam propositionem fidei, aut sentit aliquid contra fidem, sed etiam illius, qui cum percipiat auditu doctrinam fidei, omittit credere. Itaque particulam illam *contrariè* usurpant latius, ut comprehēdat etiam infidelitatem privativè, hoc est ejus, qui cū debet, & potest credere, non credit, atque adeò interpretativè contemnit fidem, & veluti adversatur illi.) Sic ille, in ejusque doctrina animadvertendum est, asserere, quod interpretativè contemnit fidem, & veluti adversatur illi is, qui cum debet, & potest credere, non credit, id est credere omittit, ut paulò ante dixerit: At verò ille, qui in eisdem circunstantiis, non solum omitteret, sed positivè nolet credere, formaliter quidem fidem contemneret, & adversaretur illius: ut dilucidius infrà ostendam.

8 Pergit ergò P. Valentia, & ait: (Sic exponendam esse hanc doctrinam satis insinuat D. Thomas, cum infidelitatem contrariè dicit, esse ejus, qui repugnat fidei, vel contemnit illam: quasi dicat, vel neglit credere cum possit, & debeat. Et secundum utrumque sensum doctrina hæc est de fide, *Joan.* 3. *Qui non credit jam judicatus est.* Et 15. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et *Marc. ult. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et *ad Tit.* 3. *Eramus aliquando errantes, incredduli, idolis servientes, &c.* Quo loco infidelitatem numerat inter alia peccata, sicut etiam numeratur *Apocalypsis* 21. & alibi. Hactenùs P. Valentia.

9 Consignat Exim. Doct. de fide, *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 8. *fine, & sect.* 5. *num.* 6. *& disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 9. *fine,* ubi inquit: *Unde concludo omnem propriam infidelitatem, quæ post sufficientem fidei auditum committitur, esse peccatum commissionis includens virtute hoc judicium, quod res sic proposita potest esse falsa:* eidem doctrinæ favet Cajetanus 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 2. ubi præmisso, quod dissentire à fide, constituit hominem infidelem, inquit, (Dissentire autem contingit tripliciter. Primò positivè, sentiendo contrarium, ut si credat quis, Deum non esse incarnatum. Secundò negativè, non sentiendo, quod constat teneri à fide. Et hoc dupliciter contingit, vel non credendo simpliciter, ut si quis non credat, Deum esse incarnatum: vel sub dubio vacillando, ut si quis dubitet, Deum esse incarnatum. Et hoc habet latitudinem juxta triplicem modum dubii, scilicet opinionis, suspicionis, & neutralitatis. Quocumque autem dictorum modorum contingit, dissentire voluntariè, id est, cum consensu, peccatum est infidelitatis.) Ita Cajetanus, qui cum inter infidelitatis peccata enumeret, non assentiri scilicet liberè objecto, quod ut fide divina credendum proponitur; & infidelitas sit in intellectu tanquam in proprio subjecto, ut expressè docet D. Thom. *dict. art.* 2. *corp.* in voluntate autem, tanquam in motivo, seù in movente, & determinante, fit equidem, quod qui vult non assentiri revelatis à Deo, sibi sufficienter propositis per doctrinam Ecclesiæ, quando tenetur credere, elicit aliquem actum intellectus fidei contrarium.

10 Haud me latet graves Theologos docere, posse quempiam suspendere assensum fidei per aliquod tempus, etiam si teneatur, fidei assensum elicere, quin ex eo fidei habitum amittat, & consequenter, quin sit hæreticus: si

nullum actum fidei contrarium intellectus eliciat, ut cernere est in Eximio Doct. *disp.* 16. *de fide, sect.* 1. *num.* 9. & *sect.* 3. *num.* 7. Lugo. *disp.* 17. *num.* 99. P. Ripalda. *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 40. & *seqq.* Verùm tamen ipsi Authores non diffitentur, quod possit homo tunc elicere dissensum intellectus, qui sit fidei contrarius formaliter: præterea docent, quod licet metaphysicè non repugnet ille actus voluntatis suspendendi fidei assensum in data hypothesi obligantis præcepti affirmativi fidei, quin eliciatur actus intellectus contrarius fidei, tamen dicunt, id moraliter, esse impossibile: ut adnotant P. Coninch. *disp.* 14. *de fide, dub.* 10. 207. Cardinalis de Lugo *disp.* 17. *de fide. sect.* 5. *num.* 103. Loquens de eo qui nolit unquam actum fidei elicere. Et absolutè P. Thom. Sanc. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. P. Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 8. ponamus igitur per hypothesim, ethnicum aliquem, vel hæreticum in extremo vitæ periculo esse constitutum, & tunc pulsari, vocarique à Deo, ut fidem veram amplectatur, rerumque credendarum convenientem credibilitatem ipsi proponi; poterit ne iste dissentire, tantum per actum voluntatis, quo unicè velit, suspendere assensum fidei? Profectò negandum est: negabitque Illustrissimus Mag. Palanco cum Eminentissimo Card. de Lugo, & aliis: at ex Tridentini decreto dici non potest quod homo ille à Deo vocatus, & excitatus non possit, dissentire per actum voluntatis: ergò in ea hypothesi fides libera erit immediatè, quoad speciem, libertate utique contrarietatis, & dissentiendi per actum intellectus. Rursus Concilium Tridentinum in prælibato decreto, in quo fidei regulam universali Ecclesiæ proponit, censendum non est, de casu aliquo solum metaphysicè possibili, moraliter tamen impossibili, eloqui; ergò cum judicio gravium Theologorum impossibile moraliter sit, dissentire per actum solius voluntatis, & non intellectus, urgente præcepto credendi fide Divina, quando Sacrum Concilium statuit, & edicit, hominem posse dissentire, si velit, in prædicta hypothesi, intelligendum est, quod homo possit dissentire actu etiam intellectus, cõtrario assensui fidei divinę.

11 Insuper, ad hominem contra Illustrissimum Palancum urgeo probationem, ille enim *disp.* 5. *de fide. quæst.* 16. *num.* 44. differens de tempore, quo fidei præceptum positivum obligat, cum communi DD. sensu inquit, quod obligat omnes, cum primum ad usum rationis pervenientibus, illis sufficienter fides proponitur: id quod ut stabiliat, hanc secundo loco adducit rationem: quia pro tunc tenetur quisque determinare viam procurandi suam salutem, & beatitudinem, ad quam est natus, & creatus. Non determinatur autem, nisi per fidem determinatæ Religionis: ergò pro tunc tenetur quisque credere determinatam Religionem, propositam ut sufficienter credibilem. Alioquin hæreret dubius posi tivè, & claudicans in duas partes, sine motivo prudenti dubitandi: quia semel suppositâ sufficienti propositione fidei, non potest esse ratio prudens dubitandi: hoc autem modo hærere dubium, & claudicantem in duas partes, quando tenetur determinatè, procurare suam salutem, & tendere ad beatitudinem absdubio esset peccare, & contemnere suam salutem. Sic ille.

12 Porrò autem, is qui in fide dubitat positivè, juxta communè Theologorum sententiam propriè hæreticus est, ex *cap.* 1. *de Hæreticis*, de quo latè infra: & saltem ferè semper subsequi intellectus errorem hæreticum, & positivæ infidelitatis, quando voluntas liberè assensum suspendit erga fidei veritatem sufficienter propositam, urgente credendi præcepto, docent præter relatos Mag. Cano, *de locor. usu in Scholas. disp. lib.* 12. *cap.* 9. *pag. mihi* 429. *col.* 1. ubi postquam dixit, metaphysicè

lo.

loquendo fieri posse ut cum præcisa dubitatione non conjungatur error intellectus fidei omninò contrarius, tamen subdit, (At si Philosophiæ moralis sequimur leges, quæ in id spectat, quod frequentissimum est, tùm verò hominem pertinaciter de veritate Catholica dubitantem, eundem nullum omninò errorem habere fidei verè contrarium prorsus incredibile est.) Et aliquibus in id ipsum allatis, de eo qui de tota fide Catholica dubitaret, quod nulli fidei articulo intellectu suo repugnet, nequaquam verisimile fieri, dicit, nisi velimus hominem quempiam fingere hærentem ad omnia, & nutantem, cui universarum rerum infinita quæstio sit, & nullo loco constans, & fixa veritas. Concinit P. Valentia *disp.* 1. *de fide, quæst.* 11. *punct.* 1. *diff.* 2.

13 P. Granado 2. 2. *controv.* 1. *de fide. tract.* 15. *disp.* 3. *num.* 5. & 7. docet; eum qui deliberatè dubitat, saltem implicitè, in rigore metaphysico, formare judicium contrarium fidei, quia deliberatè dubitare de re aliqua, est velle se gerere circa illam tanquam, circa rem incertam, & quæ in utramque partem disputari potest, & subjacere falsitati; nec enim ullus unquam dubitavit de re, quam certam, & infallibilem esse supponebat: involvitur ergò in dubitatione judicium, quo quis affirmat, rem fidei esse incertam, sivè illud formet explicitè, sivè implicitè: cum autem judicium istud sit contrarium fidei, fidem destruet, & efficiet infidelem.

14 Confirmatur, quòniam in homine hæretico, seù ab ineunte ætate infideli voluntas non credendi revelata à Deo, & sibi sufficienter ut fide divina credibilia proposita: est voluntas manendi in sua infidelitate, & erroribus, ac hæresibus admissis, & sæpè elicitis, supponimus quippè nunquam per retractationē ab illis discessisse: sed hæc voluntas cōjungitur cū judicio fidei divinæ positivè contrario: igitur cum Illustrissimus Palanco non difficeatur in hypothesi hominis infidelis, & hæretici, à Deo per gratiam ad fidem sufficienter vocati, posse illum per actum voluntatis dissentire, seù posse nolle credere revelatis sibi propositis, in sensu utique composito vocationis, & propositionis sufficientis, nec infiteri poterit, posse eundem infidelem, & hæreticum per actum intellectus positivè contrarium dissentire, in eodem sensu composito vocationis. Urgeo præterea ex Doct. Exim. *disp.* 16. *de fide sect.* 3. *num.* 7. id quippè discriminis est inter peccatum infidelitatis, quatenùs extra voluntatem in intellectu consumatur, & alia peccata exteriora, quæ per corporis membra executioni mandantur; nam hæc posteriora peccata non semper sunt in hominis potestate quoad executionem externam, vel non semper imperantur, & si desiderentur, propter varias occasiones; at verò intellectus in credendo, vel non credendo, seù discredendo ad nutum obedit voluntati, & si voluntas est efficax, non potest non sequi in intellectu, quod ipsa vult: ergò si voluntas actu peccat, volendo infidelitatem, nolendo scilicet credere quod potest, ac debet velle credere, non potest non esse infidelitas in intellectu, seù non potest non subsequi judicium erroneum in fide, & fidei contrarium, præsertim in eo qui est habitualiter ethnicus, seù hæreticus, quia in his idem prorsus est, nolle credere revelata à Deo, sufficienter proposita, ac velle manere in sua hæresi, & infidelitate positiva, & consequenter erunt quasi consectarii actus intellectus positivæ hæreseos, ac infidelitatis.

15 Tandem Concilii Tridentini decretum ex Sacris Scripturis præcipuè depromptum est; at ex Sacra Pagina compertum sit, Judæos Deo vocanti, & excitanti mediis sermonibus Christi Domini, per quos fidei veritas, miraculis mirificè confirmata, abundè ipsis innotuit, restitisse, & dissensum præbuis-

buisse, non solum per voluntatem nolendo credere, sed & per intellectum discredendo, & falsa esse, quæ ipsis anuntiabantur, ut maximè atteſtatione D. Stephani *Actorum cap.* 7. liquidum est, dum palam Judæos increpans asseruit: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos*: igitur Tridentini mens, & decretum non solum edicit, posse liberum arbitrium dissentiri Deo vocanti ad fidem, per actum voluntatis nolentis credere, sed & per actum voluntatis imperantis dissensum intellectus erga fidem.

SECTIO TRIGESSIMASECUNDA.

Sacri Concilii Tridentini decretum non solum de gratia utcumque excitante, aut sufficienti, sed etiam de efficaci loquitur, indeque nostri argumenti secunda refellitur solutio.

1 SEcunda Illustrisimi Palanco solutio in eo consistit, quod ut salvetur mens Tridentini Concilii, satis est, quod possit intellectus dissentire fidei, in sensu composito gratiæ excitantis, reddentisque initiativè solum, credibilem nostram fidem, non verò in sensu composito gratiæ excitantis, quæ reddat proximè, & completè illam credibilem. Hæc tamen Sacrosanctæ Synodi expositio refellitur primo, quòniam Concilium loquitur de vocatione, & gratia efficaci, qua equidem, non initiativè tantum, sed proximè fidei mysteria proponuntur credibilia: assumptum liquet ex ipso Sacro Concilio *Sess.* 6. *Can.* 4. in quo cernere est, sermonem fieri de auxilio, & gratia, qua homo *Deo excitanti, atque vocanti* cooperatur, & assentitur, ut se disponat, ac præparet ad justificationis gratiam, credendo vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, ut habetur ead. *Sess. cap.* 6. At in hac supernaturali cooperatione, & assensione, divinitus revelata, & promissa proximè, & completè credibilia proponuntur: ergò Sacrum Concilium definit, quod in sensu composito gratiæ, & vocationis reddentis proximè, & completè credibilia, quæ à Deo revelata, & promissa sunt, potest homo dissentire, si velit, non solum actu voluntatis, nolentis credere, sed etiam actu intellectus dissentientis.

2 Secundò, quòniam non solum ex communi Societatis nostræ Scholæ sententia, cum Exim. Doct. *opusc. lib.* 3. *de Auxiliis. cap.* 22. & loco proximè referendo, sed juxta ipsos etiam PP. Dominicanos, Tridentinum ea *Sess.* 6. *cap.* 6. & *Can.* 4. eloqui intelligendum de vocatione, & gratia efficaci: sic enim illud accipiunt Illustrisimus Alvarez *disp.* 92. *de Auxiliis. num.* 8. ubi inquit, *Concilium loquitur de auxilio, quod homo habet in instanti justificationis, quod constat esse auxilium efficax.* Adsentiuntur Mag. Joannes à S. Thoma *tom.* 2. *in* 1. *p. disp.* 5. *art.* 6. *num.* 18. hisce verbis: *Concilium non definivit, quod possumus resistere auxilio sufficienti tantum, omisso efficaci: sed etiam efficaci possumus dissentiri.* Gonet *in Apolog. Thomist. art.* 2. *num.* 26. & *disp.* 4. *de futur. num.* 179. & idem Palanco *de Provid. quæst.* 17. *num.* 190.

3 Tertiò, quòniam ut optimè edocet Eximius Doct. *tom. de vera intellig. Auxilii efficacis. cap.* 32. *pag.* 196. Si Concilium in illo Canone omisisit motionem gratiæ efficacis, cum tamen necessaria sit, immeritò damnat Calvinum, & sophisticè ac pueriliter agit contra illum: nam ille non ignorabat divinas illuminationes, & inspirationes non inferre necessitatem voluntati, cum frequenter illis resistat, sed addit, præter illas, motionem quandam necessariam, ut voluntas consentiat, dixitque voluntatem non posse illi resistere, & inde concluisit tollere libertatem, si ergò Concilium subticendo, & permittendo præmo-

motionem illam phyſicam, ſolum loquitur de aliis excitantibus gratiis, immeritò invehitur contra Calvinum, & malè colligit uſum libertatis, ex poteſtate reſiſtendi excitanti gratiæ; nam ad libertatem non ſatis eſt poſſe diſſentire, poſitio uno, vel alio requiſito ad agendum, ſed poſitis omnibus. Hæc Doct. Exim.

4 Quartò, Concilium Tridentinum illum Canonem edidit contra Calvinum, ut identidem Theologi adnotant; Calvinus autem *lib. 2. Inſtitutionum. cap. 2. §. 10.* ſententiam Catholicorum de motione gratiæ efficacis rejiciens inquit: *Voluntatem movet* gratia, *non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter efficiendo*: ſic referunt Card. Bellarm. *lib. 6. de gratia, & libero arbitr. cap. 9.* Ruardus Taper, *artic. 7. pag. 240.* Antijanſenius, *pag. 696.*

5 Quintò: ratio quæ movit Concilium, ad ſtatuendam indifferentiam, & libertatem liberi arbitrii ad diſſentiendum gratiæ, non fuit aliquid proprium ſolius gratiæ excitantis, ſed id quod commune habet gratia excitans cum quacunque motione voluntatis prævia ad actum liberum, ſcilicet quod ita trahit, & movet liberam voluntatem, ut illam relinquat liberam ad conſentiendum: ergò ſentit Concilium, & implicitè ac virtute docet duo: primum eſſe de ratione libertatis poteſtatem ad reſiſtendum, ſeù diſſentiendum cuivis motioni prævenienti conſenſum ejus: ſecundum nullam motionem antecedentem poſſe ita determinare liberum arbitrium ut non relinquat in illo poteſtatem reſiſtendi, aut diſſentiendi motioni, ut libertas in illo conſiſtat.

6 Sextò: vocatio efficax ad converſionem aliqua vocatio eſt: ſed Concilium Tridentinum *dict. Can. 4.* definit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, Deo excitanti, atque vocanti poſſe diſſentire ſi velit: ergò vocationi efficaci, cum evidenti rerum fidei credibilitate propoſita, poteſt liberum arbitrium diſſentiri, ſi velit: aſſumptum illuſtratur, quòniam ſi vocationi efficaci liberum arbitrium diſſentire non poſſet: vera eſſet hæc propoſitio: Deo excitanti, & vocanti liberum arbitrium diſſentire non poteſt, etiam ſi velit: ſed talis propoſitio eſt falſa, juxta Tridentini decretum: illud quippè univerſale eſt, ut clauſula illa, *Si quis dixerit* exprimitur; vocationi igitur efficaci ad fidem poteſt liberum arbitrium diſſentire, ſi velit. Tùm quia, ſi quiſpiam aſſereret, liberum arbitrium Deo excitanti, & efficaci gratia vocanti aſſentiendo, velut inanimè quoddam, & merè paſsivè ſe habere, in Sacrum Canonem profectò impingeret: igitur haud minus in eum illi det, ſi aſſerat, Deo excitanti, & efficaci gratia vocanti diſſentire non poſſe, etiam ſi velit.

7 Septimò: Concilium loquitur de libertate diſſentiendi, quando homo aſſentitur Deo excitanti, & vocanti: igitur ſermo illi eſt de vocatione efficaci: antecedens probatur ex ipſius Sacri 4. Canonis verbis, *Si quis dixerit* (ait Concilium) *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, &c. Anathema ſit*: Concilium ergò diſſentiendi libertatem definit, intervenire eo in inſtanti, quo homo Deo excitanti, atque vocanti aſſentiendo cooperatur: ſed hujuſcemodi vocatio eſt efficax: loquitur ergò Concilium de gratia efficaci; Lutherus enim, & Calvinus, adverſus quos ſua fulmina mittit Sacrum Concilium, ademerunt libertatem arbitrii propter efficaciam gratiæ, ajente Luthero, arbitrium ſe habere, ut inanimè quoddam inſtrumentum, & purè paſsivè, atque adeò ſine ulla libertate: Calvinus verò, & ſi concurſum noſtrum, & cooperationem noſtram in converſio-

ſione, & operibus ſalutaribus non diffiteatur, libertatem tamen noſtram in illis agnoſcere noluit. Tandem, *dict. Seſſ. 6. cap. 5. & 6.* deſcribit Sancta Synodus, & definit totum ordinem, & progreſſum omnium gratiæ effectuum ab exordio primæ vocationis, uſque ad complementum gratiæ ſanctificantis: ex quo perſpicuum fit, Concilium eloqui de vocatione, & gratia efficaci, & non de ſola ſufficiente. Evicto igitur, quod Sacroſancta Synodus de efficaci vocatione, & gratia decernat, hujuſcæ eſſe indolis, ut liberum arbitrium, ſi velit, illi queat diſſentire, extra dubii aleam erit immediata quod ſpecificationem, ſeù contrarietatis libertas aſſentiendi Divinis Myſteriis, nec non hæreſibus contrariis, ſeù liberum arbitrium poſſe imperare diſſenſum fidei, & rebus à Deo revelatis, in ſenſu compoſito gratiæ excitantis redentis completè, & proximè credibilia divina myſteria. Id quod Palanco inficiabatur.

SECTIO TRIGESSIMA TERTIA.

Gratiæ ſufficientis præcisè habita ratione, noſtra inſtauratur argumentatio, & illius tertia ſolutio refellitur ex Trident. Synodo, & Sacris Literis, oſtenditurque per illuminationem Spiritus Sancti propriè tangi cor hominis.

1 UT ſententiæ, & argumentationis noſtræ veritas, & efficacitas magis inclareat, diſſerendi gratia adverſariis largior, ſermonem eſſe Tridentino Concilio de ſufficienti tantum gratia, dum definit, liberum arbitrium poſſe diſſentire ſi velit: id quod exiſtimaverunt aliqui ex PP. Dominicanorum Schola apud Mag. Joannem à S. Thoma. *tom. 2. in prim. part. D. Thom. diſp. 5. art. 6. num. 5.* & ipſe Thomaſius in id ipſum propendet *num. 11.* licet poſtea *num. 16.* aſſerat, & de efficaci gratia, & de ſufficienti eloqui Concilium, nam ut ipſe inquit, ubi eſt efficax auxilium, neceſſario ſupponitur ſufficiens, *quia ubi eſt actus ſupponitur potentia, & virtus.* Sic ille, cui reapſe adſtipulari videtur Illuſtriſsimus Palanco *tract. de Provid. quæſt. 17. §. 8 num. 187. & ſeqq.* qui Doc. Caſtell. *de lib. arb. diſp. 2. quæſt. 4. ſect. 7.* ſententiam amplectitur, & tuetur.

2 Sed præterquam quod verum non habeat, quod hi Authores edocent, diſtinctam nempè eſſe debere gratiam efficacem, & adjuvantem à gratia excitanti, & vocanti: excitantéque eſſe indifferentem, efficacem vero connexam cum opere ſalutari, adeòque prædeterminantem, cujus doctrine falſitas magni momenti argumentis ab univerſæ Societatis noſtræ Scholæ Authoribus, cum Doctore Eximio, PP. que Molina, Valentia, Vazquez mirificè probatur; nihilominus pro ſtabilienda ulterius fidei immediata libertate quoad actus ſpecificationem, nunc permiſſa falſa doctrina, contra Illuſtriſsimum Palancum ex traditis ab ipſo aſſumptum evinco; quòniam *tract. de Provid. quæſt. 17. §. 9. num. 204.* ubi Tridentini mentem exponere fatagit, hæc habet. (Nos autem non ſolum aſſerimus gratiam excitantem natura ſua reſiſtibilem, & indifferentem, ſed hanc indifferentiam dicimus eſſe mutuam ex parte voluntatis; ita ut etiam voluntas ſit potens indifferenter conſentire, vel aſſentire illi excitationi poteſtate expedita ad utrumlibet in eodem inſtanti in quo conſentit, quin ullo modo neceſsitetur antecedenter ad conſenſum; nec impoſsibilitetur ad diſſenſum; quia gratia efficaciter movens, & adjuvans ſolum facit, quod voluntas libera, & expedita ad conſenſum libere potius conſentiat, quàm diſſentiat, pro ſua determinatione.) Sic ille.

3 Tùm ſic; Tridentinum Concilium, ut ſupra libavi, loquitur de

gra-

gratia ſufficienti ad mandatorum obſervationem, & ſignanter ad credendum revelatis à Deo, ut liquidum eſt ex *dict. Seſſ.6.cap.6.* ibi: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, cum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*: nec dici poteſt, gratiam ſivè excitantem, ſivè adjuvantem, & moventem, aut cooperantem, quoad indifferentiam, aut efficacitatem diſtinctæ rationis eſſe in actu divinæ fidei, ac in reliquis actibus ſupernaturalibus liberis, ac præceptis: ſed juxta Illuſtriſsimum Palanco, gratia excitans adeò ſufficiens eſt ex mente Tridentini ut in inſtanti quo ipſa adeſt, voluntas gaudeat poteſtate expedita ad utrumlibet, quin impoſsibilitetur ad diſſenſum: igitur homo vocatus ad fidem per gratiam Dei excitantem, quæ juxta Palancum eſt ſufficiens, eſt proximè potens aſſentire revelatis, & promiſsis à Deo, nec non ipſis diſſenti re.

4 Secundò, licet Tridentinum ſolum decreviſſet, liberum arbitrium poſſe diſſentiri gratiæ ſufficienti, ſi velit, cum tamen loquatur de ſufficienti gratia exiſtente in eo qui aſſentitur revelatis, & promiſsis à Deo, & cooperatur Deo, & gratiæ ipſius, planum eſt, eloqui de gratia proximè, & completè ſufficienti; igitur exponi haud poteſt de gratia, quæ initiativè ſolum reddat credibilem noſtram fidem, ut inquit in ſua ſecunda ſolutione Illuſtriſsimus Palanco.

5 Tertiò: licet diſceptationis ſit, an aliquibus reprobis, vel inſignibus peccatoribus interdum negetur ſufficiens gratiæ auxilium, & an ſemper actu detur, vel temporibus opportunis? Tamen ſimpliciter, & abſolutè quod detur hujuſmodi auxilium iis, quorum voluntati, & culpæ tribuitur, quod non credant, ac non convertantur, certiſsimum eſt, & ex Sacris Literis manifeſtè colligi, aſſerit Card. Bellarm. *lib.1.de Grat. & lib. arbit. cap.11.* & eſſe de fide adnotat Exim. Doct. in *Op uſc. lib. 3. de Auxil. cap. 6. num.2.* nec penes hoc PP. Dominicani à noſtris Authoribus diſsident, ut legere eſt apud Alvarez, *diſp.21.* & Nazarium in *1.p.D. Thom. quæſt.23. art.3. pag.838.* probaturque ex illo Iſaiæ, *cap.5.* ubi ſic loquitur Dominus: *Habitatores Hieruſalem, & viri Juda judicate inter me, & vineam meam, quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas*: ubi perpendere eſt, eos, quos Dominus reprehendit non habuiſſe efficax auxilium; ſi tamen ſufficientem gratiam, per quam verè, & propriè converti poſſent, non habuiſſent, ſeù ſufficienti omninò auxilio caruiſſent, non verè diceret Dominus: Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? Reſponderetur enim, poſtea quam vineam plantaſti, & ex ea fructum ferre cupiebas debuiſti adhibere neceſſaria, ut ea fructum facere poſſet, quomodo autem omnia neceſſaria adhibuiſti, ſi defuit illi ſufficiens cultura, nec habuit verè, quæ requirebantur ad fructum faciendum. Oportet igitur, ut fateamur, habuiſſe illos homines auxilium Dei planè, & completè ſufficiens ad converſionem, & ad vitam Deo gratam inſtituendam.

6 Haud diſsimilis locus perpendendus occurrit Matth.23. ubi Chriſtus inquit. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Profectò illi, de quibus quæritur Dominus, non caruerunt gratia neceſſaria, & ſufficienti, qua poſſent velle, quod Deus volebat, alioqui non diceret Chriſtus: *Volui congregare* filios tuos, & noluiſti. Quomodò enim voluit, & ita voluit, ut quæratur de nolentibus, ſi eos, quos ſciebat, per ſe non poſſe velle, non juvit ut poſſent velle? Idque præſertim animadverſione pro re noſtra dignum eſt, Judæos qui occi-

de-

derunt, lapidibuſque Prophetas obruerunt, non ſemel idololatriæ crimine irretitos, & Divinis Verbis incredulos, perfidoſque extitiſſe: ut præcipuè cernere eſt in Jeremia, is enim, cum Judæi ſe ſe idolorum cultui in Ægypto impudenter dederent, & ad omnes illius minas, & objurgationes obſurdeſcerent, in arcum pravum in ipſum converſi ſunt, ac denique lapidibus eum obruerunt: ita Epiphanius in ejus vita. Dorotheus, & D. Hieronym. *lib.2. contra Jovin.* tum Martyrologia omnia Græcorum, atque Latinorum, primo die Maii.

7 Simile, quid contigit Ezechieli, qui à duce populi Judaici occiſus fuit, quod eos idololatriæ argueret, ut docet Martyrologium Romanum die 10. Aprilis. Necnon Dorotheus in *Synopſi. cap.* 16. D. Iſidorus, *de vita, & obitu ſanct. cap.* 39. Epiphan. *de Prophet. vita. cap.* 19. *& alii.* Nec minus rei perfidiæ fuere, qui verbis, & ſignis Chriſti Domini increduli perſiſtebant: illos igitur omnes ſub alas ſuas congregare voluit Deus Opt. Maxim. eiſque ſufficientem gratiam exibuit, utique completam, ut credendo accederent ad vitæ fontem, ipſi tamen idololatræ, & perfidi permanſerunt. In eundem ſenſum alloquutus fuit D. Stephanus *Act.7.* dicens: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Et Apoſtolus *ad Roman. cap.2.*

8 Ac denique ut multa alia ſimilia prætream, elegans eſt locus, *Apocalipſis cap.* 3. ubi Dominus ait: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi intrabo ad eum.* Vel igitur ii (optimè perpendit Card. Bellarm.) ad quorum cor Dominus pulſat habent ſufficiens auxilium aperiendi, vel non habent; ſi habent, eſt quod volumus; ſi non habent cur obſecro, Dominus pulſat? An ignorat eos aperire non poſſe? An ſtultus non eſſet, qui oſtium vicini pulſaret, ſi certò ſciret, neminem intus eſſe, qui aperire poſſet? Fit ergò ex Sacris Literis compertum, dari quibuſdam ſufficiens auxilium quibus non datur efficax.

9 Et quidem, etſi permittamus; non omne auxilium ſufficiens in ordine ad ſalutariter credendum eſſe proximè, & completè reddens expeditam potentiam credendi; tamen in inſtanti, quo proximè credendi præceptum urget, & fidei veritas ſufficienter proponitur, diffiteri nemo poterit, ſufficiens Dei auxilium adeſſe, quo completè, & proximè potens ſit intellectus ad aſſentiendum, & voluntas ad aſſenſum imperandum: in hac ergò hypotheſi, poterit ne voluntas imperare aſſenſum ſi vellit? Quis neget? Poterit rurſus voluntas imperare intellectus, diſſenſum? Si conceditur, ut juxta Tridentinum concedi debet: ergò non ſolum gratiæ reddenti fidei myſteria remotè, & incompletè credibilia, ſed etiam gratiæ ſufficienti, qua completè, & proximè fidei veritas conſtituitur credibilis, poteſt voluntas diſſentire: id quod inficiatur Illuſtriſsimus Palanco.

9 Illuſtratur inſuper noſtra ſententia. Ex duobus hominibus æquale auxilium gratiæ habentibus, contingere poteſt, unum credere, & ad veram converti fidem, alium verò perfidum manere: igitur ille, qui accepit gratiæ auxilium, quo fidei veritas illi proximè, & completè proponatur credibilis, poteſt tamē illi veritati diſſentire. Antecedens fulcitur ex præclaro Chriſti Domini vaticinio, ac teſtimonio Matth. cap.11. ajentis: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, utique in ſilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quibus conſona ſunt verba illa apud Ezechiel cap. 3. *Non enim ad populum profundi ſermonis, nec ignotæ linguæ tu mitteris.* Et infra: *Et ſi ad illos mittereris ipſi audirent te, domus autem Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me.* In quibus locis ſuppono veram, & infallibilem revelationem contineri, ut docet D. Auguſt. *lib. de bono perſev. cap.* 9. & ſic diſputo: Deus infallibili ſua ſcientia cognoſcit,

ĕit, Tyrios, Sydonioſque fore convertendos, ſi factæ fuiſſent apud ipſos virtutes, quas fecit coram Judæis: ſed hujaſmodi ſcientia, ſupponit Judæos completam ſufficientem gratiam, proximamque poteſtatem habuiſſe ad converſionem, & veram fidem, cui tamen diſſenſum illi præſtiterunt: ergò cum æquali auxilio proximè ſufficienti, fieri poteſt ut unus convertatur, & credat, alter vero diſſentiat, perfiduſque maneat: aſſumptio prima adeò vera eſt, ut vel ab ipſis Dominicanis PP. eorumque doctrinę ſubſcribentibus abſolutè jam concedatur, ut legere eſt in Mag. Sot. *lib.* 3. *Sumul. cap.* 8. *lec.* 3. Alvarez, *lib.* 1. *Reſpon. cap.* 1. *& lib.* 2. *de Auxiliis. diſp.* 7. Zumel, *tom.* 2. *Variar. in* 1. *p. diſp.* 8. *dub.* 5. Nazario. 1. *part. q.* 14. Riſpolis *lib.* 1. *q.* 1. *&* 2. Blaſio Verdu, *relec. contr. Scien. Medi.* Martinez de Prado, *controv.* 11. *Methaph. art.* 6. Joſeph à S. Maria, *de lib. arbi. q.* 4. *art.* 5. Davila, *de Auxil. cap.* 13. 22. *&* 27. Hieronym. Vives, *de Primatu Divinæ libert. diſp.* 19. Zanard. Gonçalez, Machin, Carmelitan. Salmantic. Joan. à S. Thoma, Marc. Serra, Hieronymo Perez, alioſque *in* 1. *part. dict. quæſt.* 14. *art.* 13.

10 Licet antiquiores nonnulli ex eadem PP. Dominicanorum Schola ſciĕtiam tantum conjecturalem de futuris conditionatis contingentibus, ac liberis in Deo agnoſcerent, dicebant nempè Deum non cognoſcere infallibiliter an Petrus ſit conſenſurus, vel non conſenſurus ſi tali vocatione vocetur, ſed ſolum ſcire, quàm ſit veriſimile, vel probabile, aut etiam moraliter certum, ſpectatis omnibus circunſtantiis, conſenſurum eſſe Petrum, aut non conſenſurum ſub tali vocatione: in hunc igitur modum ratiocinabantur Cabr. *tom.* 1. *in* 3. *p. q.* 1. *art.* 3. *diſp.* 1. §. 22. *&* *tom.* 2. *q.* 62. *art.* 1. *diſp.* 12. §. 6. Petrus de Ledeſma. *diſp.* 2. *affini de ſcientia futur. conting. difficult.* 2. *fol.* 574. *edition. Salmanticenſis, anni* 1611. & veluti ſuæ ſcholæ communem eam refert, & proſequitur opinionem; eandem tenuit Cabezudo, 3. *part. quæſt.* 62. Ripa 1. *part. quæſt.* 14. *art.* 13. Anonimus quem fusè oppugnant P. Annatus *in ſuo Defenſorio pro Scient. Med. diſp.* 2. & P. Martinez. 1. *part. diſp.* 6. *de Scient. Med. à ſect.* 10. & ut probabilem defendunt Curiel. *lib.* 1. *contr.* 7. *art.* 1. & Cornejo 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *diſp.* 3. *dub.* 2. Navarrete vero 1. *p. q.* 13. *art.* 14. *controv.* 56. §. 2. exiſtimavit in Deo nullam eſſe formaliter ſcientiam conditionatorum contingentium, ſed tantum eminenter: & *tom.* 2. *controv.* 31. §. 9. *ſub finem*, aſſerere videtur, veluti per metaphoram tribui Deo hanc ſcientiam conditionatorum, eamque conjecturalem ex parte rei cognitæ, non vero ſubjectivè docuiſſe aliquos Thomiſtas adnotant ex eadem Schola Gonçalez 1. *p. quæſt.* 14. *art.* 13. *diſp.* 44. *ſect.* 2. & Ambroſius Machin, 1. *part. quæſt.* 14. *art.* 13. *diſp.* 33. *ſect.* 1. Alfonſus Mendoza *in quodlib. quæſt.* 7. *Scholaſtica*. Zumel, *tom.* 2. *vari. in* 1. *p. diſp.* 8. *dub.* 5. Curſus Carmelit. Diſcalce. 1. *part. tract.* 3. *de Scien. Dei. diſp.* 9. *dub.* 2. Montepilos. 1. *part. diſp.* 31. *de ſcien. art.* 1. & alii.

11 Aſſumptio ſecunda, videlicet illam Dei ſcientiam de converſione Tyriorum, ſub vocatione, ac virtutibus Populis Corozain, & Bethſaidæ conceſsis à Chriſto Domino, in illis Judæis ſupponere ſufficientem completam gratiam, proximamque poteſtatem, ut crederent, & converterentur, perſpicua eſt; quòniam ſub illis auxiliis gratiæ Tyrii, & Sydonii converterentur, & Chriſto Domino ut Deo, ac Redemptori fidem adhibentes pœnitentiam egiſſent, adeòque proximè, & completè poſſent pœnitere, & credere: conſimiliter igitur Judæi ſeú Corozain, & Bethſaidæ incolæ proximam, completamque credendi, ac pœnitendi poteſtatem habuere: conſecutio oſtenditur; prælibatis ſiquidem verbis Chriſtus Judæos increpat per comparationem ad Tyrios, illis ex probans cordis duritiem, quam Tyrii minimè habuiſſent, ut præallegata verba ipſa clarè

ostendunt. At hæc comparativa increpatio vana foret, si Judæi non habuissent proximè sufficientem, completamque potestatem, ut crederent verbis Christi Domini, & ut converterentur, qualem scilicet potestatem habuissent Tyrii, & Sydonii sub eisdem auxiliis convertendi: igitur fieri potest, ut ex duobus hominibus æquale gratiæ auxilium habentibus, unus quidem credat, & ad veram convertatur fidem, alius verò perfidè revelatis fidei mysteriis diffetiat.

12 Minor, quæ argumenti complectitur efficaciam, innegabilis videtur, quia comparativa exprobratio paritatem extremorum postulat, est quippè à paritate argumentum, quod sanè assignata disparitate evanescit: igitur ne Christus Dominus injustè Judæos per comparationem ad Sydonios, & Tyrios increpare, dicatur, fateri opus est, illos ea potestate proxima credendi, & pœnitentiam agendi præditos fuisse, qua Sydonii, ac Tyrii fruerentur dum pœnitentiam agerent, ac crederent, sub conditione à Christo Domino prædicta: exemplo res inclarescet: frustra nimirū quispiam Petrū in hūc modū increparet: quare Regem à quo parum boni accepisti ferventi amore non prosequeris cum Paulus à Rege summis honoribus cumulatus illum ardenter diligat: seù ita, quare tentationi succumbis aliquali gratia, licet non omninò sufficienti, præventus, cum Joannes auxilio completè sufficienti muneratus eidem tentationi resistat? similis ergò foret increpatio à Christo Domino proposita, si Judæi fidei obnitentes, gratia completè sufficienti, & proxima potestate credendi, & pœnitendi donati non fuissent: cum tamen Tyrii, ac Sydonii, ex proxima, & completa potestate credendi, ac pœnitendi potirentur, si apud illos factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt apud Bethsaidæ, & Corozain incolas: ergò ne frustranea, & injusta dicatur objurgatio, qua Christus Dñs Judæos reprehendit, diffiteri haud possumus, illos completa, proximaque credendi, & pœnitendi præditos libertate, dum perfidi, & pravis moribus dediti permanebant.

13 Nec argumentationis nostræ vis eliditur ex PP. Dominicanorum solutionibus, quibus ipsi tegi se putant, dum Scholæ nostræ Authores ex eisdem Chri sti Domini verbis scientiam mediam evincunt, & decreta prædeterminantia, gratiamque ab intrinseco efficacem oppugnant; quòniam præterquamquod solutiones præfatæ validè à Societatis Scriptoribus refelluntur, illis protegi nequit Illustrissimus Palancus; siquidem Dominicani PP. licet dicant Judæos pœnitentiam non egisse, & restitisse Evangelio, ac prædicationi Christi Domini, eo quod prædeterminatione, & gratia efficaci caruerint; tamen, ut justam fuisse asserant increpationem eo loci exibitam à Christo Domino, edocent Bethsaidæ, & Corozayn incolas non fuisse gratia sufficiente destitutos, nec caruisse proxima pœnitendi, & credendi potestate: ideòque justè potuisse increpari, ut cernere est in Joan. à S. Thom. *disp.* 20. *ar.* 5. Gõçalez 1. *p. disp.* 45. *n.* 80. Albelda 1. *p. disp.* 45. *n.* 80. *Illmo.* Godoy, *tom.* 2. *in* 1. *p. disp.* 36. & aliis, quibus adhæret Illmus Palanco *tract. de Provid. quæst.* 18. §. 8. *n.* 97. & *n.* 105. ubi concedit Judæos præ Tyriis multò majora beneficia accepisse à Deo, quæ possent eos juvare ad conversionem, licet prædeterminationem ad credendum, & pœnitendum non acceperint; apud ipsum enim *quæst.* 16. *n.* 44. & *seqq.* prædeterminatio in decreto efficaci consistēs, quam propugnat, nõ cõstituit actũ primũ: & *q.* 18. *n.* 77. ait, quod ex vi decreti collativi auxilii sufficientis solũ stat per nos carere gratia efficaci. Quæ solutio in primis ad nostram tuendam libertatē insufficiens est, dum simul statuitur prærequisita prædeterminatio ab intrinseco efficax, sivè ad bonum, sivè ad materiale peccati; nec sub eisdem terminis elucet æqualitas inter Judæos,

dæos,& Gentiles ut juſtè increpari poſſent Judæi per comparationem ad Gentiles, ut noſtræ Societatis Schola pluribus gravibuſque probat argumentis.

14 Cæterum ab hac ingenti præſcindendo difficultate, & ea doctrina pro nunc permiſſa, argumentum contra Palancum inſtauro: fit enim ex Sacro Chriſti Domini eloquio, vel ex ipſa adverſariorum conceſsione, evenire poſſe, ut ex duobus hominibus æquali gratia completè ſufficienti, vocatis ad fidem, alius credat, & convertatur, alius verò non credat, ſed perfidè diſſentiat: quinimò contigere valet, ut qui majori gratia ſufficienti vocatus ſit ad fidem, diſſentiat, ut in Judæis contigiſſe, Palancus fatetur, alium verò ſeù alios minoribus auxiliis, ſufficientibus tamen, præventos credere, & converti, ut ſub conditione prædicta à Chriſto Domino, in Tyriis, & Sydoniis verum fuiſſet: igitur in ſenſu compoſito gratiæ excitantis, quæ reddit proximè, & completè credibilem noſtram fidem, poteſt intellectus illi diſſentire ex imperio voluntatis: id quod Palancus inficiatur.

15 Urgeo ulterius, quia apud eundem Authorem *tract. de fide, diſp. 5. quæſt. 8. num. 58.* gratia excitans, quæ repræſentat noſtram fidem, ut unicè revelatam à Deo, & unicè credendam inter omnes ſectas, eſt quæ proximè, & completè credibilem reddit noſtram fidem; at infitebitur nemo, gratiam Judæis, præſertim Bethſaydæ, & Corozayn incolis conceſſam talem fuiſſe, quæ illis repræſentaret Chriſti Evangelium, ut unicè inter omnes ſectas, & Judæorum falſas exiſtimationes credibile, & ipſius Chriſti Divinitatem omninò credendam: Judæi igitur, & ſi rebelles, & perfidi, prædicti fuere gratia ſufficienti reddenti fidem proximè, & completè credibilem: cui tamen liberè diſſentiebant. Nec ex debitæ conſiderationis defectu illa gratia deſiit eſſe proximè, & completè ſufficiens, quod enim voluntariæ, & liberæ, ac piæ conſiderationis motivorum veræ fidei deficiebat Judæis, complebatur aſſatim ex miraculorum evidentia, & virtutibus, ac prædicatione Chriſti Domini: quamobrem Judæorum peccatum, ac perfidia non ex cognitionis defectu, aut ignorantia, ſed ex malitia, & prava voluntate fuit perpetratum; ut oſtenſum eſt *ſect. 29. num. 7. & ſeqquentibus*, & conſtabilitur *ſect. 25. num. 12. & ſect. 27. & 28.* Sitque hujus aſſumpti coronis præclara D. Auguſtini ſententia *lib. de Prædeſt. & gratia. cap. 15.* ubi de Pharaone, & Magno Nabuchodonoſore ſic fatur. *Quantum ad naturam ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo Reges: quantum ad cauſam, ambo captivum Dei Populum poſſidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid igitur fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quia unus manum Dei ſentiens* (ſcilicet Nabuchodonoſor) *in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, & alter* (nempè Pharao) *libero contra miſericordiſsimam Dei veritatem pugnavit arbitrio.* En ubi, cum Pharao non minori gratia, quam Nabuchodonoſor vocatus fuerit ad fidem, & pœnitentiam, tamen ille diſſenſit, & libero contra Deum pugnans arbitrio, acerba morte fluctibus maris obrutus impiam animam exhalavit; at verò Nabuchodonoſor manum miſerentis Dei ſentiens, non utcumque Deum verum agnovit, & pœnituit, imò & æternam conſequutus eſt ſalutem, ut colligitur ex eodem D. Auguſtino *dict. lib. de Prædeſtin. & grat. c. 25.* cujus verba in Jure Canonico habentur *cap. Nabuchodonoſor. 23. quæſt. 4. Nabuchodonoſor* (inquit textus) *pœnitentiam meruit fructuoſam. Nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, quod perdiderat, rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & periit? Hic mihi rationem reddat, qui divinum conſilium nimium alto, ſapientique corde dijudicat; cur medicamentum unius medici manu confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad ſalutem: niſi quia Chriſti bonus*

odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Quantum ad dignitatem ambo Reges, &c. Quæ ſupra exaravi. In quibus verbis pondero, Nabuchodonoſoris pœnitentiam ſalutarem opponi Pharaonis æternæ perditioni; tùm cœleſtis medici medicamentum illi ad ſalutem valuiſſe, & Chriſti bonum odorem eidem fuiſſe in vitam.

13 Ad hæc poſt perfectam ejus pœnitentiam, miramque apud Deum converſionem, quam commemorat Daniel *cap.* 4. nec de relapſu hujus Regis in peccata, vel ipſe Daniel, qui longo tempore illi ſuperſtes fuit, nec alibi uſpiam divina ſcriptura, verbum ullum facit: adſentiuntur ergò Nabuchodonoſoris æternæ ſaluti Joſephus *lib.* 10. *Antiquit.* Dorotheus *in Synopſi.* Epiphanius *in vita Danielis.* D. Hieronymus *Epiſt.* 7. quam ſcripſit ad Lætam. D. Auguſtinus, *Epiſt.* 122. quæ eſt ad Victorianum. D. Ambroſius *lib. de Pœnit. cap.* 16. Theodoretus *ſuper cap.* 5. *Daniel.* Nicolaus de Lyra, & Carthuſianus, tùm *cap.* 4. *Daniel*, tùm *cap.* 14. *Iſaiæ*: doctèque, & eruditè P. Benedictus Pererius *lib.* 5. *in Daniel.* ad illa verba: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor, laudo, & magnifico regem Cœli.* P. Salianus, *tom.* 4. *ad Ann. mundi* 3472. *num.* 16. 17. 18. & 19. ubi oppoſita P. Gaſparis Sanctii elevat argumenta. Torniellus *Annal. tom.* 2. *anno mundi* 3471. *num.* 2. Nec ab hoc placito diſcedit omninò P. Cornelius *in cap.* 4. *Daniel.* Liquidum ergò fit, eam eſſe noſtræ libertatis vim, ut gratiæ Dei, qua vera in Deum fides proximè credibilis, ſeù acceptabilis omninò ſufficienter, & proximè proponatur, poſſit tamen voluntas reſiſtere, & revelatis à Deo diſſentiri, ut fecit Pharao, & aſſentire, ut Nabuch. adeòque ſecùda Illmi. Palanco ſolutio infracta manet.

14 Labaſcit quoque ejuſdem ingenioſi Scriptoris ſolutio tertia in eo conſiſtens, quod ſi Concilium Tridentinum definit, poſſe intellectum ex determinatione liberi arbitrii diſſentire diſſenſu poſitivo, non eſt ſenſus, quod poſſit diſſentire gratiæ excitanti, ſed divinæ revelationi propoſitæ per illam, in ſenſu quidem compoſito divinæ revelationis, & in ſenſu diviſo gratiæ excitantis, quæ reddit proximè credibilia revelata à Deo, quia ſcilicet poteſt avertere conſiderationem à motivis noſtræ fidei, & ſic impedire illam gratiam excitantem, quæ reddit complete credibilem noſtram fidem: ita prælaudatus Recentior: cujus tamen reſponſioni aditus præcluditur ex ſupra traditis, maximè *ſect.* 28. *num.* 3. & *ſeqq. tum ſect.* 29. *per totam*; evicimus ſiquidem, ni fallor, ſimul cum ſufficienti externa, & interiori vocatione, & gratia Dei ad credendum conjunxiſſe Judæos plures, atque Gentiles diſſenſum ipſis rebus à Deo revelatis.

15 Et nemo, ut reor, ibit inficias, Judæos divina Chriſti Domini audientes eloquia, vel etiam ſtridentes dentibus in D. Stephanum, dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus Spiritui Sancto reſiſtentes, nec non Athenienſes ad quos in Areopago verba fecit Apoſtolus, ſufficienti Dei gratia, interiorique uberi lumine fuiſſe perfuſos, atque vocatos, & tamen plures ex illis poſitivo voluntatis, & intellectus diſſenſu divinæ gratiæ, & revelationi ſatis cognitæ reſtiterunt: igitur infidelitas poſitiva, ſeù perfidus diſſenſus in rebus fidei eſt immediatè liber, libertate contrarietatis, & quoad ſpeciem actus, & conſimiliter liber agnoſcendus aſſenſus divinæ fidei: ut ex Tridentina Sacra Synodo probatur. Id ipſum ſtabilit exemplum Pharaonis, juxta prælibatam Magni Parentis, & Eccleſiæ jubaris D. Auguſtini præclaram authoritatem: & ex ipſo Tridentino Concilio fulcitur, quod ſanè definit in terminis motionis Dei, ejuſque per gratiam excitationis poſſe liberum arbitrium diſſentire, ſi velit, id quod ſenſum facit compoſitum gratiæ moventis, & excitantis cum diſſenſu ipſos ut *ſect.* 30. *n.* 8. 9. & *ſeqq.* probatum eſt, quæ videſis.

Sed

16 Sed fortè reſpondebis ex doctrina tradita ab eodem Illuſtriſsimo Palanco *tract. de Provid. quæſt.* 17. §. 9. *n.* 208. (Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire ſi velit in ſenſu diviſo ſuppoſitionis factæ à Concilio, & poteſtate abſoluta, & antecedente; diſſentire verò non poſſe in ſenſu compoſito ſuppoſitionis à Concilio factæ; quia dum Concilium ad finem canonis definit, liberum arbitrium poſſe diſſentire ſi velit, non ſolum ſupponit liberum arbitrium motum, ſed ſupponit illud conſentiens Deo vocanti, atque excitanti, & tunc ait poſſe diſſentire ſi velit; ſicut igitur non intelligitur, quod poſsit diſſentire ſi velit in ſenſu compoſito conſenſus, ſed ſolum quod ita conſentit, quod poteſt abſolutè diſſentire poteſtate ſcilicet antecedenti, & in ſenſu diviſo, ita quamvis ſupponatur liberum arbitrium motum, non eſt ſenſus, quod poſsit diſſentire in ſenſu compoſito talis motionis, ſed quod ita movetur, ut poſſit poteſtate abſoluta, & antecedenti, diſſentire Deo vocanti atque excitanti. Explicatur hoc ex illis verbis Tridentini *Seſſ. 6. cap.* 5. ubi diffinit: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, hominē ipſum verè agere inſpirationem illam recipiendo, quippè qui illam abjicere poteſt.* Rogo nunc à contrariis, (ait idem Author) an poſsit illam abjicere in ſenſu compoſito recipiendi illam? Sanè hoc non dicent: ergò tenentur fateri, quod ſolùm illam abjicere poteſt in ſenſu diviſo, & poteſtate antecedenti ad illius receptionem. Concilium ergò loquitur in ſenſu diviſo, & non ſemper in ſenſu compoſito antecedentium. Et ratio eſt clara, quia Concilium ſolum definit poteſtatem diſſentiendi Deo vocanti, & excitanti, quæ apud omnes Catholicos ſufficit ad libertatem; atqui apud omnes Catholicos ſufficit ad libertatem poteſtas antecedens, & abſoluta diſſentiendi Deo vocanti in ſenſu diviſo, alias enim, dum actu conſentimus non habere mus libertatem: ergò hanc ſolum definit Concilium.) Sic præcitatus Antiſtes: qui exponere pergens Spiritus Sancti illuminationem, qua juxta Tridentinum Deus tangit cor hominis, inquit *num.* 209. ſe valdè probabile cenſere, Concilium loqui de gratia, tùm excitanti, tùm phyſicè moventi, & adjuvanti: ad quod exiſtimandum aliis propoſitis fundamentis, adducitur ex eo (quod Tridentinum loquitur de illuminatione per quam Deus tangit cor hominis: Deus autem (ait ille) propriè loquendo ſolum tangit cor hominis per phyſicam motionem, qua voluntatem inclinat ad quod vult: contactus enim ille cordis phyſica motio eſt, & non pura excitatio moralis ex parte intellectus.)

17 Hæc tamen ſolutio, ex præcedentibus disjecta elucet primò, quòniam oſtendimus, in ſenſu compoſito gratiæ, & illuſtrationis divinæ, qua proximè credibilia proponuntur revelata à Deo, poſſe quempiam iis diſſentire, ſi velit, idque eſſe mentis Sacri Concilii; ipſeque Palancus, in loco nuper adducto, eam proximam diſſentiendi poteſtatem antecedentem haud detrectat. Aſſumptoque noſtro id ſufficere, planum eſt. Secundò ex dictis conficitur, in ſenſu compoſito gratiæ moventis, liberum arbitrium poſſe diſſentire, ſi velit, quia gratia excitans, & vocans, verè movent voluntatem ad operandum ſalutariter, & ad imperandum fidei aſſenſum, eliciendumque illum: id quod, licet ex prælibatis copiosè probetur, denuò conficitur ex D. Auguſtino *lib. de Prædeſt. Sanct. cap.* 16. ajente: *Eſt certa quædam vocatio electorum propria de qua intelligitur illud, Non ex operibus, ſed ex vocante, non quacumque vocatione, ſed qua vocatione ſit credens*: Et inferius: *Ad hanc vocationem omnes, qui pertinent ſunt docibiles, nec poteſt quiſquam dicere, Credidi ut ſic vocaretur: prævenit enim miſericordia Dei, qua ſic vocatus eſt, ut crederet.* Ubi cum manifeſtè agat de gratia effi-

caci, qua scilicet liberum arbitrium movetur ad benè operandum, & ad credendum, quia & eam electorum dicit esse propriam, & per eandem fieri credentes, & consentientes eos, qui illam accipiunt, eam gratiam vocationem appellat, adeòque censet Sanctus Doctor gratiam moventem, & efficacem ad vocantem, seù excitantem gratiam pertinere, nec ab ea distingui: unde *lib.1. ad Simplici*, idem Mag. Parens inquit: *Nulliùs frustra Deus miseretur, cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Differit utique D. August. de efficaci Dei miseratione, & gratia movēte, ut liquidum est, & nihilominus hanc specialem, & efficacem gratiam edocet, in modo, & qualitate vocationis stare: vocationi autem Dei, juxta ipsum Palanco, dissentire possumus in sensu composito illius: ergò, & gratiæ Dei, qua nos movet ad opus salutare dissentire, & resistere, nostræ est libertatis: propterèaque in sensu composito moventis gratiæ, & motionis illius possumus resistere, ac dissentiri illi, ut principio, & causæ nostræ operationis.

18 Tertiò: Deus movens, & gratia adjuvans, perinde est ac Dei trahentis auxilium, juxta illud Christi Domini Joan. *cap.6. v.44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: Et *v.66. Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* At tale non est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit, ut Senonen. Concil. *decreto 15.* edicit: igitur Dei gratiæ adjuvanti, & moventi, in sensu composito ipsius, resistere, & dissentire possumus.

19 Quartò ad hominem, perdoctus quippè Palanco, *tract. de Prædest. quæst.17. §.8. num.174.* inquit, (quòd verbum *dissentire* essentialiter importat compositionem dissensus cum extremo cui dissentitur:) sed juxta Tridentinum *Sess.6. cap.4.* Deo excitanti, atque vocanti liberè assentimus, ita ut liberum arbitrium si velit, possit dissentire: igitur Tridentinum Concilium, juxta ipsam hujus Authoris intelligentiam, definit, hominem excitatum atque vocatum à Deo per gratiam, ut credat vera esse, quæ à Deo revelata sunt, posse dissentire si velit, etiam in sensu composito, gratiæ excitantis, atque vocantis: ergò Concilium non est precisè intelligēdum de libera potestate dissentiendi in sensu diviso. Et urgetur probatio, quia *dict. §. 8. num. 183.* iterum ipse Palanc. asserit: (Dissentire, aut consentire propriè, & in sensu Theologico loquendo, solum sumitur correlativè ad extremū ex parte intellectus præsentitum, qualis est gratia excitans, vocans, & suadens moraliter: non autem correlative ad gratiam adjuvantē nobis ignotam, & occultam.) Sic ille: unde subduco, ergò Concilium definit, nos posse dissentire gratiæ excitanti, vocanti, & suadenti, in sensu utique compositō hujusce supernæ gratiæ, quæ juxta eundem Authorem se habet ex parte intellectus, & consequenter ex parte actus primi ad operationem voluntatis, determinativè illius ad imperādum assensum fidei salutarem. Porrò autem gratiam excitantem, vocantem, suadentemque esse simul adjuvantem, & moventem ex prælibatis ostenditur, firmantque Exim. Doct. *opusc.1. lib.3. cap.5.* P. Vazq. *1.p. disp.58.* P. Ruiz *de Provid. disp.31. sect.6.* P. Ripalda *de Ente supern. disp.242. n.12.* & ingeniosi alii Recentiores. Hinc verò communis Societatis nostræ doctrina est, quod licet in sensu composito dissensus, & resistentiæ exhibitæ auxilio gratiæ, non possit elici assensus, & cooperatio, seù libera receptio gratiæ ejusdem, tamen in sensu composito cujusvis comprincipii, seù proximi prærequisiti ad actum liberum, potest voluntas dissentire, & resistere, seù abjicere gratiam: & sine hujusce modi libertate, haud elucere valet arbitrii libertas.

20 Quintò absque distinctione,

ne, quæ ad ſcopum plurimum refert, haud aſſeriri queo univerſali illi propoſitioni Illuſtriſsimi Palanco, nempè: *Apud omnes Catholicos ſufficit ad libertatem poteſtas antecedens, & abſoluta diſſentiendi Deo vocanti in ſenſu diviſo*: non inquam huic aſſertioni ſubſcribam uſpiam abſque diſtinctione iſta, ſcilicet: *in ſenſu diviſo ipſius actus*, concedo: *in ſenſu diviſo principiorum, aut prærequiſitorum proximè ad actum*, nego: univerſa enim Societatis noſtræ Schola inficiatur omninò, illæſam iri libertatem creatam, ſi in ſenſu compoſito cujuſvis comprincipii phyſici, aut moralis aſſenſus noſtri, aut prærequiſiti proximi ad illum, voluntas non poſsit ponere diſſenſum: & propterea à omnem prædeterminationem ſivè extrinſecam, ſivè intrinſecam libertatem perimere, tuemur: & quidem etſi plures ex Schola noſtra Scriptores præſtantiſsimi formales prædefinitiones à ſcientia media prælucente regulatas exiſtiment, libertati cohærere, ſic enim edocent Exim. Doct. P. Suarez 1. *part. lib. 1. de Prædeſt. cap. 8. num. 18. & cap. 13. num. 9. in opuſc. lib. 1. de ſcientia abſoluta. cap. 6. num. 6. & fusè lib. 3. de Auxiliis cap. 7. ac alibi*: P. Ruiz *de Provid. diſp. 6. & ſeqq.* P. Ribadeneyra *de Prædeſt. diſp. 18.* & alii plures, adverſus plures alios ajentes, libertati noſtræ aſſociari non poſſe ea prædefinitiva decreta, ab hac enim eſt ſententia Sapientiſsimus P. Vazq. 1. *part. diſp. 98. cap. 10. & diſp. 99. cap. 3. & 3. part. diſp. 23. cap. 10. & 11.* P. Herize *diſp. 7. cap. 5. diſp. 19. cap. 2. & diſp. 23. cap. 9.* P. Alarcon, *tract. 4. diſp. 1. cap. 6. & ſeqq.* quibus alii plurimi adhærent, exiſtimantes decreto prædefinitivo, ſcientiæ mediæ inverti hypotheſim, reddique impoſsibilem Divinæ Omnipotentiæ indifferentem applicationem, liberæ noſtræ poteſtatis conſtitutivam.

21 Cæterum prædefinitionum propugnatores fatentur, eas neceſſarias non eſſe ad providentiam Dei, & conſequenter nec ad exiſtentiam actus honeſti, & ſalutaris: ut cernere eſt in Exim. Doct. *lib. 2. de concurſu Dei, cap. 7. à num. 4.* P. Faſolo 1. *part. quæſt. 14. art. 13. & quæſt. 22. art. 1. 2. & 3.* P. Ruiz, *diſp. 9. de Provid. ſect. 11.* P. Izquierdo *tom. 2. tract. 10. de Deo uno. diſp. 39. de Provid. quæſt. 6. num. 92. & ſeqq.* Rurſus ipſi Authores docent, decretum prædefinitivum non eſſe principium actus; conſimiliter etſi ſcientia media ſit requiſita ad Dei providentiam, tamè non eſt requiſitā proximum, ſed remotum, & eſt logicè quid poſterius ad cōſenſum, ſub conditione futurum: undè ſcholę noſtrę Doctores in ſenſu compoſito cujuslibet immediati principii, & prærequiſiti ad actum ſalutarem dicunt, poſſe voluntatem diſſentire, & reſiſtere gratiæ: nullo igitur jure ex noſtra doctrina prędeterminationem ſuam Illuſtriſ. Jazetanus poteſt firmare, nec abſolutè verum eſt, quod ſufficit ad libertatem poteſtas antecedens, & abſoluta diſſentiendi Deo vocanti, in ſenſu diviſo: maximè cum ex modo hujus aſſertionis ingenioſi Palanco videatur enuntiari ſenſus diviſus à Dei vocatione, quod nec ab illo edocetur, proindeque ſibi ipſi cōtrarius appareret, nec verum eſt, ut jam dixi.

22 Tandem difficile haud parum cernitur quod idem Author ajebat *dicto tract. de Provid. quæſt. 17. num. 209.* Nimirum: *Deus autem propriè loquendo ſolum tangit cor hominis per phyſicam motionem, qua voluntatem inclinat ad quod vult*: Id enim reor eſſe adverſus Tridentini mentem, atque ſententiam *Seſſ. 6. cap. 5.* hiſce conceptam verbis: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam abjicere poteſt, &c.* In qua ſacra ſanctione, conceptis verbis enuntiatur, Deum tangere cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem: nec quiſpiam aſſere poterit, Concilium non eſſe propriè loquutum; cunctis inſuper conſpicuum eſt, Spiritus Sancti illumina-

tio-

tionem non esse solùm motionem physicam voluntatis, sed profectò esse mentis, ac intellectus supernaturalem illustrationem, vocationem, & suasionem, qua Deus cor hominis, sivè ejus voluntatem pulsat, & tangit, ut convertatur, & credat. Idem probatur ex Sacra Scriptura, scilicet Exodi cap. 11. v. 1. ubi sic habetur: *Et dixit Dominus ad Moysen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum*: fuit autem plaga ista, Primogenitorum miraculosa sed funesta, & amara mors, quæ, ut visa, ac cognita est ab Ægyptiis, & ab ipso Pharaone, dixerunt Moysi, & Aaron: *Surgite, & egredimini à populo meo, vos & filii Israel*: portenti ergò hujusce, præter rerum naturam patrati, cognitione, internaque supernaturali illustratione sua, & vocatione tetigit Deus cor Regis Ægyptii. Nec solum hac decima plaga, verùm & præcedentibus novem id uberis gratiæ Pharaoni Deus fuit impertitus, ejusque cor tetigit, illustravit, ut vellet, & crederet: quamobrem Divus Augustin. *lib. de spiri. & lit. cap.* 34. ait: *Verùmetiam visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus.*

23 Equidem sicut Nabuchodonosoris cor flagellis tactum à Deo fuit, & impius antea Rex, postea flagellatus pœnituit, & credidit: ita & Pharao tot plagis flagellatus à Deo pœnitere potuit: ut enim ex D. Augustino relato in *cap. Nabuchodonosor.* 23. *quæst.* 4. supra vidimus, simile gratiæ medicamentum utrique Regi, ejusdem medici manu, Omnipotentis scilicet Dei, applicitum fuit: At Nabuchodonosoris cor à Deo tactum fuit visis, cognitisque flagellis: ergò consimiliter Pharaonis cor illustrationibus supernis fuit tactū: igitur, ut verè Deus cor hominis tangat, opus nō est physica prædeterminatione, nec decreto intrinsecè efficaci, sed sufficit superna illustratio. At quia cor Pharaonis verè à Deo illustratū, tactumque fuit ad pœnitentiā, & fidem, & nihilominus dissensit, ideò cor ipsius obduratum toties dicitur, quòniam divinæ gratiæ restitit contactui. Optima idem ratione ostenditur, nam cum hominis cor, seu voluntas sit rationalis potentia, ex conceptu suo exigit, ut verè alliciatur, quod illustratione intellectuali tangi possit, sanctaque inspiratione, & delectatione ita moveatur: unde Isai. *cap.* 40. inquit: *Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam*: Et impiorum cor durum in Sacris Literis nuncupatur. Isai. 46. v. 12. *Audite me duro corde*; Ezech. *cap.* 3. *v.* 7. *Atrita frente, & duro corde.* & *cap.* 11. *v.* 19. *Cor lapideum.* & aliis pluribus in locis: durities autem tactu percipitur: ergò quia etiam impiorum corda in sensu Scripturæ propriè tanguntur à Deo: at impii rebelles, & in sua infidelitate perfidi manentes, non accipiunt motionem physicam, prædeterminantem ad fidem: igitur non rectè dicitur ab ingenioso Palanco, quod Deus propriè loquendo solum tangit cor hominis per physicam motionem, qua voluntatem inclinat ad quod vult; Scriptura enim, & Tridentinum Concilium propriè loquuntur. Denique universa Dei Ecclesia in solemni oratione asserit, Deum corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisse, in Magno scilicet die Pentecostes: At nemo ibit inficias, tunc corda fidelium ea Sancti Spiritus illustratione tacta fuisse ad credenda, & amanda ipsis revelata, promissa, & divinitus edocta: igitur quia Deus sancta sua illustratione, & inspiratione verè tangit cor hominis, quin admittenda veniat physica motio prædeterminans, quam Illustriss. Palanco desiderat.

SECTIO TRIGESSIMA QUARTA.

Ex Jure Canonico, & Patribus fidei libertas immediata depromitur.

1 ULterius præcipuum probatur assumptum ex Concilio Toletano quarto, *canon.* 55. relato, & communiter recepto in

in *cap. de Judæis. 5. distinct. 45.* ubi sic habetur: *De Judæis autem præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri. (Cui enim vult Deus misereatur, & quem vult indurat.) Non enim tales invitii salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergò non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* Idem firmatur ex *cap. Qui sincera. 3. eod. distinct. 45.* quod est desumptum ex D. Gregorio. *lib. 11. Epist. 15. ad Paschasium Episcop. Neapolitanum:* ubi de Judæorum conversione rescribens ait: *Agendum ergò est, ut ratione potius, & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere;* prohibetque Sanctissimus Pontifex vim aliquam, quo ad hoc, ipsis inferri: in eumdemque scopum contuens idem D. Gregorius rescripsit Joanni Episcopo Constantinopolitano *lib. 2. Epist. 52. al. cap. 91.* & refertur ipsius Oraculum in *cap. Quid autem. 1. dist. 45.*

2 Item D. Augustinus *contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 83.* relatus in *cap. Ad fidem. 23. q. 5.* ibi: *Ad fidem nullus est cogendus invitus: sed per severitatem, imò & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Numquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur? sed tamen malè vivendi ultrix disciplina præposteræ,* (id est *inordinatæ*, ait Glossa) *nisi cura præcedens benè vivendi doctrinam prætendat. Si quæ igitur adversus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malè facere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate.*

3 Consonat text. *in cap. Majores. 3. §. Item quæritur. de Baptism. & ejus effectu,* in quo Innocentius tertius Arelatensi Episcopo rescribens inquit. *Verum id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Ubi Glossa verbo *Contrarium*, inquit; *Ad fidem nullus debet compelli invitus: sed sicut libera voluntate perlit, ita libero arbitrio convertatur.* Ex quibus Glossæ verbis apertè conspicitur unam eandemque superiorum Canonum esse sententiam, & mentem, libero scilicet arbitrio fidem esse suscipiendam.

4 Unde hæc descendit ponderatio: Æquè nobis libera fides est, ac Adamo liberum fuit propria arbitrii voluntate serpenti obedire, ac prolabi; sed sic propria arbitrii libertate serpenti obedivit, ut tunc proximè posset serpenti obsistere, & positivè dissentire, & in obedientia Dei positivè permanere: ergò nobis ita libera est fides, ut dum credimus immediatè, & proximè dissentire possimus: & infidelis ac hæreticus ita fidei mysteriis dissentit, ut ipsis immediatè, & proximè possit assensum præstare. Major est Concilii Toletani, & aliis prælegatis juribus fulcitur. Minor omnibus est nota, & consequentia legitima.

5 Confirmatur: quia ut inquit D. Gregorius in cap. *Qui sincera.* præcitato: *Cum infidelibus agendum est, ut ratione potius, & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere*: unde colligitur primo fidei mysteria, etiam si rationabiliter proponantur cum sufficienti credibilitate, provocare nos tantum, & allicere ad assentiendum, cæterum intellectum plenè, seù demonstrativè non convincere, ideòque ex libera voluntatis determinatione posse intellectum ipsis dissentire. Secundo colligitur, propositis divinis mysteriis cum sufficienti credibilitate, posse liberum arbitrium à fide divina fugere, ut patet ex illis verbis: *Sequi nos velint, non fugere*, in quibus sicut To *sequi* idem est, ac assentire, ita To *fugere* idem censeri debet, ac *dissentire*, At fidem sequi, dum ratione, & mansuetudine sufficienter provocatur infide-

delis,ipsi immediatè liberum est; igitur, & fugere, seù dissentire fidei mysteriis liberum etiam immediatè ipsi erit.

6 Patrum quoque doctrina confulcitur nostra sententia, quòniam D. Dionysius Areopagita *lib. de Cœlesti Hierarch. cap. 9. Respondendum est* (inquit) *errorem, quo aliæ nationes in eos, qui Dii non sunt, deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non esse tribuendum, sed illis, qui proclivitate sua, de recta ad Deum ferente via deflexerint, amore sui, & contumacia.* Ecce Dionysius liberum, scilicet amore sui, & ex contumacia descendentem, asserit Ethnicorum deflexum de recta ad Deum ferente via, in eos, qui non sunt Dii, id est à fide ad idololatriam: igitur quia immediatè, & proximè liberum est assentire, & dissentire fidei, seù deflectere non tantum à suspensione assensus, sed etiam ab ipso fidei assensu ad dissensum.

7 Quod ulterius idem Dionysius ostendit, dum ait, id deflexus *amore sui, & contumacia* fieri, ut enim edocet D. Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. quæst. 3. postquam monitus* (quispiam) *fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur.* Consimiliter Gloss. *in cap. Ut nobis. 4. de dolo, & contum.* ubi, verbo *Contumaciter*, inquit: *Contumax est, qui cum debet parere non paret.* Angelus de Clavasio in summ. v. *Contumacia*, quam optimè, & juxta D. Thomæ præexarata verba, ait: *Contumacia est quædam voluntaria inobedientia, qua quis monitionem judicis implere contemnit.* Quamobrem dum D. Dionisius docet, Ethnicos contumaciter à recta in Deum via, & fide deflexisse, simul ostendit, illos tunc à Dei luce, & gratia rationeque, & conscientia satis admonitos, cum immediata credendi libertate obedire Deo, & Numini vero debuissent, volùtariè tamè id præstare, seù credere detrectasse, & noluisse, ac dissensisse.

8 Novam impertiemur lucem tùm nostræ assertioni, tùm D. Dionisio ex ipsius præclaro elucidatore Hugone à Sanct. Vict. qui ad prælibata Dionysii verba de Ethnicis sic fatur: *Sed illos ipsos propriis inflexionibus, id est propria voluntate, recidentes à recta reductione, id est cognitione, per quam homo reducitur in divinum, ut crederent Deos, qui non erant dii. Illos inquam ipsos accusandos, qui propria voluntate in quantum liberi arbitrii erat à veritate in errorem lapsi sunt, & hoc ex amore proprio, quia se ipsos amaverunt plusquam Deum, & suam gloriam quærebant, & ideò superbi erant, & ex superbia visorum ipsis divinitus, & quæ revelata sunt eis etiam corrationabiliter cultui scilicet divino, id est ex quibus rationabiliter, vel probabiliter intellexisse potuissent, quemadmodum Deum colere deberent. Quia sicut dicit Apostolus cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Hæc Dionysii Commentator, omninò tribuens liberæ Ethnicorum voluntati, quod à vera fide deflexerint in errorem; tùm quia ipsis gentilibus, juxta Pauli sententiam sufficientem concedit cognitionem, ut solum verum Numen colerent; ac propterea cum sufficiente rerum fidei cognitione ad credendum necessaria, docet Hugo, stare posse deflexum ad infidelitatem.

9 Sed fortè id magis declarat idem Hugo ad verba subsequentia ejusdem *cap.* 9. D. Dionysii, super illud enim: *Sed intellectualium visionum, &c. Radius enim* (inquit) *illuminationis à fonte boni descendens in se unus, & simplex, & semper eodem modo se habens cunctis rationabilibus mentibus super expanditur, & ab eis non secundum suam simplicitatem, sed secundum illarum diversitatem differenter participatur. Aut enim pravæ sunt, & omninò illam repellunt, & faciunt, ut nullo modo participetur, neque distribuatur ad earum reformationem: aut dissimiliter bonæ sunt, & differenter eum suscipiunt.* In quibus verbis perpendendum est, quod in primis ait, radium divinæ illuminationis, nempè sanctæ illustrationis gratiam ad credendum fide divina necessariam, differit quip-

quippè de ratione ob quam aliæ gentes in Deum non crediderunt, ſed potius coluerunt idola) *cunctis rationabilibus mentibus ſuper expandi*, adeòque neminem ad idola ob lucis, & illuſtrationis ſufficientis carentiam deflectere.

10 Deinde aſſerit Hugo, pravas quaſdam mentes divinam iſtam illuminationem repellere, quod nō eſt facere, ne ab ipſis ullo modo recipiatur, tū quia hoc noſtri arbitrii non eſt, ſed Dei donū; tū quia ut vidimus, ſupponitur, divinam illuminationem eiſdem mentibus eſſe ſuper expanſam, quapropter divinam repellere illuminationem apud Hugonem, eſt illi reſiſtere, & diſſentire, in quo, ut liquet ex ſupra notatis *ſect.* 30. *n.* 8. *& ſeqq.* noſtram edocet ſententiam.

11 Fidei etiam immediatæ libertatis aſſertor eſt Divus Iræneus adverſus hæreſes *lib.* 4. *cap.* 72. cujus inſcriptio hæc eſt: *Oſtenſio quod non natura quidam boni ſunt, quidam vero mali, & quod in hominis electione ſit bonum*: & poſtquam liberum ſtabilivit arbitrium circa bonum, & malum, in hunc modum pergit: *Et non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Dominus, dicens ſecundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem hominis oſtendens, quòniam propriam ſuam habet ſententiam. Et iterum: omnia poſſibilia ſunt credenti: & vade ſicut credidiſti, fiat tibi. Et omnia talia, ſuæ poteſtatis ſecundum fidem oſtendunt hominem. Et propter hoc, qui credit ei, habet vitam æternam: qui autē nō credit filio, nō habet vitā æternā: ſed ira Dei manebit ſuper ipſum. Secundum hanc igitur rationem, & ſuum proprium bonum oſtendens Dominus, & ſui arbitrii, ac ſuæ poteſtatis hominem ſignificans, dicebat ad Hieruſalem. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti! Quapropter relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Qui autem his contraria dicunt, ipſi impotentem introducunt Dominum ſcilicet quaſi non potuerit perficere hoc, quod voluerit, Aut, rurſum ignorantem naturam Cholcos, (ut ipſi dicunt) & eos qui non poſſunt accipere ejus incorruptelam.* Igitur D. Iræneus ex æquo liberum hominis arbitrium agnoſcit in operibus aliis, & in fide: at in aliis operibus homo immediatè liber eſt, libertate contradictionis, & contrarietatis: igitur eodem jure liber eſt homo in fide.

12 Conſonat D. Cyprianus *lib.* 3. *ad Quirinum. cap.* 52. hunc ei titulum præfigens: *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam.* Quam ſententiam ſic dicto *cap.* probat, & elucidat: *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam; in Deuteronomio: Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum: elige vitam tibi, ut vivas. Item apud Eſaiam: Etſi volueritis, & audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet: os enim Domini locutum eſt iſta. Item in Evangelio Lucam: Regnum Dei intra vos eſt.* Loqui vero D. Cyprianum de libertate credendi, non ſolum ſuſpenſivè, ſed etiam contrariè, & per poſitivum diſſenſum, patet ex ipſo Deuteronomio, ex quo ſuam depromit ſententiam, ibi enim extrema libertatis aſſignantur, vita, & mors, bonum, & malum, unde in ipſo textu Deuteronomii v. 17. dicitur: *Si autem averſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris Deos alienos, & ſervieris eis: prædico tibi hodiè quod peccas.* En ubi contrarietatis extremū, diſſenſus, ſcilicet erroris apertè in libertatis electione poſitum conſpicitur.

13 Tum quia in arbitrio ſimpliciter fides, aut infidelitas aſſeritur, adeòque ſine fundamento limitatur libertas fidei in ordine ad aliqua tantum extrema. Rurſus *lib.* 1. *Epiſt.* 3. *ad Cornelium.* quæ alias eſt *epiſt.* 55. *inter principium, & medium*, hæc Cyprianus habet: *Dominus converſus ad Apoſtolos ſuos dixit: Numquid, & vos vultis ire? Servans, ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe*

vel

vel mortem appetit, vel ſalutem: Ecce ex verbis Chriſti Domini, adnotante Cypriano, diſcipulis Dominum ſequentibus liberum omninò erat abire,& relinquere Chriſtum Dominum, ſeù ipſius verbis, & doctrinæ diſſentiri, ſicut diſſentiebantur,qui abjerunt,& Dominum reliquerunt,ut in eod.*cap.Joann.*6.*v.*67. dicitur ibi: *Multi diſcipulorum ejus abjerunt retrò: & jam cum illo non ambulabant.* Ubi Chryſoſtomus, Theodorus, Heracleenſis, Leontius, Teophylactus, & Euthymius, ſpiritaliter abiiſſe retrorſum,id eſt à fide, quam habebant,diſceſiſſe,& ad priſtinum Judaicæ incredulitatis ſtatum rediiſſe, edocent; Cyrillus verò etiam corporaliter interpretari videtur,retro abiiſſe,id eſt à Chriſti diſceſiſſe comitatu; noſterque Maldonatus eos corpore, & animo à Chriſto Domino diſceſiſſe aſſerit.

14 Sed valdè adnotandum, de his,qui à fide diſceſſerunt, juxta prædictorum Patrum expoſitionem,factum textum dicere,quod non credebant, ſic enim dixit Chriſtus Dominus dict.*cap.*6. *Joann. v.* 65.*Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt,ſciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes.* Igitur non credere juxta Sacræ Scripturæ phraſim,idem eſt ac diſſentiri poſitivè,& idcircò dum Patres aſſerunt credere, & non credere in poteſtate eſſe liberi arbitrii,non ſunt intelligendi de libertate tãtum contradictionis, ſed etiam de libertate contrarietatis.

15 Unde luculenter noſtram tradidiſſe doctrinam oſtenduntur Epiphanius,& Methodius,quòniam exMethodio Epiphanius *Contra hæreſes lib.* 2. *tom.*1.*hæreſi* 64.contra Orogenem Adamantium *pag. mihi* 170. ſic habet: *Quomodo verò etiam liberum arbitrium habere in hoc mundo apparet? In nobis enim ſitum eſt,ut credamus, & non credamus. Ubi autem in nobis ſitum eſt credere, & non credere,in nobis rectè facere, & peccare, in nobis benè facere, & malè facere.* Non igitur minus liberam eſſe fidem, quam bona opera, aut mala facere,fatentur hi Eccleſiæ Patres,quamobrem,cum benefacere, & malefacere,proximè quoad ſpeciem nobis ſit liberum,ſimiliter credere,aut non credere, id eſt aſſentire, & diſſentire, ut ex ſuperiori notatione fit liquidum,verè immediatè quoad ſpeciem liberum nobis erit.

16 Suffragatur Hieronymus, qui illud ad *Galat.* 5. *Perſuaſio veſtra non eſt ex eo, qui vocavit.* Sic exponit: *Galatas accuſaverat, quare non obedierint veritati, oſtendens,in eorum arbitrio poſitum, obedire,vel non obedire.* Quibus ſubnectit: *Dei eſt vocare,hominum vel credere,vel non credere.*

17 Idem D. Hieronymus in *cap.*49. *Iſaiæ, Dei* (inquit) *eſt vocare, noſtrum credere, neque ſtatim ſi nos non credimus impoſsibilis Deus eſt, ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, ut juſtè voluntas præmium conſequatur. Quia ergò noluerunt per me in te credere, judicium meum apud te eſt, quod omnia fecerim, quæ eis facere debui.* In quo teſtimonio animadverte primo, Doctorem Maximum nole ſignificare, quod Deus nobis ſubjiciat ſuam omnipotentiam, ſed quod illam nobis præparet determinandam â libera noſtra voluntate,ſicut & ſuam indifferentem gratiam: ſecundo. To *non credere* accipi pro poſitivo diſſenſu ex jam prænotatis.

SECTIO TRIGESSIMA QUINTA.

Divum Auguſtinum, & Proſperum expendit.

1 ADamuſsim quoque Magni Par.Auguſtini mentem exploremus:is igitur *lib. de Prædeſtinatione Sanct. cap.*11. *Sicut ergo* (inquit) *quamvis donum Dei ſit facta carnis mortificare; exigitur tamen à nobis propoſito præmio vitæ: ita donum Dei eſt, & fides, quamvis, & ipſa cum dicitur, ſi cre-*

credideris, ſalvus eris; propoſito præmio ſalutis exigatur à nobis. Ubi conſpicuè Sanctus Doctor eandem aſſerit eſſe rationem doni Dei, & liberæ noſtræ cooperationis in fide, & in corporis mortificatione; at hæc libera nobis immediatè eſt, & quoad exercitium, & quoad ſpeciem: igitur, & illa ſimiliter libera nobis eſt. Id ipſum docuit *lib. de ſpirit. & litt. ad Marcell. cap.* 30. Ubi an fides in noſtra ſit poteſtate diſquirit, & poſt alia, hæc habet: *De illa itaque fide quærimus, utrum in poteſtate ſit, qua credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim ſcriptum eſt; credidit Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad juſtitiam, & credenti in eum qui juſtificat impium, deputatur fidei ad juſtitiam. Vide nunc utrum quiſque credat, ſi noluerit: aut non credat, ſi voluerit. Quod ſi abſurdum eſt: quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem utique volentis eſt, profectò fides in poteſtate eſt.* Hic autem Sanctus Doctor apertè docet credere, & non credere tàm in nobis ſitum eſſe, ac velle, & nolle, atque adeò immediatè, & proximè liberam nobis eſſe fidem, ſuppoſita Dei gratia.

2 Haud minùs dilucidè *lib. de Prædeſtin. Sanct. cap.* 5. *poſt medium*: *Quis quis* (ait) *audet dicere: ex me ipſo habeo fidem, non ergò accepi: profectò contradicit huic apertiſsimæ veritati: non quia credere, aut non credere non eſt in arbitrio humanæ voluntatis; ſed in electis præparatur voluntas à Domino: ideò ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet: quis enim te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti.* Et *tract. 26. in Joann. Multa poteſt homo facere non volens, credere autem non poteſt niſi volens.* Hæc autem adeò ſunt perſpicua, ut expoſitione, aut ulteriori ponderatione non egeant, cum jam ſupra adnotaverimus, juxta Sacræ Scripturæ, & Patrum phraſim, credere, & non credere idem importare, ac aſſentire, & diſſentire; imò vulgari etiam modo loquendi, haud aliter ſignificamus noſtrum diſſenſum, quam dicendo, non credo.

3 Sed ulteriorem in eundem ſcopum contulit nobis lucem Magnus Parens *dict. lib. de ſpirit. & litera, cap.* 33. ubi exponens, ut fides noſtra ſit, & à Dei gratia, & à libero arbitrio, inquit: *Vult autem Deus, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſsimè judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt... experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* In quibus verbis adnotandum venit, Div. Auguſtinum non minùs edocere, cum Dei gratia, & vocatione, libertatis noſtræ eſſe ad agnitionem veritatis venire credendo, quàm ex pravo uſu ejuſdem libertatis non credere Evangelio, non præcisè ſuſpendendo aſſenſum intellectus, ſed per poſitivam infidelitatem contemnendo Dei miſericordiam qua vocantur homines, ideò ſupplicia experturi niſi reſipiſcant: immediatè igitur liberum eſt credere, aut diſſentire revelatis.

4 Capite autem 34. ejuſdem libri *de ſpiritu, & litera*, id explicans dilucidius, Sanctus Doctor, illam fidem noſtram, & credendi voluntatem, de qua diſſerimus, *Non ideò tantum* (ait) *divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & credamus: ſivè extrinſecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem*

credendo confugiat: sivè intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergò modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat: neque enim credere potest, quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat: profectò, & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est, quæ res non solum non infirmat, quod dictum est. Quid enim habes quod non accepisti: verum etiam confirmat.

6 Perpendas nunc quæso, inter alia, ut S. Doct. asserat, ex æquo libertatis nostræ esse assentire, & dissentire vocationi Dei ad fidem: quamobrem sicut suppositа Dei gratia immediatè liberum nobis est, assentire revelatis à Deo, ita immediatè liberum est etiam illis dissentire, assensu hætetico. Confulcit id ipsum D. Augustinus *lib. 1. Retrac. cap. 23. propè finem. Nostrum est enim* (infit) *credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris. Verum est quidem; sed eadem regula, & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Et post pauca. *Sicut enim in iis, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per manus Dei benè operentur: sic in iis quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pœnæ meritum.* Hactenùs S. Doctor, nostram abundè comprobans sententiam, prædictis, & aliis etiam in locis.

7 D. Augustino subscribit ejus præclarus discipulus, & Pelagianorum hostis accerrimus D. Prosper *lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 12.* ubi complectens, quæ de vocatione Gentium ad fidem, & gratiam eo libro docuerat, sic habet: *Hæc autem sumatim breviterque perstricta ad id valeant, ut certissimè noverimus, nullum fidelium à Deo non discedentem reliqui, neque cujusquam ruinam ex divina esse constitutione dispositam: sed multis qui jam judicio rationis utuntur, ideò liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium: & ut quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis actibus sola esse potest, in bonis autem sola esse non potest.* Sed majori conspicuitate *eod. lib. 2. de voc. genti. cap. 28.* cujus inscriptio est: *Posse eos qui gratia Dei in Christum credunt, non credere, & eos, qui perseverant, à Deo recedere: ubi initio cap. inquit. Qui ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide; neminem concupiscentia vinceret, neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret.*

8 In cujus S. Patris doctrina observãdũ primò, suppositа Dei gratia, in nobis asserere, situ esse credere, & nõ credere, seu assẽtire, aut dissẽtire veritatibus fidei. Secundò in credentibus permanere mutabilitatem, seu potestatem, qua nolle credere possunt. Tertiò eandem agnoscere libertatem deficiendi à fide, ac succubendi concupiscentiæ, tristitiæ, & iracundiæ, excidendique à fervore charitatis. In quibus apertè immediata, & quoad speciem nobis ineſt libertas.

9 Nec solum assertor, verum, & elucidator ejusdem doctrinę fuit D. Prosper in præcitato enim *lib. 2. de vocation. genti. cap. 28.* sic illam stabilire pergit: Sed quia „ hæc possunt fieri, & in consensu taliũ „ tẽtationũ facilis nimium, procliviſque „ descensio est, (nimirum in recessum à „ fide in concupiscentiam, tristitiam, & „ alia supradicta) nunquam debet in au„ ribus fidelium vox illa Domini non „ sonare, qua Apostolis dicitur: Vigila-

te,

„ te,& orate,ne intretis in tentationem.
„ Ubi si de vigilando tantum,non etiam
„ de orando discipulos admoneret,solas
„ liberi arbitrii vires videretur hortatus.
„ Sed cum addidit,& orate,satis docuit,
„ superni futurum muneris,ut eos etiam
„ vigilantes tentationis procella non
„ vinceret. Tale est,& illud,quod ait:Si-
„ mon, Simon, ecce Satanas expostula-
„ vit,ut vos cerneret,velut triticum,ego
„ autem rogavi pro te, ne deficiat fides
„ tua, & tu tandem conversus confirma
„ fratres tuos, & roga ne intretis in ten-
„ tationem? Si ergò defectura erat fi-
„ des tanti Apostoli, nisi pro eo Chris-
„ tus oraret, inerat ei proculdubio mu-
„ tabilitas, quæ posset in tentatione mu-
„ tare. Et non ita jam perseverantiæ
„ fuerat virtute solidatus, ut nullis peri-
„ culis esset obnoxius. Siquidem tam
„ gravis eùm perturbatio, etiam post is-
„ ta, concusserit, ut in Caiphæ domo
„ unius ancillæ interrogatione pavefac-
„ tus, usque ad trinam negationem
„ Christi (cui moriturum se se spopon-
„ derat) constantia deficiente perductus
„ sit. Qui ergò tunc conturbatum cor
„ Apostoli, non humanis sed divinis
„ convenit oculis, & ad largos pœnitu-
„ dinis fletus potenti incitavit aspectu;
„ potuit hanc firmitatem animi præci-
„ puo conferre discipulo, ut sicut ipsum
„ Dominum nihil ab explendæ passionis
„ proposito deterrebat, ita nec beatum
„ Petrum ulla tunc formido superaret.
„ Sed hæc stabilitas illius tantummodo
„ propria fuit, qui solus verè, potenter
„ dicebat: *Potestatem habeo ponere animam*
„ *meam,& potestatem habeo iterum sumere*
„ *eam*. In cæteris verò hominibus donec
„ caro concupiscit adversus spiritum, &
„ spiritus adversus carnem,& donec spi-
„ ritus quidem promptus est, caro au-
„ tem infirma, incommutabilis animi
„ fortitudo non potest reperiri, quò-
„ niam non hujus, sed alterius vitæ est
„ verè perfecta, & sæcura fœlicitas. In
„ præsentis autem agonis incerto, ubi
„ tota vita tentatio est, & ab insidianti
„ superbia nec ipsa est tuta victoria,mu-
„ tabilitatis periculo non caretur. Et li-
„ cet innumeris sanctis suis donet virtu-
„ tem perseverandi usque in finem divi-
„ na protectio, à nullis tamen aufert,
„ quod ipsis repugnat ex ipsis: ut in om-
„ nibus studiis eorum, atque conatibus
„ semper inter se velle,&nolle decertet.
„ Quam compugnantiam idem beatissi-
„ mus Petrus etiam in ipsa palmarum
„ omnium consumatione perpessus est.
„ Siquidem hoc ipse Dominus protesta-
„ tur, & dicat: Amen, amen dico tibi,
„ quando juvenis eras, præcingebas te,
„ & ambulabas ubi volebas: cum autem
„ senueris,extendes manus tuas, & alius
„ te præcinget,& ducet,quo tu non vis.
„ Hoc autem dixit,significans qua mor-
„ te glorificaturus esset Deum. Quis er-
„ gò ambigat,quis ignoret hanc fortissi-
„ mam petram,quę ab illa principali pe-
„ tra communionem & virtutis sumpsit,
„ & nominis, hoc desiderium semper
„ habuisse, ut ei moriendi pro Christo
„ constantia donaretur? Verum tamen
„ ita inevitabilis erat obluctatio trepi-
„ dationis, ut vir martyrii avidissimus,
„ adepturus quidem denunciaretur vic-
„ toriam passionis, sed non sine tenta-
„ tione formidinis. Meritò igitur non
„ solum ab incipientibus, verum etiam à
„ provectissimis sanctis uniformiter Do-
„ mino supplicatur,& dicitur:Ne nos in-
„ ducas in tentationem, sed libera nos à
„ malo. Universis enim qui in fide,& di-
„ lectione permanent, ab ipso donatur
„ ne in tentatione superentur, ut qui
„ gloriatur,in Domino glorietur. Ipsam-
„ que gloriam iisdem quibus eam im-
„ pertit adscribit: ut quamvis auxilio Dei
„ steterint, tamen quia in se habebant
„ unde caderent, ipsorum sit meritum
„ quod steterunt. Igitur sicut qui credi-
„ derunt, juvantur ut in fide maneant:
„ sic & qui nondum crediderunt,juvan-
„ tur ut credant. Et quemadmodum illi
„ in sua habent potestate ut exeant:

„ita & iſti in ſua habent poteſtate ne „ veniant: fitque manifeſtum, quod di- „verſis atque innumeris modis omnes „ homines vult Deus ſalvos fieri, & in „ agnitionem veritatis venire, ſed qui „ veniunt Dei auxilio diriguntur: qui „ non veniunt ſua pertinacia reluctan- „ tur. Hactenùs D. Proſper.

6 Nec grave, aut injucundum Lectori fore ratus ſum, integrum, & ſi diffuſum tanti Patris eloquium adducere, atque diligenti conſideratione verſare, plura enim notatu digna continet. Primum, in credentibus facilem nimium proclivemque eſſe deſcenſionem in conſenſum tentationum contra ipſam fidem, ſeù in infidelitatem: igitur quia juxta D. Proſperum, credens fidei myſteriis, ſic poteſt habere propoſitam fallacem hæreſum credibilitatem, ut facilè hæreſibus credere queat, ergò proximè, & immediatè poteſt credere tum divinis myſteriis, tum hæreticorum erroribus: & conſequenter immediatè, & proximè fides nobis eſt libera, etiam quoad ſpeciem: id quod juxta hunc Sanctum Doctorem deducitur ex monito Chriſti Domini ajentis: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*: tum ex illo Lucæ 22. cap. *Simon ecce Satanas, &c.*

7 Secundum; id immediatæ libertatis quoad ſpeciem à D. Proſpero ſtabilitur argumento, quod à fortiori procedere dicitur: nimirum ſi in Apoſtolo præcipuo Petro defectibilis erat fides, i nò defectura, niſi pro eo Chriſtus Dominus oraret, adeòque inerat proculdubio mutabilitas, & quidem proxima, ut ex indigentia tanti auxilii, & divinæ protectionis conficitur: multo magis in aliis hominibus hæc liberi arbitrii proxima mutabilitas in infidelitatem aderit.

8 Tertium: licet innumeris ſanctis ſuis donet virtutem perſeverandi uſque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipſis repugnat ex ipſis: ut in omnibus ſtudiis eorum, atque conatibus ſemper inter ſe velle, & nolle decertet. Igitur Sancti etiam, adeòque communiter credentes, liberi ſunt, ut vellint, aut nollint divinis myſteriis credere: libertate quidem proxima, quòniam remota, & mediata libertas, quæ ab adverſæ ſententiæ Auctoribus aſſeritur, non verſatur inter velle, & nolle credere, ſed inter credere, & ſuſpendere omnem aſſenſum, ad inquirendas rationes diſſentiendi.

9 Quartum: inclareſcit magis hæc immediata libertas in compugnantia, quam idem beatiſsimus Petrus Apoſtolus in ipſa palmarum omnium conſumatione teſte (D. Proſpero) perpeſſus eſt, quòniam licet martyrii fuiſſet avidiſsimus, & adepturus quidem denuntiaretur victoriam paſsionis, id tamen non fuit aſſecutus ſine tentatione formidinis, & abſque obluctatione trepidationis; unde licet in fide gloriosè ſteterit, propter Dei protegentem gratiam, potuit tamen à fide cadere, alias nec obluctatio, nec compugnantia ulla foret inter velle, ac nolle mori pro Chriſto, falſaque eſſet D. Proſperi ſententia, quod minimè fas erit aſſerere.

10 Quintum, non ſolum ab incipientibus, verum etiam à provectiſſimis ſanctis uniformiter Domino ſupplicatur, & dicitur: *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Univerſis enim, qui in fide permanent ab ipſo donatur, ne in tētatione ſuperentur: igitur quia ex libero arbitrio poſſēt ſanctiſsimi viri induci in tētationem, & labi in infidelitatē: ergò quamvis fides nobis ſufficienter credibilis proponatur, ut in credentibus contingit, poteſt tamen ita fallaciter infidelitas ſimul proponi, ut immediatè nobis liberum ſit aſſentiri fidei, vel infidelitati.

11 Sextum denique notandū, veluti prædictorum ſynopſis; *quod ſicut qui credunt, juvantur, ut in fide maneant: ſic & qui nondum credidērunt, juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in ſua habent*

po-

poteſtate ut exeant: ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant. Tùm ſic: ſed qui credùt ita juvátur ut in fide maneant, quod proxima, & immediata ſit illis manendi, aut non manendi in fide libertas: igitur, & infideles, qui non credunt, ſed in infidelitate permanent, ſic juvantur à Deo, ut credant, ut in eorum libero arbitrio immediatè ſitum ſit, quod ad fidem non veniant, quòniam credendi immediata facultas, & proxima libertas ex Dei dono eſt ipſis conceſſa: tùm ultra: ſed non credentes, ita in ſua poteſtate habent ne credant, ut cum Dei gratia immediatè etiam, & proximè in eorum libero arbitrio ſit, ut ad fidem veniant: igitur, & credentes conſimiliter in ſua expedita proxima, & immediata habent libertate, ut à fide excidant: cumque iſtis inſuper immedita, & proxima ſit credendi, & in fide manendi libertas, conficitur tandem proximam, & immediatam libertatem ad fidem, & ad infidelitatem, in eodem ſubjecto poſſe reperiri, & de facto ex D. Proſpero ſic eſſe aſſerendam: id eſt fidem immediatè quoad ſpecificationem liberam eſſe, ideòque idem Proſper præclaram, & doctrinæ noſtræ opportunam annectit coronidem: *Fit* (inquit) *manifeſtum, quod diverſis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ſed qui veniunt Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt ſua pertinacia reluctantur*: id eſt cum proximè, & immediatè poſſint fidei rebus aſſentiri, diſſentiuntur, & divinæ gratiæ obſiſtunt; non utcunque, ſed cum pertinacia, quæ liberam immediatam credendi includit poteſtatem.

***

SECTIO TRIGESSIMA SEXTA.

Clemens Alexandrinus, Origenes, Clemens Papa, Ambroſius, Anſelmus, & Bernardus eamdem confulciunt ſententiam.

1 IGitur Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *Stromat. cap.* 8. *Jam verò* (ait) *id eſt in noſtrâ poteſtate, cujus ex æquo ſumus Domini, & ejus, quod ei adverſatur, ut philoſophari, vel non credere, aut non credere. Per hoc ergò quod ſumus æquè participes utriuſque eorum, quæ inter ſe adverſantur, invenitur fieri poſſe id quod eſt in noſtra poteſtate.* In quo animadvertendum, pro libertatis exemplo adducere libertatem credendi, & non credendi, ubi To *non credere* jàm prælibavi *ſect. præcedentibus*, juxta Patrum, & Sacræ Paginæ phraſim accipi negativè, & contrariè, non ſuſpenſivè tantùm, id eſt ſummi pro poteſtate diſſentiendi. Tùm etiam juxta Clementis ſententiam, tunc aliquid dicitur in libera noſtra eſſe poteſtate, quando, & illius, & ejus quod adverſatur ex æquo ſumus domini: at juxta Authores, quorum oppugnamus doctrinam, diſſentire fidei non eſt in poteſtate credentis, æquè ac aſſentire, quandoquidem, primum proximè, & immediatè liberum in poteſtate credentis eſt, ſecundum verò ſolum mediatè, & remotè: igitur juxta eorundem Authorum ſententiam, nunquam nobis verè, & propriè liberum eſt aſſentire, aut diſſentire rebus fidei; igitur juxta eoſdem nulla eſt fidei libertas quoad ſpeciem, quod eſt contra receptam Theologorum ſententiam, ideòque nec Scriptores hi audent id libertatis quoad ſpeciem inficiari; ſed cum aſſerunt, non eſſe æquo immediatam, & proximam libertatem ad utrumque extremum, re ipſa, & attenta Clementis Alexandrini ſententia, negare videntur talem fidei libertatem

quoad ſpeciem,& ſolum quoad exercitium illam concedere.

2 Inclareſcit ulterius ex eodem Clemente Alexandrino *lib.2.Stromat.cap.2.* ubi fidei naturam exponens, *fides autem*, (inquit) *quam Græci calumniantur,exiſtimantes inanem,& barbaram, eſt voluntaria anticipatio, pietatis aſſenſio, rerum,quæ ſperantur ſubſtantia, argumentum earum, quæ non videntur, ut eſt ſententia divini Apoſtoli.* Nonnulliſque interjectis,quæ haud parum rem noſtram comprobant, in hunc modum pergit: *Præterea dicunt Baſilidei, fidem ſimul, & electionem eſſe propriam in unoquoque ſpacio: rurſus autem ex conſequentia ſupramundanæ electionis, conſequi mundanam totius naturæ fidem, & pro modo ſpei uniuſcujuſque conveniens quoque eſſe donum fidei.* Ubi perpendendum primo, quod fidex dicitur *voluntaria anticipatio,pietatis aſſenſio*, ex eo quidem, quòniam, quod ratio adhuc ineluctabiliter ſuadere nequivit, voluntatis tamen libera aſſequitur determinatio, & electio; tùm quia ex pia liberaque affectione aſſentimur objecto, cui diſſentiri liberè poſſemus.

3 Secundo abſurdum eſſet aſſerere, fidem non eſſe ex libera electione, ut patet ex Clementis argumento; ſed nequit etiam negari, eam electionem, quæ fidem aſſociatur, eſſe non ſolum inter aſſenſum fidei, & ejus omiſsionem, aut ſuſpenſionem, ſed etiam inter aſſenſum, & diſſenſum, & inter fidem, & infidelitatem; & ideò maximè laudi fidē verti,&vituperio obnoxiā eſſe infidelitatē: igitur immediatè,& proximè voluntas noſtra libera eſt in eligenda fide, etiam quoad ſpeciem, ſeù præ infidelitate,& hæreſi. Tandem idem Clemens *eod. cap.* verſus finem inquit: *Infidelis autem eſt, cui voluntarium placet falſum.* Igitur quia, licet minor longè ſectarum infidelium dignoſcatur credibilitas, & myſteriorum noſtræ fidei veritas ut potioribus innixa fundamentis perſpiciatur, in poteſtate liberi arbitrii ſitum eſt, vel fidei veræ, vel falſis ſectis aſſenſum, vel diſſenſum præbere.

4 Ejuſdem fidei libertatis aſſertor eſt D. Clemens Papa *Epiſt.* 3. cujus iſta ſunt verba: *Si quis ſanè audiens ſermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit,& amplecti onus ejus (id eſt mandata vitæ)habet in ſua poteſtate.Liberi enim ſumus arbitrii. Nam ſi hoc eſſet, ut videntes ea jam non haberent in poteſtate, aliud facere,quàm audierant: vis erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam. Nunc autem, quia liberum eſt animo, inquam velit partem declinare judicium ſuum, & quam probaverit eligere viam: conſtat evidenter ineſſe hominibus arbitrii libertatem.*

5 Conſignat D. Ambroſius *lib.1.de vita Beata. cap.1.Non ſervili* (inquiens) *ad obediendum conſtringimur neceſsitate; ſed voluntate arbitria, ſivè ad virtutem propendimus, ſivè ad culpam inclinamur: & ideò nos aut liber affectus ad errorem trahit,aut voluntas revocat rationem ſecuta.* Porrò hæc in fide,ſeù aſſentiendo infidelitati maximè ſibi locum vendicant. Idem in *cap. 4. ad Roman.* in ea verba, *Et autem qui operatur*, inquit: *Aut credere,aut non credere voluntatis eſt: nec enim cogi poteſt ad id quod manifeſtum non eſt.*

6 Origenes quoque adſtipulatur Homil. 2. in diverſa loca Scripturæ his verbis: *A nullo auferetur poſsibilitas credendi: hoc enim arbitrio hominis,& cooperatione gratiæ conſtitutum eſt.* Hinc D. Bernardus *lib. 5. de conſideratione.cap.6.* ita fidem deſcribit: *Fides eſt voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum propalatæ veritatis.*

7 Sed quòniam infinitum propè modum eſſet,omnia Patrum eloquia, quæ hanc fulciunt doctrinam, perſequi, ad optatum exitum auſpicato rem perduxiſſe autumo, ſi recenſis oraculis hoc unum D. Anſelmi annectam, hic

hic enim Sanctiſsimus Doctor in enarrati. Super Evangel. D. Matth. *cap.* 6. ad illa verba: *Fiat voluntas tua, in primis docet interdum contingere, ut Deus per miſericordiam velit de aliquo pravo, quod ſit juſtus, & conferat illi gratiam ſuam, & tamen illi per liberum arbitrium, contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat.* Deinde ut oſtendat eam reſiſtendi Dei gratiæ libertatem convenire homini etiam cum gratione gratiæ ſanctæ illuſtrationis, & potentiæ proximæ ad credendum, ſubdit; *In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei; ſed non eſt: quia licet percuſſus, tamen voluntas erat libera, ut reſiſteret ſi vellet.*

8 Nulla poterant in rem aptiora adduci. Ecce Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, cum iter faceret in Damaſcum, cœleſtis gratiæ luce ad fidem à Domino vocatur; ſed vocationi huic, licet potentiſsimæ, potuit diſſentire, & reſiſtere, ſi vellet juxta D. Anſelmum; hoc eſt potuit adhuc in Judaiſmo permanere, & illi aſſentire: igitur fides ita nobis immediatè libera eſt, ut dum Verbo Dei credimus, proximè poſsimus illi diſſentire, & ſanctæ illuſtrationis gratiæ reſiſtere: Apodixis ſanè apparet mihi hæc ratiocinatio; examuſsimque cunctis Patribus, quos hucuſque congeſsimus, perſpectis, libertatis fidei immediatæ, & quoad ſpeciem aſſumptum confici, ſatis perſpicuè reor.

SECTIO TRIGESSIMA SEPTIMA.

Theologicis rationibus eandem immediatam evincit fidei libertatem.

1 SIt prima ratio ex fidei objecti obſcuritate deprompta, & ad meliorem ipſius intelligentiam, prænotandum, quod Manichæi hæretici, fidem evidentem eſſe oportere, arbitrati fuiſſe videntur. Nam contendebant, nihil eſſe credendum, quod non ratione oſtenderetur eſſe verum, ut ex S. Auguſt. intelligi poteſt, in *libro de utilitate credendi, cap.* 1. ubi ipſe Auguſtinus narrat, ea opinione vel maximè ſe fuiſſe adductum, ut Manichæis crederet. *Quid enim me* (inquit) *aliud cogebat, annos ferè novem ſpreta Religione, quæ mihi puerulo à parentibus inſita erat, homines illos ſequi, ac diligenter audire, niſi quod nos ſuperſtitioſè terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: ſe autem nullum præmere ad fidem, niſi prius diſcuſſa, & enodata veritate.*

2 In eodem errore fuiſſe videtur Petrus Abaylardus; ſiquidem S. Bernardus *Epiſt.* 190. inter errores illius enumerat, quod aſſeruerit, *non eſſe credendum aliquid ſine ratione*, & quod, ſe rationem reddere velle quorumcunque fidei myſteriorum, profiteretur. Haud dubiè enim de ratione evidenti Petrus iſte loquebatur: nam quod fides nitatur ratione inevidenti extra controverſiam eſt. Unde D. Bernardus ubi ſupra Abailardo objecit teſtimonium S. Gregorii *Homil.* 26. *in Evangel.* dicentis, *fidem non habere meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Eundem errorem tribuit Artemoni, & aliis Euſebius Cæſarienſis *lib.* 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. ultimo*: in quo etiam fuiſſe Anomæos, conſtare poteſt ex homilia 5. Chriſoſt. *De incomprehenſibili Dei natura.* Et ex Baſilio lib. 1. contra Eunomium. poſt medium, qui jactabat ſe Deum æquè benè cognoſcere, quàm ipſe cognoſcit ſe ipſum.

3 Videtur quoque in eadem ſententia fuiſſe Calvinus *lib.* 2. *Inſtitut. cap.* 17. *ſect.* 2. & 3. ubi ait: *Fidem non in ignorantia, ſed in cognitione ſitam eſſe, & cum intelligentia conjunctam.* Sic notat P. Gregorius de Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *de objecto fidei. Punc.* 4. §. 1. addens quendam Sectarium in Reſponſione ad Analyſim fidei ab ipſo P. Valentia perdoctè allaboratam, enixè con-

ten-

tendere, fidem non inevidentem, ſed evidentem eſſe, quod neſciverit ſectarius ille diſtinguere inter evidentiam, & certitudinem infallibilem, ac proinde ignoranter detorqueat ad evidentiam ea, quæ Sacris Scripturis extant de fidei certitudine infallibili, ut in peculiari libello contra reſponſionem illam indocti ſectarii oſtendit idem Valentia.

4 Fuerunt etiam inter Scholaſticos Theologos nonnulli, qui hunc in errorem prolapſi videntur, ut putaverint fidem eſſe evidentem, quod prælibavi in *ſect.* 24. pro ea enim ſententia refertur: Franciſcus de Marchia *in Prologo ſententi. quæſt.* 3. quem refutant Gregorius Arimin. ibidem *quæſt.* 1. *art.* 4. & Okamus *quæſt.* 3. tribuitur etiam Holcot *in* 1. *ſent. q.* 1. *art.* 6. *in reſponſ. ad prim.* Cujus mentem in prædict. *ſect.* 24. *num.* 6. propoſui: contraria tamen ſententia eſt certa, & communis Theologorum, ſcilicet fidem eſſe inevidentem. Quod ut melius percipiatur, advertendum eſt, duobus modis intelligi poſſe, fidem poſtulare inevidentiam: primò, in ſuo medio, & motivo aſſentiendi; quia per ſe inclinat ad aſſentiendum objecto non viſo, utique ex vi talis medii: ſecundò poteſt intelligi ut fides requirat illam conditionem in objecto, etiam ex parte ſubjecti, & cujuſcumque alterius medii, id eſt, ut intellectus credentis non videat, neque habeat evidentiam rei creditæ, aut credendæ per quodcumque, aliud medium: nunc ergò non loquimur in hoc poſteriori ſenſu, circa quem oppoſitæ verſantur Theologorum ſententiæ, loquimur ergò in ſenſu priori, & ſic eſt certiſsima aſſertio, ut notat Eximius Doct. P. Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 7. *num.* 3. *& ſect.* 1. *num.* 4. deducitur-que ex illo Pauli *ad Hebræos* 11. *Fides eſt argumentum non apparentium*: dicuntur enim res apparere, quæ in ſe videntur: unde 1. ad Corinth. 13. inquit: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Ubi Verbum *videmus*, generaliter ſumptum eſt pro verbo *cognoſcimus*, ut ibi notat D. Thom. *& in* 3. *diſtinct.* 24. quod ſatis declaratur, cum additur, eſſe viſionem ænigmaticam, quæ, ut ibi notat P. Salmeron, eſt cognitio obſcura, unde eſt illud 2. *Petr.* 1. *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Et Paulus 2. *ad Corinth.* 10. docet oportere *captivare intellectum in obſequium Chriſti.* Et ipſe Chriſtus Dominus Joan. 20. dixit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hinc etiam Patres ubique docent, non eſſe neceſſariam evidentiam rationis ad credendum imò formaliter repugnare aſſenſui fidei ut talis eſt, quorum eloquia eruditè congerit Exim. Doct. *dict. diſp.* 3. *ſect.* 1. *num.* 4. *& ſect.* 7. *num.* 3. necnon Cardin. Bellarmin. *lib.* 1. *de Juſtific. cap.* 7. & perdoctus Petrus de Lorca in 2. 2. *D. Thom. q.* 1. *art.* 5. *diſp.* 11. ubi aſſerit: *Verè tamen indubitatum eſt, cognitionem fidei inevidentem eſſe, & obſcuram.* Conſignant cæteri Scholaſtici unanimi conſenſu ſequuti D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *artic.* 4. & Magiſtrum Sententiarum *in* 3. *diſtinct.* 23. & 24.

5 Hoc ergò prænotato, in hunc modum diſſero: objectum eſſe inevidens, & obſcurum, eſt non determinare intellectum, ut illi non diſſentiat: ſed ſacræ fidei objectum obſcurum eſt, & inevidens: igitur fidei ſacræ objectum non determinat intellectum, ut illi non diſſentiat: igitur ſufficienter propoſito fidei objecto, ſub his quippè loquimur terminis, indifferens eſt intellectus ad diſſentiendum, aut non diſſentiendum objecto illi: quòniam cum ante ſufficientem illius objecti propoſitionem potens indifferenſque eſſet intellectus ad diſſentiendum hujuſcemodi objecto, ut patet, ſi ex ſufficienti ejuſdem objecti propoſitione adhuc non determinatur intellectus ad non diſſentiendum, manebit utique ad diſſentiendum indifferens, & ſimul ad aſſentiendum, ut eſt certum: hoc autem eſt formaliter, in-

intellectum indifferentem esse quoad speciem proximè,& immediatè,ut possit liberè,& proximè à voluntate determinari, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem:igitur fidei assensus immediatè, & proximè liber est, seù liberè imperari potest à voluntate.

6 Omnia in hoc discursu conspicua sunt,& legitima illatione deducta, stante assumptionis primæ veritate:nempè objectum esse inevidens, & obscurum, esse non determinare intellectum,ut illi non dissentiat,id quod licet ex terminis ipsis innotescere videatur,fiet luculentius ex eo quod,idem est objectum esse inevidens, & obscurum, ac proponi intellectui cum metaphysica non repugnantia falsitatis, licet ob fidei sacræ credibilitatis motiva, simul fiat prudenter, & evidenter credibile ipsius fidei objectum; ex eo enim quod constet evidenter, aliquid debere credi,non constat illud esse evidenter verum; nam non repugnat aliquid falsum ita verisimiliter proponi,ut prudens teneatur judicare illud esse creditu dignissimum: nec tamen propterea infertur,fidei nostræ falsum subesse posse,vel certos non esse nos de rerum fidei veritate, quòniam intellectus noster in assensu fidei certus redditur non præcisè ex evidentia credibilitatis mysteriorum,sed ex Divina authoritate,& interna illustratione, simul cum pia voluntatis affectione. Et ita docent P. Gregorius de Valentia *tom.*3.*disp.*1.*quæst.*1.*de objecto fidei.Punct.* 4. *circà finem. in Resp. ad ea, quæ fuerunt objecta contra evidentiam credibilitatis fidei.*Exim.Doct.Pater Franciscus Suarez *de fide, disp.* 3.*sect.*7. *num.* 3. *& disp.*4. *sect.* 5. *num.*6.*&* 9. *& sect.*6.*num.*3.*&* 4. *& disp.* 6.*sect.*5.*num.* 5. *tum sect.* 6. *per totam.*Mag. Petrus de Aragon *in* 2. 2. *Divi Thomæ q.* 1. *art.* 4. *pag.mihi* 31.*vers. ad ultimum,& vers. ad aliud.* Mag. Bañes *in* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4.*dubit.*2.*concluf.*1.*&* 2. *& in solut.ad* 2. *&* 3.*& dubit.*3.*in solut.ad* 2.*&* 5. diluci-dè P. Jacobus Granado,*tom.*3.*in* 2.2.*D. Thomæ tract.* 2. *disp.* 4. *num.*3.4.5.*&* 7. *usque ad* 10.tùm etiam *tractatu* 9.*disp.*2. *numero* 2. *cum seqq.*

7 Et quod à voluntatis affectu, ex parte provenit etiam assensus fidei firmitas, constat ex Innocentii XI. Pontif. Maximi decreto, damnante inter alias hanc 19.propositionem:*Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus,quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium.*Cujus sacræ damnationis fundamenta eruditè illustrat P.Didacus de la Fuente Hurtado,*dissertatio.*11.*cap.*1. & P. Joannes de Cardenas,*dissert.*13.*cap.*2.confertCard. deLugo*disp.*6.*sec.*1.*& disp.*10.*sec.*2.Unde fit objectú fidei ex parte rerū creditarum, licet evidéter credibile sit,ita tamen ex modo cognitionis proponi, ut metaphysicè nō repugnet esse falsū : P. Suarez *disp.*4.*de fide sect.*5. *n.*6. Deinde dico,ait (Hanc evidentiam (nempè credibilitatis) etiam non impedire quo minus assensus fidei sit volūtarius,& liber; quia cum in se non sit clarus, nunquam intellectus cogitur ad illum præstandum: deinde quia non obstante judicio evidenti de honestate alicujus objecti potest voluntas non velle, vel etiam nolle illud pro sua libertate: ergò non obstante judicio de credibilitate objecti fidei potest voluntas non movere intellectum ad assensum illius, quæ est libertas quoad exercitium : imò etiam potest movere ad assensum contrarium, seú alterius rei contrariæ.)

8 Tum sic : Quod metaphysicè non repugnat, esse falsum, metaphysicè non repugnat, esse objectum dissensus: quòniam, sicut verum est objectum assensus, falsum est dissensus objectum, ut per se notum est : sed objectum,quod metaphysicè potest terminare assensum, & dissensum est indifferens, seù non determinatum ad veritatem,seú falsitatem; igitur tale objectum

nec

nec potest determinare metaphysicè intellectum, ut illi assentiat, nec ut ipsi dissentiat, ex vi talis objecti, ut sic propositi: constat illatio, quòniam quod in se est in aliqua linea indifferens, nec est electivum aut liberum, utique non potest esse determinativum potentiæ, seù principii in eadem ratione seù linea. At fidei objectum non repugnat metaphysicè esse falsum ex vi rationum seù cognitionum, quibus credibile proponitur, ex notatis *num.* 5. 6. & 7. Ergò non repugnat metaphysicè terminare intellectus nostri dissensum, seù metaphysicè loquendo potest esse dissensus objectum: igitur fidei objectum, ut propositum intellectui, metaphysicè loquendo, utpotè inevidens, & obscurum, licet evidenter credibile, est indifferens ut affirmetur, vel negetur, seù non determinat intellectum metaphysicè, ut illi assensum potius præbeat quam dissensum, ut in prima nostra assumptione continebatur.

9 Adde assentiendi, & dissentiendi potestatem istam non solum ex dictis colligi, esse metaphysicam, verum etiam, & physicam; quòniam physicam assensus, aut dissensus potentiam in intellectu solum inducere potest, aut adimere ratio aliqua, seù assentiēdi, aut dissentiēdi motivū, suppositis principiis physicis ad assensum, & dissēsū necessariis: intellectus quippè solum tendit sub ratione veri: in assēsu, & sub ratione falsi in dissensu, seù potius in utroque sub ratione veri: verum autem ad rationem metaphysicam pertinet: & consequenter ostenso semel, quòd ex vi motivorum fidei possit intellectus metaphysicè dissentiri objecto fidei, conficitur, id physicè posse etiam exerceri: quamvis aliquando ob difficultatem differendi urgentiora motiva, & ob tenuitatem tentationis contrariæ, moraliter possit quodammodo impossibile fieri; id, quod P. Suarez indicat *dicta disp.* 4. *sect.* 5. *num.* 6. Cæterum cum libertatis magna sit vis, & tentationes aliquando sint vehementes, moralis illa impossibilitas evanescit, potestque etiam moraliter voluntas objecto fidei sufficienter proposito dissentire: & ideò Tridentinum Concilium adductum *sect.* 30. *num.* 3. anathematè ferit *Sess.* 6. *Can.* 4. asserentes, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non posse dissentire si velit*: cum *neque tale sit ejusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*, ut confirmiliter decernitur in Senonensi Concilio *decret.* 15. Ex fidei ergò obscuritate, & inevidentia optima consecutione fit immediata quoad speciem voluntatis nostræ libertas ad determinandum intellectum vel ad dissensum, vel ad assensum fidei, præsuppositā Dei gratia.

10 Secunda ratio idem communiens assertum: Actus divinæ fidei est meritorius de condigno, si formatus est charitate, non tantum ab extrinseco, seù quoad exercitium, sed etiam ex proprio objecto, & quoad speciem: igitur, & liber est immediatè, & quoad speciem; antecedens est certum ex illo Genes. cap. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Joannis 20. cap. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Lucæ. cap. 2. *Beata quæ credidisti.* Apostoli ad Hebræos 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, &c. adepti sunt repromissiones*: unde per fidem meruerunt promissa æterna. Item ex 1. *Petri cap.* 1. ubi dicitur: *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum*: ergò salus animæ præmium est nostræ fidei, tum ex consimilibus sacris eloquiis; idque edocent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 2. *art.* 9. & cum Magistro Sententiarum *in* 3. *dist.* 23. Et Eximio nostro Doct. *lib.* 12. *de gratia. cap.* 9. *num.* 8. & *disp.* 6. *de fide. sect.* 7. *num.* 14. fulciturque à Doct. Angelico hac optima ratione: actus nostri sunt meritorii in quantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus, qui subjicitur libero arbitrio,

si

si sit relatus in Deum, potest meritorius esse. Ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati Divinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam: & sic subjacet libero arbitrio inordine ad Deum: unde actus fidei potest esse meritorius, & de condigno si sit ex charitate formatus.

11 Consequentia principalis superior probatur primo, quia si fides libera non est voluntati immediatè, & quoad speciem; non posset esse magis meritoria, quam scientifica, & demonstratâ aliqua conclusio: hoc verò est falsum ex communi Theologorum sensu, quibus præiucet D. Thom. *dict. 2. 2. q. 2. art. 9. ad secundum*, sic docens: *In scientia duo possunt considerari, scilicet ipse assensus scientis ad rem scitam, & consideratio rei scitæ: assensus autem scientiæ non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis: & ideò assensus scientiæ non est meritorius: sed consideratio actualis rei scitæ subjacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare: & ideò consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur ad finem charitatis, ideſt, ad honorem Dei, vel utilitatem proximi: sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, & ideò quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius*: igitur voluntati immediatè, & proximè quoad speciem libera est fides. Sequela, in prima assumptione posita, tantùm probatione indiget, sicque ostenditur: ideò in scientia non est meritorius assensus secundum speciem, quia ad assensum secundum speciem cogitur intellectus ex vi demonstrativæ rationis: sed juxta oppositam sententiam, vi præponderantium fidei motivorum cogitur etiam intellectus ad assensus speciem: igitur sicut in scientia assensus non est meritorius quoad speciem, ita nec in fide erit quoad speciem meritorius assensus.

12 Dices: in scientia cogi intellectum ad exercitium ipsius assensus scientifici, semel cognitis præmissis, & ipsis assensu præstito: cæterum in fide aliter evenire, quòniam manet semper indifferens intellectus ad exercitium assensus, vel ad ipsius omissionem, etiam post assensum præstitum fidei motivis, & ideò indiget intellectus nova voluntatis determinatione, ut actum fidei eliciat: verum enim verò hæc solutio vim nostræ rationis haud infringit. Primò quia ea libertas, quæ ab Adversariis conceditur, sistit in exercitio fidei, nec ad fidei speciem pertinet, ut ex ipsis terminis inclarescit: ergò juxta Adversariorum sententiam fides solum quoad exercitium est libera, sicut & scientia libera est, quidquid sit an aliquid exercitii fidei pendeat magis à libertate, quàm exercitium scientiæ.

13 Secundò si ex fidei credibilitate, ejusque motivis cogitur intellectus, ne dissentiat fidei objecto, poterit deduci, quod sicut assensus conclusionis scientificæ non est liber, seù suspendi non potest, semel assensu præmissis præstito, ita nec fidei assensus suspendi poterit, assensu præstito motivis, quibus fidei nititur credibilitas. Assumptum ostenditur, quòniam intellectus est potentia necessaria: potentia autem necessaria positis omnibus requisitis ad operandum, operatur necessariò, necessitate simpliciter tali, ut videre est in potentia nutritiva, visiva, & auditiva, quæ cohiberi nullatenùs possunt imperio libero voluntatis, positis aliis requisitis: ergò posita necessitate quoad speciem in intellectu ex fidei motivis, exercitium fidei erit necessarium simpliciter: intellectus quippè iis instructus motivis, sic ex hypothesi eum quoad speciem determinantibus, habet omnia requisita ad exercitium assensus. Unum autem ex requisitis ad operandum esse imperium voluntatis, nullo fundamento dici videtur, in Adversariorum sententia, vel simili ratiocinio uti liceret circa alias potentias nuper recensitas, ac necessarias.

Ter-

14 Tertiò fulcitur hæc illatio, quòniam si fidei mysteria, sic quoad speciem determinant intellectum: assensus iisdem motivis formaliter præstitus erit virtualis assensus fidei: ut in præmissis demonstrativis patet, quibus formalis præstitus assensus est virtualis assensus conclusionis, nec alius esse queit conceptus motivi determinantis ad speciem actus: igitur quemadmodum in scientifica conclusione assensus præmissarum determinat ad assensum hujusce conclusionis simpliciter, & quoad exercitium, ita & motiva fidei ex hypothesi quod intellectum determinent quoad speciem, determinabunt etiam quoad exercitium, & consequenter non magis erit libera fides nostra, quam libera sit conclusio geometrica demonstrata, quod admitti non debet.

15 Et quidem præcipuum fundamentum communis sententiæ ajentis ex assensu præmissarum necessitari intellectum ad conclusionis assensum, etiam quoad exercitium, consistit in ratione prælibata, nimirum, quod intellectus cum potentia formaliter libera non sit, posito objecto determinato, & sublato impedimento, necessario operabitur, quam rationem optimè expendit, & illustrat Conimbricense Nostrum Collegium in suis Comment. *in cap.* 1. *de Præcognitis. quæst.* 4. *art.* 4. *secunda conclusione.*

16 Cæterum si vera sit sententia asserens, etiam assensu præstito præmissis demonstrativis, non determinari intellectum quoad exercitium conclusionis, vel assensus illius, quam edocent P. Rubio 1. *Poster. cap.* 1. *quæst.* 8. Franciscus Alphonsus, *de Anima, disp.* 14. *sect.* 6. Quiros, *disp.* 32. *sect.* 2. Richardus Lynce, *lib.* 7. *met. tract.* 4. *cap.* 8. Tellez, *part.* 1. *Logicæ, disp.* 17. *sect.* 5. Rhodes *lib.* 1. *disp.* 4. *sect.* 4. Prado, *lib.* 3. *q.* 3. §. 4. Blasco *lib.* 7. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 1. §. 3. Sanctacruzanus *part.* 3. *Log. disp.* 9. *q.* 1. *sect.* 7. D. Jacobus Servera præcellenti suo acumine, sapientia, eruditione omnigena, ac pietate Valentinam Academiam, & Metropolitanam Ecclesiam mirificè exornans, *Logicæ disp.* 21. *cap.* 4. *num.* 18. Si inquam vera sit, hæc sententia, ut in logicis meis disp. ratus sum, ulterius ostenditur, eandem asseri fidei libertatem ab Authoribus, quos oppugnamus, quam quæ in conclusione demonstrata reperitur, quod ab omnibus negatur, & præcipuè à Doct. Angelico pluribus in locis, & dilucidè in proximè transcriptis verbis ex 2. 2. *q.* 2. *art.* 9. *à* 2. ubi plus libertatis, ac meriti fidei tribuit, quàm scientiæ.

17 Hoc igitur dilemate, rationis istius efficacitas continetur, & inclarescit: vel ex assensu præmissarum determinatur intellectus ad exercitium assensus conclusionis demonstratæ, vel secus: si primum est verum: eadem præcipua ratione conficitur, quòd assentiens motivis credibilitatis fidei, si quoad speciem determinatus est ad fidei assensum, determinatus quoque erit quoad ejusdem assensus exercitium, ut ex *num.* 13. 14. & 15. liquidum fit: quapropter in hac hypothesi non major erit fidei libertas, quam demonstratæ conclusionis. Si secundum asseratur, ex æquo ostenditur assumptum, solum quippè ab Adversariis in fide libertas quoad exercitium conceditur, quæ in conclusione demonstrata reperitur, ut in num. præcedenti patet.

18 Nec difficultatem superabis dicendo, in fide manere libertatem quoad speciem, non directam, & immediatam, sed mediatam, & indirectam; quòniam posito libero exercitio assensus, vel omissionis illius, potest voluntas convertere intellectus considerationem ad alia, & sic sensim ad intensam motivorum hæresis considerationem, adeò vividam, ut motivorum fidei vel obliviscatur, vel remissè memorsit, unde expeditus fit jam intellectus ad hæresim, seù infidelitatem amplectendam;

quia

quia voluntas poteſt divertere intellectum à motivis fidei, ut cogitet ſolum de oppoſito, & ex novo ſtudio poteſt intellectus acquirere credibilitatem de eo, quod ſibi anteà minus credibile videbatur, & amittere credibilitatem fidei, quæ antea ſibi videbatur magis credibilis: imò (ait Julius Mercorus 2. *part. art. 6. pag. mihi* 195.) *hæc unica eſt via, qua damnabiliter amittunt fidem, qui ſemel eam ſuſceperunt*: ſubſcribuntque docti Recentiores, præſertim P. Camargo, *Regul. honeſt. moralis p.* 1 *lib.* 1 *cõtrov.* 5. *ar.* 12. §. 3.

19 Cæterum, ut ajebam, haud ex eo vis noſtri argumenti infringitur; primò, quia in ſuadam ſuam nemo inducere poterit, quod, urgente tentatione contra fidem in mente Catholici, opus ſit novo ſtudio, ut acquirat hæreſis credibilitatem, & tentationi ſuccumbat: experientia enim oppoſitum apertè teſtatur. Secundo: id indirectę motionis, & applicationis intellectus, fieri poteſt verſus objectum contrarium rei demonſtrabili, & per evidentes præmiſſas virtualiter cognitæ: dum enim inquiritur, utrum poſitis aſſenſibus præmiſſarum poſsit voluntas impedire aſſenſum concluſionis? Ut certum ſupponitur id indirectè fieri poſſe, cujus ſuppoſitionis aſſertores ſunt vel ipſi Authores, qui eã directã voluntatis poteſtatem diffitentur, ut noſtrũ Conimbric. Collegium *in cap.* 1 *de Præcogni. quæſt.* 4. *art.* 4. §. *Secunda concluſio*, ubi ſic habet: *Poſitis præmiſſarum aſſenſibus, ita neceſsitatur intellectus ad aſſenſum concluſionis, quoad exercitium, ut directò non poſsit impediri à voluntate, Dixi, directò, quòniam indirectè divertendo intellectum, vel nimium affigendo alteri cognitioni, non eſt dubium, quin impedire poſsit voluntas aſſenſum concluſionis.* Illuſtriſsimus Echalaz Calagurritanus Epiſcopus. *Logic. tract.* 7. *diſp.* 37. *cap.* 3. *n.* 34. Raphael Averſa. *Log. quæſt.* 25. *ſect.* 3. & noviſsimè Sapientiſsimus P. Mag. Petrus Manſo, cujus ingenii, animique præclaras dotes colere, par eſt, *lib.* 7. & 8. *Logicæ. quæſt.* 3. *num.* 20. & alii frequenter, eſtque perſpicuum; nam ſicut elicita concluſione, poteſt voluntas intellectum ab illius conſideratione avertere, & convertere ad alia, ſimiliter poterit elicita minori, ſeù aſſumptione ſecunda, ſtatim intellectum ad diverſa contemplanda determinare.

20 Tum ſic: ex indirecta hac poteſtate impediendi aſſenſum concluſionis ſcientificæ fit, ut intellectus à voluntate eò adduci poſsit, ut incumbendo ſtudio fundamentorum, licet fallacium, quibus vera apparet propoſitio contraria, aut contradictoria ejus, quę ſcientificè demonſtrari poteſt, amittat evidentes illas cognitiones, quibus anteà ad præfatam concluſionem inducebatur, & ſenſim oppoſitæ aſſertioni præſtet aſſenſum, ex imperio ipſius voluntatis: igitur ex libertate quoad ſpeciem mediata, & indirecta, quam fidei aſſentiuntur hi Auctores, nihil majoris libertatis fidei concedunt, quàm demonſtratæ concluſioni: conſequentia liquet, ſubſumpta verò facilè probatur, nam ad plures ſcientificas concluſiones, præſertim geometricas, non poteſt perveniri niſi ex cognitione, memorique mente plurimarum aſſertionum, quæ non ſunt per ſe notæ, ſed captu difficiles, idemque in aliis ſcientiis cernere eſt: igitur avertendo intellectum à cognitione, & ſpeculatione eorum antecedentium theorematum, & affigendo illum oppoſitis, diverſiſque objectis, poteſt tandem à voluntate in aſſenſum erroneum induci intellectus.

21 Cõfirmatur 1. nã ſicut evidẽs ſupponitur veritas præmiſſarũ demõſtrativarũ, necnõ illationis bonitas, ſic ſupponitur evidẽs nõ quidẽ veritas myſteriorũ fidei, ſed eorũ credibilitas, non ſolum evidentia morali, ſed rigoroſa, & phyſica juxta ſentẽtiã Theologorũ communem, præcipuè Doct. Ang. 2. 2. *q.* 1. *ar.* 4. *ad* 2. & ibidẽ Cajet. Mag. Lorca 2. 2. *diſ.* 16. Bañez, *dict. ar.* 4. *dub.* 3. & 4. Aragonii ibidẽ

P.Valentia *diſp.*16. *quæſt.* 1.*punc.* 4.§.3. Exim.Doct.*diſp.*4.*de fide ſect.*3. P.Luiſii Turrian *diſput.* 7. *dub.* 1. P.Hurtadi de Mendoza *diſp.* 22. *de fide.ſect.*1. & aliorum:ſed juxta adverſarios evidens myſteriorum fidei credibilitas, ex voluntatis imperio,quoad exercitium, & applicando intellectum ad alia,poteſt offundi tenebris ignorantiæ, & amitti, ita ut in errorem contrarium prælibatæ evidenti credibilitati intellectus prolabatur,& exiſtimet, nec evidenter, nec ſufficienter eſſe credibilia fidei objecta:ergò eâdem ratione adiguntur fateri, quod ex indirecta voluntatis poteſtate quoad exercitium aſſenſus ſcientifici, poteſt intellectus ab eàdem voluntate in contrarium, & contradictorium aſſenſum induci, amiſſa videlicet præmiſſarum evidentia: fides ergò, & ſcientia juxta hos Authores ex æquo ſunt libertatis participes, quod falſum eſt, & vel ipſi admittere renuunt.

22 Confirmatur ſecundò: experientia diſcimus,in ſyllogiſmis rectè diſpoſitis indirectè tamen concludentibus,conceſsis præmiſsis,conſequentiam negari non ſemel;ideòque opus eſſe, uti ſyllogiſmorum reductione, & reſpondentem ad impoſsibile deducere; id quod evenit,quòniam illationis rectitudo in priori ſyllogiſmo indirecto non erat ſatis evidens: igitur in objectis demonſtrabilibus, ex imperio voluntatis, ejuſque intellectus applicatione ad alia, fieri poteſt indirectè, & mediatè, ut intellectus aſſenſum prębeat objecto contradictoria involventi, & chymerico, donec evidens fiat hæc contradictio: quamobrem indirecta, & mediata fidei libertas ab Adverſariis aſſerta haud ſufficit, ad diſcernendam fidem à ſcientia, quoad libertatem,& meritum, ſed opus erit fateri, fidem quoad ſpeciem eſſe immediatè,& proximè liberam.

23 Tertia ratio, princeps aſſertum probans:fides procedit ex libera electione voluntatis præeligentis non ſolum exercitium fidei præ omiſsione illius, ſed præ infidelitate, & ſectis contrariis: igitur fides eſt quoad ſpeciem immediatè libera.Conſequentia eſt bona,quòniam evidens eſt, electionem eſſe non poſſe cum neceſsitate, & determinatione antecedenti ad unum, & abſque indifferentia ad extrema oppoſita,inter quæ fit electio:antecedens autem in Sacris Literis perſpicuum reor, præſertim Joſue 24. *cap.v.*15.ubi Joſue ſic ad populum locutus eſt : *Sin autem malum vobis videtur ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite hodiè quod placet, cui ſervire potiſsimum debeatis, utrum Diis, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia, an Diis Amorrhæorum, in quorũ terra habitatis.*Ubi libertas colẽdi Deũ continetur apertè per electionem homini datã,& renũtiatã Hebræis inter cultũ veri Dei,& Idoli,hoc eſt,per electionẽ quoad ſpeciem cultus veri Numinis, vel Idolorum, quæ quidem electio non ſtudio populi gerenda aſſeritur,ſed libera voluntatis determinatione, ſeù optione, ſicque divinitus loquebatur Joſue, ut electionem cultus veri Dei, quam intendebat ſuadere, quaſi propriẹ voluntatis fœtum propenſius Iſraelitæ amarent, retinerentque conſtantius;& propterea iterum eos conteſtatur Joſue *eod.cap. v.* 22.*Teſtes (inquit) vos eſtis quia ipſi elegeritis vobis Dominum,ut ſerviatis ei. Reſponderuntque: Teſtes.* Expendereque oportet emphaſim illorũ verborũ; *quia ipſi elegeritis*,quibus eis proponit, ipſoſmet, ſponte ſua, ſuppoſito Dei auxilio, cauſã fuiſſe electionis,& determinationis ad veri Numinis cultũ,potius quã ad cultũ Idolorũ:igitur aſſẽſus fidei,& debiti cultusDei eligi poteſt à volũtate libera proximè,& immediatè nõ ſolũ quoad exercitiũ;ſed etiam quoad ſpeciẽ:& quidẽ ſi cultus Dei præ idololatria liber quãdoque eſt volũtati immediatè quoad ſpeciem, quòniam licet veri uniuſque Dei exiſtentia ſit demonſtrabilis, tamen vel non omnes

na-

naturalem iſtam capiunt demonſtrationem, ut exiſtimant P. Molina 1. *part. q. 2. art. 1. §. Ex dictis.* Zumel *ibidem concluſ.* 3. Trigoſ. *art. 2. dubio* 1. *ad* 4. Medina 1. 2. *quæſt.* 89. *art.* 6. P. Arriaga 1. *parte diſp.* 2. *ſect.* 3. P. Quirós *diſp.* 13. *ſect.* 7. P. Izquierdo, *de Deo uno, tract.* 1. *diſput.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 165. vel culpabiliter illam oſtenſionem ignorant, ideòque ſuppoſita illius non aſſecutione, ſub electione voluntatis cadere poteſt veri Numinis ſalutaris cultus, Dei gratia, & illuſtratione ſuperna auxiliante; potiori ratione aſſenſus fidei aliis divinis myſteriis, omninò indemonſtrabilibus, præſtandus, ſub libera quoad ſpeciem, & immediata voluntatis electione cadet, præſuppoſito etiam Dei auxilio.

24 In eundem ſcopum collineat celebris illa conteſtatio Moyſi *Deuteron.* 30. *v.* 19. *Teſtes invoco hodie Cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergò vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum.* Porrò vita, & mors, de quibus Moyſes verba facit, ut ex eodem *cap. v.* 16. & 17. patet, ſunt nempè *vita*, veri Dei cultus, *mors* autem alienorum Deorum adoratio: ergò libertas verſari poteſt immediatè, & proximè inter veri Dei cultum, & poſitivam infidelitatem; ideòque D. Cyprianus *lib.* 3. *ad Quirinum cap.* 52. hoc teſtimonio probat, *credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam eſſe.* Conſimiliter D. Hilarius illa verba *Pſalm.* 118. *Quòniam mandata tua elegi*, ſic expendit: *Aliis gloriam ſæculi eligentibus, aliis venerationem elementorum, ac dæmonum Capeſſentibus. Sanctus iſte mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali neceſſitate, ſed voluntate pietatis. Quia unicuique ad id quod volet, via eſt propoſita vivendi, & appetendi, atque agendi permiſſa libertas, & ob id aut pœna, aut præmio uniuſcujuſque afficietur electio.* Longumque nimis eſſet omnia perſequi, quæ hoc argumentum communire queunt. Quarta ratio ſit quæ ab experientia inſtituitur à P. Jacobo Granado 2. 2. *controverſia prima de fide, tract.* 9. *diſp.* 2. *n.* 5. *Experientia* (inquit) *ſatis declarat manifeſtè, nulla neceſſitate cogi noſtrum intellectum, ut credat, ſed poſſe diſſentire poſt propoſita quæcumque motiva*: En juxta hunc Auctorem experientia noſtram declarat doctrinam, idque manifeſtè, igitur omni ex parte vera, & ſtabilita manet immediata, & quoad ſpeciem fidei libertas.

SECTIO TRIGESSIMA OCTAVA.

Ex Jure Canonico, D. Hieronymo, Auguſtino, & Doct. Angel. oſtendit, pertinaciam eſſe de ratione hæreſis, & viam parat probationi alteri immediatæ fidei, & hæreſis libertati.

1 PRimo ſtatuendum eſt, pertinaciam eſſe de ratione hæreſis. In hoc fundamento nihil hæſitationis adeſt; ſtabilitur quippè in *cap. Dixit.* 24. *q.* 3. ibi: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Et in *cap. Qui in Eccleſia. ead. cauſ. & quæſt.* ibi: *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, pravumque ſapiunt, ſi correpti, ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt*; *hæretici fiant.* Tum in *cap. Schiſma.* 24. *quæſt.* 1. Ubi ex Sum. Pontifice Pelagio ſic habetur: *Si enim etiam ipſi, licèt in ſuo ſenſu abundantes, intra materna tamè poſiti viſcera quæreret veritatè, à nobis repellendi nō erant, donec apud eos ratione duce rei veritas claruiſſet.* Ubi cōſonat text. *in cap. Hæc eſt fides.* 24. *q.* 1. ubi D. Hieronym. ad Damaſū Pontificē in expoſitione ſymboli ſcribens, cū ſuā fidē Pontifici ſubjeciſſet, eo ipſo putat, quod licet errare cōtingeret, nō poſſet hæreticus appellari.

2 Idem reperitur ſancitum in *cap. Damnamus. de Summ. Trinit.* in quo Summus Pontifex Innocentius Tertius in Concil. generali Lateran. Eos qui contra fidem ſentiunt per verbum *Præſumpſerit*, quod pertinaciam ſignificat, ut hæreticos damnat; inſuper Abbatem Joachimum ab hæreſi excuſat, quia non cum pertinacia erravit, ſed potius ſcripta ſua judicio Eccleſiæ corrigenda aſſignavit, & ſubmiſit. Et ſimile judicium Concil. Rhemenſis, & Eugenii Papæ in quadam cauſa, & errore Guillelmi Pictavienſis Epiſcopi, refert D. Bernard. *Serm.* 80. *in Cantic.* fulciturque dilucidè in *Clementina unica*, §. *Porrò de Sum. Trinit.* ibi: *Quiſque defendere, ſeù tenere pertinaciter præſumpſerit*, & *in Extravag. Joann. XXII. Cum inter. de verb. ſign.* ubi To *Pertinaciter*, repetitur. & in *Clementina unica. de uſuris.* §. *ultimo*, ibi: *Pertinaciter affirmare*, & in *cap. unico, de Sum. Trinit. in* 6. ibi: *Temerario auſu præſumpſerit.*

3 Præcipuè verò docuit hanc veritatem D. Auguſtinus *Epiſt.* 162. & *lib.* 4. *de Baptiſmo contra Donatis. cap.* 16. & *lib.* 18. *de Civit. Dei. cap.* 51. & ibi Leonard. Coquæus *in Commentario ejuſdem capitis.* Eandem conſignant doctrinam Doct. Angelic. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. & *prim. part. quæſt.* 32. *art.* 4. & 1. *ad Corinth. cap.* 11. *lec.* 4. & *ad Titum. cap.* 3. *lec.* 3. Alex. Alen. 2. *part. q.* 161. *membro primo* eſtque communis receptaque Theologorum ſententia cum D. Thom. 2. 2. *q.* 11. & cum Mag. Sent. *in* 4. *diſt.* 13. & Canoniſtarum in *cap. Firmiter. de Sum. Trinit.* & in aliis juribus prælegatis.

4 Igitur pertinaciæ conceptum oportet nunc enodare, idque juxta Theologicam conſiderationem primùm, deinde juxta Canoniſtarum mentem præſtare conabimur: exordior autem à Philoſophi doctrina *lib.* 7. *Ethicorum*, juxta Doct. Angel. elucidationem, dicto enim *lib. cap.* 9. diſſerit Ariſtoteles de his, qui rationi alicui, aut opinioni vituperabiliter immanent, & ait: *Sunt autem quidam immanſivi opinioni. Sunt autem quos vocant ischyrognomas, puta difficilè perſuaſibiles, & non facilè tranſuaſibiles.* Sic habet antiqua translatio, cæterum Joannes Argiropolus, quem proſequitur etiam D. Thomas, dilucidius in hunc modum tranſtulit: *Sunt autem quidam in opinione perſiſtentes, quos pertinaces appellant. Hi non niſi cum difficultate dimoveri à ſua ſententia poſſunt:* & interjectis quibuſdam circa eundem ſcopum pergit Philoſophus: *Sunt autem ischyrognomones, & idiognomones, & indiſciplinati, & agreſtes:* & juxta Argiropolum: *Sunt autem ii pertinaces, qui ſuæ ſunt ſententiæ, & qui ſunt indocti, ac ruſtici, & hi quidem* (lectio antiqua) *idiognomones propter delectationem, & triſtitiam*: Argiropolus: *Atque ſuæ ſententiæ homines ob voluptatem atque dolorem ſunt pertinaces.*

5 Hujuſce Ariſtotelicæ doctrinæ Angelica D. Thomæ elucidatio ita habet *lect.* 9. *lit. C. Sunt quidam nimis immanentes propriæ opinioni. Et hi ſunt illi, quos homines vocant ischyrognomonas, id eſt, fortis ſententiæ, ſivè pertinaces, quia ſcilicet difficile eſt, perſuadere eis aliquid. Et ſi fuerit aliquid perſuaſum, non de facili trasmutantur ab illa ſuaſione.* Ac deinceps *lit. E. Hic autem, ſcilicet pertinax non mutatur à ſua opinione propter aliquam rationem inductam, ſed recipit concupiſcentias. Et multi eorum ducuntur à delectationibus extra rationem. Sic ergò vituperabiles ſunt, quia cum non permittant ſe vinci ratione, vincuntur tamen à paſſione.* Unde conficitur, quod ad pertinaciam duo præcipuè requiruntur, primum eſt rationis, vel auctoritatis oſtenſio, quæ contrarium efficiat prudenter incredibile, & inopinabile: pertinax quippè recipit concupiſcentias, ac reprehenſibilis eſt: ſecundum eſt voluntas non ſubdendi judicium prædictæ rationi, & auctoritati; voluntatis enim liberæ eſt, non per-

permittere ut ratione ducatur intellectus, ſed tantum paſsione: utrumque ex Ariſtotele, & D. Thoma conſpicuum fit, & fulcitur ex traditis ab eodem Angelico Doctore 2.2.*q.*138.*art.*2.*corp.* & per totum ferè articulum in quo oſtendit, quomodo pertinacia opponatur perſeverantiæ.

6 Quoad hæreſim autem attinet idem docuit D. Thom. 1. *part. quæſt.*32.*art.*4.*corpore, ſed ſiquis* (inquit) *falſum opinaretur circa notiones conſiderans, quod ex hoc ſequatur aliquid contrarium fidei, in hæreſim laberetur.* Et 2. 2. *quæſt.*11. *art.* 2. *in Argum. Sed contra,* (à quo non recedit D. Thomas) ex Divo Auguſtino *lib.* 18. *de Civit. Dei.cap.*51. *circa princip. contra Manichæos*, hæc habet: *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, pravum ve quid ſapiunt, ſi correcti ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt.* Tum *ad* 3.*dicendum* (ait) *Quod ſicut Auguſtinus dicit* (nempè *epiſt.* 162. *in princip.*) & habetur in decreto 24.*quæſt.*3.*cap. Dixit Apoſtol. Si qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem tota ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi: quia ſcilicet non habent electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ. Sic ergò aliqui Doctores videntur diſſenſiſſe, vel circa ea, quorum nihil intereſt ad fidem, utrum ſic vel aliter teneantur, vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Eccleſiam determinata. Poſtquam autem eſſent authoritate univerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret hæreticus cenſeretur.*

7 Porrò in his D. Thomæ locis cernere eſt, pertinaciam, hereſim, ſeù hæreticum conſtituentem, includere cognitionem ſufficientem doctrinæ ab Eccleſia definitæ, & liberam voluntatem diſſentiendi determinationi Eccleſiæ: primum patet ex illis verbis: *Si quis falſum opinatur ... Conſiderans quod ex hoc ſequatur aliquid contrarium fidei, in hæreſim laberetur*; quòniam ille conſiderat aliquid contrarium eſſe fidei, qui cognoſcit id ipſum contrarium eſſe Eccleſiæ doctrinæ, & determinationi: congruit illud D. Thomæ, & D. Auguſtini: *Si correcti, ut ſanum, rectumque ſapiant*, ac ferè ex ſingulis excerptis Doctoris Angelici verbis id ipſum communitur.

8 Secundum contumaciæ, ſeù pertinaciæ conſtitutivum, nempè reſiſtendi Eccleſiæ doctrinæ libera voluntas, liquet ex hiſce verbis: *Si correcti... peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt: ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt.* Tum quia ut ex D. Auguſtino D. Thomas edocet, *corrigi parati*, cum veritatem invenerint, *non ſunt inter hæreticos deputandi: quia ſcilicet non habent electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ*: electio autem actus eſt liber voluntatis noſtræ: unde ex his verbis iterum conficitur, ad hæreſis pertinaciam opus eſſe duplici illo requiſito, ſeù conſtitutivo, nimirum, & cognitione ſufficienti doctrinæ, ſeù determinationis Eccleſiæ, ſine qua cognitione nemo eligere poteſt contradicere Eccleſiæ doctrinæ, ut à D. Thoma requiritur ad rationem pertinaciæ in hæreſi, & inſuper fit, opus eſſe electione, ſeù voluntate libera ſic reſiſtendi Eccleſiæ; tum quia ea ſuppoſita cognitione doctrinæ univerſalis Eccleſiæ, poteſt proximè, & immediatè voluntas imperare aſſenſum fidei conſonum, adeòque ſi contrarium quis defendere tunc perſiſtat, liberè proximè id vult, & efficit.

9 Tum quia electio eſt actus potentiæ rationalis, quæ ſe habet ad oppoſita ſecundum Philoſophum 9. *Metaph. tex.*3. & D. Thom. 1.2.*q.*13.*art.*6. quapropter adeſſe debet ſufficiens cognitio extremorum, circa quæ electio verſatur, necnon potentia proximè ex-

pedita prosequendi quodlibet eorum: præfata autem extrema in re præsenti juxta Doctorem Angelicum, sunt ex parte hæresis dogmata prava, ex parte vero fidei, Ecclesiæ doctrina: hæretica igitur pertinacia constituitur ex sufficienti doctrinæ Ecclesiæ cognitione, & ex voluntate libera resistendi eidem doctrinæ.

10 Id quod illustratur ab eodem Angelico Doct. 1. *ad Corinth. cap.* 11. *lect.* 4. ad illa verba, *Nam oportet, & hæreses esse.* Ubi, *Primò quidem* (inquit) *quod de ratione hæresis est, quod aliquis privatam disciplinam sequatur, quasi per electionem propriam, non autem disciplinam publicam, quæ divinitus traditur. Secundò, quod huic disciplinæ aliquis pertinaciter inhæreat. Nam electio firmam importat inhæsionem: & ideò hæreticus dicitur, qui spernens disciplinam fidei, quæ divinitus traditur, pertinaciter proprium errorem sectatur. Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directè, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur: unde error circa hos secundum se facit hærecicum, si pertinacia adsit. Non possunt autem à tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipuè quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, & quæ communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, Nativitatis Christi, & alia hujusmodi. Quædam verò indirectè pertinent ad fidei disciplinam, in quantum scilicet ipsa non proponuntur, ut propter se credenda, sed ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei: sicut si negetur Isaac fuisse filius Abrahæ, sequitur aliquid contrarium fidei, scilicet Sacram Scripturam continere aliquid falsum. Ex talibus autem non judicatur aliquis hæreticus, nisi adeò pertinaciter perseveret, quòd ab errore non recedat, etiam viso, quid ex hoc sequatur. Sic ergò pertinacia, qua aliquis contemnit, in his, quæ sunt fidei directè, vel indirectè subire judicium Ecclesiæ, facit hominem hæreticum: talis autem pertinacia procedit ex radice superbiæ, qua aliquis præfert sensum suum toti Ecclesiæ. Unde Apostolus dixit* 1. *ad Timoth.* 6. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Nostri Jesu-Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum.* Hactenus D. Thomas loco citato, mirificè quantum desiderari potest, assumptum declarans, & comprobans.

11 Cæterum prætermittenda non duxi pulchra alia ejusdem Angelici Doctoris verba in expositione *Epist. ad Titum, cap.* 3. *lec.* 2. ad illud Apostoli, *Hæreticum hominem.* Ubi notandum est (inquit) *quid faciat esse hæreticum, & accipienda est prima ratio hujus nominis hæreticus. Non enim dicitur à divisione, sed ab electione, ut dicit Hieronymus. In græco enim, hæresis, dicitur electio. Unde hæreticus, id est electivus, quasi pertinaciter adhærens sectæ alicujus, quam elegit. Unde sciendum est, quod omnis hæreticus est errans, & non è converso, propter duo. Primò ex parte materiæ circa quam errant, puta, si non est circa finem vitæ humanæ, vel circa id, quod ad fidem pertinet, & bonos mores. Talis enim sic errans, non est hæreticus. Si verò erraret, circa ea, quæ sunt ad finem vitæ humanæ, semper est hæreticus. Et dico finem vitæ humanæ, quia apud antiquos erant sectæ, ponentes diversum finem, ut patet de Stoycis, & Epicureis. Vel circa fidem. Et sic, si aliquis diceret Deum non esse trinum, & unum, & fornicationem non esse peccatum, est hæreticus. Secundò ex parte electionis, quia eligens, si non est pertinax, sed est paratus corrigi secundum Ecclesiæ determinationem, & sic non est ex malitia, sed ex ignorantia, non est hæreticus. Hunc ergò devita propter periculum.* 2. *Tim.* 2. Hucusque D. Thomæ aurea verba.

12 Quibus consimilia sunt tradita ab eodem *in* 4. *sent. dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 1. *corpore*, & apprimè ex illis nostra stabilitur assertio, nempè hæreticam pertinaciam includere ex parte intellectus sufficientem fidei, vel determinatio-

nis

nis Ecclesiæ cognitionem, ex parte vero voluntatis liberam proximè, & immediatè electionem assensus erronei. *Ideò enim* (ait D. Thom. *in* 1. *ad Corinth.*) *hæreticus dicitur, qui spernens disciplinam fidei, quæ divinitus traditur, pertinaciter proprium errorem sectatur.* Et infrà: *Sic igitur pertinacia, qua aliquis contemnit in his, quæ sunt fidei directè, vel indirectè subire judicium Ecclesiæ, facit hominem hæreticum*; Et cum reliqua in eundem collineent scopum *in Epist. ad Titum*, sic tandem concludit, *quia eligens si non est pertinax, sed est paratus corrigi secundum Ecclesiæ determinationem, & sic non est ex malitia, sed ex ignorantia, non est hæreticus.*

13 At quia D. Thomas suam communit doctrinam, Sanctorum Hieronymi, & Augustini eximia auctoritate, operę pretium erit tantorum Patrum verba, & sententiam seorsum perpendere, & adnotare. Igitur Maximus Ecclesiæ Doctor *in Commentariis in Epist. ad Titum. cap.* 3. ad illa verba, *Hæreticum hominem post unam, &c.* inter alia hæc habet: *Hęresis grecè ab electione dicitur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat, quod ei melius esse videatur.* In idque interjectis nonnullis, pergit D. Hieronymus: *Hæreticum igitur hominem post unam correptionẽ, sivè ut in greco melius habetur noitheſiã, devita, noitheſia autem commonitionem magis, & doctrinam, absque increpatione, significat. Legitur in latinis codicibus* (quod verum quoque Papa Athanasius approbat) *post unam, & alteram correptionem, quod scilicet non sufficiat tantum eum semel corripi, vel commoneri, qui aliquo sit depravatus errore, sed & secunda sit ei adhibenda doctrina: ut in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum.* Et post pauca, quæ etiam conferunt, specialiter subdit S. Doctor: *Hęretici autem in semetipsos sententiam fuerunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes: quę recessio, proprię conscientię videtur esse damnatio.*

14 Porrò hic Doctor Maximus nos edocet primo, hæresim esse electionem, utique liberam, doctrinæ alicujus, non propter præponderantia motiva, quæ intellectum ad speciem assensus illius deter minent, sed quòniam melior propter voluptatem voluntati proponitur, utpote vitijs irretitæ; vitia quippè, & passiones exorbitantis voluntatis magnopere impediunt assensum fidei, aut ad jam etiam datum revocandum alliciunt, & illecebrosè trahunt. Id non modo Christus Dominus de quorumdam auditorum suorum ambitione affirmat, Joann. *cap.* 5. *v.* 44. ibi: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam quę à solo Deo est non queritis?* Et D. Lucas *c.* 16. *v.* 14. de aliorum avaritia, qua fiebat, ut quæ dicerentur à Christo Domino irriderent, ibi: *Audiebant autem omnia hęc Pharisęi, qui erant avari: & deridebant illum.* Verum etiam Paulus de hac item nimia habendi cupiditate idem asserit, 1. *ad Timoth.* 6. *v.* 14. & Nyssenus *oration.* 3. *de Resurec.* ait: *Conscios turpissimarum actionum odio judicij divini resurrectionem fugituliſſe.* Et August. *lib.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 18. idem asserit de quibusdam æternitatem pœnarum inferni agnoscere detrectantibus, Ambrosius quoque *lib.* 1. *de Pœnitent. cap.* 15. testis est, *Novatianum dolore amissi Episcopatus, ab Ecclesia recessisse.* Et Chrysosth. *homil.* 7. *in Joann.* scribit, *amore fœminę Paulum Samosatenum apostatasse à fide.* Id ipsum adnotat P. Joannes Lorinus *in Acta Apostolorum, cap.* 6. *v.* 7. *fine.* Unde hæreticus eligit quod sibi videtur melius, non utique inspectis motivis in ipsius intellectu præponderantibus, sed causa vitii, quo præcipuè percitus est: seù quod voluptati, & cupiditati magis indulget.

15 Secundo edocet D. Hieronymus, hæreticum quempiam constitui, recedendo à veritate, ab Ecclesia proposita, & cognita sufficienter ab ipso, unde non tantum correptionem ei adhibendam esse, inquit, verum, & illi pro-

proponendam Ecclesiæ doctrinam; eaque prælucente cognitione, ex libero arbitrio seú voluntate recedendi à fide Ecclesiæ, hæreseos perfici contumaciam: unde inquit, quod hæretici *in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes; quę recessio propriæ conscientię videtur esse damnatio.*

16 Ad D. Augustini mentem expendendam nunc gradum facio; cæterum quia præstantissimi hujusce Doctoris in hoc puncto sententia Sacrorum Canonum authoritate pollet, seù ipsi Sacri Canones Magni Augustini doctrina communiuntur, ideò quemdam tantum in præsentia locum proponam, cætera autem ejus eloquia, in alia sectione attentè lustrabimus, libro igitur, 18. *de Civit. Dei, cap.* 51. sic habet: *Qui ergò in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prævumque sapiunt, si correpti ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter: suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Ubi ex verbis *si correpti*, patet, ad hæresim requiri de sana doctrina, & ab Ecclesia edocta *noytesian*, aut notitiam sufficientem: dum verò S. Doctor insuper ait, *emendare nollunt*, perspicuè supponit, & docet, liberam voluntatem quoad speciem, & immediatam, constituere hæresim.

SECTIO TRIGESSIMA NONA.

Theologorum suffragiis, & ratione idem pertinaciæ conceptus, & hæreseos immediata libertas probatur.

1 EUndem pertinaciæ conceptum ex Theologis edocent, & illustrant Cajetanus *in* 2.2. *quæst.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Bañes *ead. quæst. in Commentar. ferè per totum*, sed præcipuè initio illius, ubi ad hæresim inquit, oportere errorem esse pertinacem, & Catholicæ fidei manifestè contrarium: tum *vers. Secundo sequitur*, & *vers. Sed quæret quis. colum.* 637. Aragonius *ead. quæst. art.* 1. *in ejus explicatione, pagina mihi* 327. *vers. Secunda conclusio.* Ubi inquit, quod pertinacia, de qua in præsenti, propriè loquendo est voluntarius consensus in eo, quod apertè cognoscitur esse contrarium doctrinæ Ecclesiæ. Mag. Cano *lib.* 12. *de locis, cap.* 9. *pag. mihi* 431. *colum.* 2. Ubi postquam perdoctè pertinaciæ ad hæresim exactæ finitionem discusserit, ait: *Qua ex re intelligitur, pertinaciam eam, quę hæreticum facit, semper solumque in eo inveniri, qui dogma aliquod tenere pergit, cui cognoscit Catholicam sententiam adversari. Id verò nominis ipsa quoque notio declarat. Pertinax quippè is dicitur, qui plus nimio in propria sententia hæret. Atqui opinionem suam intelligit communi Ecclesiæ sensui, & fidei repugnare, atque in ea persistat nimis, profectò ille in privata sententia perseverat, verè igitur est pertinax: imò hæc sola consumata pertinacia est, quæ absolutè cum fidei constantia pugnat: atque adeò sola ea simpliciter hæresim conficit; Nam quemadmodum, ut paulò ante dictum est, fides ea electione perficitur, ubi is, qui vult veritati assentiri, intelligit illam esse Catholicam veritatem: sic & hæresis contraria omninò electione consumabitur ejus, qui adversante Catholica fide propriam sententiam videns volensque complectitur.* Hactenus præclarus hic Auctor, manifestè comprobans quæ de pertinacia ad hæresim requisita diximus, tum ex parte cognitionis in intellectu prælucentis, tum ex parte liberæ electionis voluntatis.

2 Concinunt B. Ægidius Romanus in 1. *sent. dist.* 33. *q.* 2. *ar.* 2. *in resolut. ferè per totam*, Durand. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 5. *num.* 6. ubi ad hæresim ait, opus esse scientia veritatis, & electione. Paludan. *ead. dist.* 13. *q.* 3. *art.* 1. *concluf.* 1. ubi ait, ex electione, & non ex simplici ignorantia quempiam fieri hæ-

re-

reticum. Gabriel *ibidem q.2. ar.1. nota.3.* maximè ibi: *Si errat pertinaciter eſt hæreticus, dicitur pertinaciter ad excludendum errantem, vel dubitantem ex ſimplicitate, vel ignorantia ſola.* Alexander Aſenſ. *part.2. quæſt.161. memb.1.* præſertim, ibi: *Nondum dico eſſe hæreticum niſi manifeſta doctrina Catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Joan. Bachonus *in Prolog. 4. ſent. quæſt. 8. art.4.* ubi adducens verb. Apoſt. ad Timoth. *cap.4. Et à veritate auditum avertent, & ad fabulas convertentur*, ait; *Ecce pertinaciam.* Subtilis Doctor cum ſuis apud Pontium *in 3. diſt. 23. quæſt. unic. num. 121. & in 4. diſt. 13.* Alphonſus de Caſtro *de juſt. hæretic. punit. lib.1. cap.1.* Aſteſanus *lib.2. tit. 58. art.1.* Alexander Peſantius *in 2.2. D. Thom. q.12. art.1. diſp.1. concluſ.5. pag. mihi 542.* Zumel *in 1.2. q. 76. ar.4. diſp.1. concluſ.4.* Eximius Doct. P. Suarez *tract. de fide. diſp. 19. ſect.3. à num.9.* ferè uſque ad ſectionis finem. P. Vazquez *in 1.2. tom.1. diſp. 126.* per totam, præcipuè *cap. 2.* P. Valentia *tom. 3. diſp. 1. q. 11. de Hæreſi. punc. 1. verſ. quarta difficultas.* cum ſeqq. Corduba *in quæſt. lib.1. quæſt. 17. §. 7.* Torres *de Trinitate, quæſt. 32. art.4. in 2. Commentarii parte. Aſſertione 1.* Tannerus *tom. 3. diſp. 1. de fide. quæſt. 8. dub.5. num.91. 92. & 93.* Martinus Azpilcueta Navarrus, *Summa. cap. 11. Hiſpanè num. 17. Latinè num. 22.* Petrus Ledeſma *2. tom. ſummæ, tract.1. cap. 6. concl.4.* Silveſter *v. hæreſis 1. num. 4. fine.* Tabiena *in v. Hæreticus num. 16. & num. 20.* Sayrus *in Clavi regia lib.2. cap.9. num.34.* P. Enriquez, *lib. 13. de excom. cap. 17. num. 3. in comment. lit. 3.* Manuel *Prim. tom. ſum. 2. editione. cap. 130. num.2.* Navarra *lib.2. de reſtit. cap. 4. dub. 9.* in nova editione *num.84.* Cardin. Toletus *in ſum. in Bulla Cœnæ, Excommunic.1. num.5. & lib.4. cap.3. num. 3. & 7.* P. Azor. *part.1. inſtit. Moral. lib.1. cap. 14. quæſt. 9. & lib. 8. cap. 9. q.7.* P. Thomas Sanchez *in Decalog. lib.2. cap.7. num. 27. & ſequentibus*: & alii frequenter.

3 Hæc ſententia tot Sanctorum Patrum, graviſſimorumque Theologorum Conſenſu fulcita, ratione etiam inclareſcet; quòniam, ut optimè tradit Exim. Doctor P. Suarez loco proximè citato, quandiù voluntas perſeverat in propoſito ſubjiciendi judicium ſuum judicio Eccleſiæ, non poteſt homo errare pertinaciter, nec eſſe hæreticus: igitur pertinacia hæreſim conſtituens ſupponit, ex parte intellectus, veritatis ab Eccleſia propoſitæ, & definitæ ſufficientem cognitionem, & in voluntate electionem ſeù affectum diſſentiendi præfatæ veritati: conſequentia per ſe nota eſt, antecedens probatur; quia is, qui paratus eſt, obedire Eccleſiæ, eo ipſo recognoſcit in illa infallibilem authoritatem, & ei ſubditur propter Verbum Dei, id quod maximè agnoſcendum ipſa Eccleſia proponit, & edicit; ergò non poteſt eſſe pertinax contra auctoritatem Eccleſiæ. Tum quia talis homo, quamvis erret, non amittet fidem: ergò non fiet infidelis: ergò nec hæreticus; ergò nec committet hæreſim; quod eſſe non poteſt, niſi quia non eſt pertinax: ergò ad pertinaciam neceſſaria eſt voluntas diſſentiendi objecto ſufficienter propoſito, ut ab Eccleſia definito. Conſequentiæ omnes ſunt claræ. Primum autem antecedens probatur: quia qui ſic errat, non recedit à formali objecto fidei, quandoquidem ſemper habet voluntatem illi ſubjectam, adhærendi ſcilicet Verbo Dei ut ab Eccleſia propoſito: fides autem non amittitur, niſi recedendo à formali objecto hujus virtutis, ut ex terminis patet.

4 Hæc itaque pertinacia, & prava voluntas, ut adnotat Exim. Doct. locis citatis explicatur potius per habitudinem ad Eccleſiam, quam ad Deum ipſum, vel Scripturam, aut traditionem, vel aliquid hujuſmodi; quia reſpectu Dei nemo eſt, qui habeat, vel habere poſſit talem voluntatem, cum ſit

non

non ſolum certum, ſed etiam evidens, Deum non poſſe mentiri; & ideò nullus hæreticus habet voluntatem non credendi Deo, ſed non credendi talem doctrinam eſſe dictam à Deo; & propterea formaliter pertinacia non attenditur reſpectu Dei, ſecundum ſe ſpectati, ſed ut loquentis per alios, vel per aliqua ſigna creata.

5 Et verò inter media, ſeù ſenſibilia ſigna, per quæ nobis loquitur Deus, ſola Eccleſia eſt viva, univerſalis, publica, & infallibilis regula Catholicam doctrinam nobis proponens; & ideò ſecundum ordinarium credendi modum, illa eſt quoad nos proxima regula fidei, & propria voluntas credendi Eccleſiæ neceſſaria eſt ad Catholicam fidem: & ob eandem rationem è contrario, voluntas non ſe ſubjiciendi Eccleſiæ authoritati neceſſaria eſt ad pertinaciam fidei contrariam. Unde ſub hac regula comprehenditur etiam Scriptura, quia per Eccleſiam proponitur, & authenticè exponitur; & idem eſt de traditione, & Conciliis; & ideò etiam ſufficit ad pertinaciam voluntas non credendi quidquid in Scriptura continetur, ſecundum verum ſenſum ejus; tamen quia hoc pendet ex propoſitione Eccleſiæ, ideò hæc voluntas includit aliam voluntatem reſiſtendi Eccleſiæ, ut pertinax ſit: nam ſi aliquis nollet credere aliquid in Scriptura contentum, quia non putat, illum eſſe verum Scripturæ ſenſum, non erit pertinax contra fidem, donec Eccleſia illum ſenſum approbet, & illi nihilominus reſiſtat: è contrario verò hæretici, licet dicant, ſe credere Scripturis, quia non ſecundum Eccleſiæ ſenſum, ſed ſecundum proprium judicium, illi contrarium, illas intelligunt, pertinaces verè ſunt, & proprio judicio damnati: ſic ergò in voluntate non ſe ſubdendi authoritati Eccleſiæ, hæc pertinacia maximè conſiſtit.

6 Atque hinc fit, ut ex parte intellectus ſit neceſſaria ad pertinaciam aliqua cognitio, vel notitia ſufficiens authoritatis Eccleſiæ, & quod doceat, ſeù proponat veritatem illam, contra quam aliquis errat: primò quia omnis voluntas ſupponit ſufficientem cognitionem ſui objecti: ſed pertinacia conſtituitur ex voluntate ſentiendi contra authoritatem Eccleſiæ, vel ſentiendi aliter, illa non obſtante, ut oſtenſum eſt, ergò talis voluntas cognitionem aliquam, & ſufficientem, definitionis Eccleſiæ neceſſario ſupponit: declaratur familiari exemplo: quia non cenſetur aliquis opponi D. Auguſtini, vel S. Thomæ authoritati, niſi ſufficienti modo ſciat in tali cauſa interponi eam authoritatem, & nihilominus illi repugnet: ergò idem intelligendum eſt in præſenti.

7 Id quod ulterius fulcitur ex Ethimologia *pertinacis*, quam tradit D. Iſidorus *lib.* 10. *ſub lit. P.* Nam, *Pertinax idem eſt*, ait, *quod imprudenter tenens*, quod non dicitur niſi de illo, qui poſtquam cognovit magnam rationem, aut authoritatem alterius, illi audet contradicere. Tum quia, qui nullam habet notitiam authoritatis, vel definitionis Eccleſiæ circa aliquam propoſitionem, etiam ſi circa illam erret, poteſt habere voluntatem credendi Eccleſiæ in omnibus, quoties illi conſtiterit, ejus authoritatem intervenire: ergò poteſt ille non eſſe pertinax, quando illius notitiam non habet, & ideò Patres citati hanc pertinaciam declarant per modum electionis, in qua eligit aliquis proprium judicium, potius quàm Eccleſiæ, quæ electio extremorum cognitionem ſupponit.

8 Dixi aliquam cognitionem vel notitiam authoritatis Eccleſiæ ad pertinaciam exigi propter duo: Primò quia aliquando poteſt aliquis errare, neſciens quid Eccleſia de tali re definierit, & nihilominus pertinax eſſe, nimirum, ſi talem errorem habeat, cum af-

affectu non relinquendi illum, etiam ſi Eccleſiam aliud definiſſe ſciat, quia hęc voluntas opponitur voluntati parendi Eccleſiæ, & illius authoritatem infallibilem agnoſcere excludit, ſeù non admittit: ergò ad pertinaciam ſine dubio ſufficit. Nihilominus illa pertinacia non eſt ſine aliqua notitia authoritatis, & definitionis Eccleſiæ, quamvis ſolum ſub conditione illam homo ſibi proponat, ut illi obediat, vel repugnet; quæ propoſitio aliquam notitiam in intellectu ſupponit, & includit, ſufficientem quidem ad eligendum inter Eccleſiæ authoritatem, & oppoſitum errorem. Unde (ut hoc obiter notem) non ſatis erit, quod aliquis ſit paratus credere Eccleſiæ, ſi rationibus, vel argumentis convincatur: nam illud non eſt credere auctoritati Eccleſiæ, quatenus divina eſt, ſed quatenus humano modo perſuadere poteſt; & ideò illa credulitas humana eſt, & non excedit voluntatem credendi alicui Doctori propter authoritatem ejus; ideòque cum illa eſſe poteſt pertinacia contra Eccleſiam, ut eſt regula fidei.

9 Altera ratio, ob quam dixi, aliqua opus eſſe ſufficienti notitia præfatæ auctoritatis Eccleſiæ, eſt, ut indicarem, non eſſe neceſſarium, quod aliquis perſuadeatur, & credat, hanc Eccleſiam habere tantam auctoritatem, ut illi tanquam infallibili regulæ ſit credendum: nam hæretici hoc non credunt, & nihilominus in hoc ipſo, & in aliis pertinaces ſunt, quia voluntariè ab Eccleſia recedunt, quæ illis ſufficienter propoſita eſt, ut illam tanquam veram Eccleſiam recipiant, præterquamquod Scripturas admittunt, in quibus hæc Eccleſia ſufficienter manifeſtatur: notitia ergò ſufficiens eſt illa, per quam ita proponitur Eccleſiæ auctoritas, ut obliget hominem ad credendum, & ipſam eſſe veram Eccleſiam, & veram eſſe doctrinam, quæ ex Cathedra docetur: & eodem ſaltem modo neceſſaria eſt notitia definitionis Eccleſiæ: quia eſtò quis habeat ſufficientem propoſitionem ejus, poteſt nolle credere eſſe definitionem, & nihilominus erit pertinax; quia jam habet ſufficientem notitiam, quæ illum obliget ad credendum talem propoſitionem eſſe ab Eccleſia definitam: hanc igitur pertinaciæ ad hæreſim requiſitæ declarationem ex prælaudatis Auctoribus excerpſi, præſertim ex Angelico Doctore, locis ſupra citatis, & ex Eximio Doctore Patre Suarez *diſp.* 19. *de fide ſect.* 3. P. Vazquez *in* 1. 2. *diſp.* 126. & Thom. Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 7. *à num.* 27.

10 Illuſtratur deinde eadem pertinaciæ enodatio ex frequentiſsima Theologorum ſententia ajente, ignorantiam, licet vincibilem, & craſſam excuſare ab hæreſi, quam docent omnes Auctores prælegati *num.* 2. nec diſſentitur D. Thom. *Quodlib.* 3. *art.* 10. *corpore*, ubi aſſerit, *in rebus ad fidem pertinentibus non excuſare ignorantiam*; non inquam ex eo cenſeri debet communi ſententiæ diſſentiens D. Thomas; quòniam primò ibi præcipuè diſſerit de excuſatione à peccato, quam proculdubio non poteſt habere, qui ex vincibili ignorantia errat in his, quæ ſcire tenetur; hoc autem peccatum reperiri poteſt abſque formali hæreſi. Secundò D. Thomas loquitur de his, qui errant, & opinantur contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſeù contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ auctoritatem: in his autem communiter non ex ignorantia, ſed ex malitia peccatum committitur, & ideò ab hæreſi formali non poteſt taliter errans excuſari: tertiò quia licet in his aliquando contingat ignorantia, tamen non excuſat ab hæreſi, quia non eſt antecedens, ſed concomitans.

11 Ut hoc inclareat, ad mentem revocanda eſt vulgaris doctrina D. Thomæ, & omnium Theologorum, duplicem nempè eſſe ignorantiam,

tiam, aliam concomitantem, aliam antecedentem, ut omittam conſequentem, quæ ad rem præſentem non refert: ignorantia concomitans dicitur illa, quæ ſimul eſt cum peccato, vel alio actu voluntatis, non eſt tamen cauſa ejus, quia homo ita eſt affectus, ut quamvis ſciret, idem vellet, ac faceret. Antecedens autem dicitur ignorantia, quæ eſt cauſa operis, quia ſine illa non fieret. In præſenti ergò, ſi ignorantia ſit concomitans, errorem circa fidem non excuſat ab hæreſi; quia tunc illa ignorantia talis eſt, ut ſecum admittat, imò requirat voluntatem non mutandi ſententiam, etiam ſi conſtet, Eccleſiam aliud docere; quæ voluntas ut ſupra diximus, ſupponit in intellectu ſufficientem cognitionem, & notitiam authoritatis Eccleſiæ, & conditionatæ determinationis illius, & ideò non excludit, ſed conſtituit contumaciam hæreſis propriam. Cæterum, ſi ignorantia ſit antecedens, quia ſcilicet homo non habet prælibatum affectum, ſed potius ita ſentit, quia ignorat, Eccleſiam contrarium docere, paratus actu, vel habitu mutare ſententiam, ſi conſtiterit contrariam eſſe ſententiam Eccleſiæ, tunc ceſſat pertinacia, ut ex dictis conſtat; & conſequenter ille error non eſt hæreſis, quæ ſine pertinacia non committitur.

12 Hinc deducitur, quod etiam ſi talis ignorantia ſit graviter culpabilis, & affectata, ſi reverà non ſit concomitans, non ſufficiet ad formalem hæreſim, ut edocent Auctores *num.* 2. relati, quibus addendi veniunt Driedo *lib. de libertate chriſtiana. cap.* 14. Caſtro Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *punc.* 2. *num.* 3. Becanus *tom.* 3. *in* 2. 2. *cap.* 14. *q.* 2. *num.* 16. Dian. Coordin. *tom.* 5. *tract.* 12. *de pœnis delic. in S. Offic. reſ.* 36. & non Coordin. *part.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 36. Ægidius Coninck *diſp.* 18. *num.* 97. Puente Hurtado de Mendoza *diſp.* 82. *de hæreſi formali, ſect.* 6. *ſubſecti.* 3. & 4. *à num.* 50. Bonacina *diſp.* 2. *de cenſu. quæſt.* 5. *part.* 5. *num.* 5. & 6. probaturque ex dictis, præſertim à *num.* 3.

13 Tum quia errans ex ignorantia culpata, quæ tamen eſt antecedens, non eſt pertinax in Eccleſiam: ergò nec hæreticus. Antecedens ex ipſa antecedentis ignorantiæ prælibata deſcriptione conſtat, ſed deinde oſtenditur, quòniam ſic errans non ſentit malè de Eccleſiæ auctoritate: non enim aſſerit, *Eccleſia fallitur*, *aut falli poteſt*, ſed tantum ait: *nollo ſcire quid dicat Eccleſia*: hic autem actus non eſt mala exiſtimatio de authoritate Eccleſiæ, quin potius intellectum habet affectum in Eccleſiam, quia ideò refugit ſcire definitionem Eccleſiæ, quia ſcit illam eſſe infallibilem, & in eventu, quo de definitione Eccleſiæ circa tale objectum ſufficienter inſtruatur, paratus eſt corrigi ab Eccleſia, & conſequenter, nec eſt pertinax contra Eccleſiam, nec hæreticus ex ſupra adductis, & ſi aliunde peccatum interveniat.

14 Confirmatur: hic actus, *Nollo ſcire quid Eccleſia definiat*, rectè componitur cum hoc: *Eccleſia falli non poteſt in definitione*: ſunt enim objecta realiter diſtincta, & ſeparabilia: infallibilitas enim eſt independens à definitione actuali: tum quia alter actus eſt voluntatis renuens cognitionem de exiſtentia definitionis, alter verò eſt intellectus adſentiens infallibilitati Eccleſiæ; unde nullam inter ſe involvunt repugnantiam. Sed ſtante aſſenſu circa infallibilitatem Eccleſiæ in ſuis definitionibus, nec ſtat nec ſtare poteſt pertinacia erga ipſam Eccleſiam, ergò nec cum tali aſſenſu reperitur hæreſis; cum ignorantia igitur antecedenti licet affectata non ſtat hæreſis formalis, ſed ſolum cum ignorantia concomitante, quæ involvit, & ſufficientem definitionis Eccleſiæ notitiam, & voluntatem obſiſtendi eidem definitioni, quæ ſunt pertinaciæ conſtitutiva ex recepta Patrum, & Theologorum ſententia, à nobis aſſignata.

Co-

15 Cominùs autem hujuſce ſectionis contendentes ſcopum, ſic diſſerere licet: Hæreſis pertinacia ſtare non poteſt abſque voluntate diſſentiendi Eccleſiæ, objectum aliquod definienti, ſeu fidei noſtræ proponenti, & propterea nec ſtare poteſt ſine ſufficienti cognitione, & notitia ipſius Eccleſiæ, & definitionis, aut propoſitionis illius; ſed hujuſmodi voluntas eſt quoad ſpeciem immediatè libera: igitur hæreſis pertinacia libera eſt immediatè quoad ſpeciem: conſecutio patet, primaque hujus ratiocinii aſſumptio oſtenſa manet, & ni fallar evidenter, ac cumulatè ex congeſtis, hac & præcedenti ſectione, ajente præſertim D. Thoma: *Si quis falſum opinatur: conſiderans, quod ex hoc ſequatur aliquid contrarium fidei, in hereſim laberetur*, & iterum eodem Angelico Doctore aſſerente cum D. Auguſtino: *Si correcti, ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaque peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt.* Secunda etiam aſſumptio, videlicet hanc contumaciter reſiſtendi voluntatem eſſe quoad ſpeciem, & immediatè liberam, tum actum intellectus ab ipſa imperatum, ex dictis haud minus inclareſcit, cum enim talis voluntas ſupponat in intellectu cognitionem, & ſufficientem notitiam Eccleſiæ, & definitionis illius, nequit non eſſe immediatè libera, & elicita cum potentia proxima ad aſſentiendum Eccleſiæ definitioni: conſecutio principalis recta eſt evidenter, ſtat ergò aſſumptum.

16 Id quod novam accipit lucem ex qualitate hujuſce ſufficientis propoſitionis, & inſtructionis requiſitæ ad hoc, ut quiſpiam pertinax, & hæreticus cenſeatur, & ſit: nam communi calculo Theologi aſſerunt, eum dumtaxat habere pertinaciam requiſitam adhæreſim, qui cum animadvertat dogma aliquod eſſe contrarium communi fidei Eccleſiæ Romanæ, & Catholicæ, quia ſcilicet agnoſcit, aliquid Scriptura contineri, aut ab Eccleſia Romana eſſe determinatum, ſeu probatum, nihilominus aſſerit, vel perſuadet ſibi, ut verum, oppoſitum damnatum dogma, idemque plures, & graviſsimi Theologi judicant de dubitante deliberatè, ac pertinaciter.

17 Cæterum talis debet eſſe propoſitio definitionis Eccleſiæ, & dogmatis, ut ipſi poſsit, & teneatur homo aſſenſum fidei præbere; ſi autem cognitio, & admonitio non ſit ſufficiens ad obligandum, ut verum eſſe credatur, quod proponitur non ſolum ut ab hominibus ſua authoritate dictum, ſed ut definitum ab Eccleſia, authoritate divina, tunc quidem diſſentiens tali doctrinæ non erit formalis hæreticus. Ita ſignanter Canus *de locis, lib.* 12. *cap.* 9. *colum.* 17. *cum ſeqq.* Eximius Doct. P. Suarez *diſp.* 19. *de fide. ſect.* 3. *num.* 21. P. Valentia 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 11. *punc.* 1. *diffic.* 4. P. Vazquez 1. 2. *q.* 76. *ar.* 3. *diſp.* 126. *cap.* 3. *num.* 7. P. Torres *de Trinit. quæſt.* 32. *art.* 4. *in* 4. *p. Commentarii.* P. Thom. Sanc. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 25. & 26. Caſtro *lib.* 1. *de juſt. hæreſ. puni. lib.* 1. *cap.* 10. Sayr. *Theſauro caſuum. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. P. Salas *in* 1. 2. *tract.* 13. *diſp.* 7. *ſect.* 7. *num.* 53.

18 Unde ab eiſdem Doctoribus Conſectarium hoc præſcribitur, ſcilicet aliquãdo fieri poſſe, exploratũ aliquod dogma, fidei veritatem eſſe; quempiam verò ignorare ejuſmodi dogma ad fidem ſpectare Catholicam, & quamvis admonitum ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore, ſeu à viris doctis, & piis, placitum ſuum contumaciter defendere, ideòque graviter delinquere, nec tamen illũ ex eo crimẽ formalis hæreſeos habere, quia ſcilicet non credit, verum eſſe, ſeu Eccleſiam id ipſum definiiſſe, Epiſcopus enim, & alii particulares homines decipi poſſunt, & decipere. Unde poteſt talis ho-

mo in his circunſtantiis habere animum paratum ad credendum Eccleſiæ Romanæ, ſi de illius definitione ſibi conſtiterit. Hoc inquam ex terminis fieri poteſt.

35 Verumtamen quia admonitio, & inſtructio, quæ ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus ordinariè fit, ſufficiens eſt ad obligandum, ut verum eſſe credatur, quod ab illis dicitur fide ſanctum, non ſolum ut ab hominibus ſua authoritate dictum, ſed ut definitum ab Eccleſia, authoritate divina, magno quippè conſilio, & doctrina hujuſmodi admonitio fit, vel eſt de rebus jam definitis, & communiter in Eccleſia receptis, ideò qui tunc contumax eſſet, & diſſentiretur, hæreticus meritò cenſeretur, & realiter eſſet, nec oppoſitum moraliter contingere poſſe credendum: ſic docent Cardinalis in *Clementina* 1. *de Sum. Trin.* Bart. & alii, quos refert, & ſequitur Peña *in directorio part.* 1. *Comment.* 26. *ad quæſt.* 12. Farinacius *de hæreſi q.* 169. *à num.* 10. *& ex Theologis* Doctor Exim. *diſp.* 19. *de fide. ſect.* 3. *num.* 21. *fine.*

36 Tum ſic: ille eſt hæreticus formalis, & pertinax, qui dogmati Catholico ſic intellectui propoſito, ut teneatur firmum, & fidei aſſenſum præbere, diſſentitur tamen: ſed qui ita diſſentitur, pro priori ſigno illius inſtantis proximè potuit, aſſenſum eidem fidei objecto præſtare, igitur qui ita pertinaciter diſſentitur liber eſt immediatè, & proximè quoad ſpeciem diſſenſus hujuſcemodi. Conſequentia eſt legitima: major ex duplici antecedenti numero conſtat, & ex aliis in hac ſectione congeſtis: minor patet: propterèaque affatim oſtenſum eſt, hæreſim, ac fidem immediatè, & quoad ſpeciem eſſe liberam.

***

*** *** *** ***
*** *** *** ***

SECTIO QUADRAGESSIMA.

Ex Jure Canonico eundem pertinaciæ conceptum, tum hæreſeos, ac fidei quoad ſpeciem immediatam libertatem confulcit.

1 DUabus anchoris, Theologia ſcilicet, & Jure Canonico conſtabilitur aſſerta hactenus doctrina de hæreſi, ejuſque conſtitutiva pertinacia, traditiſque Theologicis argumentis ad Jus Canonicum, quod ſanè ex Eccleſiæ jubare Div. Auguſtino magna ex parte deſumptum eſt, luſtrandum, expendendumque, gradum facimus: Primò igitur in *cap. Dixit Apoſtolus.* 24. *quæſt.* 3. ex Divo Auguſtino, *Epiſt.* 162. *conſcripta* Glorio, & Elveſio, & aliis ſic habetur: *Dixit Apoſtolus (hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt hujuſmodi, & peccat, & à ſemetipſo damnatus.) Sed qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt; præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Ubi præcipuè perpendendum venit illud: *Nulla pertinaci animoſitate defendunt*, tum illud: *quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt*, quæ ſimul ſumpta ſine ſufficienti veritatis cognitione, & abſque libera immediatè electione conſiſtere non poſſunt.

2 Idem cernere eſt in *cap. Qui in Eccleſia.* 24. *q.* 3. quod eſt D. Auguſt. *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 51. ubi aſſeritur: *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid ſapiunt pravumque, ſi correpti, ut ſanum, rectùque ſapiant, reſiſtunt cõtumaciter, ſuaque peſ-*

peſtifera, & mortifera dogmata emendare nollunt, ſed defenſare perſiſtunt; hæretici fiunt. En cognitionem fidei ſufficientem in correptione; liberamque aliter ſentiendi voluntatem in eo, quod mortiferum dogma emendare nolunt.

3 Hinc tertio capite *Schiſma. 24. quæſt.* 1. Pelagius Papa de Schiſmaticis hæreticis reſcribens, inquit: *Si enim etiam ipſi, licet in ſuo ſenſu abundantes, intra materna tamen poſiti viſcera* (alias ubera) *quærerent veritatem; à nobis repellendi non erant, donec apud eos ratione duce rei veritas claruiſſet.* Oportet igitur apud errantem affulgere rei veritatem, ut hæreticus ille cenſeatur, ac ſit; & quidem ubi rei veritas claret, quarè illi aſſenſum non præſtari dicemus, niſi quia liberè à veritatis fulgoribus quiſpiam velit diſcedere, & luci malignæ adhærere malit.

4 Quartò ex hac immediata, ac libera determinatione, qua hæreſis conſtituitur, ipſum hæreſeos nomen deſcendit, *Hæreſis*, inquit, D. Hieronymus, *ad Galat. cap.* 5. relatus in cap. *Hæreſis. 24. q.* 3. *Græcè ab electione dicitur, quod ſcilicet eam ſibi unuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem*: meliorem quidem, non veriorem, aut veritatis intuitu, ſed alicujus temporalis commodi gratia illectus, ut ex D. Auguſtino *lib. de utilit. creden. cap.* 1. habetur in *cap. Hæreticus. 24. q.* 3. *Hæreticus eſt* (inquit ſacer textus) *qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia falſas, ac novas opiniones, vel gignit, vel ſequitur.* Id quod ideò contingit, quia ut docet D. Thom. *de verita. quæſt.* 14. *art.* 1. *corpore*: *Quandoque intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit aſſentire uni parti determinatè, & expreſsè propter aliquid, quod ſufficiens eſt ad movendam voluntatem, non ad movendum intellectum; utpotè quod videtur bonum, & conveniens uni parti ſſentire.*

5 Igitur hæreſis à qua hæreticus appellatus eſt, dicta eſt à græca voce *aireomai*, id eſt eligo, vel lector: unde *àireſis* idem eſt ac electio, ſeù ſecta, ut docent D. Iſidorus *lib.* 8. *Etymol. cap.* 3. *D. Hieron. in Epiſt. ad Galat. cap.* 5. Clemens Alex. *lib.* 7. *Strom.* Tertuli. *lib. de Præſcrip.* & ex D. Auguſtino, Cicerone, & aliis probant Illuſtriſsimus Dominus Covarrub. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 2. Caſtro *de juſt. hæretic. punit. lib.* 1. *cap.* 1. Cano *de locis Theolog. lib.* 12. *cap.* 9. Loayſa *in notis ad D. Iſidorum lib.* 1. *ſent. cap.* 17. Cardinalis Turrecremat. *in cap. Dicit Apoſtolus num.* 5. Param. *de orig. Inquiſ. lib.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 3. Santarellus *de hæreſi, quæſt.* 1. *concluſ.* 1. Azebedus *in leg.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *recopil.* Scortia *in Selectis Epi.* 71. *Teorem.* 182. Albertinus *de hæreſi cap.* 1. Auguſt. Barboſa *in Rubrica de Hæreticis. num.* 3. ubi ſatis appoſitè inquit, quod hæreſis dicitur ab *airèomai*, capio, eligo, & ſic hæreticus eſt liberè, proprio arbitrio eligens opinionem novam contra fidem, hæreſis verò, hoc eſt, electio ejuſdem novæ opinionis. Concinunt Rojas *in tract. de hæreticis. ſingulari* 73. *litt. H.* Conrad. Brun. *de hæretic. lib.* 1. *cap.* 1. D. D. Emmanuel Gonçalez Tellez, *Comment. in cap.* 1. *de Hæreti. num.* 5. ac aliis pluribus omiſsis, unum in patricis habendum, annecto, Præſtantiſſimum, ſcilicet Præſulem D. D. Jacobum Simancam, Pacenſem Epiſcopum, juris utriuſque diſciplina eximiè eruditum, ingenio, prudentia, excultiſsimaque Phylologia, & Polimatia præclarum, ter incliti Majoriſque Sanctæ Crucis Pinciani mei quondam Collegii, fauſtiſsimam prolem, in laudatiſsimo opere *de Catholicis Inſtitution. tit.* 31 *num.* 2. 3. *circa medium. & num.* 10. ibi: *Nam hæreſis electio eſt.*

Tum *num.* 11. & 12. Et *in Enchiridio. tit.* 2. *rubric. de hæreſi num.* 1. *in fine. verſ. Dicitur autem hæreſis.* facit textus ubi hæreſis hoc ſenſu accipitur. in *leg. Si duas.* 6. *verſ. eſt autem. ff. de excuſat. Tutor.* ut notavit Dominus Gonçalez, præ allegato loco.

7 Verùmenimverò licet dictio hæreſis ex proprietate ſermonis quamcumque doctrinæ electionem, ſeù ſententiam, etiam bonam, & laudabilem ſignificet, tamen, quia in his, quæ ſunt fidei, & Religionis Chriſtianæ, nulla dari poteſt licita electio ex ſolo humano arbitrio, nec ſecta aliqua diſciplinæ particularis; quia ſunt illa omnia à Deo tradita, & eo revelante inſpirata, juxta Apoſtol. 1. *ad Corinth. cap.* 2. ibi: *Fides non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*, in cujus obſequium captivandus eſt intellectus noſter cum eod. Paul. 2. *ad Corinth. cap.* 10. inde meritò paſsim apud Doctores, & in *tit. de hæreticis.* hæreſis in his, quæ ſunt fidei Catholicæ importat graviſsimum crimen violatæ Religionis, inſurgens ex eo, quod homo baptizatus aliquid peculiare eligit, vel ſectatur ex ſuo arbitrio, in his quæ fidei contradicunt: in his enim quæ fidem concernunt, quidquid eſt humanum inventum particulare, violat fidem, & religionem, ut ex Tertulliano, & aliis probat Caſtro *de juſta hæretic. punit. lib.* 1. *cap.* 1. facit lex *Cœlicolarum. Cod. de Judæis.*

8 Haud me latet diverſas alias hæreſis Etymologias aſsignari à Doctoribus, nimirum, hæreſim dici à verbo *hæreo*, *hæres*, quia ſcilicet hujus furfuris homines, ſcilicet hæretici, hærent ſuæ opinioni; ut animadvertunt Joannes Andreas *in cap. firmiſsimè. num.* 2. *de hæretic.* & ibi etiam Anton. de Butr. *num.* 6. Abbas *num.* 3. *verſ. Et dicitur hæreſis.* Card. Zabarel. *num.* 6. Zanchin. *trac. de hæretic. cap.* 1. *num.* 5. Eymeric. *in Director. Inquiſ. part.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 2. & *quæſt.* 30. *verſ. Secundò adhæreo.*

9 Hoc tamen, à præſibata hæreſis Etymologia, & acceptione, quam probavimus, diſcedere, non cogit; primò quòniam illa à Præclariſsimis obſervandiſque Patribus Hieronymo, Auguſtino, Iſidoro, & D. Thom. traditur, & ſacris communitur juribus, quapropter meritò præfertur à cunctis ferè juris interpretibus, & præcipuè ab ipſis Antonio de Butrio in *dict. cap. firmiſsimè. de Hæreticis. num.* 6. Abb. *num.* 3. Zarabel *num.* 6. Zanchin. *dict. tract. de hæretic. cap.* 1. *num.* 6. & 7. & *ibi* Campeg. *in additionib. littera A.* Eymerico *in Director. Inquiſ. part.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 1. & ibi Pegna *in additionibus. fol. mihi* 245. *verſ. Vera autem hæreſis Etymologia*, eandem anteponunt Cardinalis Turrecremata in *cap. Hæreſis.* 24. *q.* 3. *n.* 1. ubi pluribus comprobat hanc Etymologiam, eamque dicit tangere eſſentiam hæreſis. Et Bellamer. *in Principio, in verbo, electione.* Marianus Socinus *in Rubrica de Hæretic. num.* 6. & 9. *verſ. Prima magis placet. Et num.* 11. *verſ. Ego tamen ut dixi, ſequor Hieronymum.* Et ibi etiam Joannes Anan. *num.* 1. Arnald. Albertinus. *in Rubrica de Hæreticis. in* 6. *num.* 2. *verſ.* 1. & 3. *in diſcurſu.* & *ibi in additionibus littera A.* & §. 3. *verb. Hæreticus. verſu. Sed hæreticus dicitur.* Et in additionib. *litt. B.* Umbert. Locatus in *Judiciali Inquiſitorum*, *in verb. Hæreſis. ſub num.* 1. Joannes Lopez in *allegationib. hæreticalibus*, §. 3. *in principio.* Oldrad. *Conſil.* 210. *num.* 1. Grilland. *de hæretic. quæſt.* 1. *num.* 4. Petrus Gregor. *Syntagm. jur. lib.* 33. *cap.* 4. *num.* 3. Gundiſalv. *de hæreticis. quæſt.* 2. *poſt num.* 1. Farinacius *de hæreſi quæſt.* 178. §. 1. *num.* 41. & alii apud ipſum, communiterque notant Doctores *in cap. Firmiſsimè. Extra de hæreticis*, ubi & apud eoſdem poſthabitæ reperiuntur aliæ hæreſeos Etymologiæ.

10 Secundo, hæreſim ab hærendo dici, in idé ferè recidit, ac ſi ab electione de-

derivari asseramus, quia ut rectè adnotat Sapientissimus, & Illustrissimus Dominus Simancas de *Catholicis institutio. tit.* 31. *de hæreticis, num.* 10. electio voluntatis operatio est, quæ ex consilio provenit: ea enim cum electione agimus, quæ antegressa est deliberatio, quemadmodum Philosophus docet *lib.* 5. *Ethicorum.* Et ut ait Cardinalis Torquemada *lib.* 4. *de Ecclesia part.* 2. *cap.* 13. ab eodem Domino Simancas laudatus, electio firmam adhæsionem habet, juxta Aristotel. *lib.* 1. *Rethoric. cap.* 10. & *lib.* 5. *Ethic. cap.* 8. quamobrem hæresis adhæsio est, non utcumque, sed electiva, sivè cum electione conjuncta, in quem scopum collineat sectio nostra.

11 Consimili ratione licet hæresim dici ab *Erro, Erras.* hæreticumque quasi à vero *errantem*, asseruerint aliqui apud Joan. Andream *in cap. firmissimè. num.* 2. *extra, de hæretic.* Et ibi etiam Anton. de Butr. & alii relati à Farinacio *de hæresi. quæst.* 178. §. 1. *num.* 3. quæ etymologia reprobatur à Mariano Socino in *rubric. extra de hæreticis. sub num.* 6. *vers. Sed hoc mihi non placet.* Et à Pegna in *additionib. ad Eymericum in Director. Inquisit. part.* 2. *quæst.* 1. *vers. Alias autem Etymologias. & vers. seq. fol. mihi* 246. *colum.* 1. Petro Gregor. *Syntag. Juris lib.* 33. *cap.* 4. *num.* 3. aliud enim est hæresis, & aliud error.

12 Vel à verbo *Erciscor*, quasi quod sit quædam divisio ab unitate fidei, hæresim deduci, existimaverint alii, ex allegatis per Albericum *in Rubrica Cod. de hæretic. num.* 8. Joan. Andr. *in cap. firmissimè. num.* 2. *extra, de Hæretic.* Azo. in *summ. de hæreticis. num.* 1. *vers. & dicitur ab Erciscor.* Hostiens. *in ead. rubric. de Hæretic.* §. *Quis dicatur. num.* 1. *vers. Dicitur autem hæreticus*: quam deductionem improbant signanter Pegna in *additionib. ab Eymeric. ubi supra. part.* 2. *dic. quæst.* 1. *vers. alias autem Etymologias. Et vers. seq. fol. mihi* 246. *col.* 2. Petrus Gregor. *Sintag. Juris libro* 33. *cap.* 4. *num.* 3.

13 Sivè dixerint alii, hæresim, seù hæreticum ab Eremo esse derivatum, quia sicut eremita dicitur ab Eremo, quòniam stat in nemore separatus à Civitate, vel oppido, ita dicatur hæreticus separatus à nostra fide, habens pravam fidem per se, quæ sunt verba Odofredi *in Rubric. Cod. de hæretic. num.* 1. Repert. Inquisit. *in verbo Hæresis.* §. 1. *rubric. Quid sit hæresis. vers. Item hæresis, id est Eremus.* Eymeric. *in Director. Inquisit. part.* 2. *q.* 30. *in princip.* quæ Etymologia reprobatur etiam à Pegna in additionibus ad Eymeric. *dict. quæst.* 30. *vers. hujusmodi autem.* Et communiter ab aliis deseritur.

14 Sivè tandem non desint, qui existiment hæresim dici à verbo græco *erfis*, quod latinè locutionis virtutem significat, ex quo hæretici in sermonibus, & disputationibus suis confidunt, non in virtute Sancti Spiritus, ut adnotant Anan. *in rubric. extra, de Hæretic. post num.* 1. Archidiac. *in cap. Hæresis. num.* 1. *in princip. vers. Alii dicunt.* 24. *q.* 3. & Bellamer. ibid. *in princi. sub num.* 3. *vers. Alii dicunt à Græco.* Grilland. in *tract. de Hæretic. quæst.* 1. *post num.* 4. *vers. Quidam dixerunt.*

15 Hæc inquam licet Doctores præfati docuerint, in iisdem tamen Etymologiis, etsi diversis, hæreseos liberam electionem ostendunt; quòniam errans hæreticus fit, nulla cogente ratione, nec aliundè necessitatem patiens, sed propria electione à longè verosimilioribus discedens; ipseque sponte sua ab unitate fidei libero suo arbitrio dividitur; societatem etiam, & communionem Ecclesiæ liberè fugiens ad iniquitatis, & erroris nemus tanquam diaboli eremita se confert; ac denique cum incredendo posset in virtute Spiritus Sancti confidere, ex propria determinatione suis sophismatibus niti mavult: juxta multiplicem igitur hanc hæreseos derivationem conficitur, illam semper in sui ratione liberam electionem involvere.

16 Præterquamquod fas eſt autumare, non tàm etymologiam, quàm alluſionem nominis prælaudatos Auctores tradere voluiſſe, in loquendi hoc diverſo modo; Etymologia enim, & alluſio vocabuli, cum ſimilia ſint, & valdè affinia videatur, illis ſine diſcrimine utũtur paſsim Juris Doct. utrũque confundẽtes, & unum pro alio uſurpantes juxta Gloſſam in *leg. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.* quam ſequuntur ibidem Bartol. *num.* 4. Jaſ. à *num.* 25. & Alexander *num.* 2. & ſynonima eſſe hæc quatuor Etymologia, alluſio, derivatio, & deſcriptio ſcribunt *Angel.* & Joan. de Imola, & alii, quos ſequitur Everardus *in Topicis legalibus loco* 6. *verſ. Verius tamen eſt*: longè tamen inter ſe hæc quatuor differre poſt Zazium benè explicat Rip. in dict. *leg.* 1. *ff. de acquir. poſſeſſ. num.* 18.

17 Et omiſſa derivatione, & deſcriptione, oſtenditur, quia Etymologia verborum Origines perquirit, eorumque veritatem notificat, & ob id ſecundum Ciceronem in Topicis, Agricolam Dialect. inventi *lib.* 1. *cap.* 23. & P. Fonſecam *lib.* 5. *Inſtit. Dialect. cap.* 2. veriloquium appellatur ab Etymon, quod græcè verum dicitur, ut optimis exemplis docet P. Fonſeca citato loco. Alluſio verò non ad Originem verborum reſpicit, ſed ad ſolius vocis ſonum, ſeù ſimilitudinem, ut appoſitè animadvertit Alciat. *de v. ſig. lib.* 4. *num.* 21. Imperatorem Juſtinianum vendicans à morſu, ſeù potius calumnia Laurentii Vallæ circa appellationem teſtamenti, quod Juſtinianus dixit teſtationem mentis in *princ. Inſtit. de teſtamen.* Alciatumque laudant Illuſtriſ. D. Covarrub. *part.* 1. *Rubr. de teſtam. num.* 2. Aurelius David *de verb. ſign. cap.* 6. *à num.* 33. junctо num. 36. Auguſtin. Barboſ. *varior. tract. loco* 44. *num.* 5. & apud eundem optimè Cantiunc. *in topic. legalib. loco* 3. *poſt princip.*

18 Unde inter Etymologiam, & alluſionem illud conſequitur diſcrimen, quod Etymologia ex origine vocabuli veritatem præſefert, ex alluſione autem, cum illa veram Originem vocabuli non reſpiciat, minimè neceſſarium ſit argumentum veritatis; imò alluſionem damnant antiqui omnes, ut adnotat Barboſa citato loco, & *num.* 5. cum Ripa. *in dict. leg.* 1. *num.* 18. & ex Cicerone contra Stoicos Cujacius *lib.* 11. *obſerv.* 37. Vera igitur, & ſtricta hæ. reſeos Etymologia ab electione ſumenda venit cum D. Hieronymo in dict. *cap. hæreſis* 24. *q.* 3. & ex receptiſsima Juris Interpretum ſententia, aliæ verò ab aliis traditæ, licet Etymologiæ nuncupatæ tales non ſunt, ſed potius alluſiones.

19 Nec me quiſpiam increpet, quaſi plus juſto enodandæ Etymologiæ immoratus ſim, ab Etymologia quippè vocabuli argumentum ſit validum in jure, & multum frequens ut colligitur ex *leg.* 2. §. *appellata. ff. ſi certum pet. leg.* 1. *in princ. &* §. 1. *&* 2. *ff. de furt. leg.* 1. *ff. de acquir. poſſeſſ. leg.* 1. *de juſt. & jur. leg.* 1. *ff. de teſtam. leg.* 1. *ff. de novation. leg.* 1. *ff. de Pact. Princip. Inſtit. quib. modis re contr. oblig. Princip. Inſtitut. de teſtam. cap. Fœtus* 10. *extra de verb. ſignif.* tum in *princip. capitis, tum verſ. Jurgium, & verſ. Teſtes.* & ferè ex univerſo hoc titulo idem conficitur. Illuſtrant, & comprobant idem argumentum Abbas *Conſil.* 82. *Quamquam. num.* 2. *verſ.* 2. *lib.* 1. Alexand. *Conſil.* 153. *Viſo Themate. num.* 3. *lib.* 7. Everard. *in Topicis legalibus, loco* 6. Cantiunc. in ſimili tract. *loco* 3. Petr. Andre. Gammar. *in Dialectic. Legali. lib.* 1. *loco* 3. Garc. Falcon. *reg.* 46. Cardin. Tuſchus *Prac. concluſ. tom.* 1. *lit. A. concluſ.* 500. Valenzuela *Conſil.* 4. *num.* 142. & pluribus aliis laudatis Auguſtin. Barboſ. *Var. tract. loco* 44. *per totum*: & inter alios argumentorum locos, hunc ab Etymologia tradũt Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, & poſt eos reliqui omnes Philoſophiæ profeſſores, ut videre licet, præcipuè apud P. Fonſecam *lib.* 5. *Inſtit. Dia-*

Dialect. cap. 2. Quamobrem cum hæreſis ab electione dicatur, electio autem ex libera determinatione, & deliberatione, utramque contradictionis partem, & fidei, & hæreſis perpendente, deſcendat, ut *num.* 8. diximus, profectò hæreſeos immediatam libertatem, & ipſius conſtitutivam pertinaciam ex ſufficienti cognitione, & libera voluntatis immediata determinatione coaleſcentem, fateri, cogimur.

SECT. QUADRAGESSIMAPRIMA.

Alias ex Jure Canonico inſtituit probationes.

1 ASſumptum illuſtratur quinto ex *cap. Damnamus. §. Si quis igitur. de Summa Trinitate, & fid. Catholic.* ubi Innocentius III. *in Concilio generali Lateranenſi*, ſic inter alia decernit: *Si quis igitur ſententiam, vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit tanquam hæreticus ab omnibus vitetur.* Ex hoc autem ſacro textu licet ita ratiocinari: Summus Pontifex præcisè, ut hæreticum damnat eum, qui ibi confixam Abbatis Joachim ſententiam, vel doctrinam approbare præſumpſerit: ſed *To præſumpſerit*, ſignificat in taliter operante ſufficientem cognitionem legis prohibentis, voluntatemque libero auſu procedentem, & conſequenter importat liberam, & proximè expeditam potentiam non tranſgrediendi legem: igitur hæreticus pertinax, dum ad aſſentiendum hæreſi determinatur, potens eſt proximè, ſcilicet pro priori illius inſtantis ſigno, ad aſſentiendum ipſi hæreſi, & ad aſſenſum fidei præſtandum: conſequentia rectitudine gaudet: prima aſſumptio ex ipſo textu patet.

2 Et communitur ex aliis concordantibus, nempè ex *cap. Unico, de Summa Trinitat. & fide Catholica, in* 6. in quo Gregorij decimi Pontificis Maximi in generali Concilio Lugdunenſi hæc habentur verba: *Damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint aternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere: ſivè etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.* Clementina, *unica. §. Porrò. de Summ. Trinit. & fide Cathol.* ibi: *Quis quis deinceps aſſerere, defendere, ſeù tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeù intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.* Clementina, *unica. §. ultimo. de uſuris. ſanè ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras, non eſſe peccatum: Decernimus eum velut hæreticum eſſe puniendum.* In quibus juribus cernere eſt, decerni hæreticos præcisè eos, qui doctrinam definitioni Eccleſiæ contrariam tenere pertinaciter, aut docere præſumpſerint, ut in majori, ſeù prima aſſumptione ajebam.

3 Minor, ſeù ſecunda aſſumptio oſtenditur ex recepta juris Interpretum ſententia, juxta quam *To Præſumere* dolum ac temeritatem denotat, ut per Baldum *Conſil.* 468. *num.* 5. *volum.* 4. Barb. *in cap. Prudentiam. not ab.* 1. *de Offici. deleg.* Decium, *in cap.* 2. *ſub num.* 6. *verſ. Secundo principaliter. de judici.* Hipolitum, *in leg. De minore. in princip. num.* 39. *ff. de quæſt.* Jacob. de Graf. *in Aureis deciſ. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 72. Azpilcuetam Navarrum *in Manual. cap.* 27. *num.* 156. *cum ſeqq. & cap. Accepta. de Reſti. ſpol. oppoſit.* 8. *illeti.* 9. *num.* 32. *& ſeqq.* Menoch. *Conſil.* 763. *num.* 10. Cardinal. *Clem.* 1. *de Privil. quæſt.* 39. D. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 54. *col.* 3. *verſic. Quærit.* Loterium, *de Re benef. lib.* 2. *q.* 14. *à num.* 54. Eraſm. à Cochier *de juriſd. ordin. in exemp. lib.* 4. *q.* 75. *num.* 4. *Glorit. Reſp.* 12. *num.* 26. Sacram Rotã, *in Aquenſi irregularitatis* 14. *Maii* 1607. *Coram Card.* Cavalerio, apud Barboſ. *de dict. uſufr. dict.* 278. *num.* 2.

Pa-

Patrem Thom.Sanchez.*de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 38.& apud ipsum ex Theologis adsentiuntur Cajetanus,Angelus,Rosella.Emman.Sa.

4 Dolus autem supponit scientiam,aut saltem non invenitur sine crassissima ignorantia, quæ dolo æquiparatur, ut docet quã optimè P.Thom. Sanchez *in dict. lib.* 9. *de Matr. disp.*32. *num.*36.*& seqq.* & ideò quando Canon expressè, aut tacitè petit dolum,non satis est crasa ignorantia, & lata culpa, ex *lege,sed & si lege.*§.*Scire. ff.de Petit.hæred.* ibi: *Non puto esse prædonem,qui dolo caret, quamvis in jure erravit.* Nam teste Bart. *leg.Quod Nerva.n.*7.*ff. Depositi.* & multis aliis,ignorantia juris præsumitur , etiã si adsit lata culpa,de qua re Consulendus Imola *cap.* 2. *n.*14.*de constitut.*& probatur *ex lege.igitur.* 12.*vers. Et generaliter. ff.de liber.causa.lege, si quis id. ad fin.vers. doli mali.ff.de jurisd.omn.judic.*idque docet Glossa,*lege.In actionibus ff.de in litem jurando.verbo.Non etiam.* Et lege, *Plagii. La* 2.*verbo, justa. Cod. ad leg.flaviam de Plagiar.* ubi & Baldus statim in principio,reddens rationem,quia qualibet ignorantia intervenienti, ut supra dictum est, & infra magis explicabitur , deficit animus delinquendi. Angel. *dict.leg. Si quis id quod.* §.*doli. ff. de jurisd.om. judicum.*Bartol.*leg.Quod Nerva. num.* 20. *ff. depositi.*Abbas,*cap.* 2. *de constit.num.*6. & ibi Alex. de Nevo, *num.*45.juncto *num.* 53. Anton. *num.* 9. Imola *num.* 12.Felinus. *cap. Si vero. cl* 2. *de sent. excom.vers. Nota quod constitutio.* Dominus Covarrub. 4. *decret.* 2.*part. cap.*6.§.8.*num.*21. deficit inquam animus delinquendi, contra legem,cujus ignorantia supponitur,licet inexcusabilis sit negligentia inquirendi: ex quo quodam modo contra ipsam legem ignoratam delictum admittitur , sed in diverso gradu, utpotè minus grave propter ignorantiam, propter quam delinquens dolo caret.

5 Inclarescet idem ex ipsius doli mali definitione,à Jurisprudẽtibus tradita,asserente enim Ulpiano in *leg.*1. §.*dolum.ff.de dolo malo,Dolum malum Servius ita definit : machinationem quandam alterius decipiendi causa cum aliud simulatur,aliud agitur.*Et quamvis Labeo apud eundem Ulpianum à Servio disidet, quoad ultimam definitionis partem, cum absque dolo quid simulari possit, & ex Pedio Servium sequitur Ulpianus in *leg.Jurisgentium.*7.§.*Dolo malo ait Prætor.ff.de Pactis*;eademque sæpè definitio usurpatur: Labeo autem sic definit, *dolum malum esse omnem calliditatem , fallaciam,machinationem,ad circumveniendum, fallendum,decipiendum alterum adhibitam.* Unde sivè hanc Labeonis, sivè priorem Servii definitionem amplectamur,(circa quod videndus præcipuè præstantissimus hujusce Salmantinæ Academiæ Scriptor D. D. Emmanuel Gonçalez Tellez *Commentar. in cap. unic. de commod. num.* 4.)apertè conficitur quod dolus exigit scientiam , seù sufficientem cognitionem in operante , quippè calliditas,fallacia,& machinatio ex sufficiente cognitione constituuntur.

6 Et propterea qui ignorat, dolo carere dicitur. *leg. qui jus* 138.*aliàs* 177.§.1.*ff.de Regul.jur.leg.Palam.*2.§.*Et generaliter.* 5.*ff. de doli mali,& metus except. leg. Si quis inficiatus. in princip. ff.depositi. leg. Illud.* §. *Si tamen. ff. de tribut. Glossa in dict.leg.*2.§. *Et generaliter,*& allegatis in juribus:unde fit,quod juris ignorantia excusat à dolo, & consequenter à pœna ad quam incurrendam requiritur dolus.ut docet Cynus *in cap.Ignorantia.*13.*de Regul.juris,in* 6.quia licet juris error sit lata culpa, non tamen est dolus: confert singularis Glossa in *leg.*1. *v.Qui pro socio.ff.de his qui not.inf.* quod notatBartol.in *leg.Si quis in tantam.Cod. undevi.*Antoni.*in cap.*1. *de dolo. & contu. allegans.leg.si ex causa.*§.*si commissum ff.de minor.*

7 Et pro hoc etiam , scilicet, quod ignorantia excusat à dolo,est *tex.*

in

in leg.ſed & ſi lege.§.ſcire.ff.de peti. hæred. Et ibi Bartol.idem tenet,Salicetus *in leg. Senatus. Cod. de his, qui ſibi affer. aliq. in teſt.*& Ange.*in lege,Si quis id.§. doli.ff.de juriſd. omn. judic.* ubi allegat Butrium fortius dixiſſe, quod etiam ignorantia juris naturalis excuſat à vero dolo, & *ad leg. 2. Cod. de In jus vocan.* quæ videtur contraria,dicit quod ibi non requirebatur verus dolus, ſed præſumptus, & ita tenuit dictus Butrius,in *lege,Regula.ff.de juris,& fac.ignor.* & præcitatus Angelus inquit,in *dict.leg.Senatus.* quod creditur alleganti, ſe ignoraſſe jus, ad excludendum dolum, & conſequenter pœnam, quæ eſſet imponenda propter dolum, ex quibus Silveſter de Prierio *in Sum. v.culpa.quæſt.*11. colligendum ait,quod ubi jus vel ſtatutum requirit verum dolum, ignorans non incurrit pœnam ejus, quantumcumque ſit culpabilis, licet alio modo ſit puniendus ſecundum modum culpæ.

8 Eidem doctrinæ favent Baldus in *cap. Ut animarum. in principio. ſecundæ colum. de conſtitu. in* 6. ubi dicit, quod perturbans aliquem in poſſeſsione ex injuſta cauſa putans ſibi licere, excuſatur à pœna ſtatuti punientis in centum, quod dolum requirit: per notata *in leg.Plagii criminis.Cod. ad leg.Flavi.de Plagiar.* Joannes Andræas *in tit. de Arbitr.in addition.ad ſpeculat.& in cap.*1. *de Electio.in* 6.Baldus,*in Authen. Generaliter. Cod. de Epiſcop.& Cleric.* Ludovic. de Rom.*in Rubr.de Arbitr.colum.*28. Innocenti. *in cap. de ſervorum. de ſerv. non ordin.*Imò in delictis latam culpam non æquiparari dolo, quantum ad pœnam corporalem, vel pecuniariam docent Bartol.in *leg. In actionibus. ff.de in litem juran. Et Gloſſ. in §. Juſpectus. Inſtitut.de ſuſpec.tut.* Unde inquit Baldus in *leg. Si quis id quod.in ult.colum.ff.de juriſd. omn. judic.* quod quando delictum circumſcribitur per dolum non ſufficit culpa: ſecus in his in quibus culpa ſimpliciter venit punienda, idem notat Angelus *in leg.Si quis. §. Doli. ff. de juriſdic. omn.judic.Sylveſter. v. culpa.quæſt. 3. num.*4. & *quæſt.*12.

9 Et profectò ad rem aurea ſunt Patris Leonardi Leſii verba *lib.* 1. *de juſt.& jur.cap.*2.*dubit.*4.*num.*25.ajentis: Porrò ignorantia juris, etſi craſſa ſit ſemper excuſat à dolo, & conſequenter à pœna legis,quando ad eam incurrendam lex requirit dolum, ſeù præſumptionem: quia ignorantia craſſa dolus non eſt;nec obſtat, quod culpa lata dicatur æquiparari dolo; hoc enim ſolum eſt verum, quando lex non requirit dolum,præſumptionem, aut ſcientiam,ſed ſimpliciter loquitur: & in actionibus deſcendentibus ex contractu, vel quaſi contractu: ut notat Sylveſter, &c.hactenus Leſsius.

10 Unde meritò Uveſembecius in *Paratit. ad tit. Cod. de dolo malo. num.*3.*fine*, dixit, quod eſt *contraria dolo ignorantia.* Et Arnold. Vinius in *Comm. §.Item is.*2.*num.*4.*Inſtit.Quib.mod.re contrahit. obli. Dolus* (inquit) *eſt machinatio conſultò ad nocendum alteri adhibita*: Liquidum ergò eſt,dolum non reperiri ſine ſcientia, ſeù abſque ſufficienti cognitione rei prohibitæ, aut legis prohibentis; quapropter cum Summus Pontifex Innocentius Tertius,in dict. *cap.Damnamus*, & alii Summi Pontifices in juribus *num.*1. & 2. allatis ut hæreticum damnant eum, qui doctrinam à Sancta Eccleſia definitivè proſcriptam defendere *præſumpſerit*: præſumere autem oportet dolum, & temeritatem: dolus inſuper, ſcientiam, ſeù ſufficientem cognitionem requirat: optima conficitur illatione, nullum eſſe formalem hæreticum ſine ſufficienti notitia definitionis Eccleſiæ: & conſequenter nec in hæreſim formalem labi quemquam abſque voluntate,non ex ignorantia, ſed cum ſufficienti notitia, & libero auſu ad aſſentiendum errori determinante, hoc eſt, cum immediata, & proxima libertate aſſentiendi, & diſſentiendi, ſivè myſterio,

rio, ſivè articulo definito, ſivè etiam hæreſi contrariæ.

11 Confirmatur, quòniam diſpoſitio puniens aliquid præſumentem, non comprehendit illud, qui id ignoranter, aut præcisè imprudèter facit, ut tradunt Azpilcueta Navarrus in *cap. Accepta de Reſti. ſpoliat. n.* 33. & *in Extravaganti de datis, & promiſ. n.* 35. *verſ. Audeat, ſivè præſumat.* Et in *cap. Statuimus.* 19. *q.* 3. *num.* 62. *fine verſ. nota ſeptimo.* Et *in manuali, cap.* 27. *num.* 155. *fine.* Avendaño *de exeq. manda. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 38. *verſ. Verum ſicut.* quos laudat Cenedo *ad decretal. collect.* 45. *num.* 3. & Auguſtin. Barboſ. *de diction. uſufreq. dic.* 278. *num.* 3. Igitur cum à Sacris Canonibus formales hæretici cenſeantur, qui doctrinam ab Eccleſia damnatam defendere præſumpſerint, vel auſu temerario aſſeruerint, illi utique comprehenduntur, qui ſcienter vel cum cognitione ſufficiente, non qui ignoranter præcisè propugnare aliquid decernunt.

12 Tum quia To *præſumere* ex traditis ſupra *num.* 3. importat temeritatem: temerè autem operari quidpiam eſt, id ſcienter efficere, ut docent Cardin. *in Clement.* 1. §. *Si quis. notab.* 1. *de Statu Monach. & ibi* Anchar. *num.* 15. Auguſtin. Barboſ. *de diction. uſufreq. dic.* 405. *num.* 1. præclarè Doct. Eximius P. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 4. *de cenſur. ſect.* 10. *num.* 2. & *diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 29. per hæc verba: *Tunc non poteſt dici temerarius tranſgreſſor, ut illa lex loquitur, qui loquendi modus non minorem energiam habet, quam verbum præſumpſerit, quod dum in his legibus ponitur, excuſat operantes ex metu, vel ignorantia etiam culpabili, ut ſæpè notavimus cum communi ſententia.* Et in prior. *diſp.* 4. dixerat, quod operari temerè idem importat quod *conſulto, & præſumendo*: unde in *cap. Unico de Sum. Trinit. & fide Cathol. in* 6. quod deſumptum eſt ex Concil. Generali Lugdunenſi, pro eodem uſurpatur: *Qui negare præſumpſerint, & temerario auſu aſſerere.* Hæreticus ergò qui aliquid contra Eccleſiæ definitionem aſſerere præſumit, ſeù temerè audet, ſcienter, & conſultò diſſentit Eccleſiæ definitioni, & conſequenter cum ſufficienti cognitione, & libertate proxima aſſentiendi veritati definitæ.

13 Imò juxta Angelicum Doctor. 2. 2. *q.* 53. *art.* 3. *ad* 2. temeritas propriè importat agere *ex contemptu regulę dirigentis, unde videtur ex ea radice ſuperbię provenire, quę refugit ſubeſſe regulę alienę.* ubi Cajetanus, *nota*, inquit, *quid propriè importet temeritas inordinationem ſcilicet ex contemptu regulę. Ex hoc enim poteris interpretari canones, quando temerè tranſgredientes excommunicant, &c.* Cum igitur hæreticus temerario auſu ſuum aſſerat errorem, eique temerè aſſenſum præbeat, fateri cogimur, illum agere ex contemptu regulæ dirigentis, ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt regula noſtræ fidei, quòniam ex radice ſuperbiæ refugit ſubeſſe regulæ univerſali, manifeſtum ergò eſt, quod gaudeat cognitione, & libertate proxima aſſentiendi, & diſſentiendi Eccleſiæ definitioni. Denique obſerva ex dictis non colligi, carere pertinacia, & temerario auſu, eum, qui aliquam ſententiam fidei contrariam tenet ignorando eſſe ab Eccleſia proſcriptam, ea tamen voluntate ut etiam ſi ſciret quid Eccleſia credendum jubeat, nihilominus in ſuo perſiſteret errore, quia iſte jam habet ſufficientem cognitionem, & veram pertinaciam, ut ſupra notavimus.

SECTIO QUADRAGESSIMA SECUNDA.

Ex eodem Jure Canonico, Gloſſa, & Antiquis Patribus idem ſtabilitur.

1 ILluſtratur prætereà aſſumptum, quia ut ex Jure Canonico conſtat pertinacia eſt de concep-

ceptu hæreſeos, ut cernere eſt in *cap. Dixit Apoſtolus. 24. q. 3.* ibi: *Nulla pertinaci animoſitate. cap. Qui in Eccleſia. 24. q. 3.* ibi: *Reſiſtunt contumaciter ::: defenſare perſiſtunt.* Clementi. *unic. §. Porrò. de Sum. Trinit. & fide Cathol.* ibi: *Pertinaciter affirmare præſumpſerit.* Clementi. *unica, §. ultimo. de uſuris.* ibi: *Pertinaciter affirmare præſumat.* Tum illativè, at ſatis perſpicuè idem traditur in *cap. Nulli. diſtinct. 19. cap. hæc eſt fides. 24. q. 1. cap. Schiſma. 24. q. 1. cap. hæreſis 24. q. 3. cap. Hæreticus. ead. cauſ. & quæſt. cap. Damnamus. §. Si quis. & §. In nullo tamen. de Sum. Trinit. & fide Cathol. cap. unic. de Sum. Trinit. & fide Cathol. in 6.*

2 Unde ſine pertinacia non dari hæreſim docet Gloſſ. *in cap. Quæ dignior. 24. q. 1. v. devita. cap. hæc eſt fides. 24. q. 1. v. Emendari. cap. Dixit Apoſtolus. 24. q. 3. v. Pertinaci.* edocent præter Authores Theologos, quos ſupra laudavimus Joan. Andræas *in cap. Statutum. el primero, in verbo, Conſtiterit. de hæretic. in 6.* & ibi etiam Geminianus, *in §. Hoc ſanè. num. 2. verſ. ultimo nota.* Archidiac. *in cap. Hæreſis. num. 1. verſic. Ideò non quicumque. & verſ. Unde ad rationem. 24. quæſt. 3.* & ibi etiam Bellamer. *num. 3. in fine. & num. 4. Abbas in Rubric. de Sum. Trinit. & fide Cathol. num. 6. & 7.* Cardinal. Zarabella. *in cap. Damnamus. de Sum. Trinit. §. Porrò. num. 5. & in princip. ejuſd. clem. num. 6.* Hoſtien. *in Sum. §. 1.* Archidiac. *in cap. 2. de hæret. in 6.* Card. Turrecremata *in cap. Dixit Apoſtolus. 24. q. 3. num. 5. & ſeqq. & in cap. Qui Eccleſiam. ead. cauſ. & q.* Addentes ad Azonem, in *Summ. in Rubric. de hæreticis. lit. C. verſ. Qui verò corrigi paratus eſt, non eſt hæreticus.* Addentes ad Hoſtien. *in Sum. Rubric. de Hæreticis. §. Quis dicatur. num. 1. lit. A.* Joan. à Rojas *tract. de hæret. parte 1. numero 37.* & plures apud ipſum relati. Repertor. Inquiſit. *verb. Hæreticus. verſiculo Item nota quod dicens contra articulos fidei.* Umbert. Locat. *in Judici. Inquiſit. v. Hæreticus. num. 18. verſ. 1. & in verbo ſententia. num. 19. verſ. Sed nota obſervationem.*

3 Exornant etiam, ac probant Illuſtriſsimus D. D. Simancas *Catholic. Inſtit. tit. 31. rubric. de Hæreticis. num. 12. & in Enchiridio, tit. 3. rubric. de hæretic. num. 2.* Dominus Covarrub. *variar. reſol. lib. 3. cap. 1. num. 2. verſ. Exigit profectò multa.* Clarus *in §. Hæreſis. verſ. Ad hoc autem.* Decian. *in tract. crim. lib. 50. cap. 17. verſ. 222. & tribus ſeqq.* Farinacius *de hæreſi. queſt. 178. §. 1. num. 16. & ſeqq. & queſt. 193. num. 3.* alios referens concordantes. Auguſt. Barboſ. *in collect. ad cap. Damnamus. num. 3. de Sum. Trinit. & fide Catholic.* ubi communiter repetentes. Torreblanca *de jure ſpirit. lib. 3. cap. 8. num. 23.* Carena *de Offici. Inquiſit. part. 2. tit. 1. §. 2.* D. Gonçalez *in Comment. ad cap. 1. de Hæretic. num. 7.*

4 Porrò hujuſcemodi pertinaciam ad rationem hæretici, ac hæreſeos neceſſariam, ex ſufficienti cognitione definitionis Eccleſiæ, & regulæ fidei, tum ex proximè libera voluntatis determinatione coaleſcere, innoteſcit ex ſacris juribus in hac ſectione, & præcedentibus adductis, cæterum id ipſum novam lucem accipiet; Nam in primis Gloſſ. *in Extrav. cum Inter. de verb. ſignificatione. verbo Pertinaciter*, inquirens, *quiſnam dicatur pertinaciter aliquid affirmare, aſſerere, defendere, vel tenere*, quia de his verbis in præallegatis juribus fit mentio, *Ad hoc* (inquit) *breviter poteſt dici, quod qui correctionem paratus eſt ſuſcipere, pro tali aſſertione hæreticus nullatenus eſt habendus. 24. q. 1. cap. Hæc eſt fides, &c.*

5 Sed dilucidius ſtatim eadem Gloſſa ſubjungit: *Alias autem pertinax ut videtur poterit reputari, qui contra prohibitionem ſuperioris, quaſi ex contemptu, ſcienter, vel ſtudioſè affirmat talia, vel defendit, ut colligitur 11. q. 3. Excellentiſsimus. extra de pœnis. cap. Gravem. de cler. excom. min. cap. 2. & cap. Si celebrat. in fine. cum ibi notatis, vel qui animoſi-*

ſitate, vel auſu incorrigibili ipſa defendit, vel aſſerit. dict. cap. Dixit Apoſtolus, vel qui falſas opiniones gignit, aut ſequitur, cum & talis hæreticus cenſeatur, 24. q. ult. hæreticus: ut ille qui animo ſuperbienti diſpoſitionem Sedis Apoſtolicæ articulos fidei non infringentis, ſervare, & ei obedire contemnit, cum peccatum ariolandi ſit, non obedire, & ſcelus idololatriæ non acquieſcere: vitium paganitatis contemnere obedire. 81. *diſt. Si qui ſunt.* 8. *q.* 1. *ſciendum. Et per hoc mori ſpiritualiter quis præcipitur, extrà, qui filii ſint legit. cap. per venerabilem. §. pen. & arg. ff. de re milit. leg.* 3. *§. in bello, vel ille qui animo detrahenti, vel irreverenti temeritate talia defendit, vel affirmat. extra de maled. cap.* 1. *Cum ibi notat. & arg. Cod. Si quis imperat. male. leg.* 1. *ff. de re. mil. omne delictum. §. qui manus. & leg. Milites. La ſegunda. §. irreverens.*

6 Hæc Gloſſa, multis inſuper id exornans, ac pergens: *Vel ille* (inquit) *pertinax dici poteſt, ſicut & obſtinax, qui monita ſuperioris deſpicit. extra de re judic. cap. Ad apoſtolicæ. §. Sed licet. & arg. ff. de pœnis. leg. legati*: nec Gloſſa hic ſiſtit, ſed aliis pluribus idem elucidat argumentum. Congruit præcipuè quod Clement. *unic. de Sum. Trinit. §. Porrò. in Gloſſa. v. Pertinaciter, habetur*, nempè: *Pertinacia in malo, perſeverantia in virtute, unde pertinax, valdè, vel imprudenter tenens, durus, irrevocabilis, indocilis, obſtinatas.*

7 Tum ſic, aſſerere aliquid ſcienter, ſtudiosè, & quaſi ex contemptu, tum animoſitate, & incorrigibili auſu defendere, Eccleſiæ obedientiam contemnere: & ſimilia quæ de pertinaci à Gloſſa aſſeruntur, manifeſtè oſtendunt prædicta illa duo pertinaciæ conſtitutiva, nimirum ex parte intellectus ſufficientem cognitionem, & propoſitionem definitionis Eccleſiæ, ſeù myſterii ab Eccleſia propoſiti, ita ut intellectus poſsit, ac teneatur illi objecto aſſentiri: ex parte verò voluntatis determinationem liberam aſſentiendi errori contrario, & diſſentiendi objecto ab Eccleſia definito, liberam inquam determinationem, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem, nec ſolum remotè, & mediatè, ſed etiam immediatè, & proximè: patet, nam diſſentiens objecto fidei dum ſupponitur cognitio ſufficienter dirigens ad aſſenſum, & cum obligatione proxima aſſentiendi, utique liber proximè eſt ad aſſenſum præſtandum, aliàs nec poſſet, nec tunc proximè deberet aſſentire, imò nec ſufficientem haberet objecti cognitionem ad aſſenſum fidei dirigentem; at pertinax in ſigno priori, & proximo ad diſſenſum pertinacem, ut ex prælaudatis Gloſsis patet, habet ſufficientem cognitionem ad aſſenſum fidei dirigentem, poteſt ac debet proximè aſſentiri objecto ab Eccleſia propoſito, & diſſentiri errori contrario; igitur pertinax ita errori aſſenſum præbet, ut poſsit immediatè, & proximè fidei objecto aſſentire, & contrario errori diſſentire.

8 Hæc conſecutio legitimè deſcendit ex pertinaciæ deſcriptione tradita à Gloſſa, quam amplectuntur, & comprobant Abbas Panormit. *in Comment. Clement.* 1. *de Sum. Trinit. & fide Cathol. num.* 11. Cardin. Zabarel. *ſuper cap. Damnamus. de Sum. Trin. & fide Cathol.* 22. *not. & Clement. unic. §. Sanè. de uſur. num.* 2. ubi ex Pau. aſſerit, quod pertinax dicitur, *qui valdè impudenter aliquid tenet, & affirmat*: & ex Genz. quod *pertinaciter*, ſignificat, *cum perſiſtentia incorrigibili. Ex cap. Dixit.* 22. *q.* 1. *pen. & in Clementi. unic. de Sum. Trinitat. num.* 6. ubi aſſerit, *quod ille tantum dicitur pertinaciter inhærere hæreſi, qui non eſt paratus corrigi ad mandatum ſuperioris.* Et iterum laudat ſupra adductas Gloſſas. Hoſtienſ. & communiter Doctores in *cap. Damnamus. de Sum. Trinit.* Cardin. Turrecrem. *in cap. Dicit Apoſtolus.* 24. *q.* 3. *ad ſecundum. num.* 6. *& de Eccleſia lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 16. ubi, *quod pertinax*

nax eſt impudenter tenens, quaſi per omnia tenax, eo quod in propoſito ſuo ad victoriam perſeverat.

9 Umbert. Locat. *in Judici. Inquiſit. in v. Hæreticus. num.* 18. *verſ. Sed nota*, ubi, *quod pertinaciter* affirmare dicitur ille, *Qui obſtinatus, vel quoquomodo non vult ſe removere de opinione. & in verſ. ſeq.* ubi quod *pertinax* dicitur ille, *Qui valdè impudenter tenet aliquid hæreticum, vel qui in propoſito ſuo ad victoriam perſeverat pluſquam oportet.* Et quare niſi quia cum cognoſcat, quid doceat Eccleſia, eligit illi diſſentire. Unde Illuſtriſsimus, & aprimè Sapiens Dominus Simancas *Cathol. inſtit. tit.* 48. ait, quod pertinacia aliud non eſt quam obſtinatio, & pervicacia, dicitur-que pertinax hereticus, *qui perſiſtit in errore, quem omninò deſſerere tenetur.* Concinunt Zanchin. *in tract. de hæretic. cap.* 26. *num.* 1. *verſ. Unde pertinax. & verſ. Ex hoc ergo patet.* Lopez *in Alleg. hæretical.* §. 4. *in princip.* Joan. à Rojas *in tract. de Hæretic. part.* 2. *num.* 215. ubi quod pertinax dicitur, *qui perſiſtit in negatione, ſeù errore, quem de neceſsitate tenetur dimittere.* Eymeric. *in Director. Inquiſ. part.* 2. *quæſtione* 40. *num.* 1. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 55. *n.* 1.

10 Concinunt Menoch. *Conſil.* 82. *num.* 171. *& ſeqq. lib.* 1. ubi inter alia docet, non poſſe dici pertinacem illum, qui ſe paratum emendare, & corrigi offert. *& de Præſump. lib.* 5. *præſump.* 7. *num.* 5. ubi quod pertinax hæreticus eſt ille, *Qui impudenter aliquam aſſertionem hæreticam dixit, eamque defendere audet adverſus majores ſuos contrarium docentes, nec ſuam ignorantiam emendat.* Burſat. *Conſil.* 7. *num.* 34. ubi, *quod pertinax dicitur, qui Judici præcipienti non obedit.* Ludovic. à Paramo *de Orig. Sanc. Inquiſ. lib.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 104. ubi docet, pertinaciam eſſe, *conſenſum deliberatum in errorem, quem quis certè ſcit eſſe contra doctrinam Eccleſiæ.* Conſimiliter Bartol. Ugolin. *in tract. de cenſur. Pontifici reſerv. part.* 2. §. 1. *num.* 10. & Card. Toletus, *de Inſtruct. Sacerd. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. fuſè, & pererudite Proſp. Farinac. *de hæreſi. quæſt.* 196. §. 1. *ferè per totum*: & præcipuè *num.* 6. ubi ait: (Quicumque credit aliquam propoſitionem veram eſſe, cujus contrariam ſcit eſſe Catholicam, hoc ſolo conſumatus hæreticus, & pertinax dicitur; pertinacia enim, quæ conſumatum facit hæreticum, non eſt obſtinatio, ſed quilibet conſenſus contrarius cognitæ veritati Catholicæ. Et ſic in ſumma verè pertinax eſt, qui credit contrarium ejus, quod ſcit Eccleſiam tenere, ſecundum veram, & receptam omnium Theologorum ſententiam, de qua aliis relatis teſtatur Simancas *Cathol. Inſtit. tit.* 48. *rubric. de pertinac. num.* 7. & 8.) Hæc Farinacius. Unde AA. aſſerentes pertinaciã eſſe obſtinationẽ, & perſeverantiam in errore, intelligendi juxta Farinacii doctrinam.

11 Et quòniam Illuſtriſsimus Pacenſis Antiſtes D. D. Jacobus Simancas inter Juris Canonici Interpretes, qui de hac re differunt, nemini ſecundus, imò facilè princeps oſtenditur, opere prètium duxi, quædam ex ipſius Catholicis Inſtitutionibus ſignanter excerpere: igitur de *Pertinacibus, & impœnit. titul.* 48. *num.* 7. (Hoc autem (inquit) annotatu dignum eſt, quod quicumque credit aliquam propoſitionem veram eſſe, cujus contrariam ſcit eſſe Catholicam, hoc ſolo conſumatus hæreticus pertinax eſt. Nec audiendi quidam, quorum eſt Alciatus, qui putant neminem hæreticum pertinacem eſſe, qui non habet animum obſtinatum, & admonitus non perſiſtit: nam pertinacia, quæ conſumatum facit hæreticum, non eſt obſtinatio ſola, ſed quilibet etiam verus conſenſus contrarius cognitæ veritati Catholicæ. Nec refert ex quâ cauſa ventum ſit ad talem verum conſenſum ſivè ex paſsione, ſivè ex in-

firmitate: verè enim pertinax eſt, qui credit contrarium ejus, quod ſcit Eccleſiam tenere. Quia ſicut fides perficitur aſſenſu intellectus, cum conſenſu voluntatis: ſic hæreſis conſumatur diſſenſione intellectus, & conſenſu voluntatis: & hæc eſt vera, & recepta Theologorum omnium ſententia.) Sic ille.

12 Nihilque planè pro re noſtra magis opportunum, pergit verò *num.* 8. & ait: (Accedit etiam ratio viva quidem, & ſpirans, quia Sacra Scriptura, & Eccleſiaſtica definitio, quibus fides Catholica continetur, plus valet, plus operatur, & poteſt, quàm ſexcentæ Judicis monitiones, & quàm mille prohibitiones juris humani: ſicut igitur is qui contradicit legitimis hominum admonitionibus pertinax eſt; & qui facit contra prohibitionem legis humanæ ipſo facto incidit in excommunicationem, quæ non niſi præcedentibus admonitionibus fieri ſolet: & legis authoritas pertinacem haberi facit quemlibet legis tranſgreſſorem: ſic etiam qui contra Scripturam Sacram, aut Eccleſiæ Catholicæ definitionem ſciens errat, hoc ſolo ſine alia admonitione pertinax hereticus eſt: nec præterea opus eſt, ut ſit obſtinatus inflexibilis, aut immutabilis: ſatis enim eſt ad conſumatam pertinaciam, ut hæreticus credat aliquid eſſe verum, cujus contrarium ſcit Sacris Litteris, aut Eccleſiaſticis definitionibus contineri: quia putat fidei ſubeſſe falſum, & ſcienter errat eligendo pertinaciter, non redigere in captivitatem intellectum in obſequium Dei, & Catholicæ fidei.) Hæc Sapientiſſimus Præſul, haud ſemel ſed identidem edocens, ad pertinaciam opus eſſe ſcientia, aut cognitione ſufficienti, Eccleſiaſticæ definitionis, aut veritatis in Sacra Scriptura contentæ; præſertim verò obſervandum venit, quod denique ait, videlicet, quod pertinax hæreticus, *ſcienter errat eligendo pertinaciter non redigere in captivitatem intellectum in obſequium Dei, & Catholicæ fidei*: Ex quibus omnibus evidens ſit, ab inclyto hoc Authore noſtrum confulciri aſſertum circa pertinaciæ conſtitutiva.

13 Nec minus luculenter idem ſtabilit *tod. tract. tit.* 31. *num.* 10. hiſce verbis: (Prætereà neceſſaria eſt adhæreſim ſcientia, vel notitia contrariæ veritatis, non enim ſufficit quod baptizatus erret in fide, niſi etiam ſciat id, quod approbat, contrarium eſſe Catholicæ veritati. Nam hæreſis electio eſt: nemo autem ignorat quæ eligit, ut lib. 1. Rethoric. Ariſtoteles Author eſt. Etenim electio voluntatis operatio eſt, quæ ex conſilio provenit: ea enim cum electione agimus, quæ antegreſſa eſt deliberatio: quemadmodum idem Philoſophus docet lib. 5. Ethicorum. Et ut ait Joannes Torquemada, electio firmam adhæſionem habet. Ariſtotel. *lib.* 1. *Rethor. cap.* 10. & 5. *Ethic. cap.* 8. Torquemada *lib.* 4. *de Eccleſia, parte* 2. *cap.* 13. In eo ergò conſiſtit potiſſima actio hæreſis, quod hæreticus conſultò ſe ipſum ab Eccleſia ſeparat. Unde Hieronymus, & Anſelmus, ſeù Herveus interpretantes Apoſtoli verba in *Epiſt. ad Titum*, ajunt: Paulus ſuo ipſius judicio condemnatum dicit hæreticum, quia cum reliqui facinoroſi per ſententiam judicum nonnunquam ab Eccleſia propelantur: ſoli hæretici in ſemetipſos ferunt ſententiam ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes: quæ receſio propriæ conſcientiæ damnatio eſſe videtur, quinimò ab Eccleſia recedere maxima condemnatio eſt. Cui conſinia ſunt Redemptoris noſtri verba apud Joan. dicentis, qui non credit jam judicatus eſt, ubi Teophilactus addit rationem, quòniam ipſa incredulitas condemnatio eſt. Eſſe enim extra lucem per ſe maximum ſupplicium eſt: Nec eget alio judicio, nec alia nova condemnatione. ad *Tit.* 3. & ibidem Hieron. & Anſel. *Joan.* 3. Albert. Pighi. *lib.* 1. *Hierarc. Eccleſ. c.* 4.

Bru-

Brunus *lib. 1. de hæret. c. 1.*) Porrò in his Illmi. D. Simancas aureis quidem verbis, & ſententia noſtra de pertinaciæ conceptu traditur, & hæreſeos immediata libertas cernitur, urgentiſsimiſque argumentis conſtabilitur, ac tandem ex Juris Interpretum ſententia comprobatur.

SECTIO QUADRAGESSIMA TERTIA.

Fidei, & hæreſeos immediata libertas deducitur ex eo, quod qui paratus eſt corrigi non eſt hæreticus.

1 PRo immediatâ fidei libertate, ac meritò novam inſtituo probationem ſequenti ratiocinio: Qui paratus eſt corrigi, & proteſtatur, quod non intendit à fide recedere, ſed judicium ſuum ſubmittit judicio Sanctæ Matris Eccleſiæ, quamvis aliquid hæreticale aſſereret, non eſt hæreticus; patet ex *cap. Hæc eſt fides. 24. q. 1. cap. Qui in Eccleſia. 24. q. 3. cap. Dixit Apoſtolus. eod. cauſ. & q. cap. Damnamus. §. in nullo. de Sum. Trin. & fide Cathol.* Ubi Sum. Pontifex Innoc. III. in generali Lateranenſi Concilio cum Abbatis Joachim ſententiam circa Sanctiſsimum Trinitatis Myſterium damnaverit, ut hæreticam, tamen Joachim Abbatem nullo modo cenſuit hæreticum fuiſſe, quòniam ipſe Abbas omnia ſcripta ſua (inquit Sum. Pontif.) *nobis aſſignari mandaverit Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeù etiam corrigenda dictans epiſtolam, quam propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ (diſponente Domino) cunctorum fidelium mater eſt, & magiſtra.* Et Gloſſa *verb. Corrigenda, Et ideò* (inquit) *quia paratus fuit corrigi, & ſe correxit, ut ſequitur* (facta nempè præfata proteſtatione) *non debet dici hæreticus licet quandoque erraſſet in fide.* Et in fine caſus eadem Gloſſa ibidem ait: *Nota quod licet aliquis erret in fide, ſi tamen eſt paratus corrigi, non eſt cenſendus hæreticus.* Eandem regulam generalem ſtatuit Gloſſa in *dict. cap. Dixit Apoſtolus. 24. q. 3. verb. Pertinaci.* Et *in cap. Nec licuit. in verb. Ad recipiendam. diſt. 17.*

2 Adſentiuntur communitèr DD. præſertim Cardin. Turrecrem. *in dict. cap. Dixit Apoſtolus. num. 5. & ſeqq. & lib. 4. de Eccleſ. part. 2. cap. 1. & 11.* Div. Antonin. *in Sum. part. 2. tit. 12. cap. 1. in princip.* Cardinal. Zabarel. *in clemen. 1. §. Porro. num. 5. de Sum. Trinit.* Navarr. *conſil. 6. incip. Hipotheſes. num. 14. de hæreticis.* Barthol. Verona. *caut. 155.* Rojas *de hæretic. part. 1. num. 62.* Decian. *conſil. 8. incip. Gravia ſunt. num. 128. volum. 1.* Antoni. Ricciol. *de jure perſon. extra gremium Eccleſiæ exiſtent. lib. 5. cap. 4. num. 3.* Alberic. *in Rubric. cod. de Hæretic. num. 4. in fin.* Dominus Simancas *Catholic. inſtit. 55. rubric. de proteſtatione. num. 4.* ubi ait; quod proteſtatio, quocumque loco, & tempore facta ſit, enervat, declarat, & vincit verba facta ſubſequentia, juribus, & Doctoribus eruditè per eum allegatis, & *num. 11.* ubi quòd proteſtatio prodeſt ad excludendam ſuſpicionem, & præſumptionem pertinaciæ, & *num. 13.* ubi idem repetit, & in *Enchirid. tit. 50. rubric. de proteſt. num. 3. & 7.* Proſper Farinac. *de hæreſi. queſt. 178. §. 7. per totum.* alios referens. Barboſ. *in collect. ad cap. Damnamus. de Sum. Trinit. & fide cathol. num. 3. & 5.*

3 Hujus verò ſententiæ, communi receptæ calculo, ea fundamentalis eſt ratio, quod qui errat, dum paratus eſt ab Eccleſia corrigi, nulla pertinaci animoſitate, nec contumaciter reſiſtit Eccleſiæ determinationi, quam ignorat, ubi autem deeſt pertinacia, & conſenſus contumax, abeſt etiam formalis hæreſis: unde Div. Auguſtin. in *lib. de vera religione.*

ne.cap. 7. inquit: *Tandiu error cujuslibet ſuſtinetur, donec accuſatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat:* Tum quia paratus ab Eccleſia corrigi, non vult Eccleſiaſticæ definitioni diſſentire, nec illam adhuc cognovit: igitur quia inde quis hæreticus, & pertinax in errore fit, quod velit liberè diſſentire cognitæ Eccleſiæ definitioni, ſeù Sacræ Scripturæ.

4 Unde paria eſſe, hæreticum eſſe pertinacem, vel incorrigibilem, notant Alphonſus de Caſtro *de juſta hæretic. punit. lib. 2. cap.* 1. Illuſtriſsimus Dominus Simancas *de cathol. inſtit. tit.* 48. *rubrica de Pertinac. num.* 23. Menoch. *conſil.* 81. *num.* 97. *& ſeqq.* Farinac. *de hæreſi. quæſt.* 196. §. 1. *num.* 3. nemo autem incorrigibilis eſſe poteſt, niſi, correctione ipſi propoſita, nolit ipſi acquieſcere, ſpontaneè quidem, & ex libera immediata ſua electione: vel niſi prava adeò, & pertinaci voluntate ſit affectus, ut quavis ſufficienti ſuppoſita admonitione, vel etiam antequam fiat, conditionatè velit ipſi diſſentire, quo in eventu ſufficiens jam fidei regulæ cognitio, & immediata libera ei reſiſtendi determinatio adeſt, & conſequenter abſque his duobus requiſitis hæretica pertinacia non conſiſtit. Prætereà animadvertendum, ad rationem hæreticæ pertinaciæ, internæ præcipuè, opus non eſſe externa correctione, nec admonitione: ſufficit quippè, quod liber aſſenſus erga errorem eliciatur cum ſufficienti definitionis Eccleſiæ cognitione: ſed quòniam talis cognitio cohibere poſſet voluntatem, & intellectum ab aſſenſu hæretico; ideò quodammodò incorrigibilis eſt hæreticus quilibet: cæterum quoad externum forum, niſi aliis ex capitibus pertinacia probetur, opus eſt admonitione, ut hæreticus quiſpiam cenſeatur: & ita intelligerem quod paria ſint eſſe hæreticum, & eſſe incorrigibilem.

5 Illuſtratur: quòniam quæri ſolet, an quælibet admonitio ſufficiat, ut hæreticum pertinacem faciat? Et quamvis diſsidium aliquod inter Authores inveniatur in aſsignanda ſufficienti admonitione, nihilominus in hoc omnes conveniunt, quod ut errans cenſeatur hæreticus pertinax, legitima vel ſufficiens eſſe debeat admonitio; cujus communis placiti Authores Theologos dedimus ſect. 39. n. 17. & ex Juris Interpretibus aſſertores ſunt Bellamer. *in cap. Quid autem. 24. q. 3. in verb. Sapientioribus: & in verb. Doctoribus.* Cardinal. Turrecrem. *in eod. cap. num.* 4. *in verb. Sapientioribus*, uſque ad finem hanc concluſionem exornans: præcipuè, & eleganter Dominus Simancas *de cathol. inſtituti. tit.* 48. *de pertinac. & impœnit. num.* 15. ubi inquit: *Sed quamvis aliquis ignorantia probabili erret, ſi tamen legitimè admonitus, ſtatim non reſipiſcit, exinde pertinax eſſe cenſebitur: quia per inde hæreticus eſt, ac ſi à principio ſciens errarèt. Unde Cyprianus Epiſt. ad Jubinianum, de hæreticis baptizandis ait, ignoſci poſſe ſimpliciter erranti: ſed poſt veritatis revelationem factam, qui in eo, quod erraverat, perſeverat, prudens, & ſciens, ſine venia ignorantiæ peccat: præſumptione enim, atque obſtinatione ſuperatur. Quam ſententiam ſubinde tradunt Auguſt. Leo Magnus, & ingens agmen. cap. Qui in Eccleſia. cap. Quid autem.* 24. *q.* 3. Gerſon *tract. de Proteſt. conſideratione.* 10. Alphonſus Caſtro *lib.* 1. *de juſta hæretic. punit. cap.* 9. Hactenus prælaudatus Author, & num. 17. in hunc modum pergit: *Quæri autem ſolet, an quælibet admonitio ſufficiat, ut hæreticum pertinacem faciat? Cui quæſtioni reſpondetur, legitimam eſſe debere admonitionem, ut hæreticum conſumatum reddat errantem: Nec eadem erit omnium hereſum ratio: nam in hereſibus planè damnatis legitima erit admonitio, ſi oſtendatur erranti Sacra Scriptura, vel Eccleſiæ Catholicę definitio*

tio hæreſibus contraria: ſi verò hæreſis nominatim damnata non ſit: argumenta evidentia vicem juſtæ admonitionis obtinebunt. Alphonſus Caſtro. *lib. 1. de juſta hæretic. punit. cap. 10.*

6 Huic receptæ ſententiæ ſubſcribentes, Juris Canonici Expoſitores edocent, Epiſcopi, vel Inquiſitoris admonitionem eſſe legitimam, & ſufficientem, ut errans reſipiſcat, alias pertinax futurus: ſic cenſent Anani. *in Rubric. extra, de Hæretic. num. 1. ante finem. verſ. Ex quo infert.* Et ibi etiam Felinus, *poſt princip. verſ. Et dicitur pertinax.* Repert. Inquiſit. *v. Hæreticus. verſ. Item hæreticus impœnitens. Et in v. Pertinax, verſic. Secundo. in fine.* Umbert. Locat. *in Judic. Inquiſ. verb. Credibiliora. num. 6.* Dominus Simancas *Catholic. Inſtituti. tit. 48. rubric. de Pertinacib. num. 19.* ex Bartol. *in leg. 3. §. Tutores. de ſuſpec. tutorib.* quem illic ſequitur Joan. de Neapoli. Compoſtellanus *in Clement. 1. de uſuris gloſ. 3. in Extravag. cum inter. Joann. XXII.* Lupus *allegatione de hæreſi. §. 3.* Nicolaus Arelatenſis, *in tract. ejuſd. tituli not. ab. 19.* & aliis plurib relatis Farinacius, *de hæreſi, quæſt. 196. §. 1. num. 10.*

7 Cæterum *num. 12.* aliquam Farinacius adhibet hujus placiti limitationē, nimirum quod, in his, quæ non ſunt expreſsè aſſerta, aut damnata ab Eccleſia, non teneretur quis credere alicui etiam Prælato, excepto Papa, niſi illa aſſertio claris comprobaretur argumentis, quando ſcilicet monitus ab Inquiſitore, ſeù Epiſcopo eſſet peritus in Theologia, ut docet Decianus *in tract. Crimin. lib. 5. cap. 55. num. 7.* ſecus ſi monitus eſſet illiteratus: hic enim Inquiſitori, aut Epiſcopo credere omninò deberet. Imò Farinacius in fine ejuſdem *num. 12.* adhærere videtur communi Theologorum ſententiæ, juxta quam non eſt pertinax, nec hæreticus is, qui exiſtimans non contravenire Eccleſiæ, aut Pontifici defendit hæreſim, non acquieſcendo Inquiſitoribus, Epiſcopo, & viris doctis, contrarium aſſerentibus, licet tunc talis temerarius eſſet, & mortaliter peccaret, pro qua ſententia ipſe Farinacius ibidem allegat P. Thom. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 7. num. 25.* Torres, Canum, Valentiam, Vazquium, Sayrum in locis à P. Thoma Sanchez adductis, & adnotat ex P. Valentia *in 2. 2. D. Thomæ. quæſt. 11. art. 1. verſic. Secundo ſequitur*, hanc eſſe communem ſententiam.

8 Nihilominus exiſtimo in re nihil diſcrepantiæ Theologos inter, & Juriſperitos inveniri, non quidem præcisè, quia Juris Interpretes ſecundum præſumptionem, & in ordine ad externum Eccleſiæ forum, & illius pœnas intelligendi veniant: Theologi autem ſecundum veritatem, & in ordine ad forum conſcientiæ loquantur, ut inſinuavit Mag. Cano *lib. 12. de locis. cap. 9. ad finem*; ſed inſuper, quia licet in ordine ad conſcientiæ forum, & ad veritatem utraque ſententia procederet, Juriſperiti non aſſerunt, ſemper, & pro omni eventu, ac indiſcriminatim ſufficere Epiſcopi, aut Inquiſitoris monitionem, ſed plerumque, & regulariter, ut patet ex Domini Simancas verbis, *num. 5. fine*, exaratis.

9 Et non minus diſſertè eodem titulo 48. *num. 20.* poſtquam ſtabilivit Sapientiſsimus hic Præſul communem, quam verſamus Juris Interpretum ſententiam, *ſed Alphonſus noſter* (inquit) *ab hac ſententia diſſentit: quia non ſemper hæreſis eſt talis, ut Inquiſitor ſciat, illam hæreſim eſſe: & quia fieri poteſt, ut Inquiſitor erret. Meo tamen judicio à communi ſententia recedendum non eſt: nec enim Alphonſi argumenta magis receptam doctrinam deſtruunt, quàm una, aut altera exceptio generalem regulam tollit. Cum autem Inquiſitores viri docti, & prudentes eſſe ſoleant, & cum peritorum conſilio facere omnia teneantur, præcipuè illa, quæ dubia atque difficilia fuerint, is qui errat,*

credere illis debet in dubiis quæstionibus ad eorum officium pertinentibus. Juris igitur Doctores haud diffitentur in uno, aut altero eventu, Episcopi, & Inquisitoris monitionem posse esse insufficientem, licet communiter sufficere statuant: ut ex traditis à Deciano, & Farinacio locis *num. præced.* allegatis manifestè etiam patet: id ipsum verò Theologi docent, inter illos præcipuè vide Canum, loco nuper citato, & Eximium Doctorem P. Suarez *tract. de fide. disp.* 19. *num.* 21.

10 Explorati ergò juris est, quod, ut hæreticus, & pertinax quispiam sit, sufficiens objecti credibilis propositio ipsi inesse debeat, aut debet fieri: ut puta, *si ei quoquomodo constiterit,* (verba sunt perdocti Domini Simancas, *Cathol. Institut. tit.* 48. *num.* 18.) *propositionem errori suo contrariam, esse Catholicam: vel si justis argumentis fuerit à quocumque convictus: tenetur enim confestim ab errore discedere, & acquiescere cognitæ veritati*: ubi perpendo verba *constiterit, & justis argumentis convictus,* quæ significant, non qualemcumque objecti credibilis cognitionem sufficere, sed adeò perspicuam esse debere, ut illud ex præcepto credibile, contrarium verò incredibile prudenter constituat, & ostendat: concinunt Farinacius, ac Decianus, locis ac verbis traditis *num.* 6. & fulcitur ex D. Cypriano *Epist. ad Julian. in verbis num.* 5. *adductis.*

11 Dilucidè D. Augustin. *lib.* 4. *contra Donatistas, cap.* 6. *Constituamus* (inquit) *aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem; nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Ecclesiæ maluerit, quod tenebat eligere.* Similia edocet *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 51. & habetur *in cap. Qui in Ecclesia.* 24. *q.* 3. necnon D. Hieronymus Glorio, & Eleusio *Epist.* 162. *in cap. Dixit Apostolus.* 24. *q.* 3. D. Leo. *epist.* 10. ad Flavianum *in cap. Quid autem. dic. can. & quæst.* Tum sic, sed is, cui sufficiens admonitio facta est, adeò, ut possit, ac debeat objecto credibili, ut ab Ecclesia proposito assensum præstare, si errori assentiatur, liberè proximè id efficit, cum ex prælucente cognitione possit immediatè veritati revelatæ à Deo, & ab Ecclesia edoctæ assentiri: igitur coalescente pertinacia ex sufficiente objecti credibilis notitia, & ex libera prava electione, conficitur sanè immediata tum fidei, tum hæreseos proxima libertas.

12 Et quòniam in prælibata doctrina circa requisitam sufficientem monitionem, eadem est Theologorum, & Jurisperitorum mens ac sententia, percommodè cadet, ex Doctore Eximio sequentia adnotare, quæ tradit *disp.* 19. *de fide. sect.* 3. *num.* 21. ubi distinguere (inquit) oportet, an modus admonitionis sit sufficiens ad obligandum, ut verum esse credatur, quod proponitur non solum, ut ab hominibus sua authoritate dictum, sed ut definitum ab Ecclesia, authoritate divina; ita ut & authoritas Ecclesiæ, & definitio ejus circa talem materiam sufficienter proponantur, tanquam evidenter credibiles: si ergò instructio, & propositio non fuerit hoc modo sufficiens, tunc locum habebit, quod posteriores Authores docent (scilicet non semper Episcopi, vel Inquisitoris admonitionem esse sufficientem) ex illo principio generali supra tradito, quod ad credendum, necessaria sit sufficiens propositio objecti credibilis; at verò si admonitio, & instructio sit hoc modo sufficiens, sine dubio erit pertinax, & hæreticus, qui restiterit, etiam si dicat, se non credere talem propositionem, quia non credit esse definitam ab Ecclesia, vel à Concilio, aut Pontifice habente infallibilem authoritatem: sicut ergò respectu Dei ad pertinaciam non est necessarium, ut aliquis credat aliquid esse dictum à Deo, & nihilominus esse falsum; sed satis

tis eſt, ut credat eſſe falſum, quod ſibi ſufficienter proponitur ut dictum à Deo: ita dicendum eſt reſpectu Eccleſiæ, quæ in hoc negotio habet vicem Dei, & ſe ipſam ſufficienter proponit, & ut veram Eccleſiam, & ut hoc, vel illud definientem, quia ergò admonitio, & inſtructio, quæ ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus ordinariè fit, ſufficiens eſt, tum quia magno conſilio, & doctrina fit; tum etiam, quia ordinariè eſt de rebus jam definitis, & in Eccleſia Catholica communiter receptis, ideò prima ſententia (nempè Juris Interpretum) rectè explicata etiam in foro animæ locum habet.) Hæc P. Suarez perſpicuè comprobans noſtræ probationis aſſumptum.

13 Illuſtratur nonò, quòniam ignorantia excuſat ab hæreſi, non ſolùm ſi probabilis ſit, verùm etiam vincibilis, & craſa, quamvis non affectata, ut infra dicetur; igitur hæreticus eſt ille qui cum ſufficienti notitia objecti ab Eccleſia edocti, & definitionis ipſius Eccleſiæ diſſentitur tali objecto ab Eccleſia propoſito, & definito: ſed id hæretici diſſenſus manifeſtè determinatur à voluntate immediatè, & proximè potente determinare ad aſſenſum fidei, & hæreſi contrarium: igitur ex ipſo hæreſeos conceptu patet immediata voluntatis libertas imperandi aſſenſum erga minus veriſimilia; certum quippè eſt, quod ſufficienter intellectui propoſito objecto fidei, ita ut homo ei aſſenſum præbere teneatur propter motiva credibilitatis noſtræ fidei, fit illud objectum longè veriſimilius, & credibilius, quam objectum hæreſeos, cum myſterium revelatum ſit evidenter credibile, ſecus hæreſis, quæ prudenter aſſenſum extorquere nequit: hæc omnia perſpicua ſunt, & ex prima aſſumptione legitimè deſcendunt, illam ergò ſic probo.

***

SECTIO QUADRAGESSIMA QUARTA.

Ab ignorantiæ excuſatione hæreſis formalis, & fidei immediatam evincit libertatem.

1 IGitur in ſacris juribus nemo hæreticus cenſetur, donec ſufficienter fidei veritas, & Eccleſiæ definitio in illius mente ad aſſentiendum eluceſcat, patet ex *cap. Qui in Eccleſia. 24. q. 3.* ibi: *Si correpti ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt.* Ubi perpendo maximè illa priora verba, *ſi correpti*, & ultima *hæretici fiunt*: ex quibus colligitur, quòd antè correptionem, ſeù ante ſufficientem notitiam, licet in errore perſiſterent, hæretici non eſſent, quamvis culpa etiam gravi non carerent ex negligentia inquirendi; conſtat, quòniam ſi ex craſa ignorantia jam fuiſſent hæretici, nec correptione opus eſſet, ut in hæreſim inciderent, nec poſt correptionem inciperent fieri hæretici.

2 Tum quia prædicta admonitio non præcisè fieri debet, ut errantes inquirant veritatem, ſed ita etiam, ut per illam de Eccleſiæ fide edoceantur, ut liquidum ſit ex traditis ſect. præcedenti. *num.* 5. cum ſeqq. Concinit Ambroſ. de Vignate, *in tract. de hæreſi. §. 4. num.* 8. ubi inquit: *Ex quibus infertur quod illa ſola monitio, vel correctio ſecunda eſt legitima, vel ſufficiens reputanda, quæ per Epiſcopum, vel Inquiſitores, vel alium Juriſperitum erranti oſtenditur apertè, quod aſſertio ſua Catholicæ obviat veritati, ita quod judicio intelligentium nulla poſsit tergiverſatione negare, quin ſit ſibi ſufficienter, & apertè oſtenſum, quod error ſuus Catholicæ veritati repugnat.* Igitur, qui ignorantia etiam culpabili, & craſa præcisè laborat, & errat in fide, cum ad-

adhuc non cognoſcat, quod aſſertio ſua Catholicæ obviat veritati, non eſt pertinax, nec formalis hæreticus.

3 Confirmatur ex *cap. Dixit Apoſtolus.* 24.*q.*3. ibi: *Sed qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt; præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, & in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* In quo textu perpendo dictionem *præſertim* cum Arnald. Albertin. *tract. de Agnoſc. aſſertion. Cathol. & hæretic. quæſt.* 29. *num.* 4. & 5. ubi notat hujus dictionis *præſertim*, eam eſſe ſignificantiam, ut dicat, idem in caſu contrario, ſed majorem rationem in expreſſo, ut de dictione, *maximè*, idem importante dicit Gloſſ. *in leg. Illud. ff. ad leg. Aquil.* Abbas *in cap. Firmiter. §. Una. col. fin. de Sum. Trinit. & fide Cathol. & in cap. ad Abolendam. de filiis præsbit*; quod autem *To præſertim* idem importet, quod *maximè*, notat, pluribus adductis, Auguſtin. Barboſ. *de diction. uſufreq. dicti.* 277. *num.* 1. & alios etiam refert, & ſequitur *Albertin. loco citato.*

4 Cæterum ſignanter quòd dictio *præſertim* ſignificet, idem juris eſſe in caſu contrario, docet Natt. *Conſil.* 590. *num.* 4. *tom.* 3. Caſſad. *deciſ.* 4. *num.* 8. *de conceſſ. præb.* Cened. *poſt libr. practic. & canonicar. quæſt. ſingul.* 83. *num.* 2. ubi quòd in ſtatutis poſita debet intelligi ſemper pro *maximè*, hoc eſt, quod præſupponat, idem eſſe in ſuo poſitivo, ſeù in caſu contrario: eandem ſignificationem approbat Barboſ. loco proximè citato, *num.* 5. quamobrem ex dictione *præſertim* non poteſt ſumi argumentum à contrario, ut de dictione *etiam* ait Jacob. Butri. in *leg.* 15. *Cod. de Epiſc. & Cleri.* Jaſ. *in leg.* 1. *in princ. col.* 6. *ff. de offi. ejus cui man. eſt jur.* Ex quibus de dictione *præſertim* idem aſſerit Albertin. *de Agnoſc. aſſerti. Cathol. & hæret. quæſt.* 29. *num.* 5. & ejuſdem ſententiæ fuit Immol. *in cap. Cum Apoſtolica. de his, quæ fiunt à Prælat. &c.* Auguſtin. Barboſ. *dictione* 277. *num.* 1. & 6. cum pluribus ab ipſo laudatis.

5 Igitur mens Sacri Canonis, & S. Hieronymi in *dict. cap. Dixit Apoſtolus*, fuit dicere, non eſſe hæreticum eum, qui non eſt pertinax, & eſt paratus corrigi, ſivè ab aliis doctus fuerit illam hæreſim profiteri, ſivè à ſe ipſo illam confinxerit, & ſivè cauta ſolicitudine veritatem quæſiverit, ſivè non, dummodò temerario auſu errori non aſſentiat. Verum eſt tamen, quod multò major ratio militat, ut non ſit judicandus hæreticus, qui abſque eo, quòd non ſit pertinax, & eſt paratus corrigi, fuit doctus illam hæreſim à parentibus lapſis, & etiam curat cauta ſolicitudine veritatem invenire. Prædictum textum ſic exponit Arnal. Albertin. *citat. quæſt.* 29. *de agnoſcend. aſſert. Cathol. & hæretic. num.* 4. *fine.* Sed qui ſententiam ſuam fidei contrariam, & perverſam retinet, licet corrigi paratus, ſi tamen cauta ſolicitudine non quærit veritatem, in his quę ſcire tenetur, craſa equidem laborat ignorantia, maximè ſi non ab aliis ſeductis, ſed à ſe ipſo deceptus in talem inducitur errorem, ut patet: igitur ſolum ex ignorantia craſa non fit quiſpiam hæreticus, dummodò corrigi paratus ſit.

6 Secundo, & principaliter probatur, quia in Jure Canonico illi tantum aſſeruntur hæretici pertinaces, & formaliter tales, qui ſententiam Catholicæ fidei contrariam defendere, aut affirmare præſumpſerint, vel auſu temerario aſſenſum illi præſtiterint, ſivè qui cum pertinacia tali ſententiæ adhæſerunt, ſed id temeritatis, & pertinaciæ importat ſcientiam, ſeù ſufficientem cognitionem regulæ fidei, & doctrinæ ab Eccleſia propoſitæ: igitur tantum ex craſa, & culpabili ignorantia ne-

nemo ſit hæreticus, ſed oportet, ut non ſit corrigi paratus: & propterea ille, qui corrigi paratus eſt, excuſatur ab hæreſi ob ignorantiam licet culpabilem, & craſam. Hujus probationis aſſumptio prima, & ſecunda ex dictis ſect. 38. 39. & ſequentibus liquidæ ſiunt: conſequentia autem legitima eſt.

7 Tertio: errans ignorantia, non eo ipſo conſentit errori, quid enim tàm contrarium eſt conſenſui, quàm error, qui imperitiam detegit? Niſi fortè cognita ſufficienter veritate, nihilominus in errore perſiſtat, aut ita eſt diſpoſitus ex parte voluntatis, & intellectus, ut ſi cognoſceret Eccleſiæ determinationem, in eo etiam errore permaneret: quia tunc errorem ſatis approbaret, & hæreticus pertinax eſſet: & quidem licet ob culpabilem, & craſam ignorantiam error ſit imputabilis, tamen non ſub ratione pertinaciæ, quæ exigit ad ſui conſtitutionem objectum eſſe cognitum in ratione obviantis definitioni Eccleſiæ: mortale igitur eſſet peccatum in tali voluntario, & erroneo aſſenſu, ſed non hæreſis. videſis ſect. 39.

8 Quarto. Hæreticus pertinax, & formalis ille ſolum in jure cenſetur, qui ſecundum præſentem aſſenſus ſtatum, non eſt paratus corrigi, ut patet ex dictis ſect. 43. per totam. Accedit-que Card. Zabarel. *in cap. Damnamus. de Sum. Trin. & fide Catholica. notab.* 22. *num.* 6. ubi ait, quod dicitur pertinaciter defendere, qui ad mandatum ſuperioris non eſt paratus corrigi, argumento à contrario, ſumpto ex *dict. cap. Damnamus.* Idem Zabarela in *Clem. unica de Sum. Trin. & fide Catholica in princip. num.* 6. notat quòd ille tantum debet dici pertinaciter inhærere hæreſi, qui non eſt paratus corrigi ad mandatum ſuperioris: colligiturque ex *leg.* 3. §. 16. *ff. de ſuſpec. tutor.* ubi ait Juriſ-Conſultus Ulpianus, *tutores qui vel pecuniam neque ad prædiorum comparationem conferre: nec pecuniam deponere pervicaciter* (alias pertinaciter, ut Gloſſa adnotat) *perſtant quoad emptionis occaſio inveniatur, vinculis publicis jubentur contineri, & inſuper pro ſuſpectis habentur*: Gloſſ. *Tb pertinaciter* explicat, *quia fortiter reſiſtit, cum Judex ei præcipit.* Ut in *leg.* 7. §. *ſi deponi. & §. idem. ff. de Adminiſtr. & peric. tutor.*

9 Et ideò nollens errorem defendere, ſed rationem audire, non eſt hæreticus, ut inquit Albericus de Roſate *in Rubr. Cod. de hæret. per dict. cap. Dixit Apoſtolus.* 24. *q.* 3. Calderin. *conſil.* 5. *incip. Diaconus eſt profeſſus. in tit. de hæret.* Andr. de Iſer. *in tit. de ſtatu. cont. lib. Eccleſ.* §. *defidamus in feudis.* Petr. de Bellaperti. *in leg.* 1. *Cod. de hæret.* Joan. de Ana. *in Rubr. de hæret.* Arnal. Albert. *de cognoſcen. aſſert. cathol. & hæret. q.* 2. *num.* 13. & generalis eſt Gloſſæ regula in *Extravag. cum inter. de verb. ſig. verb. Pertinaciter*, quod qui correctionem paratus eſt ſuſcipere pro tali aſſertione hæreticus nullatenus eſt habendus: Tum ſic, ſed qui vincibili, & craſa ignorantia in re fidei laborat, poteſt eſſe paratus corrigi ab Eccleſia: igitur error ex craſa ignorantia ortus non ſufficit ad conſtituendum quempiam hæreticum pertinacem: conſequentia eſt bona, ſubſumpta verò probatur primo ex *cap. Dixit Apoſtolus.* 24. *q.* 3. juxta interpretationem Armaldi Albertini exaratam hac ſect. *num.* 5. Et ex *cap. Qui in Eccleſia. eod. cauſ.* 24. *q.* 3. juncta ponderatione tradita hac ſect. *num.* 7. & ex alijs ſupra adductis *ſect.* 39. *num.* 11. & ſequentibus.

10 Quinto: formalis hæreſis importat temeritatem, & temeritas dolum includit. Dolus autem, & temeritas ſupponunt ſufficientem cognitionem in operante, & propterea ignorantia licet culpabilis excuſat à dolo, & temeritate, & conſequenter non ſufficit ad formalem hæreſim, ut omnia probata manent ſect. 41. per totam. Atque ita docent D. Joannes Lopez de Palacios Ru-

Rubios, *Allegationz in materia hæreſis.* §. 5. *fine.* ubi inquit: *Sed quamvis excuſetur quis ab hæreſi, ſi errat in his, quę explicitè credere tenetur, ſi pertinaciam non adjungat, non tamen excuſatur à peccato.* Idem confirmat §.4.*num.* 13. *cum ſeqq.* Joannes Nicolaus Arelatanus *tract. de hæreti.notab.* 33. Baldus in *cap. Firmiter de Sum. Trin. & fide cathol.* Gundiſalvus *tract. contra hæretic. pravit. queſt.* 2. ubi cum ex ignorantia quempiam ab hæreſi excuſari dixerit, in his etiam, quę quilibet ſcire tenetur, ſubdit: licet tamen ego excuſarem hujuſmodi hominem ab hæreſi, non tamen excuſarem illum à peccato, ſi erravit in his, quæ ſcire tenebatur de pertinentibus ad fidem. De quibus per S. Thom. 2.2. *q.* 2. *art.* 5. quia & ipſa ignorantia eſt peccatum in his, quæ ſcire quis tenetur. 38. *diſt. cap. qui ea.* & per Philoſophum 3. *Eth.* & per Magiſtrum 2. *ſent. diſt.* 22. Hæc ille.

11 Adſtipulantur Ludovicus Carrerius *de Hæretic. num.* 8. *ad medi.* Arnald. Albert. *de Agnoſcen. aſſertion. cathol. & hæret. q.* 29. *num.* 4. *fine. & num.* 5. & 6. & *queſt.* 30. *num.* 26. & *q.* 36. *num.* 4. & 6. Zanchinus Ugolinus *tract. de hæreticis. cap.* 5. *num.* 6. *fine. & cap.* 7. *num.* 8. ubi de requiſitis ad rationem hæreſis, & hæretici formalis ait, quòd meritò dictum fuit ſupra ſcienter, & ex propoſito, ne aliter ignorantia puniretur, quod fieri non debet, pœna ſcilicet ordinaria impoſita formali hæretico.

12 Dilucidè, & perdoctè Illuſtriſsimus Dominus Simancas *catholic. inſtitut. tit.* 30. *num.* 4. *Hęc autem tria* (inquit) *quibus conſumata efficitur hæreſis planè, ac familiariter ita explicari poſſunt: ut hæreſis ſit dogma falſum, ſeù doctrina, propoſitio, aſſertio, vel opinio falſa, qua ſcienter aliquis eligit contrarium ejus, quod Eccleſia catholica docet:* Idem Sapientiſsimus Præſul *eod. tract. tit.* 31. *de Hæreticis. num.* 10. *Prætereà* (ait) *neceſſaria eſt adhæreſim ſcientia, vel notitia contrariæ veritatis: non enim ſufficit, quod baptizatus erret in fide, niſi etiam ſciat, id quod approbat contrarium eſſe catholicę veritati. Nam hæreſis electio eſt: nemo autem ignorat, quę eligit, ut libro primo Rethoricum Ariſtoteles author eſt. Etenim electio voluntatis operatio eſt, quę ex conſilio provenit: ea enim cum electione agimus, quæ antegreſſa eſt deliberatio: quemadmodum idem Philoſophus edocet lib.* 5. *Ethicorum. Et ut ait Joannes Torquemada, electio firmam adhæſionem habet. Ariſtotel. lib.* 1. *Rethoric. cap.* 10. & 5. *Ethicorum. cap.* 8. *Torquemada lib.* 4. *de Eccleſ. part.* 2. *cap.* 13.

13 In eo ergò pergit Dominus Simancas, conſiſtit potiſsima ratio hæreſis, quod hæreticus conſultò ſe ipſum ab Eccleſia ſeparat, unde Hieronymus, & Anſelmus, ſeù Hervæus interpretantes Apoſtoli verba in *Epiſt. ad Titum*, ajunt: Paulus, ſuo ipſius judicio condemnatum dicit hæreticum, quia cum reliqui facinoroſi per ſententiam judicum nonnumquam ab Eccleſia propellantur: ſoli hæretici in ſemetipſos ferunt ſententiam, ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes. Cui conſinia ſunt Redemptoris noſtri verba apud Joannem dicentis: *qui non credit, jam judicatus eſt.* Id quod pluribus pergit firmare argumentis. Tum eo *tit.* 30. *tum* 48. *de Pertinacibus. præcip. num.* 7. ubi addit: Hoc autem annotatu dignum eſt, quod quicumque credit aliquam propoſitionem veram eſſe, cujus contrariam ſcit eſſe Catholicam, hoc ſolo conſumatus hæreticus pertinax eſt: ubi perpendo *To ſcit*, & illa etiam verba, *hoc ſolo conſumatus hæreticus eſt*, quæ ignorantiam Catholicæ veritatis ab hæreſi, & pertinacia excludunt: imò in fine ejuſdem numeri poſt confirmatum prædictum aſſertum ſubjungit pereruditus Antiſtes: *Et hæc eſt vera, & recepta Theologorum omnium ſententia*, quorum refert plures.

14 Sed dilucidius idem docet *eod. tract. tit.* 26. *de errore, & ignoran-*

tia.

tia. num. 7. ubi asserit: Ille vero, qui ignorantia errat in fide, credens contrarium ejus, quod explicitè scire tenebatur: peccat quidem peccato negligentiæ, non tamen hæreticus est: aliud enim est hæresis, aliud error ignorantiæ; nam hæresis pertinaciam habet cum electione contraria doctrinis Ecclesiæ: error autem ignorantis, etsi culpam habeat, si tamen pertinacia careat, nullo modo hæresis est. Accedit etiam, quod errans ignorantia, non eo ipso consentit errori: quid enim tàm contrarium est consensui, quàm error, qui imperitiam detegit? Nisi fortè cognita veritate nihilominus in errore persistat: quia tunc errorem approbaret, & hæreticus pertinax esset. Quinimò errorem approbare censetur, qui non dolet statim veritate cognita. Nam ut apud Aristotelem est, omne quod ob ignorantiam est actum, non sponte quidem est actum: ab invito tamen id effectum est omne, pro quo dolet, qui (ob ignorationem scilicet) egit, ipsumque pœnitentia subit. Qui namque ob ignorationem aliquid egit, & non fert molestè, se illud egisse: sponte quidem sua non egit, quod nesciebat: non tamen erit invitus, quippè cum non doleat ob id ipsum. *leg. Si per errorem. de jurisd. omni. judic.* Aristotel. *lib.* 3. *Ethic. cap.* 1. 29. *q.* 1. Armachanus *lib.* 15. *de errorib. Armenorum. cap.* 25. Gerson *lec.* 5. *de vita spirituali. col.* 5. Franciscus Victoria 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Alphons. de Castro *lib.* 1. *adversus hæres. cap.* 9. Tiraquel. *de Pœnis. causa.* 11. Cum igitur hæreticus non sit, qui ignorantia errat, coercendus quidem non erit pœnis hæreticorum, sed errores suos arbitrio judicum revocare debet... neque aliquam hæreticorum pœnam patietur: quia nec est neque fuit unquam hæreticus. Et ita Theologi, & Jurisperiti sentiunt. *Extravag. vas electionis. in fine. de hæretic.* Gvil. Occam *part.* 2. *Dialogorum, tract.* 1. *cap.* 10. Gerson *tract. de Protestati. considerati.* 11. Matth. Joann. de Lignano, & Cardinal. *in clement.* 1. *de Sum. Trin.* Lupus *in clement.* 1. §. *ult. de usur.* Joann. Imo. *in clement. Nolentes. de hæretic.* Joan. Lupus, *Allegatio. de hæresi.* §. 4. Hactenùs Illustrissimus Pacensis Antistes, in quo nedum Juris utriusque, verum, & Philosophiæ, ac Theologiæ gazæ conduntur, & fulgent, quamobrem illius integras excerpisse periodos, haud injucundum Lectori meo duxi: eandem verò ipse stabilit doctrinam in *Enchirid. de Ignorantia. tit.* 49. *num.* 6. & 7. & *de hæretic. tit.* 3. *num.* 2. & *de Pertinacia. tit.* 30. *num.* 2. ubi asserit, esse veram sententiam magno Theologorum consensu receptam.

15 Adstipulantur Julius Clarus, sententi. receptar. *lib.* 5. §. *Hæresis. vers. Ad hoc autem*, ubi ex Domino Simancas adnotat, quod est omnium Doctorum concors, & unanimis sententia, quod ad hoc ut aliquis dicatur hæreticus, requiritur quod scienter erret in fide Catholica: Martinus Azpilcueta *in Manua. latinæ editionis*, qua utor, *Prælud.* 1. *num.* 17. ex mente Innocentii, ac Panormitani, cum communi sententia. Et in *eodem Manuali. cap.* 11. *num.* 21.

SECTIO QUADRAGESSIMA QUINTA.

Queat ne voluntas immediatè eligere æquale, aut minus bonum? & affirmativa præelecta sententia ex D. Augustino, D. Thoma, & Aristotele probatur.

1 MOmentum, & pondus maximum ab hac sectione, & consequentibus est ad rem nostram, quòniam si voluntati non inesset facultas immediata eligendi æquale aut minus bonum, cum sanè æquè, aut minus verisimile, ex terminis ipsis, & ab aliis præscin-

cindendo circunſtantiis, proponatur intellectui, & voluntati ipſi ut minus, aut æquale bonum, neutiquam poſſet voluntas eligere, aſſentiri parti æquè, aut minus veriſimili, ſeù hujuſcemodi aſſenſum imperare, & conſequenter nec immediata eſſet libertas quoad ſpeciem aſſenſus fidei, nec hæreſeos: è regione, ſi id libertatis immediatæ voluntati aſſentiamur, haud infirmum inde conficitur argumentum, ut aſſenſum erga minus, vel æquè veriſimilia queat immediatè imperare voluntas, immediataque fidei libertas quoad ſpeciē conſtabit: examamuſim igitur res verſanda.

2 Prima ſententia aſſerit, minus bonum, aut æquale cognitum ut tale, eligi non poſſe, eamque docent Durandus *in* 2. *diſt.* 24. *q.* 3. licet ſub obſcurè loquatur, Conradus in 1. 2. *quæſt.* 13. *art.* 6. *ad* 3. Capreol. *in* 2. *diſt.* 25. *art.* 3. *ad* 2. *contra primam concluſ.* §. 4. *dicitur.* Buridan. 3. *Ethicor. quæſt.* 4. & 5. Aratius 6. *Ethic. cap.* 2. Orentius *in Margarita Philoſoph. lib.* 11. *cap.* 15. P. Azor *Inſtitut. moral. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 25. *quæſt.* 6. & 7. eamque probabiliſsimam exiſtimat Zumel. *Variar. diſp. tom.* 3. *diſcurſu* 4. *ſect.* 5. *concluſ.* 2. eandemque præfert P. Vazq. *in* 1. 2. *diſp.* 43. *cap.* 2. & apud ipſum Gregorius *in* 1. *diſt.* 40. & 41. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. Salmanticenſe PP. Carmelitar. Diſcalceat. Colleg. *in* 1. 2. *tract.* 10. *diſp.* 2. *dub.* 1. §. 3. *num.* 44. & *q.* 13. *art.* 6. *tum tract. de Angelis, diſp.* 10. *dub.* 8. Mercorus *in Baſi Moralis Theologiæ* 2. *part. art.* 4. *in reſoluti.* Celladeus *in Append. de Natura opini. quæſt.* 2. §. 3. & *quæſt.* 3. §. 3. Gonet *tom.* 3. *tr.* 2. *diſp.* 9. *ar.* 3. & alii Recentiores.

3 Secunda ſententia ait, non ſolùm æquale, ſed minus bonum judicatum tale, eligi poſſe à voluntate: illamque tenent, & illuſtrant Cajetanus in 1. 2. *quæſt.* 13. *art.* 6. & *quæſt.* 77. *art.* 2. Bartholom. Medina 1. 2. *quæſt.* 13. *art.* 6. *pagina mihi* 237. & 238. & alii ex Schola PP. Dominic. communiter quidquid dicat Gonet. Henric. *Quodlib.* 1. *q.* 16. Richard. *in* 2. *ſent. diſt.* 38. *art.* 2. *q.* 4. *in corpore, & ad* 3. Major, ibidem *quæſt. unic.* Ocham *in* 3. *ſent. quæſt.* 12. *prop.* 2. Maironus *in* 2. *diſt.* 24. Argentinas *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. Marſil. *in* 2. *diſt.* 38. *q.* 16. *art.* 4. Averroes 6. *Ethic. cap.* 11. & quamvis aliqui pro ſententia oppoſita referant Gregori. *in* 1. *diſt.* 40. & 41. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. *poſt quint. concluſ.* huic tamen favet ſententiæ, ut notat P. Salas proximè laudandus. Doct. Monteſinos *in* 1. 2. *q.* 13. *art.* 6. *quæſt.* 6. *per totam.* ubi *num.* 115. refert pro eadem Mag. Deza. favetque Bañez 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 2. tenet Viguerius *in inſtitut. cap.* 3. §. 5. *v.* 6.

4 Ab eadem ſententia apertè ſtant, quot quot docent, ſine errore, ignorantia, vel inconſideratione, propriè dictis, & cum perfecta ſcientia, & cognitione, peccatum conſiſtere poſſe: hac quippè cognitione prælucente, opus eſt, ut cognoſcatur abſolutè, minus bonum eſſe objectum à lege prohibitum, quod tamen præeligitur à voluntate, dum peccat: iſtius verò placiti Authores ſunt Magn. Albert. 2. *parte. Sum. tit.* 14. *quæſt.* 88. *in fine.* Subtilis Doct. *in* 4. *ſent. diſt.* 49. *quæſt.* 6. & *in* 3. *ſent. diſt.* 36. *quæſt.* 1. *art.* 2. Ocham *in* 3. *ſent. q.* 12. *art.* 3. *conc.* 2. & *artic.* 4. *concluſ.* 4. & *quodlib.* 4. *quæſt.* 6. Gabri. *in* 3. *ſent. diſt.* 36. *quæſt. unic. art.* 2. *part.* 2. *concluſ.* 3. & *dub.* 3. & *in* 2. *ſent. diſt. inct.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 3. Henric. *quodlib.* 1. *quæſt.* 16. & 17. & *quodlib.* 10. *quæſt.* 10. & 13. Baſſol. *in* 3 *ſent. diſt.* 25. *quæſt. unica.* §. *contra iſta arguo.* Argentina *in* 3. *ſentent. quæſt.* 1. *artic.* 2. Almain. *in* 3. *Moral. cap.* 4. Corduba *lib.* 2. *quæſt.* 12. & 13. Major *in* 3. *ſent. diſt.* 36. *quæſt.* 3. & 4. *ſen. diſt.* 49. *quæſt.* 7. & *lib.* 7. *Ethic. cap.* 3. §. *dubitatur.* Marſil. 2. *quæſt.* 16. *art.* 1. *verſus finem.* & *art.* 2. *concluſ.* 2. Exim. Doct. P. Suarez *tom.* 1. *met. diſp.* 19. *ſect.* 6. & 7. P. Fonſeca 9. *metaph. cap.* 2. *quæſt.* 4. Salas 1. 2. *tom.* 2. *quæſt.* 76. *trac.* 13. *diſp.* 8. *ſect.* 8. *à n.* 66.

Et

5 Et absolutè,& in terminis eandem secundam sententiam tenent Eximius Doct. P. Suar. *tom.1.metaphys. disp. 19.sect. 6.* præsertim *num.13.& disp.23.met.sect.6.num.10.& 11.* Et in expositione *textus Arist. 9.met.cap.5.q. 3.& in 1.2.disp.4.sect.4.* P.Valentia 1. 2.*disp.2.q.8. punc. 3.ad fin.* P.Molin. *in Concord.q. 14. art.13.disp. 12.*Idem P. Molina *in 1.part. quæst. 63. art.2.& 3. disp.unic.membro 5.conclus.1.*P.Fonseca *6.metaphysic.cap. 2.q.5. sect.13.& lib.9. cap.2.q.3.* Henriquez *de fine hominis. cap. 4.num.3.*P.Salas *in 1.2.tom.1. quæst.10. tract.6.disp. 1.sect.5.à num.49.*Tannerus *in 1. 2.disp. 2.de actib.hum.quæst. 3. dub. 3. num. 34.* P. Ovied. 1. 2.*tract.6. contr.6.punc.5.num.41.& controvers.11. de Anima punc. 6.* P. Granad.perdoctè, & fusè *in 1.2.controv.2.de actibus hum. tract.5.disp.5.sect.2.& 3.*Cardinal.Bellarm. *tom. 3. lib.3. de gratia,& liber.arbitr.cap. 9. ad secund.confirm.* Experientia (inquit) docet cum non possumus per rationem unum bonum alteri præponere, judicari ab omnibus utile, ut potius sorte eligatur unum,quam utrũque relinquatur. P. Izquierdo *in Pharo scien. tract. 2.disp.7. quæst. 3.propos.1. part.n.53.* ubi inquit,quod id certa jam apud nostros omnes contra Vazquez, & paucos suos sententia fert in materia de libertate, Franciscus Amicus *tom.3. de ultim.fin. disp.9.sect.2.n.11.* ubi dicit veriorem, & communiorem Hurtadus *disp.14.de Anima.§.69.*Teophilus Raynaudus *in morali disciplina. distinct. 2.q. 2.art.5.*P.Arriaga *disp.7.de Anima.sect. 2.per totam,*ubi etiam de communi hoc sensu testatur.P. Quiros *tract.6.de anima.disp. 87. sect.3.num. 12.& seqq.* ubi aliquam solum moralem impossibilitatem in electione medii minus utilis agnoscit. P.Richard.Lince *lib.7.metaphys. tract.9.cap.8.à n.44.*Illustrissimus Calagurritanus Præsul D. Joannes Joaniz Echalaz,*de Anima.tract.6.disp.17.cap.2. per totum.*P.Carleton *disp.23.de Anima. sect.2.*Raphael Averf. 1. 2. *q.10.sect.2.* ubi ait quod videtur de mente S. Thomæ. Carafa *q. 13. art.6. disp.1.*Cursus Trinitarius PP.Discalceatorũ *tom.3.tr. 2.in lib.de Anima.disp.3.q.18.n.3286.*P. Anton. Terillus *de conscien. Prob.q.8.n. 14.& q.9.n. 37.cum seqq.*idem in *regul. moral.p.1.q.30.n. 30.cum seqq.*P.Sparça *tom.1. Curs. Theolog. lib.3.de Actib.hum. q.12.ad3.art.2.*ubi concedit libertatem eligendi utrumlibet ex duobus omninò æqualibus,& similibus in bonitate;at in Appendice *p.2.art.114.*aliquid videtur exigere dissimilitudinis ad præfatam libertatem exercendam.

6 Tertia sentẽtia esse potest eorũ, qui docẽt posse voluntatẽ eligere æquale,aut minus bonũ, dummodo vividuis sit propositũ,secus aliter, id quod tenẽt quidã Recentiores apud P. Fonsecã 6. *metaph.cap. 2. q.5.sect.15.* & in eadẽ videtur stetisse sententia P. Vazquez 1.2. *disp. 43.cap. 2. & 1. part. disp. 98. cap.7.* licet loquatur non de mediis, sed de finibus, & de eorum electione.

7 Ex relatis verò sententiis secunda præferẽda mihi videtur,tum authoritate,tum rationis momẽtis,illãque duplici edissertã conclusione: sit prima:volũtas ex duobus mediis,quę bona,&utilia sint; pro sua libertate potest eligere unũ,æquè vel minus bonum, ac utile in ordine ad finẽ,alio æquè utili,vel utiliori relicto. Et ne in æquivocum laboremus,rectèque argumentatio procedat, animadverto 1. quæstionis non esse an minus bonũ, ea ratione, qua minus bonũ est,id est sub ratione carẽtiæ bonitatis,quam habet,possit eligi,id enim esse impossibile supponitur,sed utrũ,prę̃supposita cognitione duplicis medii, quorũ utrũque esse æqualiter utile, & bonum, aliudvè melius alio, & utilius dignoscitur, possit voluntas quodlibet ex illis eligere? Idque libertatis in assertione nostra contineatur, cui propterèa non adversatur P. Azor. licet pro

prima ſentẽtia laudatus frequenter; ille enim ſolum inficiatur, poſſe voluntatem eligere minus bonum, qua minus eſt, quod cõcluſioni noſtræ non cõtradicit.

8 Animadverto ſecundo, & conſequenter ad dicta, nec quæſtionis eſſe, utrum voluntas poſsit eligere æquale, aut minus bonum, quia alteri prælatum; cum enim ex hypotheſi conſtet, tale medium, & bonum prælatum non eſſe, utpotè æquale, aut minus bonum, utique ex prælativa qualitate eligi nequibit: ſolum igitur diſquiſitioni ſubeſt, an medium cognitum, eſſe æquè, aut minùs utile ad finem conſequendum, poſsit abſolutè eligi, quia utile eſt? Idque pro innata libertate poſſe volũtatem efficere, in noſtra concluſione aſſeruimus, cui ſic expoſitæ adſtipulatur tandem P. Vazquez in 1. 2. *citata diſp.* 43. *cap.* 3. *num.* 18. ut rectè prænotavit P. Salas 1. 2. *quæſt.* 11. *tract.* 6. *diſp.* 1. *ſect.* 5. *num.* 53. *juxta finem.* Unde autumare fas erit, ejuſdem mentis fuiſſe Authores reliquos, qui pro contraria referuntur ſententia, & ideò omnes in noſtram conſpirare.

9 Eaque probatur primò ex D. Auguſtino. 12. *de Civitate Dei, cap.* 6. *poſt medium*, ubi inquirens cauſam malæ voluntatis, *Si enim* (inquit) *aliqui duo æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quæ illam rem fecit, in quo facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in amborus: quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis cauſa eſt? Cur non eſt illius? An verò animus? Cur non utriuſque? Ambos enim, & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum, occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, qui ſi non eidem ſuggeſtioni, & qualicumque ſuaſioni propria voluntate conſenſerit. Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam malè ſuadenti adhibuit volũtatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat: alter idẽ qui fuerat, perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterũ noluiſſe à caſtitate deficere? Unde niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animæ affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadẽ pulchritudo? Ambobus pariter inſtitit occulta tẽtatio?* Hęc Auguſt.

10 Ex quo iſtud conficio argumẽtum, idem bonum, tum honeſtum, tum delectabile, eodẽ modo cognitum, eiſdem quæ, & allicientibus, & retrahentibus motivis ſuppoſitis, poteſt nunc eligi, & amari, nunc odio haberi: ergò inter bona æqualia, vel inæqualia poteſt voluntas liberè quodcũque eligere, & amare: antecedens patet ex D. Auguſt. quod enim in duobus hominibus æqualiter corpore, & animo affectis cõtingit, poteſt quã optimè in eodẽ homine verificari, ſaltẽ pro diverſis inſtãtibus: probo igitur conſequentiã: quòniam ita cõponi debet in ordine ad eundẽ intellectũ, & voluntatẽ idẽ objectum bonum, eodẽ modo propoſitum, quoad motiva allicientia, & retrahentia reſpectu duorũ temporũ, ſeù inſtantiũ, ſicut ſe habẽt duo æqualia bona reſpectu ejuſdẽ potẽtiæ, & inſtantis: ſed voluntas pro ſua innata libertate juxta D. Auguſtinum, poteſt nunc objectum aliquod proſequi, nunc verò illud odio habere, ſeù repellere, quãvis eodẽ modo propoſitum ſit, & æqualiter affecta voluntas ſeù animus reperiatur: igitur dũ in eodẽ inſtãti duo æqualia bona proponũtur volũtati, poteſt illa quodlibet ex eis eligere: major explorata mihi eſt, minor patet ex D. Aug. & legitima eſt conſequentia.

11 Quod ſi quiſpiam dixerit, loqui D. Auguſtinum de finibus, & in diverſa ſpecie, & genere conſtitutis, ſcilicet de bono honeſto, & delectabili,

li, non de mediis: contra insurgo primo, nam argumentum propositum ex verbis, & mente D. Augustini voluntatis libertatem evincit, non solum ad eligendum inter bona diversæ rationis, sed etiam inter æqualia, & sub eàdem specie contenta: contrà secundò, quòniam ex eodem argumento ostenditur id libertatis in esse voluntati, quoad bona similia, & æqualia, & cum eadem efficacitate proposita: contrà tertiò, quia nulla est efficax discriminis ratio inter media, & fines quoad libera m voluntatis determinationem, ut ex dicendis patebit.

12 Probatur secundo ex D. Bernardo *libro de Gratia, & libero arbitrio: non longè à principio*, ubi sic ait: *Porrò voluntas est motus rationalis præsidens sensui, & appetitui. Habet sanè quocumque se vertit, rationem comitem, & quodammodo pediſſe quam, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contrà ipsam, hoc est per ejus ministerium contrà ejus judicium sivè consilium.* Ex mente igitur Sanctissimi hujus Patris, sic arguo: ideò maximè, juxta adversarios, voluntas nequit eligere medium æquè, aut minus bonum, quia operaretur contrà judicium rationis, & contrà consilium ex consultatione præ existente descendens; sed voluntas potest contrà rationis judicium, sivè consilium operari: ergò & queit minus bonum aut æquale, tàm in ratione medii, quàm in ratione finis eligere: major ex adversariorum doctrina patet; minor in D. Bernardo perspicua est, & rectè deducta consequentia.

13 Probatur tertiò ex Angelico Doctore 1.2. *quæst.* 78. *art.* 1. *corp.* ibi: *Est autem voluntas inordinata quando minus bonum magis amat, consequens autem est, ut aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato ad hoc ut potiatur bono magis amato. sicut cum homo vult pati abscisionem membri etiam sciens, ut conservet vitam, quam magis amat. Ita per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat puta divitias, vel voluptatem, quam ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid hujusmodi, sequitur quod velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem est aliud malum, quam privatio alicujus boni: & secundùm hoc aliquis scienter vult aliquod malum spirituale, quod est malum simpliciter, per quod bono spirituali privatur, ut bono temporali potiatur. Unde dicitur ex certa malitia, vel industria peccare, quasi scienter malum eligens.* Hactenùs D. Thomas perspicuè edocens, posse fieri, quod voluntas eligat minus bonum, scilicet temporale, in conspectu potioris boni, videlicet spiritualis, & consequenter contra judicium rationis posse libertatem exerceri; poterit igitur voluntas contra judicium rationis, & consultationis eligere medium minus utile, si tamen sufficiens sit ad finem obtinendum, sivè etiam æqualiter concernens: patet consequentia, non enim alio ex capite petitur ab Adversariis validius argumentum, nisi ab eo, quod electio medii minus utilis esset repugnans rationis judicio, & consultationi præcedenti; at contrà rationis judicium, quod ipsum est judicium ex consultatione descendens, juxta D. Th. potest volùtas eligere minus bonũ, & privare se majori bono: imò potest malum simpliciter tale eligere, propter bonitatẽ secundùm quid in eo repertã, & ex vi suæ libertatis: igitur potiori jure poterit ex duobus mediis, æquè vel inæqualiter utilibus quodlibet eorum eligere.

14 Cæterum magis perspicuè eadem doctrina stabilitur ab Angelico Doctore *in q. 6. de Malo*, nempè *de electione huma. art. unic. ad 9.* ubi, *Dicendum* (inquit) *quod quando ad finem non posset perveniri nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea quæ sunt ad fi-*

finem: sed ita non est in proposito, nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest, & ideò licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult. En ubi D. Thomas differit de electione mediorum in ordine ad beatitudinis finem consequendum, inter quæ media exploratum est, alia esse aliis potiora, & æqualia; at S. Doctor ait, nullum ex his mediis esse necessario eligendum: ergò nostræ assertioni apertè suffragium dedit, ipsiusque eximia authoritate protegimur.

15 Nec minùs dilucidè adsonat Doct. Angelicus *lib. 2. de cœlo, & mundo. lect. 25.* de ratione ob quam terra quiescat edisserens, ubi hæc habet. *Ponit* (scilicet Philosophus) *exempla de quiete terræ in medio secundum quasdam rationes sophistarum, qui probare videbantur, quod si tricosa capillis fortiter extendatur, quod non frangetur, quia semper undique extenditur, & non est ratio quarè magis frangatur in uno loco, quàm in alio. Sed hæc ratio sophistica est, primò quia difficile est excuti, si similiter sit undique extensus, & secundo quia hoc etiam potest frangere in medio, quia ibi concurrit violentia, quæ ex utraque parte infertur. Aliud exemplum ponit de eo, qui æqualiter esurit, & sitit, & habet, & cibum, & potum in æquali distantia. Concludunt enim sophistæ, quod talis quiescet, & non ad necessaria moveretur. Sed hoc non sequitur primò quidem, quia sitis magis agit, quam fames. Secundò, quia si æqualiter distarent duo cibi, vel duo potus æqualiter desiderabiles, curreret ad alterum quodcumque contingeret*: sic Div. Thom. conspicuè decernens, sophisma esse argumentum, quo propter æqualitatem bonitatis, & appetibilitatis mediorum concluditur voluntatis immobilitas, & necessaria indeterminatio erga alterutrum: quo nihil luculentius pro nostra sententia.

16 Quamobrem præfatis exemplis non rectè utitur Mag. Conetus *tom. 3. disp. 9. art. 3. num. 28.* ipseque aliquid defidentiæ ostendit, ut ex eis suam, & nobis contrariam sententiam comprobet. Nec P. Elizalde satis appositè explicat D. Thomam *in Appendi. quæst. 2. §. 3.* dum scribit, ideò sophistas eo loci rejici ab Angelico Doctore, quia famelicus, v. g. inter æquè distantes, & desiderabiles cibos determinaretur à causa prima; id enim determinationis nec à D. Thoma asseritur, nec sine humanæ libertatis præjudicio fieret, juxta nostræ Societatis Jesu Scholam, veramque sententiam, Physicas rejicientem prædeterminationes, quia libertati nostræ contrarias: igitur D. Thomas solũ ait, quod famelicus *curreret ad alterum quodcumque contingeret*, undè cum non necessariò id faceret, quia nullum ex præsuppositis extremis raperet voluntatem, nec physicæ prædeterminationis necessitas adsit, nec illius memor extiterit Sanctus Doctor, conficitur, ex libera tantùm determinatione electuram voluntatem hunc cibum præ illo: nec obest exemplum determinationis quoad individuationem à prima causa provenientis, quo utitur P. Elizalde loco citato, quòniam cum, juxta hunc Authorem, voluntas impotens sit, determinare se efficaciter ad esum cibi, in hypothesi prædictâ, & consequenter sit naturaliter necessitata, ut immobilis sistat, utique id determinationis ad hunc cibum adveniens, esset determinatio quoad speciem actus, qui specie differt à suspensione electionis. Tandem adnota, absque sufficienti fundamento asserere Celladeum, quod D. Thomas aliud docuit in *1. 2. q. 13. art. 6.* ut in elevandis objectionibus plenius ostendam.

17 Probaturque sententia nostra ex Aristotele, nam *lib. 3. de Anim. cap. 11. textu 8.* docet, voluntatẽ aliquã-

do

do vinci ab appetitu ſenſitivo, nec ſemper ſequi deliberationem rationis: *Amplius* (inquit Philoſophus) *& præcipiente intellectu, & intelligentia fugere aliquid, aut proſequi, non movetur, ſed ſecundum concupiſcentiam agit, ut incontinens.* Hæc verò Ariſtotelis verba exponens D. Thom. *lect. 14. lit. 1.* inquit, *Probat quòd nec etiam intellectus practicus movet* (efficaciter nempè, & determinativè) *dicens, quod nec etiam intellectu practico præcipiente, quod contingit cum intelligentia dicit, aliquid fugiendum aut proſequendum, non propter hoc homo movetur, ſed agit ſecundum concupiſcentiam, ſicut patet de incontinentibus, qui habent rationem rectam, ſed non inhærent rationi rectæ, unde videtur, quod intellectus non moveat.* Ergò ſaltem inter inæqualia, & diſsimilia bona poteſt voluntas minus bonum eligere: etſi ſemel poteſt voluntas eligere contra judicium rationis rectæ, nulla adeſt ratio detrectandi electionem minoris boni licet ſimilis, vel etiam æqualis: quia ex vi ſuæ libertatis ea omnia efficere poterit voluntas. Præterea *lib. 9. Metaphyſ. cap. 5. in fine.* inveſtigat Ariſtoteles, quid determinet potentiam rationalem, vel liberam ad actum? Et nihil aliud reſpondet, niſi hanc potentiam determinari *electione, & propoſito, ſeu deſiderio,* (ſupple efficaci, & abſoluto) *quo poſito ex neceſsitate operatur quod poteſt.* Quod per ſe ſatis clarum eſt. Reſtabat autem, ut ibidem animadvertit Eximius Doctor P. Suarez, ulterius inquirendum, quid determinet potentiam ad ipſam electionem: ſed de hoc nihil inquiſivit Philoſophus, quia (ut ait idem P. Suarez) nihil eſſe credidit amplius inquirendum, quia hæc potentia ſua vi naturali, ut actu primo in naturalibus, & auxilio gratiæ, in his quæ gratia indigent, electionibus, ab Ariſtotele non diſcuſsis, & ipſamet electione, ſeu volitione, ut actu ſecundo, ſe ſe determinat ad volendum, & eligendum, non tamen ſine concurſu, & auxilio ſuperioris cauſæ, & gratiæ ubi ea opus eſt, hoc enim ſemper ſuppònitur: igitur Ariſtoteles neutiquam exiſtimavit electionem voluntatis determinandam eſſe à judicio rationis, ſeu conſultatione, ſed potius liberam ſemper manere voluntatem ad eligendum minus bonum, ſeu æquale. Probatur quinto à P. Salas 1. 2. *tract. 6. diſp. 1. ſect. 5. num. 51.* ex quibuſdam articulis rejectis à Pariſienſibus, ſed ab hac argumentatione præſcindo.

SECTIO QUADRAGESSIMA SEXTA.

Voluntatis libertas ad eligendum minus, aut æqualiter utile medium, multiplici probatur argumento.

1 SIc igitur à ratione diſſero: ſi voluntas nequiret eligere minus bonum in ratione medii, tota libertas ſita eſſet in intentione, & amore finis, ſed hoc concedi non debet: ergò voluntas poteſt eligere mediũ minus utile: min. in confeſſo eſſe debet: conſequentia eſt legitima, majoremque probo: quòniam ex efficaci intentione finis nequit non deſcendere electio medii, quod verè ſuppetit, ſed ſi medium eſt minus utile, vel ut tale judicatur, juxta adverſarios eligi non poteſt, ergò neceſſario eligendum erit medium utilius: unde nec quoad ſpeciem, nec quoad exercitium erit libera medii electio, ſuppoſitis mediis inæqualiter bonis: præterea inter æqualia nullum poteſt eligi juxta Adverſarios, quamobrem, ubi media adfuerint æqualia, licet plura ſint, nec poterit voluntas finem efficaciter intendere, quemadmodum id efficere nequibit, ubi nullum medium ſuppetit: id verò ab Adverſariis admittendum haud credam.

2 Illuſtratur ex communi ſententia cum D. Thoma. *de malo, quæſt. 6. art. unic. ad 9.* ubi *docet, quòd quando ad*

finem non poteſt perveniri niſi una via, tunc eadem ratio eſſet volendi finem, & ea quæ ſunt ad finem. Sed juxta ſententiam, quam oppugnamus, quando adſunt plura inæqualia media, licet quodlibet eorum ſit ſufficiens, non eſt alia via ad obtinendum finem, præter electionem melioris medii: igitur eadem ratio, eademque libertas erit volendi finem, & medium illud utilius ad finem: igitur in prædicta hypotheſi, tota libertas ſita eſſet in intentione, & amore finis: unde cum amor beatitudinis in communi, quoad ſpeciem actus ſit neceſſarius, & media ad ipſam beatitudinem ſint in ratione medii utilis valdè interſe inæqualia, fiet, quod electio mediorum ad beatitudinem in communi ſit quoad ſpeciem neceſſaria: quod iterum eſt falſum.

3 Nec vim diluet argumenti, ſi quiſpiam dixerit: ſtante illo judicio de præſtantia cujuſdam medii, illius electionem fore neceſſariam, tamen ſimpliciter, & abſolutè eſſe liberam, quia poteſt voluntas impedire tale judicium: non inquam ex eo argumentum defringet, primò, quia ex hac ſolutione fiet, quod electio tantum erit libera in cauſa, ſcilicet in tali judicio, & non in ſe ipſa: quod eſt falſum: ſecundò, ſi intellectus nullam faciat reflexionem circa mutabilitatem talis judicii, non poterit voluntas illud impedire: ergò electio tunc neque in cauſa erit libera. Tertio idem libertatis defectus eveniet, ſi intellectus judicet melius eſſe, non mutare tale judicium: idem quoque erit, ſi judicet melius impedire judicium illud, idque à voluntate fieri nequeat, quia eſt evidens, & non poteſt ipſa impedire apprehenſionem, vel alias cauſas, ex quibus neceſſariò reſultat: tunc ergò quia judicium non erit liberum nulla erit libertas in electione. Dices adhuc poſſe eſſe liberam in cauſa nempè in intentione. Contra tamen, quia abſurdum eſt dicere, nullam electionem eſſe liberam in ſe: deinde aliquando intentio finis erit neceſſaria: ergò tunc electio nullo modo erit libera.

4 Illuſtratur ſecundo: ſi ex duobus mediis apprehenſis, ut æqualibus, nullum poteſt eligi: ex apprehenſis verò, ut inæqualibus, neceſſe eſt majus eligi: ergò ſimiliter ex duobus finibus in incompatibilibus apprehenſis, ut æqualibus, neceſſe erit neutrum intendi, ex inæqualibus vero meliorem: ergò quoties occurrunt duo fines incompatibiles, nulla intentio erit libera, ac proinde nulla erit electio libera in eadem hypotheſi, ſivè in ſe, ſivè in cauſa, quod penè tollit omnem libertatem, recta tamen illatione ex adverſa ſententia ſubducitur: quòniam ſi æqualitatis ratio in mediis impotentem conſtituit voluntatem ad electionem alicujus eorum, & ratio majoris utilitatis impedimento eſt, ut minus utilis medii electio fiat, eodem fundamento aſſerenda veniet impotentia voluntatis ad intendendum quempiam ex finibus æquè bonis, & incompatibilibus, vel minus bonum inter inæquales, id quod à P. Vazquez ejuſque Sectatoribus non conceditur, conſectarium tamen eſt eorum doctrinæ, præſertim, cum reſpectu beatitudinis in communi, quam omnes neceſſariò appetunt, & intendunt, medii rationem habeant alii fines particulares beatitudini ſubordinati.

5 Ex prælibatis autem excinditur ſolutio tradita à Goneto *tom. 3. diſp. 9. de electi. art. 3. num. 38.* nempè illæſſam manere libertatem, vel quia voluntas poteſt deſiſtere ab intentione finis, vel etiam, quia illa adhuc ſuppoſita, poteſt applicare intellectum ad inquirenda alia media, vel ad excogitandas alias rationes bonitatis, & convenientiæ in mediis, quæ minus bona apparebant, quibus moveatur ad ea eligenda: quam doctrinam exaratam prius invenire licet in P. Vazquez in 1. 2. *diſp. 43. cap. 3. num. 18.* quibus præivit

Bu-

Buridanus *lib.* 3. *Ethic. quæſt.* 4. & 5. Cæterum cuncti ex dictis rejiciendi veniunt, primò, quia ubi media ſunt plura, & ſufficientia ad finem, diverſa eſt libertas quoad ſpeciem, quæ voluntati ineſt ad electionem medii, à libertate exercita, aut exercenda erga intendendum finem. Secundò, quia quando creditur facta jam omnis poſſibilis inquiſitio, vel de inquiſitione non cogitatur, nulla eſſet libertas in voluntate, ſed neceſſario eligeretur majus bonum, quod eſt falſum, licet ipſe Buridanus 7. *Ethic. q.* 8. *concluſ.* 8. & 11. doceat, voluntatem neceſſariò acceptare, & efficaciter velle, quod omnibus penſatis certò creditur eſſe melius, quàm oppoſitum, ſeu eſſe proſequendum, & quidem etſi id falſum ſit, conſequenter dictum videtur, ſed ut dixi rejiciendum omninò, quia multum noſtræ derogat libertati.

6 Illuſtratur tertiò, quia experientia conſtat, eos etiam, qui volunt piè vivere, & ſalutem conſequi, ſæpè non eligere media optima ad eundem finem. Multi enim cum non ignorent ſibi fore melius ad eundem finem, religionem ingredi, malunt tamen in ſæculo vivere, ſuamque illic ſalutem procurare; nec aliter videtur conſiſtere noſtra libertas, nam ſi opus eſſet, ad electionem præſupponi judicium de præſtantia medii, peto an illud judicium ſit liberum? An neceſſarium? Si neceſſarium, tollitur libertas; ſi liberum: ergò ex præcedenti actu voluntatis libero, & redibit eadem quæſtio. Non me latet, Durandum *in* 2. *diſt.* 24. *q.* 3. *num.* 2. docere judicium illud per ſe eſſe liberum, putat quippè, libertatem formaliter non eſſe in voluntate, ſed in intellectu, hæc tamen ſententia communiter rejicitur, & licet vera eſſet, non omne judicium, ex quo electio ſequitur, eſſet liberum, ſed multa eſſent neceſſaria propter neceſſitatem apprehenſionis, & evidentiam: ergò magna ex parte electiones eſſent neceſſariæ, quod abſurdum eſt.

7 Illuſtratur, quartò, quia, ſi voluntas non poteſt eligere, niſi quod melius judicatur, penè totum negotium virtutis in judicio conſiſteret: cujus oppoſitum docet Ariſtoteles *ſecundo Ethic. cap.* 2. & 4. dicens, quod *ſcire, parum aut nihil ad virtutem valet*: Et concinit D. Thom. ibidem *lect.* 4. *ſub lit. C. Poteſt enim* (inquit) *aliquis eſſe bonus artifex, etiam ſi nunquam eligat operari ſecundum artem, vel ſi non perſeveret in ſuo opere, ſed ſcientia parvum, vel nullum habet momentum ad hoc quod homo ſit virtuoſus*: ideò ſcilicet quia pro ſua libertate poteſt homo contra ordinem rectæ rationis operari, & inordinatè eligere: igitur contra conſultationis judicium rectum poteſt eligi medium minus bonum, ſeu minus utile.

8 Probatur ſexto, & præcipuè quoad media æqualiter bona, & utilia, quia, ut ait Exim. Doctor. 1. 2. *diſp.* 4. *ſect.* 4. *citata*, irrationale eſſet, ceſſare ab omni electione medii ad finem conſequendum utilis, & ſufficientis, maximè quandò finem ardentiſsimè intendo, quia mihi duo, aut plura media occurrunt, quibus illum conſequi poſſum; ſi enim medium iſtud amplecterer in ordine ad illum finem, mihique valdè jucundum eſſet, illud inveniſſe, quo poſſem dignitatem ſeu ſalutem, quam per intentionem vehementem ambiebam adipiſci, alienum à ratione erit, alio medio æquè utili propoſito, neutrum eligere, & ob hanc rationem ab intentione ceſſare, vel illam irritam facere. Quod ſi in cauſis phyſicis, quando duo agentia ejuſdem virtutis occurrunt, quæ effectus incompoſsibiles producere intendunt, utrumque ceſſet ab actione, ratio eſt, quia victoria actionis tantum eſt penès illa, & cum neutrum poſsit alterum vincere, utrumque abſque victoria manet. Cum verò duo media per cognitionem æquè

in

in actu primo utilia apparent, & voluntatem inclinant ad sui amorem, penès voluntatem est eorum litem dirimere, & poterit hujus annuere cognitioni, & illius propositionem irritam facere, licet enim voluntas juxta rationem operetur, ratio ipsa exigit, ut ipsa pro sua libertate, saltem cæteris paribus, medium eligat, quod maluerit.

9 Probatur septimò, & à priori. Eligere medium æquè, vel minus utile, relicto alio æquè vel magis utili, nihil est aliud, quam non amare medium aliquod æquè vel magis utile, & velle, ac amare aliud medium æquè, vel minus utile; atqui voluntas creata ex duobus mediis æqualibus, vel inæqualibus in bonitate sibi propositis, potest non amare, aut non velle unum medium, æquè vel magis utile, & amare ac velle aliud medium æquè vel minus utile; ergò voluntas creata potest eligere medium æquè vel minus utile, relicto alio æquè vel magis utili. Minor probatur, cætera quippè liquida sunt, ac primùm, posse non velle, aut non amare medium æquè vel magis utile, ab Adversariis conceditur, ac liquet ex eo, quod solum bonum increatum clarè visum potest necessitare voluntatem ad sui amorem, sed medium illud magis utile non est bonum increatum clarè visum, ut supponimus, ergò non necessitat voluntatem ad sui amorem: ergò potest voluntas non amare tale medium æquè, vel magis utile. Porrò autem posse voluntatem amare medium aliud æquè vel minus utile, sic ostendo: objectum formale voluntatis, ut amantis, est bonum, ut patet, atque ita in quacumquè re invenit rationem boni, potest voluntas amare illam, nisi ab incomposibili bono efficaciter rapiatur, seù necessariò trahatur, atqui in medio æquè vel minus utili ad finem, invenitur absolutè ratio boni, ut ex hypothesi constat, & aliundè medium aliud æquè, aut magis utile non rapit necessario voluntatem, ut præliba vimus: ergò voluntas potest absolutè amare medium æquè, vel minus utile, quia absolutè bonum, & utile in ordine ad finem. Confirmatur, quòniam propositio medii utilioris catenùs impedit electiorem medii minus utilis, quatenùs inclinat ad electionem talis medii magis utilis, sed hæc inclinatio non est efficax, seù non est talis ut necessitet voluntatem ad electionem hujus potioris medii: igitur liberam relinquit voluntatem ad electionem alterius medii minus utilis: idemque cernere est in propositione duplicis medii æquè boni, & utilis.

10 Probatur octavò. Libertas creaturæ est participatio quædam, & imitatio divinæ libertatis, Deus autem potest ex bonis incompatibilibus eligere æquale, aut minus judicatum, etiam in ratione medii utilis ad gloriam suam: igitur etiam humana voluntas potest eligere medium æquè vel minus bonum, & utile: consequentia est legitima, & infra amplius inclarescet: antecedens verò, licet satis apertum, constabiliendum est in hunc modum: in ordine ad finem suæ gloriæ intentum à Deo medium magis utile est incarnatio Verbi, quam incarnatio Angeli; Verbum enim divinum incarnatum magis glorificat Deum, quam glorificaret ipsum Angelus incarnatus, sed Deus potuit pro sua libertate eligere in ordine ad finem suæ gloriæ incarnationem Angeli, relicta incarnatione Verbi, ut fatentur communitèr Theologi, & ipse P. Vazquez *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 1. *cap.* 3. inquit, esse sententiam veram, & doctrinæ Patrum, Scripturæque Sacræ maximè consonam: ergò voluntas Dei potest eligere medium minus utile, relicto alio magis utili.

11 Id quod præclarè ad rem nostram docet, ac elucidat Div. Augustin. *lib.* 1. *de Genesi, contra Manichæos*, ubi in solam Dei voluntatem refert, cur Deus creavit cœlum, & terram, & non

in

in hoc idicium: *Melius est mundum creare, quam non creare*; non quia non concurrrit hoc judicium, sed quia non erat sufficiens determinativum, neque necessarium, cum Deus possit inter inæquali liberè quodvis eligere: ergò & nos. Pro Sanctissimi Doctoris verba *dict. li. 1. cap. 2.* hæc sunt: *Si ergò isti* (scilicet Manichæi) *dixerint, quid placuit Deo facere cœlum, & terram? Respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanæ*: En ubi Augustinus quoad electionem, vim voluntatis Divinæ, & humanæ similem esse significat: pergit vero S. Doct. & ait: *Causas enim voluntatis Dei scire quærunt, cum voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Qui ergò dicit quare fecit Deus cœlum, & terram? Respondendum est ei, quia voluit.* Igitur ex Magni Parentis Augustini mente, non quia melius fuit, sed quia voluit, creavit Deus cœlum, & terram: licet non ex eo diffiteamur, rationem majoris boni esse etiam motivum divinæ, & humanæ voluntatis, sed intendimus, illud motivum non esse determinans quoad speciem actus, seù non reddere inelegibile bonum, seù medium minus utile.

12 Et quidem, aliter non posse consistere divinam libertatem, probat hæc mihi efficax ratio ex P. Salas excerpta, scilicet quia inter incompatibilia, quæ judicat Deus æqualia, non posset uno spreto, aliud velle, inter ea verò, quæ judicat inæqualia, non posset non velle alterum, id nempè, quod melius judicat, & de omnibus necessario judicat, quodnam oppositorum contrariè vel contradictoriè, seù incompatibilium sit melius, vel minus bonum, vel æquale, nullumque judicium in eo est liberum pro priori ad omnem actum voluntatis, & supposito actu voluntatis producendi, aut permittendi hoc, aut illud, omne judicium circa alia objecta, quæ hypothesim concernunt, circa id quod melius, aut æquale, aut minus bonum est utique necessarium: in quo ergò erit sita libertas Dei, si non potest æquale, & minus, aut majus bonum ex sua libertate eligere?

13 Sed quòniam id libertatis in Deo adest, Divina voluntas inter hanc materiam primam, & aliam omninò æqualem, & similem, & inter hos cœlos, & alios omninò æquales, & similes (& sic de aliis) hos elegit creare præ aliis: Divina etiam voluntas potuit meliora plurima facere, quàm fecit, & tamen noluit. Liquidum ergò conficitur, posse Deum inter bona, seù media æqualia, aut in æqualia eligere æquale, & minus bonum, ut in antecedenti supra fuit dictum. Consequentiam autem legitimam esse, ex seq. sectione constabit.

SECTIO QUADRAGESSIMA SEPTIMA.

Ex Divina libertate eligendi minus, vel æquale bonum, similis creata libertas, multiplici rejecto discrimine, ostenditur.

1 SUperioris efficacia ratiocinii, quo ex divina libertate conficitur creata similis facultas eligendi minus, aut æquale bonum, elucebit magis evertendo discrimina, quæ adversa sententia assignare conatur inter electionem Dei, & nostram: ideò enim maximè creatura non posset æquale, aut minus utile medium eligere, licet id Deus facere queat, quòniam Deus non eligit unam creaturam comparatè cum alia, & si unam creaturam relatè ad aliam cognoscat; quia judicium divinum non proponit unam creaturam, ut potius eligendam, quàm aliam, sed simpliciter proponit bonitatem cujusque: hoc autem ideò fieri ajunt, quia nos ex indigentia eligimus, Deus autem nunquam ex indigentia eligit, & propterea nos

ad

ad consultationem procedimus, ut melius eligamus: sic docet P. Vazquez. 1. 2. *disp.* 43. *cap.* 3. *num.* 17.

2 Sed id discriminis pro re nostra nullum esse, probatur, primò, quia ut ipse fatetur Vazquez, Deus cognoscit, verbi causa, quod unio Verbi hypostatica melior est ad finem redemptionis hominum, seù ad suam divinam gloriam, quàm incarnatio Angeli, ergo cognoscit, quod est utilior ad eundem finem; & tamen Deus potuit non eligere Verbi Divini hypostaticam unionem, ad prædictum finem obtinendum: igitur, & creatura potest eligere medium minus utile. Secundò: medium esse utilius ad finem, est formaliter esse eligibilius ad ipsum finem obtinendum, nam eligibilitas passiva, & intrinseca, ex ipsa medii utilitate constituitur, unde inquit D. Thom. 1. 2. *q.* 13. *art.* 5. *corp. Ratio eligendi aliquid est, ut ex hoc possimus consequi finem: vel ex hoc quod ducit ad finem:* sed Deus infinita sua scientia cognoscit, quodnam medium sit intrinsecè, & passivè utilius ad suum finem: ergò cognoscit quodnam sit eligibilius: igitur voluntas divina eligit suppositâ eâdem quoad utilitatem mediorum comparatione, qua eligit voluntas humana: igitur quo ad hanc partem, & eligendi libertatem sufficiens discrimen non adest inter voluntatem divinam, & creatam.

3 Probatur explicaturque, quando voluntas nostra eligit, formaliter per ipsum actum voluntatis, qui est electio, non comparat unum medium cum alio, sed illud amat, quod eligit, & tota comparatio consistit in cognitione præcedente electionem: sed Deus non minus habet comparativam cognitionem mediorum, quàm voluntas creata: igitur sicut Deus liberè eligit minus utile, vel æquale medium, potest id libertatis exercere creata voluntas. Unde tota illa comparatio, quæ per modum consilii reperitur in voluntate creata, reperitur in divina voluntate, licet non habeat rationem consilii in Deo sicut in nobis.

4 In hominibus quippè, ut inquit Doctor Angelicus 1. 2. *quæst.* 14. *art.* 1. *corp.* quia actiones nostræ sunt circa singularia contingentia, quæ propter sui variabilitatem incerta sunt, in dubiis autem, & incertis ratio non profert judicium absque inquisitione præcedente, *ideò necessaria est inquisitio rationis ante judicium de eligendis, & hæc inquisitio consilium vocatur, propter quod Philosophus dicit* 3. *Ethicor. cap.* 3. *quod electio est appetitus præconsiliati:* quamobrem licet consilium Deo tribui possit juxta illud Apost. *ad Ephesios cap.* 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; tamen, ut edocet D. Thomas citato *artic. ad* 2. Ea quæ dicuntur de Deo accipienda sunt absque omni defectu, qui invenitur in nobis: sicut in nobis scientia est conclusionum per discursum à causis in affectus; sed scientia dicta de Deo significat certitudinem de omnibus effectibus in prima causa absque omni discursu. Similiter ergò, ait Sanctus Doctor, *Consilium tribuitur Deo, quantum ad certitudinem scientiæ vel judicii, quæ in nobis provenit ex inquisitione consilii, sed hujusmodi inquisitio in Deo locum non habet: & ideò consilium secundum hoc, Deo non attribuitur, & secundum hoc Damascenus lib.* 2. *Orthodox. fidei. cap.* 22. *dicit, quod Deus non consiliatur. Ignorantis enim est consiliari.* Hæc D. Thomas. Tum sic: ergò, quod homo eligat præcedente consilio, & rationis inquisitione, impedimento non est, quominus possit æquè, aut minus utile medium eligere: Probo consequentiam: inquisitio rationis, seù consultatio, & consilium in homine in id tendit, ac sistit, ut habeatur certitudo scientiæ, seù judicii de utilitate mediorum; sed hujuscemodi scientia, & judicii certitudo evidentiori gradu, & perfectiori modo reperta in Deo non ob-

est

est libertati divinæ, ut medium minus utile eligere possit: igitur nec humanæ libertati esse potest impedimento id consultationis, & consilii, ut medium minus utile ab homine eligatur.

5 Tertiò, discrimen ab Adversariis assignatum ex eo, quod Deus liberè eligit, & non ex indigentia, nos verò semper ex indigentia eligimus, argumenti efficaciam haud infringit; quia medii antecedenter ad electionem efficacem, creatura liberè eligit hunc finem præ alio, & intentione efficaci suppositâ, tàm Deus, quàm creatura necessariò eligunt medium aliquod sufficiens, & requisitum necessario ad talem intentionem adimplendam. Imò aliquo modo magis necessariò eligit Deus, quàm creatura; quia suppositâ intentione efficaci in creatura, potest illa electionem medii differre usque ad præfinitum tempus in quo finis est obtinendus, & postea urgente jam tempore executionis finis, & electionis necessariò faciendæ, cessare ab intentione, & electionem omittere: Deus autem si semel objectum efficaciter, absolutè intendit, non potest electionem differre, neque ab intentione cessare; quia omnis actus Dei est æternus, & ab æterno, ac proinde, semel intentione efficaci, & absolutâ positâ, nullo modo electionem requisitam ad finis executionem potest omittere. Quid? Plurâ, & infinita sunt media quibus Deus suos fines assequi potest: haud diffiteri id quidem possumus: cæterum cum ea omnia media sint partim inæqualia, partim æqualia, & ipsi Deo notissima, opus est fateri, liberè quodlibet ex infinitis mediis sufficientibus Deum eligere, relictis infinitis æqualibus, aut etiam potioribus: unde nostra fulcitur assertio, & illius probatio.

6 Triplex aliud conatur præbere discrimen Mag. Gonet *tom. 3. disp. 9. art. 3. num.* 48. primum quia ut docet D. Thom. 1. *p. quæst.* 20. *art.* 2. hæc est differentia inter voluntatem Dei, & nostram, quod voluntas divina non supponit, sed ponit bonitatem in rebus, quas diligit, & eligit: unde non ideò illas eligit, quia sunt magis bonæ; sed potius ex dilectione, & electione Dei majorem, vel minorem, prout vult bonitatem participant. Secundum discrimen ab eodem Authore propositum est, quòd cum Deus in operibus ad extra intendat manifestationem suæ gloriæ, quæ magis relucet in hoc, quòd per media magis improportionata attingat finem, quem intendit, non mirum quod interdum eligat creaturas minus nobiles, & perfectas, & media, quæ ex se videntur minus apta ad finem obtinendum, sicut quando per homines pauperes, indoctos, & inermes, fidei subjecit Reges, Oratores, & Philosophos, ac mundum universum. Unde Apost. 1. *ad Corinth.* 1. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientia, & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, &c. Tertium discrimen quo solutionem nostro argumento parat *num.* 49. ex eo capit, quod licet Deus non semper eligat, aut faciat, quod melius, & convenientius est, ex parte rei electæ, seù ex parte intrinsecæ bonitatis rei in se, benè tamen quod est melius ex parte motivi eligendi: quod motivum est sua libertas, seù placitum gratuitum suæ voluntatis, quod applicat objecto cui vult, & ex tali applicatione facit, quod res in se minus bona, & perfecta entitativè, præemineat, & in ordine eligibili præponderet meliori, & perfectiori, ut antea exposuimus: hæc Mag. Gonet.

7 Cæterum primum discrimen exhibitum ab hoc Authore diluitur, quòniam ut ipse Doctor Angelicus docet eadem 1. *part. q.* 25. *art.* 6. *corp.* Deus qualibet re à se facta, potest facere aliam meliorem: & ad 3. licet universum (suppositis istis rebus) non possit esse melius propter decentissimum ordi-

dinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum universi consistit: ut ex cytharæ melodia optimè evincit; posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, & sic esset illud universum melius: & in 1. *sent. dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 3. *corp.* ait D. Thom. quòd à Deo potuit mundus fieri melius quasi intensivè, quasi mutatis omnibus partibus ejus in melius, vel secundum bonitatem accidentalem, manentibus scilicet eisdem partibus, & eodem universo: vel secundum bonitatem essentialem, ita ut non essent eædem partes, & per consequens nec idem universum. Eandemque tradunt doctrinam D. Bonav. *in* 1. *dist.* 44. *q.* 1. Durand. *quæst.* 3. Gabriel. *quæst. unic. art.* 2. Major *quæst.* 1. Capreolus *in* 1. *dist.* 43. *q. unic. art.* 2. Omnesque Scholastici in eo conveniunt contra Arist. 1. *de cœlo. cap.* 9. scilicet fieri potuisse à Deo aliud universum, solo numero distinctum.

8 Secundò, licet Deus non supponat actualitatis bonitatem in creaturis, ut ex illis eligat, supponit tamen bonitatem possibilitatis, qua inspecta, aliæ sunt aliis præstantiores, & magis eligibiles in ordine ad finem; ut possibilis Incarnatio Verbi Divini, cognita fuit potior ad finem Redemptionis, & gloriæ Dei; sed tamen Deus non necessariò, sed liberè elegit Verbi Incarnationem, cum posset Angeli Incarnationem eligere: ergò quod Deus conferat rebus existentiæ bonitatem, non est sufficiens discrimen, nec argumentationem nostram elidit, sed hinc potius instauratur; licet enim Deus rebus, quas producit tribuat bonitatem actualitatis essendi, & existentiæ; tamen ex infinitis æqualibus, & inæqualibus creaturis possibilibus eligit has, præ illis, ad statum existentiæ, & cum possit perfectiores producere juxta dicta, produxit minus perfectas: tum existentes creaturas potest meliores accidentaliter facere, & tamen respectu plurium id non efficit Omnipotentia Dei: igitur, & homo poterit inter æqualia, vel inæqualia bona quodlibet amare. Tertiò, juxta communem Scholasticorum sententiam, Deus amore simplicis complacentiæ necessariò amat creaturas possibiles, ut docent Dionys. Carthus. *in* 1. *dist.* 45. *q.* 1. *circa finem.* Ricard. *in* 1. *dist.* 45. *art.* 1. *q.* 5. *ad ultimum.* Cajetan. 1. *p. q.* 34. *art.* 3. & plurimi ex Schola D. Thomæ. P. Vazquez 1. *p. disp.* 79. *cap.* 2. *& disp.* 152. *cap.* 1. Tannerus *tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 10. *dub.* 1. *num.* 6. *& alii.* tum sic: ratione hujus simplicis complacentiæ Deus plus propendet erga perfectiores creaturas: sed nihilominus, perfectioribus relictis plurimis, Deus eligit producere, & creare alias minus perfectas: ergò, & creata voluntas poterit æquale, aut minus bonum amare, & medium minus utile eligere.

9 Quartò: juxta oppositam sententiam negantem, Deum necessariò amare creaturas possibiles, & asserentem liberè tantum eas diligere, quam tuentur D. Bonaventura *in* 1. *dist.* 45. *art.* 1. *quæst.* 2. *à §. Respondeo dicendum.* Alexand. Alens. 1. *part. q.* 31. *membro* 1. *& q.* 34. *membro* 3. *&* 4. Albert. 1. *part. q.* 79. *art.* 1. Gabriel. Zumel, Albelda, Navarrete, Ripa, Nazarius, Machinus, Ferrar. & alii, quos refert, ac sequitur, illustratque fusè P. Aldrete *tom.* 2. *in* 1. *p. disp.* 10. *de volunt. Dei*, per integras plures sectiones. Juxta hanc, inquam sententiam, amor ille simplex complacentiæ fertur in creaturas possibiles, quin ipsis tribuat possibilitatem, cum potius præsupponat eam, id est, non repugnantiam, quia ut inquit D. Thomas 1. *part. quæst.* 25. *art.* 3. *corp. Dicitur aliquid possibile, vel impossibile absolutè ex habitudine terminorum.* Et cum aliundè sit amor liber, potest ferri in creaturas magis vel minus, vel æquè perfectas, sic non amatis aliis: igitur licet homo supponat bonitatem objectivam,

vam, nec illam amando tribuat, poteſt æquè, vel minùs bonum amare, relicto potiori, aut æquali. Quintò ſuppoſitis exiſtentiis rerum, ſeù mediorum, Deus liberè eligit, & ordinat ea ad finem ſuæ gloriæ, quin adſtringatur ex creaturis exiſtentibus ad fines ſuæ divinæ providentiæ eligere eas, quæ ſunt aptiores. Diſjicitur etiam ſecundum diſcrimen, quòniã ex illo ſolum fit, quandoque illa media, quæ juxta humanam prudentiam ſunt utiliora, eſſe tamen judicio Dei, & juxta ſupernaturalem prudentiam minus utilia; id verò noſtra non refert; ſiquidem ſolùm intendimus, ex mediis, quæ Deus Opt. Maximus ſua infinita ſapientia cognoſcit æqualia, & inæqualiter utilia ad finem ſuæ gloriæ, poſſe quodcumque eligere, & aliquando aſſumere minus utile, vel æquale, aliis relictis.

10 Nec validius eſt tertium diſcrimen à Mag. Gonet adductum, ex illo namque conficitur ſolùm, quòd, ſuppoſita Dei electione, & beneplacito, melius eſt id, quod Deus eligit, quàm alia cuncta, quæ prætermittit: de quo ſanè haud dubitari licet; cæterum quia Deus liberè eligit cum inter æqualia, tum inter inæqualia, ducimur, ad ſimilem libertatem homini aſſentiendam: Prætereà percipere nequeo, quod hic Author inquit, ſcilicet motivum eligendi in Deo eſſe placitum gratuitum ſuæ voluntatis, quod applicat Deus objecto, cui vult, & ex tali applicatione fieri, quòd res in ſe minus bona, & perfecta entitativè præemineat, & in ordine eligibili præponderet meliori, & perfectiori; id inquam haud capio, quòniam ſupponit, divinam ipſam electionem eſſe motivum, ſeù rationem objectivam eligendi hoc præ illo, quod eſt falſum, licet enim electio libera ſit ipſe formalis actus eligendi, non eſt ratio eligendi objectiva: rurſus noſtrum argumentum urget; ſi enim applicatio divini beneplaciti, & electionis Dei eſt ratio conſtituens rem minus perfectam entitativè, in ordine eligibili præſtantiorem; igitur Deus applicat ſuum beneplacitum rei entitativè minus perfectæ, relicta perfectiore, hæc autem applicatio, & liberè fit à Deo, & non ſupponit aliam applicationem priorem; igitur Deus ſuum beneplacitum liberè applicat minori, aut æquali bono ex creatis, creandis vè ab ipſo, cum poſſet ſuum beneplacitum applicare alteri meliori, aut æquali bono, id eſt liberè eligit æquale, aut minus bonum; id quod intendimus. Tum quia medium, in ratione utilioris, non conſtituitur per electionem, ſed per paſsivam bonitatem, & utilitatem ad finem pertinentem; igitur cum Deus cognoſcat alia media in ſe ipſis eſſe aliis utiliora, cognoſcit eſſe magis eligibilia: ſunt tamen omnes electiones Dei inter ſe, & ex parte Dei ſummè, & infinitè perfectæ; at Deus non ſolum ſuas eligit electiones, ſed ipſa media creata amat, & eligit: & cum inter inæqualia media poſsit eligere minus bona, & minus utilia, & inter æqualia quodvis, colligimus ſimilem in nobis libertatem.

11 Haud tamen deduci ideò fas erit, Deum poſſe imprudenter agere, quod tamen inferri ex noſtra doctrina, ſignificat P. Elizalde in *Appendice de natur. opin. q.* 3. §. 2. ubi differens de hac voluntatis libertate, de Authoribus, qui eam in voluntate circa minus bonum eligendum concedunt, inquit: Ipſi hi Theologi dum in libris de Anima quærunt, an voluntas poſsit eligere minus bonum, & relinquere melius ad finem intentum, qui affirmant, addunt, naturaliter voluntatem quidem poſſe, at imprudenter acturam, eligendo verb. grat. decem ſcuta ærea, & relinquendo centum aureos, ſi finis eſt cumulare divitias. Et ſic in aliis. Unde conſequenter ipſi negant Deo

glorioso hanc minus bonum ad finem intentum eligendi libertatem, quia nihil imprudens cadit in Divinam electionem. Et hec ipsi eo loci naturę senśu scribũt. Hactenus ingeniosus P. Elizal.

12 Verumtamen, dum significat, præfatos Theologos negare in Deo libertatem eligendi minus bonum ad finem intentum, falli videtur: cum & in libris de Anima, & Theologicis in dissertationibus communitèr cum D. Augustino, & Doct. Angelico oppositum doceant, ut in superiori sectione tradidimus. Imò ex Dei Optimi Maximi libertate ad æquale, & minus bonum, seù medium minus utile eligendum, subinferunt Theologi, ac Philosophi similem in nobis libertatem, ut cernere licet in cunctis ferè Authoribus laudatis *sectione* 45. Et quidem Theologi communitèr cum D. Augustino *lib. de Agone Christiano. cap.* 11. *& D. Thoma* 3. *part. q.* 1. *art.* 2. docent ad finem reparandi humanum genus, Incarnationem non fuisse simpliciter necessariam, sed aliis modis hominem lapsum potuisse à Deo reparari: cum tamen incarnatio sit aptius, & convenientius medium præ aliis omnibus ad finem eundem ex D. Thom. *dict. art.* & communis id tenet receptaque Theologorum sententia: Augustini verba loco citato sic habent: *Sunt autem stulti, qui dicunt. Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi suscíperet hominem, & nascerctur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omninò, sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.* Idem habet *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 10. non longè à princip. Ex quo D. Thomas eam illustrat doctrinam, *citata q.* 1. *art.* 2. & ex traditis, fulcitisque ab eodem Doctore Angelico, & ex aliis Authoribus supra hac, & *præced. sect.* innotescit apertè Dei libertas eligendi medium minus utile, tum inspecto universali, & ultimo fine, quo Deus ad extra operatur, scilicet propter se ipsum, & ad sui gloriam, tum aliis finibus inspectis, videlicet ad hominis lapsi reparationem, vel etiam ad hujus universi perfectionem, & pulchritudinẽ, siquidem manẽtibus entitativè, & essentialiter eisdẽ universi partibus, potuit Deus majorem accidentalem perfectionem eis tribuere, ut inquit D. Thomas 1. *p. q.* 25. *art.* 6. *corp. & in* 1. *dist.* 44. *q.* 1. *art.* 3. *corp.*

SECTIO QUADRAGESSIMA OCTAVA.

Dei libertas circa bona creata ulterius exponitur, & cum summa ipsius laudabilitate conciliatur.

1 UT majori cum claritate pateat quænam sit hæc Dei Optimi Maximi libertas circa bona creata, sequentes profero assertiones ex probatis eruditioneque conspicuis Authoribus. Sit prima, Deus de se, nullaque suppositione alia efficacis voluntatis suæ, necessitatus non est ad optimum eligendum, seù efficiendum, sed potius alia à se omninò liberè vult: est D. Th. 1. *p. q.* 19. *art.* 3. & communis: secunda: nec moralem aliquam necessitatem habet Deus ad amandum efficaciter optimum: est etiã communis, licet obsistant aliqui, eam tamen illustrant P. Alarcon *tract.* 3. *disp.* 3. *cap.* 3. *& seqq.* P. Herize *disp.* 20. *sivè vlt. de volunt. cap.* 4. *n.* 26. omnium Theologorum eam appellans. fusè P. Arriaga. *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 27. *ferè per totã.* Card. de Lugo *de Incarna. disp.* 2. *sect.* 1. *n.* 3. P. Bernal. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 2. P. Ortega *tom.* 2. *de Deo uno. controv.* 4. *de volunt. disp.* 3. *quæst.* 3. *certam.* 3. *&* 4.

2 Tertia assertio, inspecto fine ultimo, propter quem cuncta Deus operatur, nulla est in Deo necessitas eligendi media potiora, seù magis convenientia: patet ex dictis quòniam finis ultimus propter quem Deus vult omnia, quæcumque vult à se ip-

ipso distincta, est bonitas infinita ipsius Dei: ut cum D. Thom. 1. *part. q.* 19. *art.* 1. *&* 2. statuunt communiter Theologi: juxta illud: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb.* 16. at Deus, nulla facta suppositione decreti ipsius liberi, non tenetur ulla physica necessitate, producere creaturas perfectiores; ut ex prima assertione patet: ergò nec tenetur Deus eligere media eligibiliora, seù convenientiora: propterea inquit D. Thom. 1 *part. quæst.* 19. *art.* 2. *corp. Deus vult, & se esse, & alia. Sed se ut finem, alia verò ut ad finem.* Et *ad* 2. *Unde cum Deus alia à se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, ut dictum est: non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua:* & *ead. quæst. art.* 1. *ad prim.* idem communit: unde opera Dei perfectiora, cum magis amentur à Deo, sunt etiam magis diligibilia ab ipso, non ut finis ipsius Dei: ergò ut media: igitur, Deum posse producere creaturas non perfectiores, est posse eligere media non potiora, seù minus convenientia ad finem suum.

3 Confirmatur, quia etiam glorificatio Dei de facto est objectum formale atque motivum suorum operum, sivè volitionis eorum, juxta illud Isaiæ 43. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.* Ad *Ephes.* 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Ubi Chrisost. *Serm.* 1. *In adoptionem* (inquit) *filiorum nos prædestinavit volens, idque vehementer volens ad hoc, ut conspicua reddatur gratiæ suæ gloria*: porrò ad hanc Dei gloriam, & laudem magis conferunt opera mirabiliora, & excellentiora ipsius: at Deus libertate summa sua, & infinita, potest omissis operibus mirabilioribus, & excellentioribus, operari alia minus, sed valdè mirabilia, & perfecta: ergò nulla est in Deo necessitas eligendi media magis convenientia ad suum finem.

4 Quarta assertio, etiam inspecto fine relato, subordinato, seù secundario divinæ operationis, potest Deus liberè eligere media minus concernentia, utilia tamen, & sufficientia ad finem efficaciter amatum, & intentum: exemplo sit liberatio hominum à peccato, quia ut dictum fuit sect. præced. necessarium medium non fuit Verbi Divini incarnatio, ut homo lapsus à peccato liberaretur: ut apertè docuit D. Augustt. *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 10. non longè à princip. *Verum etiam* (inquit) *ostendamus, non alium modum posibilem Deo defuisse* (*cujus potestati omnia æqualiter subjacent*) *sed sanandæ miseriæ nostræ convenientiorem alium medium non fuisse*: subscribit D. Thom. 3. *part. q.* 1. *art.* 2. *corp.* Et communis Theologorum consensus. Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Aliud exemplum pro stabilienda assertione ista, cernere est in naturali bono universi, quod Deus intendit mediis causis secundis, & tamen manente eodem universi ordine, posset Deus accidentalem perfectionem multis rebus addere, & alias specie distinctas, & perfectiores præ aliis, in aliquibus earum generibus producere, ut in floribus, fructibus, lapidibus pretiosis, & in brutis: Id quod firmat D. Th. sententia relata sect. 47. n. 7. Præterea in ordine gratiæ intendit Deus in Ecclesia Sancta enasci, & conservari hominum, ac mulierum præclara sacra instituta; & licet virtutibus, aliisque donis conspicuos homines elegerit, ut ipsi prima horum operum jacerent fundamenta, & alios postea, ut opus perfectum custodirent, ac retinerent: dubitari nequit, quin potuerit Deus alios viros, ac mulieres, ad eosdem fines eligere, creare, & supernaturalibus perfectioribus instruere gratiis, ac donis suis: fit ergò ex prælibatis, non rectè dixisse P. Elizalde, Theologos supponere, & asserere, non esse in Deo libertatem eligendi mediū minus utile,

ſeù minus bonum ad finem efficaciter intentum.

5 Inſuper non rectè colligit, ex hac Dei libertate aſſerendam fore in Deo imprudentiam, & ideò eam libertatem negandam: id, inquam, non infertur, quippè ſi id libertatis Deo non conveniret, fieret quod Deus omnimoda neceſsitate teneretur ad optimum producendum, ſaltem ex ſuppoſitione producendi univerſum, vel aliquam creaturam: probatur: quòniam *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ut in *cap.* 16. *Proverb.* habetur; unde ſe ipſum ut finem, alia autem à ſe diſtincta amat Deus ut media, ut oſtenſum eſt: ſi ergò medium minus amabile, minuſque eligibile, nequit niſi imprudenter amari à Deo, non niſi optima quæque in omni genere Deus produxit, aut producere potuit: quod prorſus eſt falſum, & ſi de neceſsitate phyſica loquamur, ab omnibus Theologis rejicitur, ſi de neceſsitate morali, paucis exceptis, etiam oppugnatur ab alijs: imò ipſi, qui neceſsitatem moralem ad optimum in Deo agnoſcunt, eam ſolum in quibuſdam tuentur generibus, quia ſunt plura genera, in quibus optimum non eſt aſsignabile: & præterea id moralis neceſsitatis non eò aſſeritur, quia ex productione creaturę non optimæ eſſet Deus imprudens, imprudentia enim, non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè, & metaphyſicè in Deum cadere non poteſt: igitur ex libertate ad eligendum minus amabile, minuſque eligibile medium, non rectè arguitur, imprudentia in Deo.

6 Qua vero ratione conſiſtat in Deo id libertatis abſque aliqua imperfectione, ſed potius, cum ſumma infinitaque Dei laudabilitate, & perfectione, diverſimodè à Theologis exponitur: primò igitur P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. *p. diſp.* 27. *ſect.* 4. *ſubſect.* 2. *num.* 76. inquit, quod ſicut in ſe Deus continet eminentiſsimo modo omnem poſsibilem honeſtatem, tàm moralem, quàm phyſicam; continet etiam eminenter omnium creaturarum perfectiones omnes; ita amor de ſe ipſo ſolo eminentiſsimè continet omnium amorum de objectis bonis creatis perfectionem. Unde ſivè poſtea habeat amorem creaturarum, ſivè non, ſemper eſt abſolutè, & intenſivè æquè perfectus, quia nihil poteſt ei amori addi, niſi quod minus perfectum eſt: ſolùm ergò actus de nobiliori, aut de pluribus objectis creatis, addit Deo majorem perfectionem extenſivè, & ſecundum quid. Quo nullum eſt planè abſurdum; ſic dicimus, Patrem Æternum non eſſe tàm perfectum extenſivè, ac omnes tres Perſonas Divinas, ſimul ſumptas; quia diſtinguitur realiter à filiatione, & ſpiratione paſsiva, quæ ſunt perfectiones diſtinctæ à Paternitate. Imò etiam dicimus aggregatum ex Deo, & ex creaturis eſſe perfectius extenſivè ipſo Deo præcisè ſumpto: ita P. Arriaga; & in eo, quod complexum Dei, & creaturarum ſit aliquid extenſivè tantum perfectius, concinunt Eximius Doctor. *in* 1. *part. lib.* 1. *de Deo. cap.* 5. *num.* 3. Durand. *in* 1. *diſt.* 44. *q.* 3. Cardinal. de Lugo *de Incarna. diſp.* 2. *ſect.* 4. *num.* 63. nec ab illis diſsidet P. Richardus Lincæus *tract.* 2. *lib.* 2. *de Beatitud. cap.* 3. *num.* 81. ubi exponit, quo ſenſu id doctrinæ verum habeat.

7 Secundò excluditur omnis imperfectio in actibus, & operationibus divinis, quia bonitas actus ſumitur adæquatè ex bonitate motivi formalis, non verò ex bonitate objectorum materialium: motivum autem formale adæquatum omnium actuum Divinorum eſt ſola bonitas divina, & creata omnia ſunt objecta materialia, id quod communis valdè Theologorum ſententia tenet, à qua ſtant præcipuè P. Molina 1. *part. quæſt.* 19. *ar.* 2. *diſp.*

disp. 3. *& art.* 5. P. Valentia *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 19. *punc.* 4. *&* 5. *assert.* 2. P. Arrubal *disp.* 51. *cap.* 3. P. Becan. *de volunt. cap.* 11. *quæst.* 2. *&* 9. P. Granad. *tract.* 1. *de volunt. disp.* 3. P. Ruiz *de volunt. disp.* 3. P. Alarc. *tract.* 3. *disp.* 2. *cap.* 1. *&* 2. P. Tanner. *disp.* 2. *quæst.* 10. *dub.* 1. *num.* 3. *& dub.* 5. *num.* 2. P. Hemelman. *tit.* 5. *disp.* 2. *cap.* 6. P. Quiros *disp.* 72. *de Deo. sect.* 2. *& alii*: unde omnes actus divini sunt necessariò summè perfecti, quidquid demum circa creata quælibet decernat. ita P. Sparça *quæst.* 4. *de Incarna. in solutione ad* 2. & ibidem *ad* 3. differens de libertate Dei ad decernendam Incarnationis carentiam, ait, quod Deus non esset æquè laudabilis à nobis laude gratificanti, si noluisset incarnari. Quia non contulisset tam magnum beneficium. At laude magnificentiæ tum etiam fuisset æquè laudabilis quantum est ex se, quia habuisset totam eandem bonitatem. Itaque solum in nobis fuisset defectus, & bonitatis accepto minori beneficio, & cognitionis, quam gignit meliorem de bonitate divina beneficium Dei majus. Nullus verò defectus in Deo fuisset.

8 Tertiò, dici potest, objectum perfectius, honestius etiam esse, actumque divinum reddi quidem laudabilem ab objecto, non tamen laudabiliorem ab honestiori, quia Dei actus laudabilitas, sicut & honestas moralis, non est capax augmenti, eo quod sit infinita; sicut actus Christi circa objectum honestum est meritorius, propter ordinem quem habet ad objectum bonum, sine qua bonitate objectiva, & libertate non esset meritorius; non est tamen magis meritorius ex majori bonitate objecti, quia quilibet actus est meritorius infinitè. Sic etiam quæcumque sit honestas objecti, quam Deus præ alia minori eligit, Dei actus est infinitè bonus, & laudabilis, nec magis laudandus est Deus intensivè propter objectum honestius volitum, quàm propter minus honestum, cum in amando hoc sit etiam infinitè laudabilis: quarè solum sequitur per voluntatem objecti minus perfecti habere Deum minorem perfectionem extrinsecam, seù esse extensivè minus perfectum, quod non est absurdum; sic enim Deus perficitur extrinsecè per operationem ad extrà. At verò intrinsecè non est Deus minus perfectus, quando eligit objectum minus bonum, quod tamen bonum, & honestum est. Sic Cardinal. de Lugo *disp.* 2. *de Incarnatione sect.* 4.

9 Quartò, minor perfectio moralis in nobis non est moralis imperfectio, nisi omissio majoris perfectionis sit contra constitutionem, & consilium superioris: v. g. Religiosus Societatis, & Monacus Cisterciensis non sunt moraliter imperfecti, nequè ulla reprehensione digni, quod diebus ab Ecclesia permissis carnibus alantur, (quamvis opus perfectioris abstinentiæ, & pœnitentiæ exercere possent, à carnibus abstinendo) quia nulla ipsorum constitutione prohibentur carnibus sustentari, nec superioris consilio ad id abstinentiæ diriguntur: essent tamen moraliter imperfecti, & reprehensione digni, si superiorum consilio, aut constitutione injunctum eis esset, ut carnibus abstinerent: unde in Christo Domino, & in Beatis reperiri possunt plures actus virtutum liberi, qui nulla lege, constitutione, aut consilio divino determinatè præscripti sunt, sed ipsorum electioni permissi: & consequenter licet non exerceant in his rebus ita permissis actus ex objecto perfectissimos, non ideò sunt imperfecti moraliter, nec reprehensione digni: Tum sic, igitur cum Deus nulla constitutione, aut consilio superiori teneri possit, nihil imprudentiæ, nihilque moralis imperfectionis in electione divina arguere licet, quamvis nolit Deus medium utilius eligere. Vide P. Ripaldam *tom.* 2. *de Ente supernaturali. disp.* 74. *sect.* 4. *num.* 35. *&* 36.

hanc elucidans doctrinam, eamque probatam Cerno in Card. Bellarmino *tom.3.lib.3. de Grat. & liber.arbitr. cap. 17. verſ. Secundum argumentum*, ubi ad divinam libertatem ſtabiliendam, elevandamque hanc noſtram difficultatem, ſapientia (inquit) divina judicat, nihil eſſe abſolutè bonum, & faciendum extra Deum, niſi quod ipſe Deus facere voluerit, & id eſſe melius, quod ei magis placet. Et hoc fortaſsè ſignificavit Apoſtolus *ad Epheſ.* 1. cum ait, Deum omnia operari *ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; quamvis igitur voluntas divina ſemper conformis ſit ſapientiæ divinæ, nulla tamen inde ſequitur neceſsitas, quòniam etiam ſapientia divina conformis ſemper eſt voluntati divinæ: Hæc Bellarm. ex quo diſcrimen ingens elucet, propter quod creatura omittens medium minus utile contra præſcriptum conſilii, aut conſtitutionis ſit moraliter imperfecta, & reprehenſione digna; Deus verò ſit ſemper ſummè, & infinitè laudandus, licet in eligendo medio minus utili ſibi complaceat; atque de hac ſumma, & infinita Dei actuum liberorum honeſtate, & laudabilitate fusè, & ingenti acumine differit P. Aldrete *tom.1. de Incarna. diſp. 3. per totam.* Sententia tamen P. Arriaga ſatis mihi expedita apparet.

10 Fit ergò liquidum, Theologos nullo modo inficiari in Deo libertatem ad eligendum objectum creatum honeſtum, ſeù morali malitia haud infectum, licet minus bonum, relicto alio honeſtiori, & meliori; ſed potius id libertatis in Deo ſupponere, & aſſere, vide P. Ortega, *tom. 2. de Deo uno. controv. 4. de volunt. Dei. diſp. 3. quæſt. 2. certam. 4.* præcipuè *num. 4.* & P. Martinonum *diſp. 13. de Deo. ſect. 5. & 6.*

***

SECTIO QUADRAGESSIMA NONA.

An poſsit voluntas pro ſuo libito diligere bonum aliquod, ad quod æqualiter, vel minus inclinatur, & aliud ad quod magis inclinatur, rejicere?

1 UT præcedentis ſectionis inſtitutum cumulatè maneat expenſum, hanc ſecundam propono, & communio aſſertionem: voluntas poteſt pro ſuo libito diligere bonum aliquod, ad quod æqualiter, vel minus inclinatur, & bonum aliud, ad quod æqualiter, aut magis inclinatur, rejicere: ita docent omnes ferè Authores relati pro aſſertione prima in præcedenti ſect. ſed præcipuè Exim. Doct. P. Suarez *lib. 7. de Angelis. cap. 5.* P. Fonſeca *lib. 8. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 5. ſect. 15.* P. Salas *tom. 1. in 1.2. tract. 6. diſp. 1. ſect. 5. quæſt. 9.* P. Izquierdo, *tom. 2. de Deo uno, tract. 10. diſp. 30. quæſt. 15. à num. 686.* & in *num. 689.* fine ait, oppoſitam P. Vazquez ſententiam à Noſtris Doctoribus communiter jam eſſe deſertam; id quod in his, quos mihi legere licuit, verum comperi; noſtra igitur aſſertio probatur primo, quia in hoc eadem videtur eſſe ratio de voluntate divina, ac de voluntate creata; cum formalis libertas, ex qua vis electiva deſcendit, in utraque reperiatur; atqui voluntas divina ex duobus bonis, æquè propoſitis, unum poteſt eligere, & aliud rejicere, ſicut de facto accidit, Deus enim æquè bonum cognoſcit hunc mundum, & alium ſimilem mundum poſsibilem, & tamen amavit de facto, & voluit creare hunc mundum, & abjecit, ac noluit creare alium mundum poſsibilem: ergò etiam voluntas creata ex duobus bonis æquali cum inclinatione ex cognitione propoſitis, poteſt rectè unum amare, & aliud abjicere.

Con-

2 Confirmatur ex probabili admodum ſententia aſſerente, Deum neceſſario amare creaturas purè poſsibiles, quam præter relatos ſect. 47. n. 8. docent Faſol. *q.* 19. *art.* 3. *dub.* 2. Ruiz *diſp.* 6. *de volunt. ſect.* 2. Arrubal *diſp.* 53. *cap.* 3. Becan. *cap.* 11. *quæſt.* 3. Ripalda *de Ente ſupernat. diſp.* 41. *ſect.* 9 *num.* 71. & in *manu ſcrip. de volunt. diſp.* 9. *ſect.* 2. Arriaga 1. *part. diſp. tom.* 1. *diſp.* 24. *ſect.* 6. *ſubſecti.* 2. Ribas *diſp.* 4. *de volunt. cap.* 2. Ribadeneyra *diſp.* 13. *de volunt. cap.* 1. Martinon. *diſp.* 13. *de Deo. ſect.* 2. Quirós *diſp.* 66. Sforcia *lib.* 1. *ſuæ Theolo. num.* 50. Hemelman. *tit.* 7. *diſp.* 1. & apud ipſos alii: Ex quorum ſententia fit, Deum pro priori ſigno ad decretum creationis cujuslibet creaturæ, inefficaci ſuo amore propondere erga poſsibiles omnes creaturas, earumque exiſtentiam inefficaci affectu amare, ab ipſiſque poſsibilibus, ratione objectivæ earum perfectionis allici divinam voluntatem, & conſequenter eo, & æquali inefficaci affectu tendere divinam voluntatem in alium ſimilem mundum, ac in iſtum, pro priori ad decretum producendi hunc mundum; & tamen Deus liberè hunc mundum producere elegit, & alium rejecit: igitur conſimiliter creata voluntas propoſitis duobus bonis æqualibus, & ſimilibus, æquè vividè, licet neceſſariò allici atur inefficaciter, & æqualiter, erga utrumque, poterit prolibito alterum eligere, & rejicere aliud. Idem argumentum conficitur ex amore Dei inefficaci erga poſsibilia inæqualis perfectionis; nam licet neceſſariò inefficaciter plus amet Deus poſsibilia perfectiora, & cognitione ſumma, & comprehenſiva ea cognoſcat, poteſt tamen Deus decernere liberè productionem poſsibilium, quæ minus habent perfectionis: poterit ergò voluntas creata amare minus bonum, licet à majori bono intenſius alliciatur propter ipſius objecti vim, & propter cognitionem vividam ipſius objecti. Conſimile effici valet argumentum ex ſententia docente, Deum liberè poſsibiles amare creaturas, juxta quam præſuppoſita comprehenſiva earum cognitione æqualem, & inæqualem ipſarum perfectionem repræſentante, poterit Deus æquè, & minus perfectas diligere inefficaciter, omiſsis aliis æquè, & magis perfectis ſecundum ſuam objectivam entitatem; & prætereà amore efficaci creandas eligere, vel perfectiores, vel æquè, aut minus perfectas.

3 Probatur ſecundo: quando aliquis elicit opus bonum, vel opus malum moraliter: v. g. actum temperantiæ, aut actum intemperantiæ, elicit tale opus liberè libertate etiam contrarietatis, ut apud omnes Philoſophos, & Theologos eſt inconfeſſo; quis enim dicat, quando homo temperatè comedit, non poſſe comedere intemperatè, vel econtra; atqui ſi voluntas non poſſet diligere aliquod bonum præ alio, niſi illud vividius ſit propoſitum, voluntas, cum elicit opus bonum, vel opus malum moraliter, nunquam haberet libertatem contrarietatis; ergò voluntas rectè poteſt diligere aliquod bonum præ alio, licet illud non vividius proponatur. Minor oſtenditur: quando operatur voluntas circa materiam temperantiæ, vel comedere temperatè proponitur efficacius, & inefficacius comedere intemperatè, vel econtra, efficacius proponitur, comedere intemperatè, & inefficacius temperatè comedere, vel utrumque æquè vividè proponitur, non enim poteſt aliud medium aſsignari; ſed ſi primum dicas, ſolum potuit voluntas amare temperantiam, non verò intemperantiam: ſi dicas ſecundum, ſolum poterit voluntas intemperantiam diligere, non verò temperantiam. Si tertium aſſeras, non poterit voluntas amare temperantiam, nec intemperantiam; atque ita nunquam in voluntate erit indifferentia ad actum temperantiæ, & actum intemperan-

rantiæ eliciendum,quod neceſſariò ad libertatem contrarietatis requiritur:ergò ſi voluntas non poſſet diligere niſi bonum efficacius,ſeù vividius propoſitum nulla in ipſa maneret libertas contrarietatis.

4 Urgeo primo, quando quis obſtringente præcepto ſacri audiendi,ſacrum non vult audire,nec audit, cum plena obligationis advertentia,verè peccat, ut per ſe conſtat: ſed ſi voluntas non poſſet amare bonum niſi vividius propoſitũ, ille, qui non vellet die feſto, & in prælibata hypotheſi audire ſacrum, nec de facto audiret, non peccaret: ergò voluntas poteſt amare bonum,licet non vividius proponatur: minor probatur:ille,qui non vult in die feſto audire ſacrum, nec ipſum audit, non pecccat, ſi ſimpliciter non poſsit velle audire tale ſacrum, atqui juxta prædictam ſententiam, ille qui non vellet audire ſacrum, nec ipſum audiret, non poſſet ſimpliciter velle audire tale ſacrum, quia non poteſt voluntas velle,& amare objectum, niſi quod efficacius cognoſcitur, in tali autem caſu efficacius, ſeù vividius cognoſceretur omiſsio ſacrè, quàm ſacri auditio, cum hanc voluntas non vellit,&illam amet, ac proinde in tali caſu juxta opinionem, quam oppugnamus, non poſſet voluntas audire ſacrum: ergò ille, qui in die feſto non vult audire ſacrum, nec ipſum de facto audit, cum plena advertentia urgentis præcepti, non peccaret: quod minimè eſt ferendum.

5 Reſpondebit quiſpiam, licet ille, qui in prædicto caſu ſacrum omittit,efficacius cognoſcat omiſsionem ſacri, quàm ipſius auditionem, poteſt tamen, ac debet alia motiva inquirere, ut efficacius cognoſcat auditionem ſacri,quam ejus omiſsionem,& ſic poſſet talem auditionem diligere: unde cum liberè talia motiva non quærat,& ſacrum omittat,libera illi eſt talis omiſsio ſacri, & conſequenter peccat. Sed contra: iſte,qui in noſtro caſu efficacius cognoſcit omiſsionem ſacri, quàm auditionem ipſius, & de facto vult ſacrum omittere, vel ſaltem non vult illud audire, iſte(inquam) non potuit velle inquirere alia motiva, ut efficacius cognoſceret auditionem ſacri, quàm ejus omiſsionem; ergò non liberè,ſed omninò neceſſariò ſacrum omittit; conſequentia eſt evidens ex dictis, antecedens ſic ex adverſariorum poſitione oſtendo: iſte de facto non voluit motiva inquirere ad cognoſcendum intenſius auditionem ſacri, ſed potius voluit illa non inquirere, ut ſupponimus, & ideò Adverſarii dicunt, peccare omittendo ſacrum: ergò ipſe efficacius cognovit hoc, quod eſt, non inquirere motiva,quàm hoc, quod eſt,illa motiva inquirere, aliàs in ſententia contraria, non poſſet illud velle, & hoc abjicere;atqui voluntas non poteſt velle,quod inefficacius cognoſcitur,ut eadem ſententia aſſerit: ergò voluntas non potuit, velle alia motiva inquirere ad cognoſcendum vividiùs auditionem ſacri: igitur ex hac ſententia fit, omittentem ſacrum in die feſto carere libertate ad illud audiendum,& conſequenter non peccare,quod nefas dictu.

6 Urgeo ſecundò, & conſectariè:ex ſententia oppoſita ſequitur, nullam omninò poſsibilem eſſe voluntati libertatem contrarietatis, in ullo evẽtu,ad eligendum ſcilicet alterutrum ex duobus objectis, ſeù ex duobus actibus contrariè oppoſitis. Quod ingens abſurdum eſt, & contra omnes Theologos. Colligitur tamen, quóniam voluntas per prævias cogitationes, vel ad neutrum talium actuũ eſt inclinata,vel eſt inclinata ad alterum tantum; vel eſt inclinata ad utrumque inclinationibus æqualibus, vel eſt inclinata ad utrumque inclinationibus inæqualibus. Iſti quippè quatuor ſunt omninò omnes caſus poſsibiles, ut per ſe patet. In primo

mo autem certum eſt, voluntatem neutrum talium actuum, & objectorum poſſe liberè eligere, defectu ſcilicet motivi allicientis. In ſecundo etiam eſt certum, non poſſe eligere eum actum, ad quem nullam allicientiam habet: In tertio, neutrum item poteſt eligere juxta contrariam ſententiam. In quartò juxta eandem opinionem, non poteſt eligere eum ad quem habet inclinationem minorem: ergò nullus eſt poſsibilis caſus, ſtante ſententia contraria, in quo voluntas poſsit ex duobus actibus contrariè oppoſitis eligere alterutrum, ſicque libertatem contrarietatis habere, quod erat oſtendendum.

7 Unde tertiò aſſertio præfixa probatur: Nam, vel juxta oppoſitam doctrinam philoſophandum eſt in præſenti de actibus contradictoriè oppoſitis ſimiliter, atque de oppoſitis contrariè, vel aliter. Si primum, ſatis efficaciter ob argumenta propoſita convincitur, æquè eſſe voluntati impoſsibilem libertatem contradictionis ad eligendum alterutrum ex actibus contradictoriis, ac libertatem contrarietatis ad eligendum alterutrum ex actibus contrariis; ſubindeque omnem omninò libertatem è medio tolli. Quod eſt ingens abſurdum. Si autem dicatur ſecundum, ut certè debet, & videtur ſupponere adverſa ſententia, nimirum voluntatem, ſivè æqualiter, ſivè inæqualiter inclinatam ad actus contradictorios, eſſe nihilominus immediatè liberam ad eligendum alterutrum:

8 Hinc multipliciter talis ſententia venit rejicienda, primò, quia nulla videtur reddi poſſe idonea diſparitas, cur ſit ad propoſitũ aliter de actibus contradictoriis, quàm de actibus contrariis, philoſophandum. Secundò, quia cum omiſsio libera, ut apud illius patronos dicitur, interpretativè, & moraliter ſit veluti quædam volitio ſui, perinde ad rem ſe videntur habere omiſsio, & actus cujus ea eſt omiſsio, ac ſi eſſent duo actus poſitivi oppoſiti inter ſe: ergò ſicut voluntas immediatè eſt libera ad actum, & omiſsionem, quamvis magis ad actum, quàm ad omiſsionem ſit inclinata: ita quoque libera erit ad duos actus oppoſitos, quamvis magis ad unum, quàm ad alterum inclinata ſit.

9 Tertiò, quia quando voluntas per præviam cogitationem de bonitate omiſsionis conſtituitur libera ad illam, certum videtur, voluntatem, non obſtante ſua majori inclinatione ad actum, quam ad omiſsionem, poſſe duobus modis omiſsionem cauſare liberè; primò purè omittendo, ſecundò volendo efficaciter omittere. Cumque certum etiam appareat, in tali caſu non majorem inclinationem habere voluntatem ad cauſandam omiſsionem poſteriori modo, quam ad cauſandam priori, ſi poſteriori cauſet de facto, jam in tali caſu voluntas ex duobus actibus contrariè oppoſitis, quales ſunt actus de quibus agimus, illum eliget liberè libertate immediata, ad quem minus inclinata erat. Quo tota adverſariorum doctrina ruit.

10 Quartò denique. Quia, quando voluntas inæqualiter inclinata ad duos actus contrarios, ſponte ſua eſt omiſſura eum, ad quem magis inclinabatur, tunc ſaltem nihil deſiderari poteſt, ut ea ad alterum actum proximè potens ſit. Id quod per ſe, & ex ipſis terminis videtur notum. Ergò tunc ſaltem erit ea proximè libera ad alterutrum eligendum. Ita ingenti ſuo acumine diſſerit P. Izquierdo *tom. 2. de Deo uno. tract. 10. diſp. 30. quæſt. 15. à numero 691.*

11 Hæc verò quarta ponderatio attingit probationem, quam tradidit Eximius Doctor *lib. 7. de Angelis. cap. 5. num. 7.* ubi aſſertionem noſtram in hunc modum elucidat, eritque illius quarta præcipua ratio: duobus objectis inæqualiter voluntati propoſi-

tis,

tis, non neceſsitatur voluntas quoad exercitium ad volendum objectum intenſius ſeù efficacius cogitatum, ut Authores contrariæ ſententiæ ingenuè fatentur; ergò ſtante illo judicio, ſeù ea cognitione, ſtat, voluntatem non amare objectum, honeſtum v. g. ſic, id eſt, intenſius propoſitum; ergò nec etiam quoad ſpecificationem ad illud volendum neceſsitatur. Probatur conſequentia; quia omiſſo bono honeſto, poterit voluntas velle delectabile, etiam minus intensè cogitatum. Quod probatur, quia objectum delectabile eſt de ſe ſufficiens, ut voluntas illud amet, ſi velit: nam eſt propoſitum ſufficienter per illud judicium, illamvè cognitionem, quam in intellectu ſupponimus, eſtò non ſit maxima nec major quoad intenſionem, vel efficaciam, quia hæc non eſt neceſſaria in cognitione, ut voluntas ferri poſsit in objectum cognitum: tum quia ſi cognitio objecti honeſti contrarii eſſet minus intenſa, minuſque efficax, ſufficeret cognitio ſuppoſita objecti delectabilis, ut illud proſequeretur voluntas: ergò poteſt tunc voluntas pro ſua libertate ferri in objectum delectabile ſic propoſitum, ſcilicet in ſenſu compoſito intenſioris cognitionis objecti honeſti contrarii, & omiſsi, rejecto quippè objecto honeſto, intenſius propoſito, nihil impedimento eſſe poteſt, ut voluntas amet objectum oppoſitum cognitum. Probatur conſequentia, quia ibi concurrunt omnia neceſſaria ad agendum, & de ratione potentiæ liberæ eſt, ut poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſsit agere, ſicut & non agere.

12 Reſpondent, poſſe quidem voluntatem in illo eventu non amare honeſtum bonum, efficacius cognitum, & conſequenter poſſe avertere vel remittere cogitationem ejus, vel intellectum applicare, ut efficacius conſideret objectum delectabile, ut ſic illud velit, ſi vero intellectum relinquat in eadem cogitatione, non poſſe velle objectum delectabile, leviter cogitatum, contra vehementem cogitationem boni honeſti. Et conſimiliter, ſi vehementius cogitet de ſenſibili objecto, quàm de ſpirituali, & alterum ex illis ſic cogitatis velit, ſemper voluntas ferretur in objectum ſenſibile, mota potius à vehementi cogitatione illius, quàm à tepida conſideratione virtutis. Et ideò, ut non peccet, neceſſarium eſt, ut vel contineat omnem actum, & neutrum velit, vel intellectum avertat à cogitatione ſenſibili, vel applicet illum, ut vehementius attendat ad honeſtum.

13 Sed contra hoc ab eodem Eximio Doctore inſtatur; quia licet hic modus fortaſsè facilior, & magis connaturalis ſit; non tamen videtur neceſſarius, neque ulla probabilis ratio talis neceſsitatis oſtendi poteſt, (ſic fatur P. Suarez) quia, ut argumentabar, ibi concurrunt omnia neceſſaria, ut voluntas poſsit velle objectum delectabile. Nam ſi eſſet in intellectu ſola illa cogitatio objecti delectabilis in eodem gradu, & alia non adeſſet, voluntas poſſet velle tale delectabile objectum. Sed cogitatio honeſta etiam efficacior non poteſt reſiſtere voluntati, ut non poſsit tendere in objectum delectabile ſimul ſibi propoſitum: ergò etiam non avertendo, nec remittendo unam cogitationem, nec intendendo aliam, poterit voluntas pro ſua libertate ferri in objectum delectabile. Probatur minor: quia nulla forma, vel cauſa impedit formam contrariam, niſi vel activè inducendo effectum, vel formam proximè repugnantem alteri, ut habitus virtutis quantumvis intenſus in voluntate exiſtens non impediet efficaciter actum contrarii vitii, niſi efficiendo proprium actum proximè contrarium actui contrarii vitii, & ſic de aliis, vel formaliter ut unus actus excludit contrarium, ſed illa cogitatio boni honeſti non eſt for-

ma-

maliter oppoſita actui peccati; ſed valdè remotè, & non inducit efficaciter in voluntatem amorem talis objecti ſic cogitati, nec neceſsitare poteſt voluntatem, ut talem amorem eliciat; ergò nec poteſt efficaciter impedire voluntatem, ſeù neceſsitatem illi inferre, ut non eliciat amorem objecti delectabilis, etiam ſi intellectus à tali cogitatione non ceſſet.

14 Et confirmatur à contrario, quia licet intellectus actu ſit cogitãs de bono honeſto, & de delectabili turpi, & vehementior ſit cogitatio ſenſibilis objecti, poteſt voluntas non ſolùm non conſentire cogitationi turpi, ſed etiam poſitivè illi reſiſtere, & honeſtam operationem velle, etiam ſi non prius remittat illam cogitationem turpem; ergò etiam è contrariò, poteſt peccare, etiam ſi conſcientia actu per vehementem cogitationem honeſtam informetur. Conſequentia tenet à paritate rationis, & antecedens videtur experientia notum, quia duranti acri tentatione, & vehemente ejus cogitatione, voluntas juſti ſæpè eſt conſtans, non ſolum non peccando, ſed etiam bonum operando, & merendo, cum tamen ſæpiſsimè talem cogitationem nec avertere, nec remittere valeat.

15 Tandem ſtabilitur noſtra ſententia ab abſurdo; quòniam ex Adverſariorum doctrina conficitur, quod ſi homini famelico proponantur duo fercula omninò ſimilia, & æqualia, ut alterutrum tantum eorum eligat, & ſumat; nec tamen poſsit ante electionem ullatenùs magis ad unum, quam ad alterum inclinari, non poſſe eum in tali caſu eligere, & ſumere alterutrum, ſed prorſus neceſsitatum manere ad relinquendum utrumque, etiam ſi fame pereat, quod quis non videat eſſe incredibile?

SECTIO L.

Infracta Adverſariorum ſolutione, ſtabilitur magis voluntatis creatæ libertas.

1 REſpondet Magiſter Gonet *tom. 3. diſp. 9. de electio. art. 3. num. 44.* quod tunc famelicus ille ex ſubito quodam motu, & naturali impetu, abſque deliberatione, & rigoroſa electione aſſumet unum ex illis panibus, aut ferculis. Quod ſi velit perfectè deliberare, & de melioritate cibi conſulere, voluntas applicabit intellectum ad inveſtigandum in uno ex illis mediis aliquam rationem boni, & convenientis, ſeù commodi, qua emineat ſupra aliud, ut docet D. Thomas *art. 6. ad 3.* Si autem poſt iſtam inquiſitionem in neutro inveniat aliquam bonitatem, voluntas determinabitur vel à motivis extrinſecis, ſicut ſunt circunſtantiæ, aut aliæ conditiones occurrentes, vel experientia propriæ libertatis, quam poterit velle circa unum potius, quam circa alterum exercere; & tunc ipſa libertas voluntatis non ſe tenebit ſolum ex parte principii elicitivi electionis, ſed etiam ex parte objecti, & habebit rationem motivi allicientis ad eligendum id, quod ex ſua intrinſeca bonitate æquale, & indifferens eſt: & in hoc magis latet æquivocatio, & haullucinatio apud Adverſarios: cum enim voluntas eligat illud objectum, quia vult, & ly *quia* poſsit dicere, & cauſam efficientem, ſeù elicientem, & cauſam objectivam ſeù allicientem: exiſtimant non requiri, quod libertas voluntatis ſe habeat ut ratio motiva, & alliciens, ſed ſufficere, ut ſe habeat, ut effectiva, & eliciens ſine novo motivo. Nos verò dicimus, utrumque deſiderari, & non ſufficere ut libertas voluntatis effectivè, ſeù elicitivè ad talem electionem concurrat, ſed inſuper requiri, quod

quod objectivè, ſeù motivè in eam influat: quia homo non inveniens in minori, aut æquali bono, quod moveat ſufficienter ex meritis objecti, apprehendit, & proponit voluntati pro motivo eligendi ſuam libertatem, ſeù placitum gratuitum, quod applicat huic objecto, & ex tali applicatione facit, quòd præemineat, & magis ponderet, magiſque voluntatem alliciat, & inclinet, quàm aliud magis, vel æquè bonum: unde licet tunc eligat id, quod minus eſt bonum ex parte rei electæ in ſe, ſemper tamen eligit id quod eſt majus, & convenientius ex parte motivi. Hactenùs Gonet.

2 Adverſus cujus doctrinam inſurgo primò, quia vel ille ſubitaneus motus, & naturalis impetus aſſeritur liber libertate ſufficiente, & plena, vel neceſſarius. Si primum nihil reſponſionis affertur, ſed potius erit, manus in argumenti vincla dedere; quòniam conceditur, poſſe voluntatem liberè proſequi alterutrum ex objectis, æquè illam allicientibus, & omninò ſimilibus. Si ſecundùm, inquiram, à quo principio voluntas determinatur? Non à ſe ipſa, quia indifferens eſt, nec continet virtutem aliquam neceſſariò connexam cum proſecutione, ſeù ſumptione iſtius potius ferculi, aut panis, quàm alterius omninò ſimilis, & æqualis: nec ex parte objecti poteſt aſſeri, aut oriri talis determinatio neceſsitans voluntatem, ut patet: nec adeſt alia particularis cauſa à qua id determinationis valeat oriri: igitur opus erit recurrere ad cauſas ſuperiores, & univerſales: porrò autem hujuſcemodi recurſus eſt parum philoſophicus, nec in præſentiarum eſt illi locus: quòniam cauſa univerſalis non agit niſi ad exigentiam cauſæ particularis, ut dum animalia imperfecta generantur exputri, tunc enim propter exigentiam diſpoſitionum ad formam vermis, (quam utpote vitalem, & ſenſitivam, non poſſunt inanimata, & inſenſibilia inferiora principia cauſare) ideò ab univerſalibus cauſis, & ab omniù prima producitur vitalis ac ſeſitiva forma vermis; nulla quippè in ea materia, & ſubjecto reperitur diſpoſitio proxima niſi ad illam imperfectam animalis formam, & ad ejus generationem.

3 Cæterum in noſtra hypotheſi, nec oſtenditur incapacitas, ſeù inferioritas cauſæ particularis, ſcilicet voluntatis, ad illam cibi electionem liberè eliciendam; nec data tali impotentia, adeſt exigentia potior, ut producatur à cauſa ſuperiori ille ſubitaneus motus, & neceſſaria ſumptio cibi, ſeù determinatio neceſsitans voluntatem ad hoc ferculum, præ illo, ſumendum, quàm ut homine fame pereunte, introducatur in ipſius materiam forma cadaveris: imò cum hypotheſi data, non ſumpto alterutro ex ſuppoſitis ferculis, mors homini immineat, adſunt jam diſpoſitiones ad formam cadavericam naturaliter generandam, igitur ſi cauſa univerſalis, & prima tunc neceſsitando determinaret hominis illius voluntatem ad cibum ſummendum, ageret contra exigentiam validiorem inferiorum agentium, ſeù cauſarum intendentium producere formam cadaveris in illo corpore: quod admitti non debet, cum nuſquam cauſa ſuperior univerſalis, & Prima agat, niſi juxta inferiorum validiorem exigentiam. Tum quia aliàs, quoties homo poteſt fame perire, deberet cauſa Prima illi cibum præbere, quod omninò falſum eſt; & conſequenter, etiam falſum erit, quod in hypotheſi noſtra, homo neceſsitetur à cauſa Prima, & Univerſali ad ſummendum hunc cibum præ illo. Urgeo ſecundò, electio propter rationem boni convenientis, qua emineat unum ferculum ſupra aliud, in data hypotheſi, eſt impoſsibilis, quòniam in illa ſupponuntur ferculà omninò æqualia, & ſimilia, quoad omnes circunſtantias: unde nec ab extrinſecis circunſtantiis de-

desumi potest inæqualitas; quia potius æqualitas in omnibus illis supponitur, excepto usu propriæ libertatis: frustra igitur conatur Mag. Gonet ex hoc capite elevare argumentum.

4 Verumtamen hinc urgeo tertiò, nam si voluntas, in præfatis terminis, potest immediatè exercere suam libertatem circa hoc extremum potius, quàm circa alterum, conceditur totum quod intendimus, & falsa est sententia nobis contraria: nec tegere se possunt Adversarii dicendo, tunc ipsam voluntatis libertatem non se tenere solùm ex parte principii elicitivi electionis, sed etiam ex parte objecti, habereque rationem motivi allicientis ad eligendum id, quod ex sua intrinseca bonitate æquale est, & indifferens: haud inquam id munimenti quidquam adversæ sententiæ patronis adducere valet: primò quia juxta illos, ut voluntas tunc eligat hoc extremum, præ illo, debet applicare suum gratuitum beneplacitum illi extremo, ut ea applicatione præemineat, & magis voluntatem alliciat, & objectivè moveat ad electionem; igitur pro priori ad electionem, jam liberè se exercuit voluntas, & elegit hoc extremum præ illo, quo nihil erit falsius: at probo consequentiam, quòniam voluntas, non necessariò, sed liberè applicare potest suum beneplacitum gratuitum huic extremo, aut alteri, igitur dum illud gratuitum beneplacitum alteri extremo applicat, eligit, amat, & præponit illud extremum: & se habente hoc beneplacito ex parte objecti, iterum juxta Adversarios eligit illud ipsum: ergò voluntas eligit ante electionem: quod ex terminis implicat contradictionem, rursusque bis eligit, ut semel eligat, quod non minus contradictionem involvit. Quartò insufficiens ostenditur eàdem solutio, quòniam permissa electione elicita à voluntate ex præeminentia motivi objectivi, constituta à beneplacito ipsius voluntatis gratuito, & illi extremo applicato: pro priori ad illam applicationem æqualia erant ex hypothesi extrema: sed non obstante ea æqualitate, liberè voluntas suum beneplacitum huic extremo applicuit, & aliud rejecit: nec solum finem intendendo, sed medium eligendo ad finem sumendi alimentum, & conservandi vitam: igitur stante omnimoda extremorum æqualitate, quoad efficaciam, seù vim intrinsecam, & extrinsecam movendi voluntatem, hæc potest unum præ altero liberè, & proximè eligere.

5 Confirmatur, quia alias in infinitum applicationum beneplacitorum voluntatis incideremus. Haud ergò diffiteor, voluntatem posse amare objectum, quia sibi beneplacitum, *To quia* dicente etiam causam objectivam, & allicientem, cæterum id in primis non est necessarium; deinde quando sic voluntas amaverit, debet præsupponi amor simpliciter tendens in objectum, quia beneplacitum, *To quia* dicente præcisè causam effectivam, aut formalem, seù exercitè electivam talis objecti, quin præsupponi debeat liberè ipsi applicatum beneplacitum liberum voluntatis, quia sic in infinitum abiremus.

6 Tandem aliud est, in hypothesi, de qua differimus, præsupponi debere liberum voluntatis beneplacitum exercendi suam libertatem circa aliquod ex extremis propositis indeterminatè, & vagè; aliud verò præsupponi debere illud voluntatis beneplacitum exercendi se circa hoc extremum determinatè: primum largiri possumus adversariis, quin nostræ officiat sententiæ, seù assertioni, quòniam hoc concesso, adhuc voluntas indifferens manet ad quodlibet ex extremis; & tunc quidem id beneplaciti poterit se habere objectivè, & ut motivum alliciens voluntatem ad electionem extremi alicujus; cæterum cum nulli

determinatè ſit applicatum, permanent adhuc extrema cum eadem æqualitate motiva, & indifferentia: ſecundus autem modus tēdendi beneplaciti ſupradictus jam includit electionem extremi unius, & poſtpoſitionem alterius, & conſequenter opus non eſt, ut eo beneplacito, objectivè ſe habente, iterum eligat voluntas idem extremum: & ſi ea tendentia voluntas eligeret, eſſet quidem electio ſecunda, & reflexa.

SECTIO LI.

Ex immediata voluntatis libertate ad eligendum æquale, & minus bonum conficiatur ne immediata libertas imperandi aſſenſum divinæ fidei, & hæreſeos?

1 SEntentiam illi conſecutionis abnegantem tuenturMagiſter Julius Mercorus *Baſis totius moralis Theolog.2. part.art.3. ad object.pag. mihi* 147. Cardin. Palavicinus *in* 1.2.*diſp.* 8. *quæſt.6. art.4.n.*11. P.Elizalde *in Append. de Natu. opin.q.*3. §.2.*& ſeqq.*Reverendus admodum N. P. Thyrſus Gonçalez *de Rec. uſu opin. diſſert.*7.§.4.P.Camargo, *lib.*1.*contr.* 5. *art.*15. *num.*195.Illuſtriſ. Jaccenſis, *de Conſc.quæſt.*26.§.6.*n.*77.ubi etiam aſſerit, ex principiis Divi Thomæ, & omnium Thomiſtarum voluntatem ab æquè moventibus non moveri, ſed neceſſum eſſe, quod unum eorum emineat ſupra alterum, ut illud voluntas eligere poſsit: in quo aſſerto ſupponere videtur, docuiſſe aliquem, quod voluntas præcisè ab æquè moventibus determinetur ad eligendum aliquod eorum; id quod nemo dicit, ſed tamen plurimi, quibus ſubſcripſi, edocent, voluntatem ex ſua libertate id electionis efficere poſſe: quod ſi Palanco fatur de motione, qua æqualia bona alliciunt voluntatem, falſum quoque eſt, quod voluntas ab æquè moventibus non alliciatur, nec ſic inefficaciter moveatur. Et ſi tandem, ut reor, præcisè aſſerat, quòd voluntas ex æqualibus bonis alterum eorum eligere nequit: haud aſſentiar, id ex Div. Thomæ principiis colligi, eamvè eſſe omnium Thomiſtarum ſententiam; Angelici enim Magiſtri doctrinam, illam libertatem affirmantē, ſententiæ noſtræ eſſe cōſonam, conſtat ex *ſect.*45.*num.*13.*& ſeqq.*& ex proximè dicendis rurſus ſtabiliam: ex præcitata itidem *ſect.* 45. *num.*3. clareſcit, ex Dominicanis PP. præcipuos, & plures eidem ſuffragium dediſſe aſſertioni, ſicut & Societatis noſtræ Scriptores, qui identidem Divi Thomæ doctrinam tuentur, & colunt. Affirmativam ergò partem in diſquirenda nunc veritate docent Angelic. Doct. locis ſtatim proferendis, & Cajetanus 1. 2. *quæſt.*65.*art.*4. §. *In eod.articulo*, & ferè omnes Scriptores, quos pro immediata indifferentia intellectus ad aſſentiendum æquè, & minus veriſimili objecto, laudavi *ſect.* 9. *& ſeqq.* omnes quippè vel hanc illationem eſſe bonam ſupponunt, vel eo utuntur argumento; ſed præ aliis id illuſtrat ingenti ſanè accumine P.Antonius Teril.*tract.de conſcien. q.*8.*&* 9.ac dilucidius *in Regul. mor.* 1. *p.quæſt.*31.*per totam*; at ne tātum ab eo propoſita regerā, operā meā adhibebo.

2 Aſſero igitur, ex libertate voluntatis proxima ad amandum, & eligendum minus, & æquale bonum rectè conficitur immediata ejuſdem voluntatis libertas imperandi aſſenſum verſus æquè, aut minus veriſimilia, & conſequenter ad imperandum aſſenſum fidei, tum hæreſeos. Probatur primò ex Ang.Doct.*in diſput.de malo, quæſt.* 6. *de electione. articulo unic. ad* 10. ubi, *Dicendum* (inquit S. Doct.) *quod de intellectu, & volūtate quodāmodò eſt ſimile, & quodammodò diſsimile. Diſsimile quidem quantum ad exercitium actus, nam intellectus movetur à voluntate ad agendum, voluntas autem non ab alia potentia, ſed à*

ſe

ſe ipſa; ſed ex parte objecti eſt utrobique ſimilitudo. Sicut enim voluntas movetur ex neceſſitate ab objecto, quod eſt omnifariam bonum, non autem ab objecto, quod poteſt accipi ſecundum aliquam rationem, ut malum: ita etiam intellectus ex neceſſitate movetur à vero neceſſario, quod non poteſt accipi, ut falſum; non autem à vero contingenti, quod poteſt accipi ut falſum. Hactenùs D. Thomas. In cujus aureis verbis perpendo primò illa verba, *ſed ex parte objecti eſt utrobique* (id eſt in intellectu, & voluntate) *ſimilitudo*: & ſub infero, igitur quemadmodum poteſt voluntas ſivè intenſivè, ſivè electivè proſequi æquè, & minus bonum, poteſt etiam æquè, aut minus veriſimili objecto aſſentiri intellectus, determinatus à voluntate.

3 Secundò, juxta D. Thomam, intellectus non neceſſitatur à vero contingenti, quod poteſt accipi, ut falſum; ſed quod proponitur ut veriſimilius ex vi repræſentationis, eſt verum præciſè inevidens, quod poteſt accipi, ut falſum, per rationes ſcilicet, quæ oppoſitum veriſimiliter ſuadent: ergò juxta D. Thomam, intellectus non neceſſitatur ab objecto veriſimiliori, ut illi aſſentiatur; non neceſſitatur, inquam, non ſolum quoad exercitium, ſed nec quoad ſpeciem: probatur hæc ultima conſequentia, cætera enim patent: ex parte objecti eſt ſimilitudo in intellectu, & voluntate, ſed voluntas non neceſſitatur quoad ſpeciem à bono meliori, aut æquali, juxta dicta in ſuperioribus, & nunc à D. Thoma, igitur nec intellectus quoad ſpeciem neceſſitatur, ad aſſentiendum æquè veriſimili, aut veriſimiliori objecto.

4 Tertiò perpendendum venit, quod Sanctus Doctor in hoc loco intendit tradere, edocetque ſimilitudinem, ac diſſimilitudinem voluntatem inter, & intellectum quoad determinationem, & indifferentiam in agendo, & quia id determinationis, & indifferentiæ contingit quantum ad exercitium actus, & quantum ad ſpeciem, primò aſſerit, quantum ad exercitium actus diſſimilitudinem reperiri, nam intellectus movetur à voluntate ad agendum, voluntas autem non ab alia potentia, ſed à ſe ipſa movetur: unde quantum ad hoc, aliud diſcrimen non agnovit S. Doctor; quia ſicut intellectus naturaliter ex neceſſitate inhæret primis principiis, ita voluntas ultimo fini, ut ipſe Angelicus Magiſter docet 1. *part. quæſt.* 82. *art.* 1. & 2. Progreditur ergò D. Thomas ad oſtendendum, quid ſimilitudinis adſit quoad determinationem, aut indifferentiam ſpecificationis, quæ ſumitur ab objecto, ut patet; & ex parte objecti, inquit, quod eſt utrobique ſimilitudo, ſicut enim voluntas movetur ex neceſſitate ab objecto, quod eſt omnifariam bonum, non autem ab objecto, quod poteſt accipi ſecundum aliquam rationem, ut malum: ita etiam intellectus ex neceſſitate movetur à vero neceſſario, quod non poteſt accipi, ut falſum: non autem à vero inevidenti, quod poteſt accipi, ut falſum: ergò juxta D. Thomam ſic ſe habet intellectus quoad actus ſpecificationem, ſicut voluntas quoad eandem actus ſpecificationem ſe habet; quapropter ſicut voluntas poteſt proſequi æquale, & minus bonum in conſpectu boni melioris, & æqualis, poterit intellectus aſſentiri vero contingenti propoſito, ut æquè, & minus veriſimili, in conſpectu partis æquè, aut magis veriſimilis, ex determinatione ſcilicet, & imperio voluntatis. Eandem doctrinam ſtabilit D. Thom. 1. *part. quæſt.* 82. *art.* 2. *corp.* & 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 2. *corp.* & *ad* 2.

5 Probatur ſecundo ratione ex Ang. Doct. deprompta: ſic inhæret intellectus primis principiis, & iis propoſitionibus, quæ cum primis principiis habent connexionem neceſſariam, ſi id connexionis per demonſtrationē innoteſcat, ſicut volũtas inhæret ultimo fini, & bea-

titudini, necnon iis bonis, quæ habent neceſſariam connexionem cum ultimo fine, ſi per certitudinem divinæ viſionis, vel aliter neceſsitas hujuſmodi connexionis demonſtretur: ſed voluntas inter particularia bona, quæ non habent neceſſariam connexionem cum beatitudine, vel quorum connexio neceſſaria cum beatitudine non demonſtratur, poteſt eligere pro libito quodlibet, ſivè majus ſivè minus, aut æquale; igitur, & intellectus inter propoſitiones inevidentes, quarum veritas non habet connexionem neceſſariam cum primis principiis, aut ſaltem id connexionis per demonſtrationem evidentem non innoteſcit, poteſt aſſenſu ferri in quamlibet earum propoſitionum, ſivè proponatur, ut magis, ſivè ut minus, aut æquè veriſimilis.

6 Hujus ratiocinii aſſumptio prima traditur à Divo Thoma, locis præcitatis, & præſertim 1. *part. quæſt.* 82. *art.* 2. *corp.* tum *in* 2. *ſent. diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. *in corp.* nec de illa ambigere poſſumus, quia, ſicut objectum intellectus eſt verum, ita objectum voluntatis eſt bonum. Invenitur autem aliquod verum, in quo nulla falſitatis apparentia admiſceri poteſt, ut patet in dignitatibus, 1. *poſterior. cap.* 2. Unde intellectus non poteſt ſubterfugere, quin illis aſſentiat: ſimiliter etiam invenitur aliquod falſum, quod nullam veri apparentiam habet, ut patet in oppoſitis dignitatum: unde illi nullatenùs intellectus aſſentire poteſt. Conſimiliter ſi proponatur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habeat, ut ultimus finis qui eſt beatitudo, propter quem finem omnia appetuntur, non poteſt voluntas hoc nolle, nec quiſquam poteſt velle eſſe miſer. *In his autem quæ ad finem ultimum ordinantur*, (ſed aliundè non habent neceſſariam connexionem cum beatitudine juxta D. Thomam. *in* 2. *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *corpore*) nihil invenitur adeò malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquod adeò bonum, quod in omnibus ſufficiat: unde quantumcumque oſtendatur bonum, vel malum, ſemper poteſt (voluntas) adhærere, & fugere in contrarium, ratione alterius, quod in ipſo eſt... Et inde eſt, quod in omnibus, quæ ſub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc ſolo determinationem habens, *quod fœlicitatem naturaliter appetit.* Hæc D. Th. hæc tamè neceſsitas ſeù determinatio appetendi fœlicitatem ſolùm intelligenda venit quoad ſpeciem actus, ſecus autem quoad exercitium, ut ipſe Angelicus Magiſter edocet 1. 2. *q.* 10. *art.* 2. *corp.* & *de verit. quæſt.* 22. *art.* 7. *corp.* conſequenter igitur ſic adhærebit voluntas particularibus bonis, quæ cum ultimo fine ſeù beatitudine habeant connexionem neceſſariam, cognita cum certitudine eorum neceſſaria connexione, ſicut intellectus adhæret propoſitionibus, connexionem neceſſariam habentibus cum primis principiis, cognita demonſtrativè tali connexione, ut in aſſumptione prima aſſeruimus.

7 Unde, & ſecundæ aſſumptionis veritas conſtabilita manet, præterquamquod ex præcedentibus ſectionibus ſupponitur probata: cæterum illuſtrare eam mirifice poſſumus ex præclaris hiſce Angelici Magiſtri verbis, traditis 1. 2. *q.* 10. *art.* 2. *corp. Reſpondeo dicendum* (inſit) *quod voluntas movetur dupliciter, uno modo quantum ad exercitium actus. Alio modo quantum ad ſpecificationem actus, quæ eſt ex objecto. Primò ergò modo voluntas à nullo objecto ex neceſſitate movetur. Poteſt enim aliquis de quocumque objecto non cogitare; & per conſequens nec actu velle illud. Sed quantum ad ſecundum motionis modum, voluntas ab aliquo objecto ex neceſſitate movetur... Unde ſi proponatur aliquod objecto voluntati, quod ſit univerſaliter bonum, & ſecundùm omnem conſiderationem ex neceſſitate vo-*

voluntas in illud intendit, ſi aliquid velit; non enim poterit velle oppoſitum. Si autem proponatur ſibi aliquod objectum, quod non ſecundum quamlibet conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuſcumque boni habet rationem non boni, ideò illud ſolum bonum quod eſt perfectum, & cui nihil deficit, eſt tale bonum quod voluntas non poteſt non velle, quod eſt beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi ut non bona: & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari, vel approbari à voluntate, quæ poteſt in idem ferri ſecundum diverſas conſiderationes: ſic D. Thomas perſpicuè edocens voluntatem amare poſſe minus bonum in conſpectu melioris, & quod melius eſt repudiare, ſiquidem à nullo particulari bono, quod neceſſariam, & cognitam connexionem cum beatitudine non habet, determinatur quoad ſpeciem voluntas, ſed potius poteſt illud proſequi, aut reprobare. Ex quo ſua ſponte deſcendit ſuperioris noſtri ratiocinii conſecutio, & luculenter innoteſcit, nempè, intellectum ex imperio, & determinatione voluntatis poſſe aſſentiri propoſitioni æquè, aut minus veriſimili, cujus ſcilicet contradictoriæ, aut contrariæ veritas, nec ex conceptu primi principii oſtenditur, nec ex connexione neceſſaria cum principiis primis demonſtratur: igitur cum fidei objectum ſufficienter propoſitum, nec ex primis principiis connexione neceſſaria oſtendatur, nec aliundè veritas illius demonſtratione fiat evidens, poterit quam optimè voluntas cum Dei adjutorio aſſenſum erga illud imperare, vel etiam ut pertinaciter intellectus illi diſſentiat, immediatè effiecre.

8 Probatur tertiò: quòniam, quodcumque veriſimile, in rebus non evidentibus, ſivè æquè, ſivè minus tale, proponitur intellectui ut verum: unde ſi judicatur veriſimile, etiam veriſimiliter verum judicatur; verum autem reciprocatur cum ente, juxta Philoſoph. 2. *Metaph. text.* 4. & D. Thomam 1. *part. quæſt.* 16. *art.* 3. *corp.* & *de verit. quæſt.* 1. *artic.* 2. *ad prim.* & *in* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 5. *art.* 1. *ad* 7. eſtque communis ſententia; unumquodque enim in quantum habet de eſſe, in tantum eſt cognoſcibile: in quantum veriſimile ergò eſt aliquomodò ens: omne autem ens, in quantum ens, eſt bonum, quia omnis actus perfectio quædam eſt: perfectum verò habet rationem appetibilis, & bonitunde omne ens, in quantum hujuſmodi, bonum eſt, ut demonſtrat D. Thom. 1. *part. quæſt.* 5. *art.* 3. *corp.* Et fulcitur ex illo *Geneſ.* 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Et Apoſt. 1. *Timot.* 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* Unde Ariſt. 1. *Ethic. cap.* 6. ait, bonum per omnia prædicamenta diſtribui: idem illuſtrat Exim. Doct. *Metaph. diſp.* 10. *ſectione* 3.

9 Tum ſic: bonum eſt quod omnia appetunt juxta Ariſt. 1. *Ethic. in princ.* D. Baſilium *in Pſal.* 44. & D. Thom. 1. *part. quæſt.* 5. *art.* 1. *corp.* vel quia bonum eſt formaliter appetibile, ut aſſerit Capreol. *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 1. *ad* 9. vel quia appetibilitas eſt ratio conſequens bonum, ut exiſtimant P. Molina 1. *part. quæſt.* 5. *art.* 5. P. Vazquez *in* 1. *part. diſp.* 23. Exim. Doct. P. Suarez *diſp.* 10. *Metaph. ſect.* 1. *à num.* 18. P. Fonſeca *in Metaph. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 5. *ſecunda concluſ.* eſtque ſententia D. Thomæ *in cap.* 1. *primi Ethic.* tum Capreol. *in* 2. *diſt. quæſt.* 3. Ferrarien. 1. *contra Gent. cap.* 3. Cajetan. 1. *part. quæſt.* 5. *art.* 1. & Bañes *ibid.* igitur objectum cognitum ut veriſimile eſt aliquomodo bonum, & appetibile à voluntate: ſed voluntas ex dictis poteſt amare, & eligere æquale, & minus bonum apparens, in conſpectu melioris, ſeù æqualis: igitur voluntas poteſt determinare intellectum, ut aſſenſum præbeat propoſitioni æquè, aut minus

verisimili, relicta magis, vel æquè verisimili: & subinde potest imperare immediatè assensum fidei, vel hæreseos.

10 Dices ex Cardin. Palavicino, P. Elizalde, illustrissimo Palanco, & aliis *num.* 1. citatis, ex paritate voluntatis nullum aptum syllogismum formari posse ad rem præsentem; primò, quia pro voluntate collatio sit inter bonum, & bonum; pro intellectu ergò, qui est ad verum, sicut voluntas ad bonum, collatio facienda erat inter verum, & verum: sed in contradictoriis, & in probabilibus, & verisimilibus non est verum, & verum, sed verum, & falsum: ergò est inepta argumentatio, & absre.

11 Secundò hinc, quia per bonum, & bonum non egredimur à sphæra, & objecto voluntatis: egredimur autem à sphæra, & objecto intellectus per verum, & falsum; sicut egredimur à sphæra, & objecto oculorum per coloratum, & non coloratum. Ergò licet voluntas exerceri possit inter bonum, & bonum, etiam minus; intellectus exerceri non poterit inter verum, & falsum. At probabilia, & verisimilia circa idem contradictoria necessariò sunt verum, & falsum, atque hoc scit evidenter intellectus judicaturus. Ergò licet voluntas eligere possit inter bonum, & bonum, & amplecti delectabile, & relinquere honestum, quod est melius, nequibit movere intellectum, ut inter verum, & falsum approbet, & judicet quamlibet partem.

12 Tertiò etiam hinc; quia ex eo, quod ex duobus bonis propositis unum, v. g. jejunare in die præcepti, sit melius, non sequitur, quin stulta est ista consecutio: ergò comedere, & non jejunare non est bonum contentum sub objecto voluntatis, scilicet jucundum, & delectabile. At ex eo quod ex duobus probabilibus, & verisimilibus contradictoriis propositis unum sit verum, sequitur evidenter, hoc alterum est falsum, & extra sphæram intellectus. Ergò inepte arguitur ex objecto voluntatis ad non objectum intellectus. Pergit P. Elizalde contendens; quod quamvis possibilis esset assensus præstitus parti æquè, aut minus probabili, esset tamen imprudens talis assensus: At quia modò haud de licitudine, prudentiavè, aut imprudentia, sed solùm de metaphysica, & physica differimus hujuscemodi assensionis possibilitate; ideò momenta rationis, quæ id imprudentiæ arguere possunt, nunc prætermittimus.

13 Et adversus exhibitam solutionem insurgo primo; Nam ex Adversariorum doctrina eàdem efficacitate confici potest, nec parti probabiliori, seù longè verisimiliori posse intellectum assentiri: probatur, quia ideò ab Adversariis negatur libertas voluntatis imperandi assensum versus quamlibet partem in non evidentibus, quia verisimilia contradictoria necessariò sunt verum, & falsum, atque hoc scit evidenter intellectus: & consequenter scit, aliquod ex illis contradictoriis esse extra sphæram assensus; sed ipse intellectus nescit quodnam ex his contradictoriis sit verum, quod namque falsum, quatenùs demonstratione caret in re illa: ergò nulli eorum, & si longè verisimiliori poterit præbere assensum, quod est absurdum. Confirmatur, quòniam pars probabilior, ut subjacens argumentis contrariis proponitur intellectui, ut falsa, ergò ut extra sphæram intellectus: ergò nequibit voluntas imperare assensum intellectus in partem illam, quamvis probabiliorem; præsertim cum sæpè falsa sint probabiliora veris; negari enim nequit, plures esse opiniones falsas, & vel ipsis fatentibus Adversariis, probabiliora tantum possumus opinari.

14 Quod si dicatur, hujuscemodi probabilioris, aut verisimilioris contradic-

dictorii falsitatem nullatenùs esse impedimento, ut intellectus assentiatur, quòniam obtecta reperitur majori illa veritatis apparentia, ob quam intra intellectus sphæram pars illa constituitur, licet in re fortè sit falsa: huic æquidem annuam doctrinæ, utique certæ, verumtamen ex ea secundò contra Adversarios insurgo, quippè sicut voluntatis objectum est bonum apprehensum, licet in re malum sit, ut omnes fateri debemus, unde Philosoph. *Rethoric. ad Theodectem lib. 1. cap. 10.* ajebat, *Omnia, quæ volentes agunt, bona erunt, vel apparentia bona, & aut jucunda, aut apparentia jucunda*: ita intellectus objectum quoad assensum non præcisè est ens reale, seù verum reale, sed verum apparens, seù apparens ens: patet, quia aliter nullus actus intellectus assentientis posset esse falsus, nulla posibilis opinio, nec humana fides, quæ ideò ex essentia sua veritate carere possunt, quia in objectum solum apparens verum, & reale, feruntur. Tum sic; sed in contradictoriis probabilibus, aut verisimilibus utrumque proponitur, & repræsentatur intellectui, ut verum: ergò cuilibet illorum etiam minus verisimili, ex determinatione voluntatis poterit assentiri: probo consequentiam: quia voluntas in bono apparenti invenit suam rationem formalem, potest minus bonum apparens præponere objecto meliori; ergò quia verum, seù ens apparens est ratio formalis assentiendi intellectus in obscuris, incertis, & probabilibus, poterit intellectus assentiri minus vero apparenti, relicto apparenter veriori, aut verisimiliori.

15 Urgeò secundò: quia voluntas amare potest bonum apparens, licet in re malum, potest etiam inter extrema opposita, quorum aliud sit bonum verè, & realiter, aliudque solum apparenter bonum, eligere apparens, & judicatum bonum, licet minus tale etiam apparenter, rejecto meliori apparenter bono, & in re tali; igitur quia intellectus, quoad assensum in incertis, & obscuris, seù non evidentibus, tendit in ens, & verum apparens, dum exercetur inter contradictoria, quorum quodlibet ens, & verum apparet, potest assentiri minus probabili, & minus verisimili, relicto probabiliori, & verisimiliori. Urgeo tertiò: aliquando voluntati possunt proponi duo extrema incomposibilia, & in re mala, sed quoad apparentiam, & repræsentationem bona, & inæqualiter talia; sed tunc posset voluntas liberè exerceri, amando quodlibet ex illis bonis, quamvis non certò talia repræsententur, aut judicentur: igitur licet intellectus timere possit falsitatem in quolibet ex probabilibus, seù non evidentibus contradictoriis, quia tamen verum unumquodque proponitur, poterit eorum cuilibet assentiri.

16 Unde quia intellectus est ad verum, sicut voluntas ad bonum, optimè arguitur in nostra hypothesi à voluntate ad intellectum; nam sicut in electione voluntatis fit collatio inter bonum, & bonum; etiam dum inter probabilia, obscuras, & non evidentia contradictoria versatur intellectus, collatio facienda venit inter verum, & verum: quia licet in contradictoriis, quæ demonstrantur, certa, & evidens veritas unius, reddat certam, & evidentem falsitatem alterius, & ideò non possit fieri collatio inter verum, & verum, sed inter verum, & falsum; at in probabilibus, & obscuris optimè potest, ac debet collatio fieri inter verum, & verum; duplicem quippè apparentiam in quolibet ex his contradictoriis agnoscere debemus, veri scilicet, & falsi; quòniam omnia argumenta, quæ unius contradictorii stabiliunt probabilitatem, seù verisimilitudinem, eàdem efficacia alterius contradictorii falsitatem probant: cumque utrumque contradictorium probabilitate, & verisimili-

li-

litudine fulciatur juxta hypotheſim, utrumque etiam relatè ad diverſa, & oppoſita rationis momenta verum, & falſum proponitur intellectui, non quidem evidenti veritate, aut falſitate, ſed contingenti, & inevidenti: quamobrem utrumque etiam contradictorium conſtitutum eſt intra intellectus ſphæram, quæ non circumſcribitur vero reali tantum, ſed ad apparens quoque extenditur.

17 Idque, præterquamquod evidens eſt, aliàs intellectus noſter in hoc ſtatu in ſuis aſſenſibus decipi non poſſet, adnotatum cernere eſt apud Eximium Doct. P. Suarez *diſp. 8. Metaph. ſect. 8. num. 14.* per hæc verba: *Si verò ſit ſermo de intellectu, ut propriè judicante, ſeù ut componente, & dividente, ſic verum dicitur objectum judicii intellectus: quia eo modò, quo dicitur eſſe veritas in compoſitione, nunquam intellectus præbet aſſenſum ſuum, niſi cognoſcendo veritatem, ſeù conformitatem unius rei, ſeù conceptus ejus ad aliam in actu exercito, cognoſcendo, inquam, vel ſaltem exiſtimando, ſe cognoſcere, & hoc modo dicitur intellectus ſemper aſſentiri ſub ratione veri, & verum eſſe proprium objectum judicii, ſeù aſſenſus intellectus.* Hæc P. Suarez, accinunt P. Molina 1. *part. quæſt. 16. diſp. 4.* PP. Conimbricen. *in lib. Ariſt. de Interpret. in cap. 4. de oratione. quæſt. 3. art. 4. præcipuè juxta fin.* Franciſc. Alphonſ. *diſp. 12. de intellectu. ſect. 2. num. 30.* & omnes: propterea que dixit Philoſophus 4. *Metaphyſ. tex. 27. Falſum eſſe ex eo quod judicatur eſſe, quod non eſt, vel non eſſe quod eſt:* nec in re adeò perſpicua licet immorari.

18 Urgeo quartò: nihil ferè eſt in his rebus creatis adeò malum, quod non poſſit habere aliquam ſpeciem boni, & ratione illius bonitatis habet, quod movere poſſit appetitum: igitur in his, quæ incerta, & inevidentia ſunt, nihil eſt adeò intellectui malum, ſeù falſum, quod non poſſit habere aliquam ſpeciem veri, & ratione illius apparentiæ, & veriſimilitudinis habet, quod movere poſſit intellectum, ut ex voluntatis determinatione illi aſſentiat. Antecedens totidem verbis habetur apud D. Thom. *de veritate. quæſt. 22. qua eſt de volunta. art. 6. ad 6.* conſequentia eſt legitima, præſertim cum illa bonitatis exiſtimatio, ob quam objectum illud ſit appetibile, poſſit eſſe falſa, imò & proponens talem bonitatis gradum, qui inferior ſit malitia, in eodem objecto cognita: unde potiori ratione poterit intellectus aſſentiri objecto æquè, & minus veriſimili, cum ad hoc, ut voluntas poſſit appetere malum ſub exiſtimatione boni, non opus ſit, quod ea exiſtimatio ſit probabilis, ſed ſufficit quod bonum aliquomodo poſſit id objectum exiſtimari: igitur dum bonum intellectus, ſeù verum utcumque apprehendatur, ut contingit in hæreticorum pravis dogmatibus, poterit intellectus illis aſſentiri ex immediatè libera determinatione voluntatis, quamvis ſimul poſſit immediatè aſſentiri Eccleſiæ fidei veræ, & catholicæ.

19 Urgeo quintò: ex eo quod ex duobus bonis propoſitis unū, v.g. jejunare in die præcepti, ſit melius, non ſequitur: ergò comedere, & non jejunare non eſt bonum contentum ſub objecto voluntatis, ſcilicet jucundum, & delectabile, & ideò liberè poteſt voluntas ex dictis objectis præeligere quod maluerit. Sed ex eo quòd ex duobus objectis contradictoriis unum ſit æquè, aut magis credibile, non ſequitur, ergò aliud contradictorium eſt certo incredibile, aut non eſt apparenter æquè, aut minus verum; igitur & ideò non ſequitur, hoc idem contradictorium eſſe extra intellectus ſphæram; ergò nec rectè colligitur, illi non poſſe intellectum aſſentiri: atque adeò Adverſariorum argumentatio in ipſos meritò retorquetur: prima enim hujus ratiocinii, & præcipua aſſumptio eſt

ipſe

ipſa eorum doctrina: ſecunda eſt evidens: conſecutio autem legitima.

20 Urgeo ſexto: quia voluntatis objectum eſt bonum apparens, bonumque ſuſcipit magis, & minus, & conſequenter ratio apparentis boni poteſt reperiri in objectis diverſis, & oppoſitis etiam contrariè, quin & contradictoriè, poteſt voluntas liberè eligere æquè, aut minus bonum apparens, licet realiter malum, rejicereque apparens magis bonum, & re ipſa tale, ut modò ſupponitur, oſtenſumque fuit *ſectionib. præcedent.* ſed etiam intellectus objectum quoad aſſenſum eſt verum apparens, & hoc in obſcuris ſuſcipit magis, & minus, reperirique poteſt in propoſitionibus contrariis, & contradictoriis, ut patet: igitur ex voluntatis determinatione poterit intellectus aſſentiri æquè, aut minus apparenter vero, quamvis fortè realiter falſo.

21 Illuſtratur; quoniam veritati, etiam reali, non repugnat, habere gradus, penes quos aliquid ſit magis verum, aliud verò minus, ut dilucidè traditur ab Ariſt. 4. *Metaph. cap.* 4. ibi: *Prætereà ſi vel maximè ſic, & non ſic habeant omnia: ineſt tamen in rerum naturâ magis, & minus: neque enim æquè paria eſſe duo, ac tria dixerimus: nec decipitur æquè is, qui quatuor, atque is qui mille, quinque eſſe exiſtimaverit. Quod ſi non æquè decipiuntur: perſpicuum eſt: alterum minus decipi: quo fit, ut magis verum dicat. Si ergò id quod magis tale dicitur, proprius accedit, erit profectò aliquid verum, cui magis verum, ſit magis propinquum.* Hæc Philoſoph. cui aſſentitur Doctor Angelicus eodem loco, *lec.* 9. *ſub lit. D.* ubi ait: *Quod autem eſt minus falſum, eſt verò magis, vel propinquius verò, ſicut & minus nigrum, quod eſt albo propinquius. Patet ergò quod alter eorum magis dicit verum, ideſt magis appropinquat veritati, &c.* Idem Sanctus D. *lib.* 1. *contr. Gent. cap.* 13. ubi tradit, elucidatque rationes ad probandum Deum eſſe, & circa ſinem hæc habet: *Poteſt etiam alia ratio colligi ex verbis Ariſt. (in* 2. *lib. Metaphyſ.) oſtendit enim ibi, quia ea quæ ſunt maximè vera, ſunt & maximè entia. In quartò etiam Metaphyſ. oſtendit eſſe aliquid maximè verum, ex hoc quod videmus, duorum falſorum unum altero eſſe magis falſum: unde oportet, ut alterum ſit etiam altero verius. Hoc autem eſt ſecundum approximationem ad id, quod eſt ſimpliciter, & maximè verum.* Hactenùs D. Thomas, idem edocens *in* 1. *part. quæſt.* 2. *art.* 3. *corp. in quarta viâ.* Ipſi ſubſcribunt P. Fonſeca *lib.* 4. *Metaph. cap.* 4. *in explanatione lit. xx.* Eximius Doctor P. Suarez *diſp.* 9. *Metaph. ſect.* 1. *num.* 24. *fine.* P. Vazquez, *tomo* 1. *in* 1. *part. diſp.* 104. *cap.* 6. *num.* 26. Patres Conimbricenſ. *tom.* 2. *Logicæ in cap.* 2. *de Scientia, & demonſtr. quæſt.* 2. *art.* 5. ubi adnotant eſſe omnium Peripateticorum ſententiam: & ſi ſermo ſit de veritate objectiva, & fundamentali eſt etiam recepta ſententia, ut cernere eſt apud Illuſtriſſimum P. præſulem Araujo *tom.* 1. *in univerſ. Ariſt. Metaphyſ. lib.* 2. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *dub. append.* ubi fusè, & doctè de hac re diſſerens iſtam ſtatuit concluſionem *num.* 39. videlicet: una veritas eſt major altera fundamentaliter, & in eodem ſenſu, unam propoſitionem contingit eſſe altera veriorem, additque, hæc concluſio ſtatuitur ut communiter ab omnibus admiſſa: imò etiam de veritate formali loquendo admittitur una veritas major, quàm altera à P. Franciſco Alphonſo *diſp.* 15. *de Anima. num.* 43. & proculdubio hæc eſt ſententia Ariſtotel. & D. Thomæ.

22 Cæterum nobis ſufficit quod objectivè, & fundamentaliter veritas admittat gradus, ut hinc validè aſſumptum probemus; nam quia bonum admittit gradus bonitatis, poteſt voluntas inter bona inæqualia eligere minus bonum, licet bona ſint inter ſe oppoſita; ergò quia veritas etiam realiter gradus admittit, multòque magis veritas ap-

apparens, & non evidens, ſed obſcura poterit admittere gradus: igitur in obſcuris licèt unum contradictorium A verum intellectui appareat, & ut magis vero appropinquans proponatur, poterit ſimul alterum contradictorium C ipſi intellectui verum apparere, & licèt minus, ut appropinquans tamen vero proponi: igitur in utroque contradictorio intellectus invenire poteſt ſuam rationem formalem ſub qua tendit, & conſequenter ex determinatione voluntatis poterit ipſe cuilibet, vel etiam minus veriſimili aſſenſum præbere; etſi enim realis, & abſoluta veritas in contradictoriis nec in minimò gradu poſſit reperiri, tamen veritas, ut præcisè probabilis, ſeù apparens in contradictoriis ſimul adeſſe valet; & quia ex conceptu ſuo veritas gradus admittit, poterit ſecundum magis, & minus ipſis ineſſe.

23 Omnia ſatis conſtabilita videntur, nam quia voluntas tendit ſub ratione boni, & hoc admittit gradus penes magis, & minus, poteſt voluntas minus bonum amare, & eligere in conſpectu melioris extremi. Sed intellectus tendit ſub ratione veri, & verum ex terminis admittit objectivè, & fundamentaliter graduum differentiam penes magis, ac minus verum, ineſt quippè in rerum natura magis, & minus, adeóque, & magis, & minus verum, ut Philoſophus ajebat: igitur inter objecta etiam oppoſita contrariè, aut contradictoriè, inevidentia quidem, & obſcura, poterit intellectus determinatus à voluntate aſſentiri objecto minus veriſimili ſub ratione veri, relicto extremo oppoſito veriſimiliori: quia licet realis veritas in contradictoriis, nec in contrariis ſimul reperiri non poſsit, at veritas apparens objectivè poteſt in illis ſimul adeſſe.

24 Quapropter dum Adverſarii vim noſtri argumenti fugere conantur dicendo, contradictoria neceſſario eſſe verum, & falſum, & quod per verum, & falſum egredimur extra intellectus ſphæram, noſtrum minimè infringũt ratiocinium, nec id ipſius percutit efficacitatem; ſiquidẽ falſum tunc ſolum eſt extra intellectus ſphæram, quando evidenter tale cognoſcitur, aut ſaltem quãdo nulla rationum momenta ipſius objecti veritatem ſuadent: falſum autem quod in contradictoriis obſcuris reperitur, licet indeterminatè certum ſit, tamen nullatenùs determinatè, & evidenter intellectui proponitur in hoc, nec in illo contradictorio, ſed utrumque veritatis argumentis fulcitur: & conſequenter obſcura contradictoria, ut apparenter vera non ſunt verum, & falſum, ſed verum, & verum: & ideò exerceri poteſt intellectus aſſentiendo eorum cuilibet, ex determinatione ſcilicet voluntatis: quia nullum ex his contradictoriis, prout intellectui proponuntur, eſt determinatè extra intellectus ſphæram: nec ideò dicimus poſſe intellectum utrique ſimul contradictorio aſſentiri; ſicut quia voluntas poſsit ex oppoſitis extremis quodlibet, licet minus bonum eligere, non infertur poſſe ſimul utrumque illud objectum efficaciter amare.

25 Hinc adverſus P. Elizalde, qui ingenii acie equidem floret, *in Appendice de natura opin. queſt. 3. §. 3.* conficitur, magis & minus probabile eſſe veri differentias, veri inquam apparentis, & probabilis; quamquam enim verum reale reſpectu contradictoriorũ non poſsit contrahi à differentiis penes magis, & minus, optimè in incertis, & probabilibus contradictoriis illæ veri differentiæ, nempè apparentis, & inevidentis inveniri queunt; nec una earum deſtruit aliam, quia neutra evidentem conſtituit veritatem ſui extremi, nec falſitatem oppoſiti: id quod contingit aliquando in voluntatis objecto, quod eſt ſæpè bonum præciſè ap-

apprehensum in ea ratione, qua allicit voluntatem, cum re ipsa non sit tale bonum, sed malum: & quidem hæc ratio boni apprehensi ita potest reperiri in uno extremo, ut oppositum ob diversa motiva, fallibilia tamen, appareat potius bonum illud, ipsum quod in opposito extremo tale repræsentatur: ita ut in uno tantum extremo realiter verum bonum sit, in alio autem non nisi repræsentativè, ut in probabilibus contradictoriis evenit.

26 Imò, quod plus est, fieri potest, ut extrema opposita, inter quæ versatur voluntas realiter careant ea bonitate, sivè in ratione utilis, sivè delectabilis, aut boni honesti, quam intellectus apprehendit in utroque extremo, & tamen voluntas libera est ad quodlibet eorum eligendum, sivè minus, sivè magis bonum proponatur. Unde sicut bonum, quod est objectum voluntatis, contrahi potest per differentias minus, & magis boni solùm apparentis; ita verum, quod est objectum intellectus in sua latitudine, aut universalitate acceptum contrahi potest per differentias magis, & minus veri repræsentati. Conferunt dicta *num.* 13. & 17. & ex cunctis hac sectione perspectis, optima ni fallor complexione deducitur, ex immediata voluntatis libertate ad eligendum minus, & æquè bonum, immediatam etiam intellectus potentiam assentiendi æquè, aut minus verisimili, ex voluntatis imperio, constabiliri: unde immediata Divinæ fidei libertas quoad speciem communita elucet.

SECTIO LII.

Ex temerarii judicii essentia immediata fidei, & Hæreseos libertas ut ostendatur, quædam præmitto.

1 JUdicii vocabulum varias admodùm habet significationes, apud Juris præsertim Doctores, ut notat Silvester *verb. Judicium. num.* 1. *& sequentibus*, & copiosius pro sua ingenti eruditione Azpilcueta Navarrus *in Commentario super Rubric. de Judiciis. num.* 14. in præsens verò sumitur pro actu illo intellectus, quo quis absque sufficienti causa judicat de altero quidpiam mali: nam judicare de altero benè, raro, & non nisi per accidens, temerarium, & illicitum est, ut observat Navarrus *super Rubric. de Judiciis. num.* 47. & eo citato P. Gregor. de Valentia, *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *de Judic. punct.* 1. *fine*, *& punc.* 3. *in princ.* Unde non omne judicium, quo quis quidpiam mali de altero judicat, illicitum est; potest enim tale judicium conforme esse rectæ rationi, ac prudentiæ, nempè quando causa sufficiens ad id suppetit, deduciturque ex verbis Christi Domini, apud Joan. *cap.* 12. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Ubi prohibens temerarium judicium, quod scilicet nitatur levioribus rationibus, seù conjecturis, quàm par est (cujusmodi est conjectura, quæ fit ex facie) simul commendavit, tanquam rectum, & justum, omne id judicium, quod minimè leve sit, sed sufficienti ratione, ac prudentia regulatum.

2 Jus ergò naturale, & divinum prohibent judicium temerarium, juxta illud Matthæi 7. *Nolite judicare, ut non judicemini*, quem textum in hunc sensum illustrat D. Augustinus *lib.* 2. *de Sermone Domini in monte. cap.* 28. quamvis alios simul sensus habeat hic locus juxta D. Hilarium *Can.* 5. *in Matthæum.* & D. Hieronymum, *ibidem*; eadem prohibitio habetur Roman. *cap.* 14. *Tu qui es qui judicas alienum servum.* Et 1. *ad Corinth.* 4. *Nolite ante tempus judicare.* Quem locum perpendens S. August. *tract.* 90. *in Joan.* affirmat, *debere nos continere, & cohibere firmas definitivasque sententias cõtra proximũ*; eoque testimonio adducto ex Glossa ordinaria *in cap.* 41. *ad Corinth.* confirmat id ipsum Ange-

gelicus Doct.2.2.*quæſt.*60. *art.*3. idemque cavetur *in cap. Eſtote. de regul. jur.*

3 Porrò,ut temerarium judicium ſit peccatum læthale,tria in illo reperiri debent,ex traditis à D. Thom. *citato art.*3.*corp.*cui communiter Theologi adſtipulantur, nimirum materiæ gravitas,indiciorum levitas, & aſſenſus intellectus:nec de aliquo ex his requiſitis,ſcio ab ullo dubitari, quod ſit neceſſarium ad judicii temerarii mortalem noxam; quidquid ſit utrum dubitatio de malo proximi poſsit eſſe peccatum mortale?Quia licet id aliquando evenire poſsit ex notatis à Magiſtro Soto *lib.*3.*de juſt.& jur. quæſt.*4.*artic.*3.& P. Valentia *tom.* 3. *diſp.*5. *quæſt.*4.*de judicio. punct.* 4. & aliis, videlicet propter circunſtantiam ſanctiſsimæ alicujus perſonæ,de qua dubitatur,& ob gravitatem mali,de quo in optimo,& ſancto viro ſine ſufficienti cauſa dubitaretur; id tamen dubitationis eſt in gradu diverſo ab eo, in quo eſt judicium, ut apertè docet D. Thom. in *dict.art.* Et propterea aſſerit, dubitare ex levibus indiciis non eſſe niſi veniale peccatum, ordinariè nempè, juxta proximè dicta: *Primus quidem gradus eſt* (inquit Sanctus Doctor) *ut homo ex levibus indiciis dubitare incipiat, & hoc eſt veniale, & leve peccatum. Pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur ut habetur in Gloſſa ſuper illud* 1. *ad Corinth.* 4. *Nolite ante tempus judicare. Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certò malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis. Et hoc ſi ſit de aliquo gravi,eſt peccatum mortale.*

4 Fateor diſsidii eſſe inter Authores in eo ſcilicet, an D. Thomas in primo gradu ſimul cum dubitatione ſuſpicionem comprehendere voluerit? Affirmantibus multis cum Cajetano *eo artic.*3.& Soto *lib.*3. *de juſt.quæſt.*4.*art.* 3. aliis verò negantibus cum Magiſtro Bañes *de juſt.& jur.quæſt.* 60.*art.*3. qui alios nominibus ſubpreſsis aliegat; hæc tamen, & conſimilia nunc enodare, noſtra non intereſt; id verò obiter adnoto, quod Juriſperiti cum Bartolo in *leg. Admonendi. ff. de jure jur.* quatuor quaſi gradus ex parte intellectus, non excludendo voluntatis imperium, ac conſenſum, diſtingunt in judice comparatione ſententiæ ferendæ: qui omnes ſunt infra ſententiam, hoc eſt infra evidentem cognitionem, ſub cognitione evidente comprehendendo id etiam, quod evidens eſt ſenſu.

5 In ſcopum igitur collineantes cum D. Bernardino Senenſi *tom.*2.*Quadrageſim.Serm.*14.*feria*4.*poſt prim. Dominic. quadrageſ.* ubi perdoctè, ac ſubtiliter de temerario judicio diſſerit,obſervare debemus, *quod quia omne peccatum à voluntate originem habet, ideò,* ut voluntariè evitemus judicium cordis,Dominus *Joan.* 7.ait, *Nolite judicare ſecundum faciem*: unde ex eiſdem rationibus, ex quibus mortale peccatum ex genere ſuo, tranſit in veniale juxta D. Thomam 1.2. *quæſt.*88.*art.*6.communiter receptum, fiet etiam veniale judicium temerarium, quod ex genere ſuo eſt mortale: propterea quid ad mortale peccatum requiratur, obſervare opus eſt.

6 Igitur, certum eſt apud omnes (verba ſunt Sapientiſsimi P. Thomæ Sanchez *lib.*1.*in Decalog.cap.*1. *num.*6.)quodcumque ex genere ſuo lethale,& in quacumque materia, poſſe fieri veniale ex perfectæ deliberationis defectu. Quia cum ad peccatum mortale perfecta deliberatio deſideretur; decet enim Divinam pietatem, ut ob imperfectam deliberationem hominem in tartara detrudat;atque cum ea ſit fragilitas humana,ut non ſemper ad objecti malitiam perfectè advertat, de eaque deliberet,inde eſt,ut ex hac parte in quavis materia, poſsit quodvis ex genere mortale in veniale tranſire. Tunc autem plena deliberatio eſt, inquit

quit P. Valentia, 1.2. *disp. 6. quæst.4. punc.3.col.2.* vers. *Secundo si plenè*, quando ratio perfectè animadvertit objectum malum, quoad circunstancias, quibus moveri potest ad illud excutiendum: semiplena autem, & imperfecta, cum quis ita animadvertit, aut animadvertere potest aliqua præsenti cognitione, ut queat malum illud excutere, sed tamen non ita facilè, quod nondum plenè cernat in quonam, & quali motu hæret.

7 Et in specie judicii temerarii frequenter idem adnotatum cernere est, præcipuè apud P. Lesium *de just. & jur. lib.2. cap. 29. dubitat.2. num. 9.* ubi hæc habet: Dico secundo, judicium temerarium in animo tuo residens, non est peccatum, priusquàm aliquomodò advertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus judicare: postquam autem cœperis id advertere, erit saltem peccatum veniale, si in eo perseveres; numquam tamen erit mortiferum ante plenam animadversionem: hactenùs Author prælaudatus, licet numquam satis; & quòniam pro nostra fulcienda, elucidandaque doctrina apprimè conferunt quæ paulò infra idem Lesius scribit, opere pretium duxi ea excerpere, sic ergò progreditur *num.* 10. verum quia imperfecta est illa animadversio malitiæ (scilicet habita dum quis incipit aliquomodò signorum insufficientiam advertere) neque pro eo tempore ejus gravitas satis perspici potest, eo quod mens simul aliis rebus sit intenta, nec regulas morales posit tũc, nisi veluti per transennam, intueri, ideò est etiam imperfectus consensus in illã, ac proinde venialis tantum: ad peccatum enim mortiferum requiritur perfectus consensus, qui ex perfecta gravitatis objecti advertentia procedit. Perfecta autem advertentia gravitatis est, quando mens sui compos non abrepta aliis cogitationibus reflectit se supra suum actum, & considerat illum in materia notabili divinæ legi esse contrarium, vel saltem de eo dubitat. Verùm de hoc plura 1.2. *q.* 74. *art.* 8. Hæc P. Lesius. Et consimilia adnotat P. Molina *tom.3. de just. & jur. disp.* 13. *tract.* 4. necnon Cardinalis de Lugo *tom.* 1. *de just. & jur. disp.* 14. *n.* 10. & 11. satis dilucidè per hæc verba: Dixi si fiat cum advertentia plena, nam sæpè excusantur ejusmodi judicia ob defectum perfecti voluntarii, ad malitiã enim gravẽ judicii oportet, quod homo advertẽs plenè judiciũ esse temerariũ, hoc est sine sufficienti fundamento, & de malo gravi proximi, adhuc velit judicare, & nõ cohibeat intellectum, vel certè advertat obligationẽ examinandi sufficientiam fundamenti, & nolit examinare, an sit vel non sit sufficiens: Hæc Lugo, eàdẽque cõspicuitate fatur P. Dicastillo *tom.* 1. *de just. & jur. lib.2. tract.2. disp.12. p.1. dubit.* 3. *n.* 34. eamque esse receptam sententiam ait Alexander Pesanti. *in* 2. 2. *quæst.6. art.3. disp.* 1. *concluf.4.*

8 Hujus autem doctrinæ fundamẽtalis ratio sumitur ex universaliori documento, quod tradit D. Aug. *lib. 12. de Trinit. cap.12. & lib.2. de Genesi cõtra Manich. cap.14.* & Angelic. Doct. D. Th. 1.2. *q.74. art.7.* nempè, ut consensus voluntatis moraliter bonus, vel malus sit, debet esse rationis superioris, quæ à S. Augustin. viro comparatur, & non tantũ inferioris, quæ mulieri assimilatur. Ratio inferior dicitur, quæ humanis, ac tẽporalibus tantũ motivis cõmoditatis, ac delectationis attẽdit, v.g. cõmodum atque utile esse cõmedere, inimicum è medio tollere. Ratio superior est, quæ rationibus æternis honestatis, vel inhonestatis secundũ Dei legẽ attendit: v.g. quod carnium comestio die interdicto, vel hominis occisio illicita sit, seù legi repugnãs, est etiã ratio æterna in præsens quæcũque lex naturalis, vel positiva, divina vel humana, denique omnis ratio secũdũ virtutẽ, nã & ipsa virtutis honestas dicitur esse secundũ legẽ æternam Dei.

9 Dico igitur, voluntatis consensum nunquam moraliter honestari nisi moveatur, & eliciatur secundum rationes æternas, & nunquam inhonestari, sivè ad culpam imputari, nisi eliciatur præter, aut contra antecedentem considerationum rationum æternarum: dum videlicet voluntas magis patitur se moveri rationibus delectabilis, aut utilis, quam honesti. Quod ab eodem Angelico Doctore 1. 2. *q.* 15. *artic.* 4. ita probatur: *Finalis sententia semper pertinet ad eum, qui superior est, ad quem pertinet de aliis judicare: quandiù enim judicandum restat quod proponitur, nondum datur finalis sententia. Manifestum est autem, quòd superior ratio est, quæ habet de omnibus judicare: quia de sensibilibus per rationem judicamus: de his verò quæ ad rationes humanas pertinent, judicamus secundum rationes divinas, quæ pertinent ad rationem superiorem: & ideò quandiù incertum est, an secundum rationes divinas resistatur, vel non, nullum judicium rationis habet rationem finalis sententiæ. Finalis autem sententia de agendis est consensus in actum: & ideò consensus in actum pertinet ad rationem superiorem: secundum tamen quòd in ratione voluntas includitur.* Sic D. Thomas. Igitur cum consensus deliberatus, ob quem homo culpandus sit, debeat esse sententia ultima; sequitur hinc quod consensus in peccatum lethale debeat esse rationis superioris.

10 Præterea juxta D. Thomam 1. 2. *quæst.* 74. *artic.* 10. & *quæst.* 7. *de malo. artic.* 5. *corp.* Homo in quantum inhæret rationibus æternis considerandis, potest habere, & actum deliberatum, & actum non deliberatum, qui surreptio dicitur. Quamvis enim rationis sit deliberare, necesse est tamen, quod in omni deliberatione includatur absoluta consideratio. Nam deliberatio nihil est aliud, quam quædam discursio, & quodammodò mobilis considera-

tio. In omni autem actu invenitur aliquid indivisibile, sicut & in tempore invenitur instans, & in linea punctum. Si ergò in superiori ratione circa proprium objectum, nempè circa æternas rationes, fuerit peccatum ex surreptione, erit peccatum veniale, puta cum aliquis subito apprehendit tanquam impossibile, Deum trinum, & unum. Non enim est hoc ante peccatum mortale, quàm ratio advertat, hoc esse contra mandatum Dei, de ratione enim peccati mortalis est, quod sit contra præceptum Dei. Cum ergò per deliberationem perceperit ratio, quod discredere est contra præceptum Dei, efficietur mortale, si discredat.

11 Unde cum juxta Doctorem Angelicum, communiter receptum, fieri possit, ut homo etiam in quantum inhæret rationibus æternis considerandis, habeat actum indeliberatum, & peccatum veniale circa materiam, ex genere suo gravem, optimè colligitur, ad grave, seù lethale peccatum perpetrandum, non sufficere imperfectam, seù semiplenam deliberationem, sed requiri deliberationem plenam: ut in specie motosæ delectationis docet Cajetan. *in Sum. verbo Delectatio morosa: Si verò* (ait ille) *advertere incœpit, & prævalente impetu concitatæ passionis non plenè advertit; sed antequam plenè advertat, delectatio facit cursum suum, peccatum non mortale, sed veniale intervenit: quia sicut inadvertentia excusat à mortali, quia excusat à deliberatione: ita non plena advertentia excusat à mortali propter eandem rationem scilicet, quia excusat à deliberatione: sine plena enim advertentia non habet humana mens, ut deliberet.* Sic Cajetanus, & concinunt Sylvester, *verb. Delectatio. num.* 2. *juxta finem.* Adrianus *in* 4. *in materia de Eucharistia, quæst.* 4. Joann. Nider. *in* 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 5.

5. & 6. *quarto documento*, optimis id rationibus fulciens Joan. Major *in* 3. *lib. ſent. diſt.* 37. *quæſt.* 14. *col. fin.* Martinus Azpilcueta Navarrus *in Manu. prælud.* 9. *num.* 10. & *cap.* 11. *num.* 4. & 9. Idem *cap. Inter verba.* 11. *quæſt.* 3. *num.* 491. cum pluribus ab eo ibidem adductis, & præcipuè cum D. Thoma 1. 2. *q.* 88. *art.* 5. & 2. 2. *q.* 33. *art.* 5. & *quæſt.* 58. *art.* 3. & comprobat ex *cap. Sed penſandum. diſt.* 6. ibi, *Ex deliberatione conſentit.* Card. Toletus, pluribus in locis, ſed maximè *lib.* 5. *cap.* 13. *verſ. In primis pollutio.* Inſignis Doct. Ludovic. Monteſinos *in* 1. 2. *D. Thom. quæſt.* 74. *artic.* 8. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. fusè, & doctè rem verſans, & communiens, aſſerenſque eſſe omnium Theologorum ſententiam contra Ocamum: nec minus ſapienter P. Vazquez *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 107. *cap.* 3. & 4. plurimos ex Antiquis Scriptoribus, locis adnotatis laudat. Exim. Doct. Suarez 1. 2. *tract.* 5. *diſp.* 5. *ſect.* 4. *num.* 5. aſſerens in eo convenire Doctores cum Magiſtro *in* 2. *diſt.* 14. idem *ead. diſp. ſect.* 6. *num.* 1.

SECTIO LIII.

Inſtituitur argumentatio ex prælibatis evincens immediatam intellectus indifferentiam ad aſſentiendum in obſcuris cuilibet contrarietatis extremo ex imperio voluntatis; utque dubia ſint in meliorem partem interpretanda, illuſtratur præſertim ex Jure Canonico, & D. Bernardino Senenſi.

1 EX præcedentibus igitur conſtabilitis documentis ſic diſſero: dum quiſpiam temerè de proximo judicat, judicio lethaliter peccaminoſo, & in circunſtantiis in quibus diſſentit bonæ opinioni, cujus dignus eſt talis homo, eſt utique re ipſa minus veriſimilis noxa, quam illi attribuit: at pro priori ad aſſenſum mortiferum, & voluntatis imperium, cognoſcit intellectus inſufficientiam indiciorum ad tale judicium, & conſequenter dignoſcit minorem veriſimilitudinem delicti, majoraque eſſe rationis momenta pro bona opinione, & exiſtimatione de proximo retinenda: igitur ex imperio voluntatis poteſt intellectus aſſentiri parti minus veriſimili. Major eſt certa, minor patet ex dictis à *num.* 5. *in præcedenti ſect.* Conſequentia eſt bona, & declaratur ulterius; quòniam in hypotheſi, qua aliquis bonam de proximo exiſtimationem habebat, antequam judicaret, ejuſque vulneraret honorem, propoſitis indiciis levibus ad illum temerè damnandum, prælucere debuit cognitio, & advertentia de inſufficientiæ indiciorum ad judicandum, improbum eſſe proximum, & conſequenter adeſſe debuit cognitio repræſentans urgentiora motiva, ne vitio vertat actionem proximi, quia abſque ea cognitione, & advertentia non erit lethale judicium, ut oſtenſum manet: in ea igitur hypotheſi, qui temerè lethale elicit judicium, profectò ex imperio voluntatis immediatè quoad ſpeciem libero, aſſentitur parti minus veriſimili, imò improbabili, relicta oppoſita, quæ ſolùm digna erat aſſenſu.

2 Illuſtratur aſſumptum primo ex præclara D. Bernardini Senenſis authoritate, quam ob egregiam tanti viri ſanctitudinem, ac ſapientiam magnopere obſervare debemus, is ergò *tomo* 2. *Quadrageſimali. de Evangelio æterno, feria* 5. *poſt prim. Domin. in Quadrageſ. Serm.* 14. fusè, & perdoctè de judicio temerario diſſerit, & *artic.* 2. *cap.* 3. ſic præcipuè docet: *Rigor autem, & diſcretio vera, & recta hujus præcepti de non judicando in his tribus conſiſtit, ubi cadit mortale, ſi homo judicat. Primò quòd non ſint ſibi ſigna violenta, ſicut patuit ſupra, ſecundò quòd mens deliberet per diffinitionem: tertiò quòd fiat judicium de mortali advertendo;*

do, quod sit mortale. Nam ubi ista tria concurrunt, temerarium judicium est, & mortale, aliter non. Hæc D. Bernardinus aurea quidé, ac perspicua pro re nostra, & quæ nulla ulteriori indigent elucidatione, perpensis maximè illis verbis: *quod mens deliberet*: & illis, *advertendo quod sit mortale.*

3 Ex eodem tamen D. Bernardino ulteriorem lucem accipient, quòniam præcitato *Serm.* 14. *artic.* 2. exponens fundamenta judicandi, proximum deliquisse ex indiciis, & signis, quatuor assignat genera hujuscemodi signorum: *Primum* (inquit) *est signum violentum, quando omnia signa sunt mali, & nulla boni, secundum est signum probabile, quando plura signa sunt mali, & pauca boni. Tertium signum est leve, quando plura signa sunt boni, & pauca mali, quartum est signum temerarium, quando nulla sunt signa mali, & omnia sunt signa boni*: ita D. Bernardinus, ea signa multis explanare pergens: At in excerptis ex ipso verbis perpendendum videtur, in tertio, & quarto genere signorum, non aliter ea posse dici, fundamenta esse discernendi judicium temerarium, qualia apertè dicuntur à D. Bernardino, nisi quatenùs intellectus possit ex determinatione voluntatis, assentiri objecto minus verisimili in conspectu verisimilioris: patet, quia quando plura sunt signa boni, & pauca mali, verisimilior utique est proximi innocentia, & minus verisimilis noxa; & tamen ex pauciori-bus mali signis, prætermissis pluribus contrariis signis, temerè solet proximus judicari, & adversus sic judicantes plura *in eodem artic.* 2. congerit D. Bernardinus: igitur juxta hunc eximiæ sanctitatis, & eruditionis Magistrum, potest intellectus assentiri parti minus verisimili ex imperio voluntatis.

4 Idem cernere est in quarto signo, quod adest, quando nulla sunt signa mali, nulla scilicet particularia, quòniam particularia, quæ conspiciuntur, omnia sunt signa boni, & consequenter solum ex universalioribus indiciis nempè, quia aliquando quispiam fictis pietatis indiciis, sanctitatis opinionem aucupatur, virtutis quoque simulatorem censes hunc, quem probum esse ex signis omnibus conspicis: *Sicut si videres* (verba sunt D. Bernardini) *hominem contemnere mundana, castitatem, & humilitatem sectari, Sacramenta Ecclesiastica frequentare, divinis præceptis parere, fugere consortia malorum, &c. Credas, & dicas hujusmodi hypocritam, temerarium judicium est, & mortale.* Ita quartum signum exponit sanctitudine, & sapientia conspicuus hic Concionator, & Doctor; sed in hac hypothesi compertum est, urgentissima esse indicia ex una parte, ab oppositа autem non nisi levia, & exigui valdè momenti, & tamen intellectum his, & si levibus signis assensum præbere, non utique ex illorum vi necessitatum, sed liberè, & ex voluntatis determinatione, ut patet: supponitur quippè à judicante videri tot illa prælibata signa veræ virtutis, ut habetur in exaratis aureisque D. Bernardini verbis: igitur explorata est potestas intellectus ad assentiendum minus verisimili objecto, relicto verisimiliori ex determinatione nempè, & imperio voluntatis.

5 Illustratur secundò, quia licet non una, & eadem sit Authorum sententia circa modum, quo dubia sunt in meliorem partem interpretanda, tamen omnes vel asserunt, vel apertè supponunt, in dubio propter æqualitatem rationum in utramque partem militantium, posse intellectum flecti ad assentiendum cuilibet earum: nam primò, licet plures, & graves Scriptores doceant, in dubio circa probitatem proximi, nos non teneri ad judicandum actu posi-

ti-

tivè, & ſpeculativè, proximum re ipſa eſſe innocentem, non peccaſſe læthaliter, habuiſſe bonam intentionem, & ſimilia; at juxta eoſdem Authores ex ſuppoſitione, quod ſpeculativè de proximo, judicare velimus, tenemur, poſitivo actu præfata dubia in meliorem partem interpretari, ita Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 60. *artic.* 4. *verſu, Alio vero modo*, inquiens, eſſe ſententiam D. Thomæ in litera *illius articuli*. P. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 4. animadvertens, id verum eſſe in dubio rationabili. P. Leſsius *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 4. *num.* 35. *verſ. Adde etiam.* Aragonius *in* 2. 2. *quæſt.* 6. *art.* 4. *verſ. Dico ſecundo*, aſſerens *hoc eſſe certum*: ſcilicet quoad hanc ultimam partem quod, ſi judicium eliciatur, debet in meliorem partem ferri. Idem edocet P. Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 4. *quæſt.* 3. *dub.* 3. *num.* 6. dicens eſſe certum, & extra controverſiam. Card. de Lugo *diſp.* 14. *de juſt. & jur. ſect.* 2. *num.* 21. ubi aſſerit eſſe ſententiam communem, & Div. Thomæ. Juxta hanc autem adeò receptam ſententiam perſpicuum eſt, intellectum in dubio, ſivè cum æquali, aut ferè æquali pondere propendet in utramque contradictionis partem, ex imperio voluntatis cuilibet ex illis poſſe aſſentiri.

6 Illuſtratur tertiò, quia dubia circa proximi mores in meliorem partem ſunt interpretanda, non ſolum negativè, vel ex ſuppoſitione, ſed etiam poſitivè, & abſolutè, nec tantum practicè, ſed etiam ſpeculativè; hæc quippè eſt proculdubio ſententia Doctoris Angelici 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. *corp. & in ſolutionibus argumentorum. In corp.* igitur ſic ait S. Doctor: *Et ideò ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt.* Id verò interpretationis non ſolùm negativè, aut practicè, ſed etiam poſitivè, & ſpeculativè eſſe efficiendum, apertè edocet S. Thomas in *ſolut. ad* 1. per hæc verba: *Ad primum ergò dicendum, quod poteſt contingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur: ſed melius eſt, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono: quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* Sic Divus Thomas, in cujus doctrina cernere eſt, id ipſum, quod ab adverſæ ſententiæ Authoribus, ut abſurdum vitari intenditur, nempè, quempiam falli, in meliorem partem dubia directè interpretando, à S. Doctore incommodum non cenſeri, quòd bonus nempè exiſtimetur ille, de cujus crimine manifeſta indicia non apparent: & conſequenter ex mente Doctoris Angelici, in dubio de proximi crimine, innoxium, ac bonum eſſe interpretari, & exiſtimare illum adigimur, cui ſententiæ ſubſcribunt Sotus *de juſt. & jure. lib.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 4. *per totum.* diſſertè rem, mentemque D. Thomæ elucidans. Alexander Peſantius *in* 2. 2. *quæſt.* 6. *art.* 4. *diſp.* 5. *verſ. Secunda ſententia*, qui addit plures, licet innominatos, Recentiores ita docere.

7 Et profectò præferenda omninò mihi videtur hæc ſententia, tum quia niſi tergiverſari velimus, hæc planè mens eſt Divi Thomæ; tum quia, & ipſius noſtri Cælici Aſſertoris eſt doctrina Matth. *cap.* 7. ajentis: *Nolite judicare, & non judicabimini*, quæ verba exponens D. Auguſtin. *lib. de Serm. Domini in monte. cap.* 28. inquit: *Nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Eadem regula adducitur à Gloſſa ſuper illud Pauli *ad Romanos* 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet*, quam communiter recipiunt Theologi, & utriuſque Juris Doctores. Nec mihi arridet diſtinctio illa practicæ ſolùm, ſeù negativæ, & ſpeculativæ, ſeù poſitivæ interpretationis, ita ut prima ſufficiat, nec opus ſit ſe-

cunda; cum enim de interna interpretatione sermo sit, non capio, quomodò in meliorem partem fiat interpretatio, dum intellectus circa proximi delictum anceps manet: dum ergò in meliorem partem interpretari dubia jubemur, utique innocentiæ proximi speculativè, seu interno judicii actu assentiri præcipimur.

8 Hinc illustratur quartò ex Jure Canonico, & Civili; ex primo, nam in *cap. Estote. de reg. jur.* sic habetur: *Estote misericordes &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptū est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: ut stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia: de quibus nobis permittitur, judicare.* Hactenùs citata juris regula, in qua dilucidè edocemur, cum rationabile suboritur dubium circa bonum, pravumvè proximi animum, in opere, quod manifestè malum non est, in meliorem partem dubium interpretari: at melior pars in hac hypothesi est, bono animo opus effectum esse, sic ergò existimare præcipimur: inclarescit amplius, quòniam qui in prælibata hypothesi assensum suspendit, & speculativè dubius hæret, quocumque modò se gerat erga proximum, illius operationem in meliorem partem non interpretatur: sed id melioris interpretationis jubemur efficere: igitur, & directè, ac positivè judicare, recta mente opus fuisse effectum.

9 Et quidem præterquam quod sacra hæc gnome authoritate gaudet canonica, cui obsistere nemini fas esset, perpendendum venit, excerptam fuisse ex Venerabili Beda in Homiliis, ita enim legitur in prima Decretalium collectione, sub hoc eodem *titulo de Regulis Juris*, eademque verba exarata reperiuntur apud Venerabilem Bedam *in D. Lucam lib. 2. cap.* 24. & D. Raymundus Sacri Prædicatorum Ordinis amplissimum decus, Doctorque præstantissimus, hanc regulam assumpsit ex dicta prima collectione, & consequenter illam præclara sua stabilivit authoritate.

10 Communitur etiam eleganti Innocentii III. decreto, *in cap. unico. de scrutin. in ordine faciendo*, penes illa Summi Pontificis verba: *Cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. Hujusmodi ergò responsione, securè uti poteris, nisi fortè de indignitate tibi constiterit conscrandi.* Et maximè perpendendū illud: *quē indignum esse nō novit, dignum debeat æstimare*; unde subsumo, quando dubium est proximi crimen, illum indignum esse, non novimus, igitur innocentem, bonum, ac dignum judicare, & æstimare debemus: ideò Glossa ibidem, *verbo Æstimare, Nota* (inquit) *quemlibet præsumi dignum, nisi probetur indignus, & de quolibet præsumendum esse bonum, nisi probetur in contrarium*: idem decernitur *in cap. Dudum. de Præsumpti.*

11 At nulli fortè dilucidius nostrum ostenditur assumptum, quàm in *cap. Innocens.* 22. *quæst.* 4. ubi ex D. Ambrosio *lib. officiorum tertio. cap.* 10. hæc exarata legimus: *Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas: sed laudanda bonitas. Hoc est innocentem esse, ignorare, quod noceat: & si circunscribitur ab aliquo, de omnibus tamen benè judicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis suæ devotione inclinatus Josuè, ut crederet Gabaonitis, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmavit societatem.* En innocens credit omni verbo: ergò licet mendacii adsint signa, quæ dubiam rem faciāt, utique verum esse, innocens credet. Rursus Josuè latere non potuit, quod fortasse illum Gabaonitæ fallere cupiebant, & fortè insidias ei parabant: nihilominus mentis suę devotione inclinatus Josue in tali dubio, vera esse, quæ à Gabaonitis dicebantur,

tur, credidit: & quidem in dubio fuiſſe tunc conſtitutum Joſue, vel res ipſa oſtendit, & ex ſacro textu colligitur, nimirũ ex *cap. 9. Joſue.* ubi cũ Gabaonitæ dixiſſent Joſue, atque omni Iſraeli, *de terrâ lõginqua venimus, pactũ vobiſcum facere cupientes. Reſponderunt viri Iſrael ad eos, atque dixerunt: Ne fortè in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum:* quæ planè comprobant rationes dubitandi ad fidem Gabaonitis denegandam cognoviſſe Joſue, & Iſraeliticos Exercitus Principes, præcipuè cum in terrâ verſarentur hoſtili: illis tamen habuere fidem: devota enim mens inclinat, ut in dubio neminem mendacem, ſed veracem ac bonum credat.

12 Sed *nonne* (inquit Gloſſa ad *dict. cap. Innocens. verb. Innocens*) *æquè reus eſt ille qui de facilè credit, ſicut ille qui mentitur, ut* 11. *q.* 3. *Non ſolum. & nimia facilitas credendi vituperatur.* 86. *diſt. Si quid verò. Sed illud* (reſpondet eadem Gloſſa) *intelligas de Judice, qui in præjudicium partis alterius non debet de facili credere ſecundum verba alterius partis.* 3. *q.* 9. *cap.* 1. 2. *&* 3. idem firmat Gloſſa *in cap. Quam magnum.* 23. *q.* 4. *verb. Non poſſunt.*

13 Ex Jure Civili idem ſtatuunt tex. *in leg. Servos.* 20. *ff. de manumiſ. teſtamento.* ubi ex Juris-Conſulti Africani reſponſo apparet, meruiſſe ſervos libertatem, quos demeruiſſe non conſtiterit, ut notat Bartolus, necnon Gothofredus *lit. R.* idé habetur *leg.* 20. *ff. eod. & leg. ſemper.* 56. *ff. de diver. regul. jur.* ubi Gajus J.C. ait: *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.* Et in *leg.* 168. Paulus aſſerit: *Rapienda occaſio eſt, quæ præbet benignius reſponſum*: igitur cum in dubio circa delictum, occaſio adſit interpretandi in meliorem, & benigniorem partem, utique ea arripienda venit. Congruit *text. in leg. cum pater.* §. *Rogo. de legat.* 2. *leg. omninodò, in princip.* & ibi Gloſſa, *in verbo, non licebit. Cod. de inoffici. teſtam.*

14 Probatur quoque authoritate utriuſque Juris Interpretum, ita ſanè Gloſſa in *dict. leg. omnimodò. Cod. de inoffi. teſtam.* & ibidem Jacobus Belviſius, & Alber. *num.* 2. Gloſſ. *in leg. ulti. ff. quod metus cauſa. Et cap.* 1. *de ſcrutinio, & ibidem* Zabarella *colum.* 2. & Gloſſ. *in cap. ſi fortè. in verbo ſcientiæ, de electi. in* 6. Baldus *in conſil.* 311. *Quidam Thomas. colum.* 2. *verſ. Venio ad ſecundum. lib.* 2. Angelus *in leg. Sciendum. in fine. de verb. oblig.* Lucas de Penna *in lib.* 3. *colum.* 3. *verſ.* 19. *præſumitur. Cod. de Apoch. publ. lib.* 10. Abbas *in cap. Cum in Jureperitus. num.* 2. *de offic. deleg.* Socinus Senior *in conſ.* 15. *num.* 15. *lib.* 1. Alciatus *in tract. de Præſumpti. reg.* 3 *præſump.* 2. *in prin.* Marſ. *in conſ.* 2. *num.* 9. Socinus Junior, *in conſil.* 88. *colum.* 1. *lib.* 2. Antoni. Gabriel. *lib.* 7. *concluſ. tit. de criminal. concluſ.* 2. *num.* 9.

15 Unde Abbas *in cap.* 1. *num.* 7. *de cleric. non reſid.* ſcribit, quod quandò actus referri poteſt ad bonum, & malum, in dubio refertur ad bonum, atque ait debere ſic intelligi *cap.* 2. *de regul. jur.* & reſpondit Aret. *in conſil.* 5. *colum.* 1. *verſ. ſed in dubio*; verba ita debere intelligi ne ſonent in delictum. Rota, *in deciſ.* 166. *num.* 2. *in ſecunda parte, in noviſſi.* Et idem Aretin. *in conſil.* 31. *num.* 3. Conſiliumque, quod poteſt eſſe bonum, & malum, præſumitur bonum, ut inquit Bald. *in l.* 1. *num.* 13. *Cod. de ſer. fug. & ibidem* Jaſon: idem tradit Alciat. *de præſump. reg.* 3. *præſ.* 1. *num.* 1. Craveta *in conſil.* 205. *num.* 9. & cum aliis Menochius *de Præſumpti. lib.* 5. *præſum.* 2. *num.* 11. & 12.

16 Sic etiam aſſertio dubia, quæ poteſt ſignificare hęreſim, & catholicam fidem, in dubio catholica præſumitur. Rojas *de hæretic. part.* 1. *num.* 367. Menochius *dict. lib. præſump.* 2. *num.* 12. quilibet enim præſumitur innocens *leg. Abſentem. ff. de pœnis. leg. qui accuſare. Cod. de eden.* & ſcribunt Decius *in leg. favorabiliores. num.* 6. *ff. de reg. jur.*

&

& Alciat. *in tract. de præſump. reg. 3. præſum. 4. num. 1.* Maſcard. *de prob. concluſ. 495. & concluſ. 1418. num. 2.* Barboſ. *axiom. 69. num. 14.* & de hæreſi diſſerens Farinacius *tract. de falſit. quæſt. 187. num. 111. verſ. Quæro etiam.* Barboſ. *axiom. 78. num. 1.* Et procedit tradita doctrina, etiam ſi verba aliquomodo impropriarentur, ut quis bonus præſumatur, prout docent Marſ. *in conſil. 2. num. 9. verſ. Et adduci poteſt.* Gabriel *lib. 7. concluſ. tit. de criminal concluſ. num. 9. &* 10. Menoch. *de Præſump. lib. 5. præſ. 1. num. 18.*

17 Nec ſuperfluum cenſeri debet, Juris Interpretum hac in re ſententias adducere, quòniam licet illi pro foro externo ſuas promant reſolutiones, ex ipſis pro interiori, & intellectuali foro, juxta noſtram hypotheſim æqualiter argumentum conficitur; quia idem in utroque foro judicandum eſt, quando externum non innititur falſæ præſumptioni, nec in pœnam Judicis ſententia quæpiam damnat: ut tradunt optimè Sotus *lib. 4. de juſt. quæſt. 5. art. 3. verſ. Quarto arguitur.* Azpilcueta *cap. Si quis autem. num. 36. de pœnit. diſt. 7.* Illuſtriſsimus Dominus Covarrubias *cap. Cum eſſes. num. 7. de teſtamen.* Martinus de Ledeſma. *2. part. 4. q. 19. artic. 1. dub. 12. fol. 227. col. 2. initio.* P. Vazquez. *1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſp. 66. cap. 1. num. 3. & quæſt. 96. art. 4. diſp. 164. num. 37.* Exim. Doct. P. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 40. ſect. 5. num. 16.* Sayrus *in clavi Regia. lib. 1. cap. 13. num. 24.* P. Salas *1. 2. quæſt. 21. tract. 8. diſp. unica. ſect. 18. num. 166. & ſect. 19. num. 171. & ſect. 23. num. 226.* P. Thomas Sanchez, *in decalog. lib. 1. cap. 10. num. 11.* & tandem Baldus *authent. ingreſſi. num. 49. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* At Juriſperiti, Juſque Canonicum, & Civile nulli falſæ præſumptioni innituntur, nec in pœnam damnant, cum in benigniorem partem dubia interpretanda eſſe edicunt. Igitur Juriſconſultorum reſponſa, & Sacrorum Canonum oracula, necnon utriuſque Juris Doctorum placita etiam in interiori, & intellectuali animæ foro locum habent, & conſtringunt in præſens.

18 Cæterum dices: dubia circa proximum eſſe in meliorem partem interpretanda, Jura Civilia, & Sacra præſcribunt, ipſa quoque naturalis ratio id edocet; ergò dum intellectus in meliorem, ſeù benigniorem partem aſſenſum elicit, parti utique probabiliori, & rationi magis conſonæ adhæret, & aſſentitur: ergò ex hoc capite intellectus facultas aſſentiendi æquè, aut minus veriſimili non fulcitur.

19 Tamen non evacuatur noſtri argumenti efficacia reſponſione iſta: primò, quia ſic dubia in meliorem partem interpretari, adigimur, ut tamen penes liberum arbitrium ſit, vel ſuſpendere omnem aſſenſum, vel in deteriorem partem eadem interpretari, injuriam aliquam proximo irrogando, majorem quidem in ſecundo caſu, minoremque in primo: id quod ex dictis hac ſectione, oſtenſum manet: imò ex prælibata ſententia aſſerente, non adeſſe obligationem interpretandi dubia in meliorem partem, interpretatione poſitiva, & ſpeculativa, ex ſuppoſitione tamen quod judicium fiat, debere judicari innoxium, & probum eſſe proximum, patet eadem intellectus libertas. Secundò, jus, quod proximus habet, ut dubia in meliorem partem interpretemur, conſtituit partem illam practicè credibiliorem, ſed non ſpeculativè, quia ſpeculativè, pro priori ad aſſenſum, res in utramque partem dubia manet, quòniam jus illud proximi directè, & ſpeculativè non elevat rationes dubitandi, pro deteriori parte militantes.

20 Tertiò, juris ratio, quæ in dubio favet proximo, non eſt motivum aſſentiendi directum, ſed reflexum, ut patet, ſupponit quippè ex directis aſſentiendi motivis, dubiam eſſe proximi bo-

bonitatem, & noxam: at disquisitionis nostræ scopus est, utrum inspectis assentiendi, & dissentiendi motivis directis, possit à voluntate flecti intellectus, ut assentiatur parti æquè, & minus verisimili? Affirmativamque sententiam cum nos tueamur, adversæ sententiæ patroni acriter negativam propugnant, dicentes identidem, nullis motivis reflexis fieri posse, ut intellectus acquiescat opinioni, quæ minus, vel æquè verisimilis directè proponitur: & consequenter asserunt, contractum, quem directè illicitum æquè, aut magis probabiliter agnosco, nullis reflexis motivis posse licitum à me existimari: oppositum tamen quoad judicii possibilitatem, de qua tantum nunc disserimus, ex dictis conficitur, quòniam licet proximi probitas directè dubia cognoscatur, ex juris utriusque observanda regula in meliorem partem dubia interpretari debemus, hanc verò regulam esse motivum reflexum assentiendi, mihi perspicuum est ex terminis ipsis: idemque dico de jure ipso, quod naturaliter habet proximus, ut in dubio directo, bonus, & innocens judicetur, hoc quippè jus supponit directam dubietatem: tum quia justitia, & innocentia proximi non constituitur à juris præcepto, quo adigimur, dubia in meliorem partem interpretari; at ego justitiæ assentior proximi: igitur meum hoc judicium non respicit objectivè, & formaliter eam juris regulam, sed solum dirigitur ab illa, seù ab ea imperatur.

SECTIO LIV.

Nobilium quorundam Recentiorum asserta non nulla de judicio temerario discutit, & refellit.

1 UT validum hoc argumentum, quod pro immediata libertate opinandi conficitur ex conceptu temerarii judicii, præcipuè lethalis, elevent Nobiles Recentiores, haud parum operæ impendunt, nec tamen, ut reor, verum assequuntur, id quod ostendere agredior: differit ergò de judicio temerario, ingenti suo acumine P. Elizalde in *Appendice de natura opinionis, quæst.* 5. §. 3. ubi, inter alia, hæc habet. (Tenendum videtur, nos nunquam moveri ex levibus indiciis, ut levibus, & quorum levitas sit nobis nota, ad quidquam vel judicandum, vel etiam dubitandum: sed tota res eò revocatur, quod indicia, vel fundamenta levia vitio nostro nobis videantur gravia; & sic vel ad dubitandum, vel ad judicandum movemur.) Hæc ille, assumptumque probare pergit, quia intellectus ita essentialiter est addictus vero, ut nihil omninò ab eo egredi scéis queat ullo volùtatis imperio probare, potius quã visus queat tendere, ferrique ad non colorata. *Idcircò* (inquit) *nunquã objecto adhærere plus potest, quam putat illius motivum mereri, nec hominum dictis inhærere tanquam demonstratis, &c.* Tum quia alioquin, si quis dum temerè judicat agnosceret, se temerè judicare, idque mentaliter diceret, per hoc ipsum, & per hanc propriam confessionem suum proximo honorem restitueret, nam diceret, se levibus indiciis, & insufficientibus judicare: unde diceret se malè judicare: & sic honorem auferret simul, & restitueret; & proximum condemnaret simul, & absolveret; nam nos ipsi cum absolvere eum volumus, qui ita judicatus, ac damnatus fuit, satis sententiam absolutoriam ferimus; dicendo contra eum temerè, id est, levibus, & insufficientibus indiciis judicatum fuisse. Hactenùs Celladeus.

2 Si tamen prælibatam doctrinam quispiam componat cum tradita à P. Lessio, Cardinali de Lugo, Medina, & aliis Sapientissimis Doctoribus, tota præcedenti sectione, præsertim *num.* 7. laudatis, fignanter verò cum D. Ber-

Bernardini Senensis eruditione, palam fiet Adversarios communi,& receptæ obsistere sententiæ, asserenti, ad malitiam gravem judicii oportere,quod homo advertens plenè judicium esse, aut fore temerarium,hoc est sine sufficienti fundamento,& de malo gravi proximi, adhuc velit judicare, & non cohibeat intellectum, vel certè advertat obligationem examinandi sufficientiam fundamenti, quod sibi urgentius apparet,& nolit examinare, an sit, vel non sit sufficiens: quæ ut inclarescant amplius, libet illa Patris Lessii ad rem aurea verba *lib. 2.de just. & jur.cap.29. num. 9.* iterum perpendere, & subsequentia alia addere. *Dico secundò* (inquit ille) *judicium temerarium in animo tuo residens, non est peccatum, priusquam aliquomodò advertas,vel dubites, te ex signis insufficientibus judicare: postquam autem cœperis id advertere erit saltem peccatum veniale, si in eo perseveres; nunquam tamen erit mortiferum ante plenam animadversionem.*Prior pars probatur(pergit Lessius) quia priusquam animadvertas causas, ex quibus judicas, non esse sufficientes, vel saltem priusquam de illis dubites, non est illud judicium ullo modo voluntarium, saltem qua parte temerarium;sed censetur primus motus libertatem voluntatis prævenies,etiam si longo tempore duraret. Sic ille, & *dubit. 3.*expendens qualitatem peccati in suspicione,& dubitatione temeraria,de suspicione inquit *num. 17.* Notandum secundò, suspicionem posse dici dupliciter voluntariam, seù deliberatam. Primò secundum se, ut cum quis advertit se malè suspicari de proximo, & etiam aliquomodò dubitat, an causa sit sufficiens ad sic suspicandum,tamen neglecto ejus examine, non excludit suspicionem, paratus excludere si adverteret, causam non esse sufficientem. Secundò potest dici voluntaria, qua parte est temeraria ; ut cum quis advertens causam suspicandi non esse quidem sufficientem, tamen ex malitia vult sic de proximo sentire.) Hactenùs ille, luculentissimè edocens, non solùm quando vitio nostro indicia ad judicandum gravia videntur, sed etiam quando de eorum sufficientia dubitamus, imò & cum levia seù insufficientia esse advertimus, posse nos in temerariam suspicionem, & judicium incidere.

3 Ast non solùm tàm præclara multiplici, & ingenti tot Doctorum authoritate, Adversariorum concidit sententia, verùmetiam ex eorum fundamentis labascit: primò,quia si vero reali addictum, alligatumque intellectum omninò velint, utique nec falli, nec vitio quovis ipsius voluntatis, vel intellectus, erroneum ipse ac temerarium judicium elicere poterit : quo nihil falsius.Ergò opus est fateri,intellectum ferri posse in verum apparens: ergò & ex vitio voluntatis adhærere poterit insufficientibus indiciis,& ex ipsis sententiam ferre, seù temerè judicare.

4 Hanc ultimam consecutionem probo ex opposito ejus, quod P.Elizalde ajebat, *Intellectus* (inquit ille) *nunquam objecto adhærere plus potest, quàm putat illius motivum mereri*,at ego oppositum assumo: intellectus sæpè objecto adhærere plus potest,quàm putat illius motivum mereri: igitur quamvis insufficientia appareant motiva judicandi,potest voluntas intellectum flectere ad temerè de proximo judicandum : antecedens patet, quia voluntas potest flectere intellectum , ut adhæreat objecto propter motivum boni utilis,honesti,vel delectabilis.Ratio autem boni honesti,utilis, aut delectabilis non est motivum constituens objectum magis simile vero: igitur adhæsio intellectus erga objectum, qua parte provenit ab utilitate, & bonitate amata à voluntate, est supra formale meritum objecti intellectus, qui non tendit sub

ra-

rationi boni, sed sub ratione veri.

5 Secundò constabilitur assumptum ex supra traditis de conceptu pertinaciæ tota *sectione* 38. *& sequentibus*, quòniam *dict. sect.* 38. *num.* 4. *&* 5. præcipuè ex Philosopho, & ejus illustratore D. Thoma *lib.* 7. *Ethicorum. cap.* 9. *lectione* 9. conspeximus, quod sunt quidam nimis immanentes propriæ opinioni, qui à Philosopho, & Doctore Angelico vocantur *ischyrognomonas*, id est fortis sententiæ: si ergò nimis immanent propriæ opinioni, utique plusquam objectum mereri cognoscunt, illi adhærent: & ideò juxta D. Thomam loco citato, *pertinax non mutatur à sua opinione propter aliquam rationem inductam, sed recipit concupiscentias. Et multi eorum ducuntur à delectationibus extra rationem.* En ubi hujuscemodi fortis sententiæ homines ab opinione sua haud discedunt propter inductam rationem, utique, ut sic discerent sufficientem: ideòque vituperabiles sunt, quia cum non permittant, se vinci ratione, vincuntur tamen à passione; propterea fusè ostendimus, pertinaciam, ad hæreseos, hæreticique rationem necessariam, coalescere ex sufficienti cognitione definitionis Ecclesiæ, & regulæ fidei, & ex voluntate proximè libera resistendi, & dissentiendi Ecclesiæ definitioni: Glossa in extravaganti *Cum inter. de verb. sig.* inquit. *Pertinax, ut videtur poterit reputari, qui contra prohibitionem superioris, quasi ex contemptu, scienter, vel studiosè affirmat talia, vel defendit, ut colligitur* 11. *q.* 3. *Excellentissimus.* ☞ *de pœnis, cap. Gravem. de Cleric. excom. cap.* 2. *& cap. Si celebrat. in fine. Cum ibi notatis.* Tum *Clement. unic. de Sum. Trinit.* §. *Porrò.* in Glossa *verb. pertinax*, sic habetur, *Pertinacia in malo, perseverantia in virtute: unde pertinax valdè, vel imprudenter tenens, durus, irrevocabilis, indocilis, obstinatus.* Quæ planè demonstrant, posse intellectum ex voluntatis affectione adhærere objecto plus, quàm ipsum objectum mereri cognoscit, sivè plus quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

6 Id quod fulcitur tertio ex Innocentii XI. decreto damnante propositionem illam ordine 19. nempè: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*: hac quippè proscripta propositione, consequens sit, adhæsionem, sivè firmitatem intellectus erga aliquod objectum, incrementum accipere posse ex vi, & affectione voluntatis, etiam supra firmitatem, & adhæsionem, quam merentur rationes, quæ assensum suadent, & ad assensum impellunt: & hoc quidem contingere potest, vel laudabiliter, ac meritoriè operante voluntate, vel Deum offendendo, primum patet in fide, quia ex pia affectione potest voluntas efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, ut apertè colligitur ex Innocentii XI. decreto, quod doctè, & fusè perpendit P. Didacus de la Fuente Hurtado *in Theolo. reformata, differt.* 11. *cap.* 1. *& ferè per totam.* Secundum verò fit in pertinaci hæretico dissensu, ut ex dictis liquet: igitur ex eàdem voluntatis efficacia poterit intellectus temerarium elicere judicium, dum insufficientia conspicit esse indicia ad judicandum, urgentioraque adesse motiva ad innocentem, ac probum proximum censendum, sicut & ex imperio voluntatis assentiri potest intellectus errori contra fidem, dum ejusdem fidei urgentissima motiva fortius impellunt ad assensum fidei præstandum.

7 Quartò si intellectus non posset temerè judicare, dum sic judicandi indicia levia apparent, nisi dum gravia proponuntur, utique dum quis te-

temerè judicat, libertate contrarietatis non gauderet: patet, quòniam, vel tunc levia apparent indicia, ad piè de proximo judicandum, vel æquè gravia, aut graviora: si primum, non poterit tunc voluntas imperare judicium de bona proximi existimatione, juxta Adversariorum sententiam: si secundum juxta eosdem Authores, nec temerè nec justè, ac piè poterit judicari: si tertium impossibile erit temerarium judicium, ut ipsi inquiunt: igitur in judicando, piè, aut temerè, nobis non adest contrarietatis libertas: id quod absurdum meritò censebitur.

8 Ast pro Adversariis dices: in hac hypothesi, posse voluntatem suspendere judicii temerarii exercitium, & applicare intellectum, ad inquirenda motiva justè de proximo judicandi: & ideò stare contrarietatis libertatem. Hinc tamen contra insurgo quinto: & probo, carere libertate tàm contrarietatis, quàm contradictionis, eum qui temerè judicat: quòniam qui temerè judicat, juxta Adversariorum principia, si cohærenter procedant, non potuit inquirere urgentiora motiva ad rectum judicium eliciendum, nec judicium suspendere: omnimoda igitur libertate caruit ad justum judicium: consequentia ab Adversariis negari non potest: antecedens autem liquidò ostenditur; nam qui temerè judicat, de facto non vult motiva inquirere urgentiora, ad rectum judicium, sed potius vult illa non quærere, ideòque Adversarii dicunt peccare eam omittendo inquisitionem: ergò ipse tunc melius, aut efficacius cognoscit hoc, quod est non inquirere talia motiva, quàm hoc quod est, illa motiva inquirere, aliàs in sententia contraria, non posset illud velle, & hoc abjicere: at voluntas, ut ipsi docent non potest velle, quod minus bonum, vel inefficacius proponitur: ergò voluntas non potuit velle alia motiva inquirere, ad rectè, & justè de proximo judicandum: igitur juxta Adversarios, qui temerè judicat, nec potest immediatè, nec mediatè, rectè, & justè judicare; imò nec potest suspendere judicium illud temerarium, quia non cognovit efficacius, aut melius esse, judicium suspendere, si enim cognovisset, non posset voluntas imperare judicium; quapropter vel non peccat, vel peccat sine libertate tàm contrarietatis, quàm contradictionis: quod asserere, fas haud erit: relegas quæso tradita à nobis *sect.* 40. *num.* 3. *& seqq.* ibi enim omnes hæ illationes constibiliuntur.

9 Sextò falli videntur Adversarii, dum æqualia esse putant, judicare ex indiciis, quorum levitas sit nobis nota, & judicare ex indiciis ut levibus: ingens quippè inter utrumque versatur discrimen, primum enim sensum habet specificativum, secundum verò reduplicativum: primum non significat, intellectum tendere extra sui objecti sphæram; id tamen secundum significat; quia rationis levitas, ut talis, dicit carentiam verisimilitudinis gravis, nulla autem verisimilitudinis carentia, ut talis participat rationem formalem sub qua intellectus, quia hæc est veritas, aut verisimilitudo: quamobrem licet intellectus possit judicare ex signis, quæ levia esse cognoscit, non judicat ex illis, ut levibus, sed ut verisimilibus, quamvis leviter: quemadmodum voluntas amare potest minus bonum, non quia minus, sed quia bonum: & in tractatu de Prædestinatione dicimus Deum conferre auxilium incongruum, non quia incongruum, id enim repugnat Divinæ sanctitati, & desiderio salutis nostræ, sed quia sufficiens est ad salutariter operandum.

10 Septimò quàm liberter fatemur, intellectum adhærere, assentiri vè non posse objecto, quod scit à ratione veri egredi: cæterum ex eo, quod graviora, aut simpliciter gravia rationis momenta pro aliqua contradictionis

nis parte militare cognoscat, non ideò scit, oppositam partem esse falsam, seù à vero egredi, quia non adest demonstratio, nec certum principium, quod ineluctabiliter veram esse illam partem, ostendat: unde licet intellectus tendat in partem oppositam, illi assentiendo, non egreditur à sua ratione formali, quæ est verum apparens, potens reperiri in contradictoriis, ex diversis rationum momentis.

11 Octavò, qui advertit se temerè, & ex levibus indiciis judicare, nullo modo honorem proximo restituit: sed ideò majorem illi irrogat injuriam, dum sic in judicando perseverat; & ratio est, quia nos obstringimur ad honorem proximo servandum, reddendumque quantum ad nos attinet: id verò in re præsenti est intellectus nostri sententia, & judicium; rationis verò momenta, quæ innocentiam proximi suadent, ad objectum seu proximum pertinent, & ex parte ipsius se habent: quapropter donec ego temerarium judicium suspendam, & revocem, quantum ad me attinet, non restituo proximo honorem. Tum quia dum agnoscendo fortiora esse motiva benè de proximo censendi, ex levibus indiciis temerè judicat, malæ voluntatis in proximum reus sit; siquidem ad judicandum illum, præfert levia pravitatis indicia, & gravia ipsius probitatis momenta postponit: nec ego auderē eum restituendi modum à P. Elizalde deductum cuipiam consulere, dic, scilicet, te sine sufficienti fundamento honorem proximo auferre, & in detractione persevera.

12 Ex dictis conficitur, falsum esse quod Illustrissimus Palanco ait, *tract. de consc. quæst. 26. num. 129.* quod temeritas in judicio consistit in defectu considerationis debitæ motivorum, non verò in eo quod contra motiva apparentia actu graviora judicetur: id inquam non ita se habere ex prælibatis colligitur; alias, ille cui sufficienter proponuntur fidei mysteria, ut fideliter credat, non posset, temerario ausu, illis dissentire: consimiliter dicendum esset, Judæos qui prædicationem Apostolorum, D. Stephani, & Christi Domini audiebant, dissentiebantur tamen, non habuisse sufficienter sibi propositam veritatem, ut ex motivis præponderantibus multò magis credibilem: quæ omnia dici non posse ex supra adductis abundè constat.

13 Verumtamen R.P.N. Tyrsus *differt. 10. §. 11. num. 56.* haud parum nostræ adhæresci sententiæ, dum edocet, in dubiis de personis, in meliorem partem faciendam esse interpretationem, quia melius, aut minus malum est, nos falli, quàm insontem fortè censere improbum: ubi manifestè supponit, posse voluntatem flectere intellectum, ut in dubiis, alteri ex contrariis, aut contradictoriis præbeat assensum: id quod nos intendimus.

14 Verum animadvertere oportet, nos minimè asserere, quod judiciū non potest esse temerarium, quādo aliquis ex odio, & iniqua passione, gravia reputat, esse judicandi motiva, quæ in re levia sunt; id quippè falsum, & improbandum est, ut ex terminis patet; quippè tantum tuemur duo hæc asserta, primum, quod, etiam cognita levitate motivorum, potest voluntas ex prava affectione flectere intellectum, & determinare, ut ex illis motivis judicet proximum esse iniquum: secundum, quod nisi intellectus plenè advertat motivorum insufficientiam, aut aliquomodò dubitet de illa, vel advertat obligationem examinandi motiva, non erit judicium, qua tale, mortiferum, quia non erit perfectè voluntarium: qui autem se odio habere proximum, cognoscit, profectò advertit obligationē examinandi, rectè judicādi motiva, ideòque cognoscit, sine diligēti discussione præmissa, temerariū, injustum-

que esse judicium contra proximum proferre; quapropter si absque eo examine judicet, utique temerè censebit urgentiora motiva, & sic judicando proximum, mortaliter peccabit; tum quia, qui experitur, se odio, invidiaque erga proximum laborare, sufficiens habet motivum dubitandi de levitate indiciorum, quæ contra proximum sibi proponuntur, hac verò prælucente dubitatione, aut cognitione, si absque debita exquisitione proximum judicet, & mente condemnet, utique sufficienter cognita motivorum insufficientia judicabit, reusque gravis noxæ erit: tum quia fieri potest, ut in judicando, motiva contra proximum esse urgentiora, jam peccet, id nempè sine sufficienti fundamento, nullaque discussione præmissa, sed ex pravo affectu censendo: tandem quia fieri potest ut pro priori ad pravam affectionem, determinationemque voluntatis levia appareant judicandi indicia, & pro posteriori ad eam affectionem liberam, appareant urgentiora, tuncque judicium erit sufficienter voluntarium, & in re gravi mortale, saltem si firmum sit. Hæc dicta sunto, ut notum sit, non rectè dixisse P. Camargo *p. 1. lib. 1. contr. 5. art. 13.* quod in nostra sententia, non erit judicium temerarium, quando aliquis sic judicat, ut ex odio similivè passione existimet, gravia esse judicandi momenta; id enim falsum est, ut ex dictis patet.

SECTIO LV.

Ex obedientiæ intellectus perfectione, aureaque S. P. N. Ignatii Authoritate fidei divinæ libertas inclarescit.

1 VAlidis argumentis, quibus immediata quoad speciem stabilitur fidei libertas, summam imponere manum mihi videor hac sectione, in qua ex mente, & verbis Sanctissimi Nostri Parentis, D. Ignatii à Lojola præcipuè differere, nostri erit instituti, ille ergò in præclara de virtute obedientiæ Epistola, cujus gloria laudum apud viros virtutibus, & sapientia conspicuos perennabit, adeò enim cunctis expleta numeris elucet, ut omnium præceptorum instar sit, quæ de obedientia traduntur, rectæ innitens Philosophiæ, Theologiæ, Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum gemeis oraculis: tres, inquam, discernit virtutis obedientiæ gradus, in quorum primo, in *num.* 5. *esse* ait, *illam obedientiæ formam, quæ mandata dumtaxat opere exequitur*: secundum verò gradum esse illius, *qui voluntatem superioris suam efficiat, & cum ea ita concordet, ut non solum in effectu executio appareat, verum etiam in affectu consensio; sicque idem velit uterque, idem nolit.*

2 Pergit Divus Ignatius egregia, & cœlitus infusa sibi prudentia, & *num.* 9. infit, *Qui vero se totum penitus immolare vult Deo præter voluntatem intelligentiam quoque, qui tertius, & summus est gradus obedientiæ, offerat necesse est, ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat; quod superior; ejusque judicio subjiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere*: hæc ille, haud leviter ostendens judicii erga voluntatem subordinationem, quam inquirimus, quamque infrà dilucius ipse Sanctissimus Parens edocet, tum ratione, tum authoritate Patrum, & Sacræ Scripturæ, nam Proverb. 3. v. 5. dicitur, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*: ad cujus sententiæ intelligentiam subdit *n.* 11. *Atque in rebus etiam humanis censent sapientes, verè prudētis esse suæ ipsius prudentia minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices esse nō possunt, quod si in rebus nostris, alterius etiam non superioris, judicium atque consilium nostro anteponendū est; quanto magis ipsius superioris, cui nos, ut Dei vicem gerenti, ac divinæ voluntatis interpreti moderandos tradidimus?*

Ex

3 Ex Patribus adducit præcipuè illa Caſiani verba in *collatione Abb. Moſi. coll.* 2. *cap.* 11. videlicet: *Nullo alio vitio tàm præcipitem diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum eum neglectis conſiliis ſeniorum, ſuo judicio perſuaſerit definitionique confidere.* Concinunt S. Hieronym. *Epiſt.* 4. *ad Ruſtic.* dicens: *Credas ſalutare quid quid ille,* (ideſt Præpoſitus) *præceperit, nec de majorum ſententia judices, cujus officium eſt obedire, & implere, quæ juſſa ſunt, dicente Moyſe, Audi Iſrael, & tace.* S. Benedictus *cap.* 5. *ſuæ regulæ,* ubi ait, religioſos non ſuo arbitrio ambulare, *ſed alieno judicio, & imperio.* D. Bernardus pluribus in locis, ſed præſertim *tract. de ordine vitæ,* ubi graviter reprehendit religioſos, *qui ſeniorum juſſa dijudicant, & non potius venerando exaltant.* S. Nilus *in lib. Aſcetico. col.* 20. *tom.* 5. *Bibliot.* poſt plura, quæ hanc rem conſtabiliunt inquit: *Sic igitur qui ſalutem animæ ſuæ aliis crediderunt, omiſſis propriis opinionibus, & conjecturis, periti rectoris arti cedant, & ſcientiam illius cogitationibus ſuis anteponant.* B. Dorotheus *tract. de vita rectè, & piè inſtruenda doctrina,* ſeù *Serm.* 1. *in fine tom.* 2. *Bibliot. Aſſueſcat* (inquit) *ſe ipſum poſt Deum patri dedere, atque ab eo nulla in re poſt modum diſſentire.* D. Bonaventura *in opuſc. tom.* 2. *part.* 2. *principali, cap.* 3. *credant ſalutare quidquid ille præceperit.* pluribuſque omiſſis, brevitatis ergò, idem conſignat Angelic. Doct. 1. 2. *q.* 13. *art.* 5. ubi *in ſolutione ad* 3. ait: *An aliquid ſit poſſibile, ſubditus non debet ſuo judicio diſcernere, ſed in unoquoque judicio ſuperioris ſtare*: perpendas quæſo To *in unoquoque.*

4 Hunc igitur perfectiſsimum obedientiæ gradum, tot Patrum, & Divinæ Scripturæ oraculis communitum, quia difficilem, ut exponat, ſuadeatque N. Parens Divus Ignatius mirifica congerit exempla, gemmeaque ratiocinia; & quòniam in hac re plurimum negotii faceſsit id ponderis, quo in verum tendit intellectus, eoque magis, quòd libertatis expers hæc potentia ſit, ut hanc elevet difficultatem, in eadem *Epiſt. num.* 9. de intellectu differens ſic fatur: *Quævis animi tametſi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita eſt; atque ipſa natura fertur ejus aſſenſus in id, quod ſibi ſpeciem veri præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potius, quàm in illam partem inclinari. Quæ res cum incidunt, debet, quis obedientiam profitetur, inclinare ſeſe in ſententiam ſuperioris. Etenim cum obedientia ſit quoddam holocauſtum, quo totus homo, ſine ulla prorſus imminutione conditori ſuo, ac Domino per manus miniſtrorum in charitatis igne immolatur; cumque ſit eadem renuntiatio quædam integra, per quam omni ſuo jure ſponte decedit religioſus, ut divinæ providentiæ ſuperioris ductu gubernandum, ac poſſidendum ultrò ſeſe addicat, ac mancipet; negari non poteſt, quin obedientia comprehendat non ſolùm executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat; ſed etiam judicium, ut quæcumque ſuperior mandat, ac ſentit, eadem inferiori, & recta, & vera eſſe videantur, quatenùs, ut dixi, vi ſua poteſt voluntas intelligentiam flectere.* Hactenùs Lojolæus Noſter Parens præclara eruditione excultus, ſanctitudineque ornatus.

5 Ex cujus doctrina, ut in Scopum collineem, ſic diſſero: fieri poteſt, quòd ſubditus, omnibus diligenter inſpectis, quæ ad rem præceptam attinent, opinetur, eſſe probabilius, aut æquè probabile, falli ſuperiorem in eo, quod jubet, idque non eſſe conſonum Dei præcepto, aut conſilio, aut melius ſecundum virtutem eſſe oppoſitum: ſed in hac hypotheſi poteſt, ac debet ſub-

ditus voluntatis pondere flectere intellectum in ſententiam ſuperioris, ejuſque judicio ſuum judicium ſubjicere: igitur ex imperio voluntatis poteſt intellectus aſſentiri parti æquè, aut minus probabili, adeòque, & minus veriſimili. Conſequentia legitima eſt: præmiſſæ autem ex prælibatis, atque ex terminis ſuis ſunt ſatis perſpicuæ, illas tamen ſingilatim ſtabiliam.

6 Et quidem prima aſſumptio ex eo liquet, quòd ſuperior, & fallere, & falli poteſt: tantùm quippè infallibilitatis prærrogativa Summo Pontifici ex Cathedra oracula promenti à Deo conceſſa eſt: ideòque B. Ignatius expreſsè addit illam conditionem, *ubi peccatum non cerneretur*, ut dicit 3. *part. conſtit. cap.* 1. §. 23. vel, *ubi definiri non poſsit aliquod peccati genus*, ut ait 6. *par. cap.* 1. §. 1. *& in Epiſtola* prælaudata inquit, hanc rationem obedientiæ tenendam eſſe, *omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſtè connexa non ſunt*, Hæc enim adjectio *manifeſtè*, ut ſcitè animadvertit Exim. D. P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. trac.* 9. *lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 15. ſupponit, ſuperiorem poſſe errare, aliquid illicitum præcipiendo. Si enim hoc non eſſet poſsibile, impertinens eſſet illa particula, & tota exceptio, cum in legibus divinis addi non poſsit, quia fieri nequit, ut Deus mali aliquid præcipiat. Quòd ſi ſupponitur, poſſe ſuperiorem præcipere aliquod malum, eàdem ſeù ſimili ratione ſupponitur, poſſe id facere, non tantùm ex ignorantia invincibili, ſed etiam ex culpabili negligentia, vel etiam ex pravo affectu. Quia ſicut non habet privilegium ſpeciale, ut errare non poſsit; ita neque ut non poſsit eſſe negligens, aut habere pravum affectum: neque aliud potuit venire in mentem alicujus cordati hominis: unde N. P. D. Ignatius in *dict. Epiſt. num.* 16. fatetur, *Superiorem eſſe obnoxium erroribus, atque miſeriis*, nõ tamen ita eſſe inſpiciẽdum, ſed ut Chriſti miniſtrũ, à quo ſperandum eſt, ipſum illuminaturum, & adjuturum, ut rectè nos ducat, & gubernet. Qui ergò in ſuo ſuperiore Chriſtũ Dominum conſiderat, non ſtatim abſolutè ſupponit, ipſum non poſſe errare, ut eruditè edocet Exim. Doct. *dict. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 15. *& ſeqq.* fit ergò ſuperioris opinionem, circa rem præceptam, poſſe eſſe minus probabilem, & talem à ſubdito meritò exiſtimari, omnibus etiam inſpectis.

7 Idque ſupponitur manifeſtè à Doctoribus ajentibus, ſubditum poſſe, imò teneri, obedire ſuperiori præcipienti juxta probabilem ſententiam, quamvis ſubditus oppoſitam exiſtimet, eſſe probabiliorẽ: cujus ſententię Authores ſunt Sylveſter, *verbo Conſcientia. quæſt. ultima.* Tabiena *eod. verb. quæſt.* 3. *num.* 4. Roſela *verb. eod. num. penult.* Angelus *ibidem num.* 2. Corduba *lib.* 3. *quæſt.* 9. *ferè per totam.* Sayr. *lib.* 1. *Clavis Reg. cap.* 12. *à num.* 2. Garcia *de Benefici. part.* 11. *num.* 2. *& ſeqq.* Lorca 1. 2. *diſp.* 41. §. *Ex quo infero.* P. Vazquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 6. Exim. Doct. *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 4. *ſect.* 6. *num.* 6. *& de religione. tom.* 4. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 21. Idem *de legib. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 6. *circa finem*, dicens eſſe communem doctrinam, & in praxi neceſſariam. Gregor. Valentia. 2. 2. *diſp.* 7. *q.* 3. *p.* 2. *colum.* 3. *corol.* 2. Azor. *Inſtit. mor. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 9. Thomas Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 6. Salas 1. 2. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſput. unic. ſect.* 8. *num.* 76. Granadus 1. 2. *tract.* 12. *diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 27. Breſſerus *de conſcient. lib.* 3. *cap.* 16. Torres *de juſtitia. diſp.* 50. *dub.* 5. *n.* 9. Laiman *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. Gordon. *in Summa lib.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 36. *& lib.* 6. *quæſt.* 5. *num.* 101. *& quæſt.* 11. *num.* 23. Reginal. *in Praxi fori pœnit. lib.* 13. *num.* 100. *& lib.* 17. *num.* 233. *&* 234. Portel. *in dubi. Regul. verb. Obedientia. num.* 6. 7. *&* 8. Miranda *tom.*

1.*man.Prælat.art.*1. *concluſ.*1.& 2. Rodriguez *in Summ.part.*2.*cap.*9.*concluſ.*5. Lezana *tom.*1.*cap.*4. *num.*26. Hieronymus Rodericus *in comp. quæſt. Regul.reſol.*101.*num.* 4. Peirinis *de ſubdito relig. quæſt.*1.*cap.*7.*concluſ.*1. Antonius Perez *cert.* 10. *Scholaſtico. num.* 115. Joannes Angelus Boſsius *de conſcien. opinativa. part.* 1.*tit.* 1.§. 24. *num.* 261.*cum ſeqq.* igitur,ne dicatur, tot peritiſsimos viros fruſtrà, perperamque hanc tradidiſſe ſententiam, quod vel autumare, nefas mihi eſſet,diffiteri non poſſumus,poſsibile eſſe, quòd omnibus inſpectis opinio,juxta quam præcipit ſuperior, ſubdito appareat æquè, aut minus probabilis, & quod oppoſita judicetur probabilior, ut in prima noſtri ratiocinii aſſumptione dicebamus: ſecunda verò, quæ ajebat in ea hypotheſi poſſe ſubditum ex voluntatis libera determinatione,opinione propria relicta, aſſentiri directè,& ſpeculativè ſuperioris opinioni, ſufficienter ſtabilita manet ex *num.* 1. 2. 3. & præcipuè *num.*4.*hujus ſect.*ubi ex verbis ac mente Parentis N. D. Ignatii, ea vis noſtræ voluntatis conſpicuè oſtenditur: & ex confutatione Adverſariorum ſolutionis dilucidius patebit.

SECTIO LVI.

Adverſariorum reſponſio effringitur, & adnotantur nonnulla,quibus ratiocinatio noſtra magis firmatur.

1 UT prælibatum, validumque argumentum diſsiciant,abigantque Adverſæ ſententiæ Authores cum P. Elizalde *in Append.de natura opin. quæſt.*5. §.4.ajunt,quod ex ipſa authoritate objecta S. P. Ignatii conſtat ſolutio,ſi ad modum veniamus , quem S. Pater à *num.*15. dare incipit,quo docet, id fieri poſſe, quod ipſe tantopere commendat, ut ſcilicet idem ſentiat, ac judicet ſubditus, quod ſuperior. *Videor mihi, vos fratres chariſsimi*(ait)*audire dicentes, de virtutis quidem hujuſce neceſsitate,jam non ambigere;illud verò ut cognoſcatis,vehementer optare , quo pacto ad ejus perfectionem pervenire poſsitis,* ideſt , ad idem cum ſuperiore ſentiendum.Ecce quæſtionem à S.Parente propoſitam.

2 Profectò in ſententia noſtra,dicunt Adverſarii,frivola videbatur inquiſitio, & in manu , obviaque cuilibet eſſe reſponſio,& ſcire modum,quo poſſent ad perfectionem pervenire, quod tamen vehementer ſcire optabant: cum enim in opinabilibus pro, & contra ſuperiorem ſentire, & judicare, tam ponatur voluntarium unicuique, ut eſt mihi modò voluntarium ſcribere,vel legere,de hoc modo ſciendo vehementer ſolicitos eſſe,videbatur ſanè, ne dicam aliud , ab omni prudentia alienum,fatiſque inconſideratum.Rurſus S.Parens hanc libertatis noſtræ obviam , ac brevem ſolutionem, expeditioremque reddere debuiſſet.

3 Sed verò (procedit idem Author) longè abfuit ab ea reddenda: tres ipſe rationes præbet , quibus ſubditus ad idem cum ſuperiore ſentiendum permoveatur, quas multi quidem ſciunt memoriter;cæteri in eo credant par eſt,Omnes autem illæ eò reſolvuntur,ut oſtendant, facilius eſſe, ſubditos falli, quàm ſuperiores; ideòque magis eſſe præſumendam veritatem in ſuperiorum ſenſibus,quàm in noſtris. Ergò modus inclinandi intellectum noſtrum ad ſenſa ſuperiorum, non eſt, ea minus vera,aut minus probabilia cenſendo,& retinendo, quod ipſum eſſet contra perfectionem obedientiæ, ſed ad illa tanquam errori minus obnoxia intellectum permovendo. Quæ eſt noſtra ſententia.Præterea de devota volunta-

te, quantum illa posit ad ipsa objecta transmutanda, constat ex dictis. Hæc P. Elizalde, citato loco.

4 Ad id autem, quod dicebamus, nempè subditum obstrictum esse, parere superiori præcipienti juxta opinionem probabilem, quamvis contrariam sententiam probabiliorem existimet subditus, respondet idem Author *part. 1. de rec. doctr. morum. lib. 3. quæst. 14. §. 3.* non posse aliquem obedire, quin peccet in sensu composito, & ex suppositione opinionis suæ de peccato: & *§. 5. ejusdem quæst.* inquit, subditum absolutè, & simpliciter teneri obedire, saltem per se loquendo, & ut in plurimum; quia tenetur deponere suum judicium: quemadmodum qui habet conscientiam erroneam vincibilem, absolutè, & simpliciter tenetur ad legem contrariam; & solum ex suppositione, & secundum quid, & in sensu composito tenetur ad conscientiam erroneam legi contrariam re ipsa: subditum ergò debere, tenerique deponere suum judicium, probari, inquit, quia judicium, quòd præceptum superioris contineat peccatum, ideſt, quod est contra voluntatem Dei, est judicium ex genere suo contra plerumque verum; & judicia contra superiorem sunt plerumque falsa. Ergò plerumque, & ut in plurimum, tenemur ea deponendo obedire. Tum quia judicare contra voluntatem superioris plerumque, & ut in plurimum, est errare: in his autem, quæ plerumque falsa sunt, facilè quis credit, se falli, nisi irregularem aliquam, & specialissimam rationem habeat. Quemadmodum contingit in omnibus plerumque falsis, ut si quis credat, matrem odio habere filium. Ita Celladeus, illiusque sententiam illustrat N. R. A. P. Thyrsus *tract. de recto usu opin. differt. 14. §. 2.* præcipuè *num. 101. & num. 102.* ubi inquit, quod licet antecedenter ad præceptum superioris, verisimilius sit subdito, rem esse illicitam: post præceptum illius jam apparere debet verisimilius, rem esse licitam; quòniam authoritas superioris, qui vice Dei eum gubernat, ipsum sufficienter movet ad judicandum, justum esse, quod ille præcipit: additque *num. 105.* fieri non posse, ut subditus quærat rationes, & non inveniat sufficientissimas, ut sententia superioris appareat sibi verisimilior, quàm propria, quam ante præceptum superioris sequebatur. Haud dissimiliter P. Camargo *lib. 1. controv. 5. art. 11.* ait, debere subditum quærere rationes, ut sententia superioris verisimilior sibi appareat, nec obedire posse, quin id assequatur. Quod autem in hoc puncto asserit Illustriss. Palanco infra discutiendum veniet.

5 Prædictam tamen doctrinam propulsandam existimo, simulque stabilimentum accipiet: nostra sententia primò, quòniam hæc responsio supremum obedientiæ perfectionis gradum cum obedientia ex præcepto debita confundit; sivè id, quod tertii perfectionis gradus est in obedientia, ut ex rigorosa præcepti obligatione descendès ab his Authoribus cõstituitur, & asseri videtur adversus Patrum doctrinam, signanter traditam ab obedientiæ Doctore præstantissimo, & Parente Nostro D. Ignatio, qui in cœlesti suaEpist. de obedientiæ virtute, postquam primum obedientiæ gradum in executione rei præceptæ, & secundum, in affectu, & voluntate designavit, illustravitque, ad tertium edocendum pervenit *num. 9.* & ait: *Qui vero se totum penitùs immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque (qui tertius, & summus est gradus obedientiæ) offerat necesse est; ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat, quod superior.* Igitur judicii obedientia ex perspicua D. Ignatii sententia, ad tertium, & summum perfectionis gradum in hac virtute pertinet: at juxta Adversarios in re dubia, & utrimque opinabili circa licitum, nemo potest sine

ne

ne peccato obedire, absque eo, quod judicium suum contrarium deponat, sentiatque idem, quod superior judicat: igitur hi Authores id, quod in obedientia ad summum perfectionis gradum attinet, volunt esse obligationis, & primum obedientiæ gradum constituere; imò & consequenter judicii obedientia non ad tertium summumque perfectionis gradum, ut ex Antiquorum Patrum documento D. Ignatius inquit, sed ad primum ejusdem virtutis referenda erit: quod ingens mihi est absurdum, ex Adversariorum sententia legitimè descendens.

6 Utque ulterius inclarescat, hanc judicii obedientiam perfectionis esse, non verò obligationis strictæ, seù ad illam ex præcepto neminem adigi, adjicere aurea alia ejusdem S. Parentis verba, congruum erit, ut enim id perfectionis suadeat *num.* 12. *Præterea* (inquit) *nisi hæc obedientia judicii existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet. Natura enim ita comparatum est, ut animi nostri vires, quæ appetitivæ dicuntur, sequantur apprehensivas: & nisi adhibita vi, voluntas, judicio repugnante, diù obtemperare non poterit. Quod si fortè quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, qua censetur perperam etiam præcipienti parendum esse; certè id stabile, ac fixum esse non potest. Atque ita perseverantia deficit, vel saltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè, & alacriter obediendo consistit: non enim ibi potest esse alacritas ac diligentia, ubi est animorum sententiarumque dissensio. Perit etiam exequendi studium, & celeritas, cum ambigitur, expediat necne, facere, quod jubemur: perit celebris illa obedientiæ cœcæ simplicitas, cum apud nos ipsos in quæstionem vocamus, rectène præcipiatur, an secus; atque etiam fortasse damnamus superiorem, quod ea mandet, quæ nobis non ita jucunda sunt: perit humilitas, quòniam & si ex altera parte paremus, ex altera tamen nos metipsos superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo; perit denique (ut summatim complectar) virtutis hujus vis omnis ac dignitas.* Hæc ille.

7 In cujus mirifica doctrina, pro re nostra, observandum primò, quod præcepti executio præstita à subdito, ipsius repugnante judicio, eò reprehenditur à D. Ignatio, quia nisi adhibita vi, diuturna esse non poterit; at si talis obedientia esset illicita, non propter perseverantiæ difficultatem, aut defectum, sed in se ipsa, & in primo ipsius actu damnari deberet, ut patet: igitur licet judicii obedientia maximopere commendabilis sit, tamen non est ex præcepto debita, sed ad summum perfectionis gradum pertinet. Secundò, perperam etiam præcipienti parendum esse, communis apprehensio, & maxima censetur, juxta Sanctum Nostrum Parentem: perspicuum verò est, id debere intelligi, ubi Dei offensa manifesta non cognoscitur; tum sic: sed in obediente illius maximæ ductu, & absque judicii proprii cum sensu superioris conformitate, solum inquit D. Ignatius deesse obedientiæ perfectionem, quæ in promptè, & alacriter obediendo consistit: ergò subditi obnitente judicio, potest ille, licet imperfectè, obedire.

8 Tertiò, cum Sanctus Noster Parens, cœlesti luce perfusus minutatim adnotet imperfectionis omnes apices, qui in subdito reperiri possunt, & solent, quando absque jud cii obedientia obtemperat, nonnisi perabsurdè præcipuum omitteret, lileretque incommodum peccati, scilicet, venialis, vel aliquando mortalis, juxta rerum qualitatem, & gravitatem, in eo obedientiæ modo admixti; at hujus noxæ præcisè ex contrarietate judicii inferioris cum superioris judicio contractæ à subdito, nusquam meminit D. Ignacius; illam igitur Sancto, & divinitus illustrato Parenti nostro fuisse ignotam fa-

fateri adigimur: præſertim cum nec ſilentio præterire voluerit alia vitia, etſi extrinſeca, in quæ facilè eſt, incidere ſubditum cum præfata judicii contrarietate obſecundantem; oſtenſa quippè ingenti perfectione, cujus jacturam facit ille, qui retento proprio, & contrario judicio, paret, inquit B. N. P. *num.* 12. quod in prædictæ perfectionis locum ſuccedunt, *dolor, moleſtia, tarditas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliaque vitia non ſanè levia, quibus obedientiæ pretium, ac meritum prorſus extinguitur*: qui ergò vitia ſcilicet extrinſeca, quibus obedientiæ meritum, ac pretium amittitur, penderat, diſcernitque, potiori ratione peccatum ipſum in diſſenſione judicii proprii ab obedientiæ lege conſiſtens, oſtenderet, ac notaret, ſi illud agnoviſſet: perfectionis igitur ſolum eſt judicii obedientia.

9 Quartò, hanc judicii ſubjectionem omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſtò conjunctæ non ſunt, præſtandam eſſe, edocet N.S. Parens in eadem Epiſtol. *num.* 18. per hæc verba: *Eſt igitur hæc ratio ſubjiciendi judicii proprii, ac ſine ullâ quæſtione ſanciendi, & collaudandi apud ſe quodcumque ſuperior juſſerit, non ſolum Sanctis Viris uſitata, ſed etiam perfectæ obedientiæ ſtudioſis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſto conjunctæ non ſunt.* Unde elucet in primis, in rebus ipſis opinabilibus, & in quibus oppoſitæ inveniuntur Doctorum ſententiæ, circa operationis licitudinem, & illicitudinem, parendum eſſe ſuperiori præcipienti id, quod probabiliter licitum aſſeritur; patet, quia cum probabiliter licitum id ipſum ſupponatur, in tali operatione non adeſt manifeſtum peccatum; dum autem manifeſtum non cernitur peccatum, parendum eſt ex ſententia, & documento Sancti Noſtri Parentis. Deinde in hac eadem hypotheſi inquit ipſe, cum ſubjectione judicii obſecundandum eſſe à perfectæ obedientiæ ſtudioſis: igitur judicii inferioris cum ſuperioris judicio conformitas in rebus, de quarum licitudine contrariæ ſunt ſapientum opiniones, non eſt ex præcepto neceſſaria, ut licitè talia juſſa ſubditus exequatur: patet conſecutio, quòniam id ſubjectionis judicii à perfectæ obedientiæ ſtudioſis tantùm à S. Parente exigitur, etiam iis in rebus, quę cum peccato manifeſto conjunctę non ſunt, ideſt etiam in his quorum licitudo vel dubia, vel tantum probabilis eſt, & ſimul probabilis illicitudo: aliter enim dum Chriſtus Dominus Matth. 19. dixit: *Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, &c.* præceptum dediſſet relinquendi omnia, ſectandique perfectionem, quod erroneum eſt.

10 Compertum ergò fit ex mente verbiſque Sancti P. Ignatii, falſum eſſe, quod præcitati Authores nobis adverſi docent, nempè ſubditum non poſſe obedire, quin peccet, in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione opinionis ſuæ ſpeculativæ de peccato, adeòque ſubditum teneri deponere ſuum judicium, hæc inquam falſa ſunt, quia juxta D. Ignatium, judicii obedientia perfectionis, & quidem ſupremæ eſt, non præcepti in rebus omnibus quæ cum peccato manifeſto conjunctę non ſunt, id eſt de quibus utrimque probabiliter diſceptatur, ſint ne licitæ, an illicitæ?

11 Et hanc eſſe S. Parentis ſententiam, edocent præſtantiſsimi è Societate Doctores, Eximius P. Suarez *tom. 4. de Religione. lib. 4. cap.* 15. ubi mira eruditione de perfectionibus conſilii obedientiæ ex parte intellectus, & juxta Beati Noſtri Parentis D. Ignatii documenta fusè tractat, duplicemque eſſe ſtatuit, primam qua ſubditus non reſpiciat ſuperiorem, ut hominem, ſed ut Deum, ut ita præceptum ejus, non ut humanum, ſed quaſi divinum recipiat: ſic in conſtitutionibus noſtris, *in examine cap.* 4. §. 30. dicitur: *Qui obedit, con-*

ſi-

stderare ac perpendere debet vocem à superiore egressum, ut si à Christo Domino N. egrederetur, ut omninò placere divinæ Majestati possit: consimiliter 3. *part. const. cap.* 1. §. 23. & 6. *part. cap.* 1. Et in *Epistola de obed. num.* 16. secundam perfectionem ait esse, quod obedientia sit cœca, ut ex eisdem locis constat, & in hac perfectione includitur præcipuè judicii obedientia, illamque Doctor Eximius elucidat, stabilitque *num.* 4. *cum seqq. usque ad* 11. pergit, & *num.* 15. hæc habet: Nec enim qui sic obedit, judicat, aut existimat, non posse decipi, aut errare superiorem, vel ex ignorantia, vel ex malitia, nihil enim horum ad prædictam considerationem intellectus necessarium est, neque à citatis Authoribus, neque à B. Ignatio aliquo in loco insinuatum est; & quòniam duo possunt venire in dubium, quando superior aliquid præcipit: primum an sit utile, vel conveniens, quod præcipitur: secundum an sit licitum, necne utrumque in hunc modum exponit, & circa primum, ait *num.* 16. quod si, (non obstantibus rationibus, quæ contra præceptum urgent, & quæ à subdito humiliter proponi queunt, & etiam si illi evidentes appareant) superior in suo præcepto persistat, cum non sit contra honestatem, faciendum est: Quod ut perfectè fiat (verba sunt formalia ipsius Magni Suarez) non oportet, nunc judicare rem esse utilem, sed solum, subdito esse utile, illam aggredi, & facere quantum possit. Et hæc est certitudo practica, quæ non repugnat cum priori dubio speculativo, ut per se notum est. Ut autem hæc certitudo practica constantior sit, & consequenter obedientia promptior, est optimum *consilium* (perpendas quæso) non discutere convenientiam rei in se, sed suspendere judicium, quoad fieri possit circa talem discussionem, & judicare, quod præcipitur melius esse. Sic ille, quam perspicuè edocens judicii obedientiam consilii solum esse, imò & perfectioris obedientiæ gradum, cum absque ea judicii subjectione asserat, posse esse perfectam obedientiam, haud tamen ex genere perfectissimam, ut dictum est.

12 Circa secundum dubium de honestate operis, cum Lectorem remittat ad ea, quæ ipse scribit in *tom. de legib. & tract. de charit. disp.* 13. *de bello, sect.* 6. *num.* 8. & in materia de conscientia, hæc inter alia in *supra cit. cap.* 15. idem Suarez habet *num.* 17. (Breviter tamen adverto, duobus modis posse dubitare de honestate rei præceptæ. Priori modò antecedenter (ut sic dicam) dubitando de re ipsa, quæ præcipitur secundum se, & separata à præcepto superioris. Posteriori modò etiam consequenter, seù facta compositione præcepti, dubitando, an non obstante præcepto, liceat id facere, seù (quod perinde est) an liceat obedire in tali materia. Hoc posterius dubium est practicum, & ideò illo durante certum est, non licere tale opus facere: quia operari cum conscientia practicè dubia, nunquam licet, propter periculum cui homo se exponit, ita operando. Ut ergò obedire liceat, necesse est tale dubium practicum deponere, & firmiter judicare, non obstanti priori dubio antecedente, seù de opere ipso secundum se, licitum esse obedire, illud exequendo; sic enim prius dubium manet purè speculativum, quia non est proxima regula operationis, sed deponitur ex aliis principiis, & formatur certa conscientia.) Hæc Magnus Suarez, apud quem liquidum fit, perfectionis, & consilii tantum esse judicii inferioris cum superioris judicio consensum, cum stante dubitatione speculativa de operis secundum se honestate, possit licitè subditus obedire.

13 Id quod præterea firmat *num.* 20. ubi facta distinctione inter dubium negativum, & positivum,

inſpecto opere ſecundum ſe, ſic pergit: in priori dubio (ſcilicet negativo) generatim, & ſine ulla exceptione, verum eſt præceptum ſuperioris ſufficere, ut ſubditus illi innixus, certò judicet, ſibi licere, quod præcipitur, quia in illo caſu etiam præceptum obligat, cum ſuperior exigat jus ſuum, & in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Item quia aliàs eſſet moraliter impoſſibilis obedientia, ſi unicuique ſubdito in particulari, prius perſuadendum eſſet, juſtum eſſe, quod præcipitur. Et hoc maximè videtur intendere Auguſtinus *in dicto cap. Quid culpatur.* 23. *q.* 1. ibi: *Si quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt.* Sic Pater Suarez: in eoque notandum primò, ipſum operis licitudinem in ſubdito concludere, non ex ſpeculativo judicio, quo exiſtimet ſubditus, opus ſecundum ſe, & ſpeculativè, honeſtum, licitum vè eſſe, ſed ex univerſali, & practico ſenſu, aut maxima afferente, quod in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſuperioris nempè in hypotheſi noſtra, poſſidentis jus præcipiendi; & conſequenter abſque ſpeculativa conformitate, & obedientia judicii, poterit, obſtrictuſque erit ſubditus obtemperare. Secundò, quod exigere ut debitam, & ad obtemperandum neceſſariam judicii obedientiam, eſt moraliter impoſſibilem obedientiam conſtituere, in idque abſurdi recidere videtur Adverſarii, cum doceant, & propugnent, neceſſarium eſſe ſpeculativi judicii inferioris cum ſuperioris judicio conſenſum, ut liceat obtemperare. Tertiò animadvertendum, doctrinam noſtram juxta Magnum Suarez, fulciri authoritate D. Auguſtini, *in dicto cap. Quid culpatur.*

14 Conſimilia tradit idem P. Suarez loquendo de dubio poſitivo, ut conſtat ex hiſce illius verbis. Conſiderare ergò oportebit (inquit *num.* 21.) an ſecluſo præcepto res ſit utraque ex parte probabilis, & tunc generaliter verum erit, adjuncto præcepto, obediendum eſſe, quia cum utraque pars ſupponatur eſſe probabilis, adjuncta ratione obedientiæ, pars illa eligibilior fiet. Nec diſtinguendum exiſtimo de majori, vel minori probabilitate: quia juxta communem doctrinam, per ſe licet practicè ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actus, relicta probabiliori. Ergò multò magis hoc licebit adjuncta obedientiæ ratione: nam moraliter loquendo non poteſt ille exceſſus probabilitatis tantus eſſe, quin meritò prætermittatur propter virtutem obedientiæ, præſertim quia ipſa authoritas ſuperioris probabilitatem alterius partis multum auget. Hæc ille, in cujus doctrina perpendi debet, laudari ab ipſo communem ſententiam de uſu opinionis probabilis relicta probabiliori, nec id reſtringit ad hypotheſim, in qua operans directum aſſenſum præbeat opinioni, quam practicè ſequitur: & conſequenter nec ſubditus tenebitur ſpeculativè aſſentiri opinioni, juxta quam ſuperior præcipit, ut obtemperare obſtringatur: præterea licet virtus obedientiæ probabilitatem ſpeculativam ex terminis ſuis non addat, ait P. Suarez, propter hanc virtutem meritò prætermitti partem probabiliorem, id verò ſtare nequit cum iis, quæ adverſæ ſententiæ patroni aſſerunt, nempè ex ſuppoſitione præcepti, debere ſubditum exiſtimare probabilius, & verum eſſe, licere per ſe id, quod præcipitur, id eſt etiam præſcindendo à præcepto.

15 Quod verò inquit, ſuperioris authoritatem multum augere alterius partis probabilitatem, intelligendum eſt de probabilitate practica, vel etiam aliquando de ſpeculativa, ſed non ſemper, ut expreſsè docet ipſe Suarez *num.* 23. Præterea (inquit) conſiderandum eſt, aliquando talem poſſe eſſe perſonam ſuperioris, ut ejus authoritas poſsit probabilem efficere partem

tem

tem illam, quæ antea talis non apparebat, nec judicabatur, ut si non solum religiosus, & pius, sed etiam doctus satis, & prudens habeatur: tunc enim ponderari poterit authoritas ejus, & ratione illius obedire, non obstante priori judicio.

16 Ab eadem sententia stat P. Vazquez *tom. 1. in 1. 2. disp. 62. cap. 4. num. 15.* ubi inquit, quod subditus etiam contra propriam opinionem parere debeat præposito præcipienti, si sciat ipsum præcipere secundum probabilem opinionem: ex quo inferendo subjungit. Quod si nihil obstat propria opinio, quominus quisque possit, & debeat sequi præceptum superioris, quod imponitur juxta opinionem contrariam, eadem ratione nihil obstabit, quominus quisque possit sequi opinionem alterius, qui præpositus suus non sit, contra propriam opinionem. Nam quod opinio contraria nostræ sit opinio præpositi, aut alterius nihil referre videtur, ut ideò probabilior, quàm propria nobis censeri debeat. Hæc P. Vazquez, idemque tradit, & probat *ead. disp. cap. 6. per totum*, præcipuè *num. 32. & seqq.* Mihi igitur (inquit ille) placet prædicta Cordubæ sententia, nempè subditam posse, & debere contra propriam opinionem obedire præposito præcipienti partem minus tutam, quando præpositus etiam præcepto suo sequitur opinionem probabilem. *Et num. 33.* Porrò autem probabilem esse opinionem, juxta quam præpositus præcipit, non debet subditus ex eo judicare, quia ille superior est, & præcipit; neque enim dignitas præpositi præcipientis facit probabilem opinionem ejus, quod præcipit, sed quia aut subditus alias scit, illam esse apud Doctores aliquos probabilem opinionem, aut quia superior doctus, & prudens est, quia aut existimat opinionem illam probabilem esse, aut aliorum Doctorum sententia, & consilio illud præcipit. Hactenùs P. Vazquez, vir sanè doctrina, & judicio præclarus, tamque perspicuè scribens, ut nulla opus sit alia expositione.

17 Nec minus luculenter id consignat P. Gregorius Valentia *tom. 3. in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 104. disp. 7. quæst. 3. de obedientia, & inobedientia, punc. 2. colum. 1554.* ubi sic ait: Tertiò sequitur ex proposita illa regula neque dubium subditi de rectitudine ejus, quod præcipitur, neque etiam opinionem illius, sivè improbabilem, sivè probabilem (quod id non sit rectum) obstare, quominus is obtemperare teneatur. Nam etiam si dubitet num illud rectum sit, & rectè præcipiatur, aut etiam opinetur (probabiliter, vel improbabiliter) id non esse rectum: tamen potest, aut id dubium, & opinionem deponere, sibique potius persuadere, superioris præceptum esse rectum; aut etiam eo dubio, vel opinione perseverante, potest nihilominus sine dubitatione ulla statuere, quod sibi saltem id non sit malum; nec ipse peccet exequendo id præceptum; sed in eo potius faciat id, quod tenetur; cum habeat jus superior (tanquam possidens) imperandi id omne, de quo evidenter non constat, esse malum, aut extra limites authoritatis ipsius, ut dictum est in confirmatione illius regulæ. Ita Sapiens hic Doctor.

18 Ejusdem sententiæ illustrator est P. Thomas Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 3. per totum*, signanter *num. 6.* ubi de subdito inquit, dicendum est, quamvis judicet probabiliter esse malum, quod superior præcipit, teneri ipsum obedire, quia jus habet superior tanquam possidens imperandi id omne, de quo evidenter non constat, esse malum, aut extra limites authoritatis suæ (ut num. præcedenti probavimus.) At opinans esse malum, non habet evidentem ejus certitudinem, cum de opinionis ratione sit, ut sit assensus non undequaque certus, & evidens, sed

cum

cum formidine alterius partis. Item quia conjux opinans matrimonium esse nullum, tenetur alteri petenti reddere, donec certò sciat nullitatem matrimonii, ne alterum possessione sua spoliet, ut latè probavimus *lib. 2. de Matrimonio, disp. 44. num. 3.* Ergò opinans rem præceptam esse malam, & sic superiorem non posse illam præcipere, nequit illum sua præcipiendi possessione spoliare donec certus omninò sit. Hæc Sanchez, addens ita docere Roselam, Angelum, Sylvestrum, Tabienam, Cordubam, Sayr. & P. Suarez. *tom. in 3. part. disp. 4. sect. 6. num. 5. & 6.* Ipse autem Thomas Sanchez *dict. cap. num. 3. post medium*, hæc alia ad rem scribit: Ad confirmationem negatur esse opus, ut operans, nempè subditus dum obtemperat, sequatur opinionem, quam credit esse probabilem, dictantem rem illam esse licitam; hoc enim judicium est speculativum, quod quamvis dubium sit, non obstat rectitudini operationis, sed satis est credat probabiliter, sibi licere, obedire cum eo dubio speculativo honestatis rei præceptæ, quod ad judicium practicum spectat. Et quamvis sola præcipientis superioris authoritas satis non sit ad judicium probabile speculativum honestatis rei præceptæ concipiendum; at satis est ad judicium practicum, quo credatur licitum esse, imò obligatorium obedire, non obstante dubio speculativo.

19 Patet ergò ex verbis ipsis ac mente Lojolæi Magni Nostri Parentis, & ex sensu, doctrinaque Societatis nostræ, & Scholæ Heroum, qui P. N. Divi Ignatii Spiritus Protogoni fuere, judicii obedientiam perfectionis, & quidem ex genere suo supremæ, ac consilii esse, haud tamen ex præcepto deberi, in his etiam rebus de quarum licitudine oppositæ reperiuntur opiniones. Tum sic: igitur, cum subditus qui opinatur, rem sibi præceptam esse illicitam, debeat superiori probabiliter præcipienti obtemperare, adhuc perseverante illo contrario speculativo judicio, sitque perfectionis obedientiæ, idem cum superiore speculativè censere, conficitur equidem, ex immediata sua libertate cum Dei gratia posse voluntatem imperare assensum, erga id, quod minus verisimile intellectui proponitur: ergò simili libertate gaudebit voluntas, ut immediatè possit imperare vel dissensum, vel assensum erga mysteria revelata, sufficienter intellectui proposita, quod erat ostendendum.

SECTIO LVII.

Ex Jure Canonico, tum ex D. Augustino, Doct. Angelico, & Seraphico idem fulcitur argumentum.

1 PRæcedentis sectionis assumptum firmatur ex Juris Canonici Glossa pluribus in locis, videlicet *in cap. Dilecta. v. Salubria. fine. de majorit. & obedi. cap. ad aures. verb. obedientia. de temp. ordinat. cap. ex tenore. verb. Mandato. de sent. excom. cap. Quid culpatur. verb. Iniquitas. 13. q. 1. cap. Nervi. verb. Formidat. dist. 13.* quibus in locis Glossa edocet parendum esse, quando dubitatur, incertumve est, an superioris jussa sint salubria, aut licita, secus autem quando certum esset, quod sint mala. Præterea ut subditus obedire teneatur, minimè esse necessarium, ut ipse subditus videat, & intelligat, esse bonum, aut licitum, & contentum intra limites authoritatis superioris id, quod jubetur, sed satis esse, ut ipse non sciat evidenter esse malum, & extra eos limites, & consequenter posse, ac debere subditum obtemperare etiam contra propriam opinionem tradunt Innocentius *cap. Sicut. el tercero. num. 1. de jurejuran. & ibi* Joannes Andreas, *num. 5.* Hostiensis, *num. 3.* Baldus, *num. 8.* Abbas, *num. 16.* Ale-

Alexan. de Nevo *num.* 79. Anton. *cap. Olim. num.* 25. *de reſtitut. ſpoliat.* apud quos Authores, utique præſtantiſsimos, qui ex debito obſecundat, excuſatur, quando manifeſtè malum non eſt, quod præcipitur; quod autem opinetur ſubditus, illicitam eſſe rem præceptam, non conſtituit illam manifeſtè malam, quamobrem & ſi tunc obtemperet excuſabitur.

2 Neque de hoc ambigi poſſe videtur, cum apertè ſtabilitum ſit *cap. Quid culpatur* 23. *q.* 1. ubi ex D. Auguſtin. *lib.* 22. *contra Fauſtum. cap.* 74. & 75. ſic habetur. *Ergò vir juſtus ſi fortè ſub rege homine etiam ſacrilego, militet, rectè poteſt illo jubente bellare, ſi vice pacis ordinem ſervans, quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præcepeum, certum eſt, vel, utrum ſit, certum non eſt: ita ut fortaſsè reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Igitur S. Doctor non ſolum tutum cenſuit ſubditum juſſa ſuperioris exequentem, quando id quod ſibi præcipitur, non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, ac ſcitur, verumetiam quando, certum non eſt, id quod ſibi jubetur, contra tale Dei præceptum non eſſe: nihil enim diſcriminis quoad conſcientiæ, ſubditi ſecuritatem, inter utrumque eventum D. Auguſtinus conſtituit: Tum ſic, ſed licet ſubditus cum formidine opinetur, contra Dei preceptum eſſe id, quod ſibi injungitur, ideò tamen id certum illi non eſt; igitur quamvis ſic opinetur, poterit, tenebiturque obedire. Concinunt D. Bernardus *opuſc. de præcepto, & diſpenſ. cap.* 12. & D. Bonaventura *in ſpeculo diſciplin. part.* 1. *cap.* 4. ſic nos edocentes: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus.*

3 Dilucidius tamen idem colligi reor *ex cap. Inquiſitioni tuæ. de ſent. excommunic.* ubi Innocentius Tertius decretali ſua Epiſtola in hunc modum edicit: *Inquiſitioni tuæ reſpondentes, credimus diſtinguendum, utrum alter conjugum pro certò ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſsit; an non ſciat pro certo, ſed credat. In priori caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & diſcreta, & quidem ad ſui paſtoris conſilium (conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa) licitè poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verùm cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Hæc Summus Pontifex, perſpicuè edocens, quod licèt conjux probabiliter credat, nullum eſſe matrimonium, illicitumque propterea ſecũdũ ſe eſſe carnale cõmerciũ, tamen poſſe, ac obſtringi alteri petenti conjugi reddere debitum; & hoc quidem, ne alterum poſſeſsione ſua, bona fide retenta, ſpoliet, quod eſſet iniquum, donec certò ſciat matrimonii nullitatem: ergò opinans rem præceptam eſſe malam, & ſic ſuperiorem non poſſe illam præcipere, nequit illum ſua præcipiendi juſta poſſeſsione ſpoliare, donec certus ſit, quod ſuperior illud non poteſt præcipere.

4 Confirmatur ex Angelico Doctore, conſimilia ac Innocentius Tertius in *dict. capit. Inquiſitioni* tradente *in* 4. *ſententi. libro diſtinct.* 41. *quæſt. unica. art.* 5. *quæſtiuncula* 1. *ad tertium*: hiſce verbis, *Aut habet certam ſcientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem;*

ſi primo modo, nec exigere, nec reddere debet, ſi ſecundo debet reddere, ſed non exigere. Idem D. Thomas id ipſum aſſeruit in *eod. lib.* 4. *diſt.* 38. *fine. in expoſitione literæ*, ſicut & Seraphicus Doct. D. Bonaventura, *eadem diſtinct. in principio. in expoſitione literæ ad fin.* & magis dilucidè *dub.* 11. ubi hæc habet: *Si verò probabiliter dubitat, debitum debet reddere, ſed non exigere. Si verò certificatur de vita primi viri, nec petere debet, nec reddere, ſed ſtatim ſecundum virum deſerere. Et hoc probatur per illud, quod extra dicitur, de ſecund. nuptiis. Dominus ac Redemptor.* & 34. *q.* 2. *cum per bellicam.*

24 Et quòniam Seraphicus Doctor, pro ſuo, eodemque noſtro placito hæc duo alia jura adducit, meritò textus uterque perpendendus venit: ſed præcipuè *cap. Dominus. de ſecund. nupti.* in quo Sum. Pontifex, Lucius Tertius cunctis Chriſtianis in captivitate Sarracenorum poſitis, *in §. Si verò.* in hunc modum reſcribit: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei quæ ſibi nupſit debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen noverit nullatenùs exigendum.* Sic ibi. Textus autem in *cap. Cum per bellicam*, merito adduci videtur ad comprobandum, quod dictum eſt, nempè quod præcisè ubi uxor certificatur de vita primi viri, nec petere debet, nec reddere debitum ſecundo, ſeù quod ab illo debet ſeparari, & primo reſtitui.

25 Pro intelligentia verò textus in *cap. Dominus*, animadvertendum, *To dubitandum* intelligi à D. Bonaventura non ſolum de ſtricta dubitatione, quando ſcilicet, deeſt probabilis aſſenſus, aut aſſentiendi probabilis ratio, ſed etiam de dubio cum quadam accepto latitudine, quia nimirum probabiliter dirimi poteſt; & in hoc eventu inquit S. Doctor juxta *dict. cap. Dominus.* debere conjugem reddere debitum, id quod etiam docet D. Thomas, videlicet quod quando conjux opinionem habet de impedimento debet exigenti reddere, ſed non petere: ejuſdem mentis eſt Gloſſa *in cap. Dominus.* verb. *Nullatenùs exigendum*, ibi: *Propter conſcientiam dubiam ex probabili cauſa*: pergit Gloſſa, & inquit, *ſimile infra, de ſent. excommunic. Inquiſitioni. in fine.* In hoc vero textu de dubio ex probabili credulitate dimanante ſermo eſt: fit ergò ex Canonico Jure, ejuſque Interpretibus cum Gloſſa, ſubditum etſi opinantem eſſe illicitum, quod ſibi præcipitur, parere obſtringi, dummodò certitudinem de illicitudine talis operis non habeat. Fulcitur illatio, quòniam non minus ſuperior gaudet ſua poſſeſſione exercendi jus ſuum erga ſubditum, quàm conjux erga conjugem; at ex ſtabilita Canonici Juris doctrina, & Sanctis DD. Gloſſa, & aliis conjux jure ſuo non privatur propter dubium, vel opinionem alterius conjugis: ergò nec ſuperior propter dubium, vel opinionem ſubditi jure præcipiendi privari debet: tum quia ſi ſubditus opinione ſua tueri ſe poſſit adverſus ſuperioris præceptum, profectò obedientiæ lex haud difficulter, ac ſæpè eludi poterit, ea quæſita repertaque rima: ne igitur id admittamus fateri opus eſt, judicii obedientiam conſilii tantum, majoriſque eſſe perfectionis, liberamque immediatè eſſe, & ſubinde, poſſe ex imperio voluntatis objecto minus veriſimili intellectum aſſentiri.

*** *** ***
*** *** ***

SEC-

SECTIO LVIII.

Pendimus, & insequimur reliquos Adversariorum conatus, quibus argumentum ex obedientiæ virtute depromptum disjicere contendunt.

1 PRæcipuum eorum, qui nobis obsistunt, fundamentum; quo nostram infringere, judicant argumentationem; est, quod in dubiis, seu quando subditus opinatur, contrarium esse honestati opus præceptum, debet opinionem suam deponere, quippè non potest aliquis obedire, quin peccet in sensu compositio, & ex suppositione talis opinionis: id quod in præcedenti sectione profligatum manet, & non esse ad mentem S. Parentis nostri D. Ignatii, plenè ostendimus; nec oppositum evincit ratio illa, cui Adversarii fidunt, nempè judicium, quod præceptum superioris contineat peccatum, id est, quod est contrà voluntatem Dei, esse judicium ex genere suo contra plerumque verum, & judicia contra superiorem esse plerumque falsa. Ergò plerumque, & ut in plurimum tenemur, ea deponendo obedire. Tum quia judicare contra voluntatem superioris plerumque, & ut in plurimum est error rare: in his autem, quæ plerumque falsa sunt, facilè quis credit, se falli, nisi irregularem aliquam, & specialissimam rationem habeat, quemadmodum contingit in omnibus plerumque falsis, ut si quis credat, matrem odio habere filium.

2 Verumtamen hoc ratiocinium sternitur primo; quia, ut rectè adnotavit P. Terillus in *Regula morum, part. 2. quæst. 46. Assertione 6. num. 78.* falsum est, quod plerumque solùm, & non semper, obediendum sit, quando de inhonestate præcepti non constat: quòniam, ut in sectionibus præcedentibus fusè probatum est, & maximè ex Jure Canonico, & perspicuis verbis Lojolæi N. Parentis, à subdito obedientia præstanda est *omnibus in rebus, quæ cum peccato manifestè connexa non sunt*, sic ille in aurea sua *Epist. de obedi. virt. num. 18.* Nec D. Augustinus *in dict. cap. Quid culpatur. 23. quæst. 1.* nec alii Patres laudati *sect. præced.* addunt exceptionem, aut limitationem ullam, quamobrem immeritò hæc obedientiæ gnome, ad hierarchiæ Ecclesiasticæ gubernationem oppidò necessaria ab Adversariis circumscribitur ad eventus plerumque solum, secus semper, & universim contigentes. Tum quia id limitationis obedientiæ vim, magna ex parte, elidit, facilè enim erit subdito, præsertim proprii judicii tenaci apparere, & judicare, ex specialissima ratione se moveri ad censendum illicitum, quod jubetur.

3 Secundò falsum est, quod in sensu composito opinionis speculativæ contrariæ, seu de inhonestate rei præceptæ, nemo possit sine peccato obedire, ut sectionibus præcedentibus evicimus. Tertiò, & principaliter: vel dum dicitur, judicia contra superiorem esse plerumque falsa, sermo est de veritate, & falsitate speculativa, vel de practica: si loquamur practicè, non solum plerumque, sed in incertis, semper falsum est, non posse, aut non teneri subditum obedire; semperque verum quod subditus obedire teneatur in incertis: igitur non rectè id limitationis sub dictione *plerumque* ab Adversariis adhibetur. Si verò de speculativa veritate, aut falsitate loquimur, unde nam sciri poterit, quod superiorum judicia speculativa, in rebus utrinque opinabilibus, sint rebus ipsis pro ut in re conformia? Id sanè sciri non potest, cum nullibi reperiatur ea infallibilitatis prærogativa cuilibet legitimo superiori concessa.

4 Tum quia fieri potest, ut superior in diversis temporibus, vel superiores duo contraria jubeant: v. g. si superior aliquis præcipiat, extante aliqua, non tamen gravi, causa, quòd subditus non vacet per horam servilibus, in die festo, judicat enim prælatus id esse mortale juxta sententiam P. Azorii *Inst. moral. 2. part. lib. 1. cap. 28.* & Reginaldi *lib. 19. num. 33.* è regione alter superior jubeat, ex levi causa vacare servilibus, in die festo, per horam, secutus Doctorem Eximium *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 31.* Filicicium *tract. 27. cap. 11. q. 1. num. 205.* & alios, qui parvam materiam id laboris, & temporis censent: tum sic, in hac hypothesi, quilibet ex subditis obedire tenetur, ut exploratum est, nam in prima hypothesis parte, cum probabile sit, horæ unius servilem laborem graviter esse in festo prohibitum, proculdubio subditus tenetur ab eo labore abstinere, & superiori suo parere: in secunda autem parte ejusdem hypothesis, cum non sit certa inhonestas rei præceptæ, nam juxta præcitatos, aliosque plures Authores, intra limites parvitatis materiæ id laboris continetur, & insuper à veniali peccato ex levi præsupposita causa sit immune, ut idem Exim. Doct. notat loco citato, concinitque communis in hac parte sententia, utique debebit omninò subditus obtemperare prælato, id præcipienti, juxta communem receptamque sententiam Patrum, Theologorum, Jurisque Canonici Interpretum, quamque jus ipsum sacrum apertè fulcit. At sub prælibatis terminis, nec scitur, nec sciri potest, quisnam ex illis superioribus veram sequatur sententiam: nec subditi, si sciant eam præceptorum discrepantiam, adhærere possunt speculativè judicio superioris, ex vi illius asserti, à P. Elizalde, & aliis traditi, nempè superiorum judicia plerumque esse vera, siquidem in eo eventu, cerneretur, aliquem è superioribus falli speculativè: & consequenter de contrariis placitis dici non posset, quod plerumque sunt vera: ruit ergò Adversariorum doctrina.

5 Verùm dices: igitur in prælibata hypothesi nullus ex illis subditis perfectam judicii obedientiam assequi posset, quod magnum esset incommodum, ideòque fallax nostra videtur ratiocinatio. Respondeo, negando consequentiam; quòniam licet ex illa ratione id conformitatis judicii inferioris cum superioris judicio haberi nequiret; tamen juxta ea, quæ supra tradidimus, cum utraque illa sententia circa materiæ parvitatem, & gravitatem in opere servili, sit probabilis, posset quam optimè subditus quilibet ad obedientiæ perfectionem obtinendam, voluntatis pondere inclinare intellectum, ad sentiendum id, quod superior se judicare ostendit.

6 Præterea jus Canonicum ex D. Augustino, & aliis Patribus derivatum, dum decernit, subditum debere in rebus incertis suo superiori obtemperare, non id statuit, ex eo quod superiorum jussa in rebus dubiis plerumque sunt vera, sed quia id exigit superioris authoritas, possessio, rectusque serviendi, & obtemperandi ordo, ita ut licet falsa opinione ducatur superior, vel etiam si præcipiendo peccet, tamen subditus omninò sit in exequendo mandato, à delicto immunis: sic perspicuè habetur in *cap. Quid culpatur. 23. quæst. 1. Ergò vir justus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis*, (alii legendum putant, *si civicæ pacis*) *ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat Regem ini-*

iniquitas imperandi : innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Hæc D. August. in isto Sacro Canone : ubi perpendenda sunt valdè verba illa: *Si vice pacis*, vel *si civicæ pacis ordinem servans*, tum illa, *ordo serviendi*, quæ apertè significant, propter pacis bonum, rectumque Reipublicæ ordinem, superiorumque observandam authoritatem, obtemperandum esse, dum rei præceptæ inhonestas certò non appareat: idque verum esse, etiam si Rex, aut superior alius iniquè apud Deum imperet, dum tamen, ut diximus de iniquitate præcepti subditis certò non constet : *ita ut fortasse reum faciat Regem*, aliumvè superiorē, *iniquitas imperandi, innocentem autem militem*, (subditūque quemlibet) *ostendat ordo serviendi.* Igitur juxta Ecclesiæ Solem, Divum Augustinum, subditum in dubiis, aut in certò non illicitis, obsecundantem, innocentem reddit ordo serviendi : ergò ad id opus non est, quod apud subditum probabilius, & verum judicetur, id quod superior præcipit: id enim si asseratur necessarium, in ingens obedientiæ dispendium foret ; quia ut Eximius Doctor animadvertit, *tom.* 4. *de Relig. cap.* 15. *num.* 20. *Esset moraliter impossibilis obedientia, si unicuique subdito in particulari, prius persuadendum esset, justum esse, quod præcipitur.* At Adversarii, id exigi, docent: eorum ergò doctrina, dum ad morum reformationem, legumque observantiam traditur, in laxitatem ingentem, legumque transgressionem, etsi præter ipsorum intentionem, impingere videtur.

7 Quartò, licet probabile sit, quod plerumque contingit, ut docuit Aristoteles, *lib.* 1. *Rethor. cap.* 2. hinc tamen non rectè colligitur in re præsenti, scilicet dubia, aut opinabili, propositio illa, nempè, *judici a contra superiorem sunt plerumque falsa*, non inquam congruè id asseritur, speculativè loquendo, & dum in incertis versamur; quòniam ex his, quæ plerumque eveniunt, tunc rectè arguitur pro aliquo discernendo particulari eventu, quando concurrunt circunstantiæ eædem, aut similes, secùs si dissimiles reperiantur, ut notavi supra *sect.* 4. *num.* 5. & 6. Et ex ipsius terminis patet : unde licèt plerumque matres diligant filios suos, si tamen judicandum sit de matre, quæ scitur esse crudelis, & adultera, fallit jam argumentum ab aliis matribus plerumque filios diligentibus; consimiliter ergò, licet notum sit plerumque superiores, quę certò sunt licita, & honesta præcipere: hinc tamen fieri nequit illatio, ut concludamus, verum esse speculativè judicium superioris in re dubia, vel circa quam contrariæ reperiuntur gravium Authorum opiniones : res quippè dubia, & utrinque opinabilis valdè dissidet à certa, & quæ sub opinionibus oppositis non cadit : ubi autem inter extrema comparata, vel etiam similia adest aliqua dissimilitudo, deficit argumētū à simili, ut notant practici Juris Interpretes, Fontanella *de pact. nup. claus.* 4. *gloss.* 12. *num.* 79. & 80. præsertim quando dissimilitudo conspicitur in eo, de quo agitur, ut in hypothesi nostra evenit, tunc enim non procedit argumentum à simili, juxta Socin. *regul.* 42. Federic. de Senis. *cons.* 62. *num.* 2. *vers. Sed non est dubium.* Surdum, *de Alim. tit.* 9. *q.* 1. *n.* 7. Seraph. *de privileg. juram. privileg.* 74. *num.* 103. Joseph de Rustic. *in leg. cum avus. ff. de condit. & demonst. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 47. Card. Tusch. *lit. A. conclus.* 501. *num.* 17. Gironda *de privil. explic. num.* 555. August. Barbos. *vari. tract. loc.* 101. *numero* 5.

8 Porrò argumentum à plerumque contingentibus vim capit à similitudine : quapropter data discrepantia, argumentum infringitur : ergò ut in rebus dubiis, & contrariè opinabilibus suum judicium subditus cum judicio superioris conformet, perpe-

ram assumitur propositio illa, nempè *judicia contra superiorem plerumque sunt falsa*: quòniam si in hac propositione sermo sit de judiciis, quæ fiunt contra superiorem præcipientè certò licita,& honesta speculativè, nihil proderit pro evētu,quē versamus,in quo scilicet prę cipitur res, de cujus licitudine speculativè dubitatur:si verò in assūptione illa sit sermo de superiore,aut superioribus præcipiētibus res dubias, & disceptabiles, & circa quas variæ,& cōtrariæ adsunt opiniones:nihil etiā cōcludi valet; quia in eo sensu prædicta propositio est omninò nobis incerta:nec probabili aliqua ratione ostenditur, ut per se patet.

9 Propterea igitur, ut subditus ad judicii perfectam obedientiam in his rebus incertis, & opinabilibus, perveniat,opus est afferere,intellectum imperio voluntatis posse flecti ad sentiēdum speculativè justum, licitumque esse id,quod à superiore præcipitur.Nec ideò frivola dicenda erit inquisitio illa à S.Magnoque Nostro Parēte in Epistola præfata *num.* 15. hisce verbis proposita: *Videor mihi vos (fratres charissimi) audire dicentes,de virtutis quidem hujusce necessitate jam non ambigere; illud verò ut cognoscatis,vehementer optare,quo pacto ad ejus perfectionem pervenire possitis*:haud inquam frivola hæc inquisitio evincitur ex nostra sententia,ut Adversarii ajebant; primò, quoniam ipse S. P. Ignatius id inquisitionis supervacaneum non duxit, & tamen satis perspicuè nostram sententiam de libertatē imperandi assensum erga minus verisimile,edocuit *num.*9.ejusdē aureę Epistolę,ut supra ostendimus:in idque prę ter dicta perpendo, Sanctum Parentem,loco citato, asserere, obedientiam comprehendere *etiam judicium, ut quæcumque superior mandat, ac sentit eadem inferiori,& recta, & vera esse videantur, quatenùs ut dixi, vi sua potest voluntas intelligentiam flectere*: ideſt ut paulò antè in *eod. num.* 9. dixerat,*multis in rebus in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert*: posita ergò extremorū inevidētia,&in utroque apparētia veritatis,*vi sua* potest voluntas intellectū flectere,ut cuilibet ex extremis oppositis assentiatur:nihilominus S.Parens non censuit frivolam inquisitionem, quam mox subjicit,circa modum assequendi hujusce obedientiæ judicii perfectionem:ergò immeritò id superfluitatis nobis opponitur.

10 Secundò,ea inquisitio est valdè congrua,& mediorum præscriptio, & ostensio satis necessaria,ut ad supremum illum perfectionis obedientię gradum pervenire possimus, quamvis in nobis supponatur immediata libertas assentiendi cuilibet ex extremis verisimilibus, & inevidentibus: quippè non ideò obvia, & in manu posita est ea obedientiæ perfectio,nec à nobis illa intellectus inflexio ex imperio voluntatis tàm ponitur voluntaria,&facilis unicuique, ut est mihi modò voluntarium scribere, vel legere, ut à P. Elizalde nobis opponitur, quin potius plurimum res habet difficultatis,& laboris.Id quod nullatenùs melius inclarescet,quàm verbisSapientissimi Patris N.D.Ignatii in *ead. Epist. num.* 14. ubi postquam hujusce judicii obedientię necessitatem à *num.* 10. stabilivit,gradum facit ad ejusdem præstantiam ostendendam, & sic habet: *Quàm verò sit eadem ipsa perfecta,grataque Domino, inde primum ostenditur, quod per eam præstantissima pars hominis, ac pretiosissima Domino consecratur; deinde quod obediens ita fit holocaustum vivum,gratumque majestati divinæ,cum nihil suimet omninò retineat: postremò quod magna est hujus certaminis difficultas*: (pendas quæso)*frangit enim se se Dei causa obediens ipsemet, resistitque naturali propensioni, quę omnibus hominibus insita est ad suam complectendam,sequendamque sententiam.*

11 Porrò autem ex hujusmo-

modi cœlesti doctrina cernere est, cum obedientiæ judicii ingens opus, tum istius obedientiæ perfectionem, juxta nostram tantum sententiam, locum habere, & explicari posse: primò, quòniam juxta Adversarios, tunc solum superioris judicio assentiri valemus, quando id quod jubetur verisimilius, & probabilius à nobis judicatur: at tunc nihil est, quod ex parte intellectus Domino consecremus, plusquam dum nostram naturalem complectimur propensionem: igitur in opposita sententia id consecrationis intellectus, quod S. Parens commendat, ac perpendit, explicari non potest; quia juxta illam præcisse in judicii obedientia Domino intellectum consecraremus, veluti dũ recreatione nobis grata utimur, eam in Deum referendo: quòd sanè à mente Præclari, Sanctique Parentis N. procul abest.

12 Secundò, idem D. Ignatius inquit, *quod obediens, ita fit holocaustum vivum gratumque majestati divinæ, cum nihil suimet omninò retineat*, id est quia intellectum, supremam hominis partem, Deo in superiore subjiciat: quod verum non habet, dum rationum pondere pro priori ad affectum, & imperium voluntatis fertur obediens ad judicandum, probabilius esse verum, & justum id, quod superior censet, & juxta quod imperat: holocaustum quippè fiebat, dum victima tota cremaretur, at in eo quod judicium suum quispiam sectetur, nihil ipse ustionis patitur: ergò nec sic obediens fit *holocaustum vivum gratumque Majestati Divinæ*. Tum quia se ipsum, propriumque judicium sic obediens retinet, potius quàm Deo illud offerat.

13 Tertiò, & ut reor, apodixis est: illam judicii obedientiam Beatus N. Parens dilaudat, commendat, & suadet, veluti tertium perfectionis hujusce virtutis gradum, in quo scilicet magna est certaminis difficultas, frangit enim se se Dei causa obediens, ipsemet, resistitque naturali propensioni, quæ omnibus hominibus insita est, ad suam complectendam, sequendamque sententiam: sed hoc difficile certamen, idque sui ipsius Dei causa fractionis, & resistentiæ præstitæ contra naturalem propensionem complectendi propriam sentẽtiam, in rebus naturali discursu, & ratione pernoscendis, locum habet, dum voluntas imperat intellectui assentiri extremo minus probabili, minusque verisimili: dum verò determinat quoad exercitium, ut assẽtiatur parti probabiliori, id certaminis, & resistẽtiæ minimè reperitur: ergò in nostra sententia tantùm, secus in opposita, locum habet obedientiæ perfectio quoad judicium, quam præstantissimus obedientiæ Doctor D. Ignatius commendat. Consecutio est bona, nulloque negotio potest urgeri argumentatio assũptũ efficaciter ostẽdens, præsuppositò, quòd nobis nunc sermo est de rebus, quæ naturalem non superant rationem: & in hunc modum differo: Nullus, qui erga sibi probabiliorem partem imperat assensum, quidquam certaminis, & resistentiæ in hoc exercet; sed in omni judicii perfecta obedientia, certaminis, & resistentiæ plurimum inest: ergò nullus, qui erga sibi probabiliorem partem imperat assensum, judicii in hoc perfectam exequitur obedientiam; vel aliter sic arguo, ut in nostra sententia id perfectionis obediẽtię aptius cõcludatur sub his terminis: omnis, ac solũ qui perfectã judicii obediẽtiã exercet, certamẽ ingẽs, & resistentiam exercet: sed omnis, qui assensum imperat erga partẽ sibi minus probabilem, certamen ingens, & resistentiam experitur: ergò omnis ac solũ qui erga partem sibi minus probabilẽ propter obedientiam assensum imperat, perfectam exequitur obedientiam.

14 Ex assumptionibus verò in primo ratiocinio propositis, prima con-

continet ad literam verba S.N. Parentis: ſecunda quoad primam partem conſpicua eſt, quòniam dum imperat voluntas aſſenſum erga partem minus probabilem, certamen init cum valido hoſte, nempè cum intellectu, in oppoſitum graviter propendente: quoad partem ſecundam prefata aſſumptio etiam liquida eſt; nam juxta Adverſariorum doctrinam, totum certamen ſiſtit in exquiſitione rationum ad probandum, quod ſuperior ſentit: id autem cum ſit incumbere literis, & ſpeculari, pendereque rationum momenta, plus habet oblectamenti, quàm laboris, & certaminis, viris præcipuè ſapientiæ deditis: quòd ſi poſt diligens ſtudium, ſubditus inveniat ſuam ſententiam magis firmari, evertique oppoſitam ſuperioris, illi aſſentiri nequibit: & conſequenter juxta Adverſariorum ſententiam, ſubditus debebit manere liber ab obligatione, ſeu conſilio ſubmittendi ſuum judicium judicio ſuperioris: tum denique quia imperando aſſenſum in probabiliorem partem, intellectus ſuam innatam proſequitur proclivitatem: unde facilius dignoſcitur duplicis prelibati ſyllogiſmi efficacitas.

15 Sed dices, ſubditum debere uti mediis à S. Patente præſcriptis, videlicet in perſona ſuperioris non intueri hominem obnoxium erroribus, atque miſeriis, ſed Chriſtum ipſum: tum ad ea facienda, quæcumque ſuperior dixerit, cœco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine ulla prorsùs diſquiſitione ferri: ac tandem quod ſuperior mandat, vel ſentit, defendere ſemper apud animum ſuum ſtudiosè niti, improbare autem nequaquam: in hiſque exercendis plurimum virtutis, & certaminis reperiri.

16 Verùm licèt media prædicta ſint, quæ traduntur à D. Ignatio ad judicii obedientiam comparandam: tamen Adverſarios nihil juvant ad ſuam proptegendam ſentétiam: primò, quia illa tria media non ut ſimpliciter neceſſaria Divus Parés N. proponit, ſed tanquam quæ multum juvare queunt. Sic enim orditur eorum mediorum deſignationem, *num.* 16. *Prætereà vobis tria nominatim propono, quæ ad obedientiam judicii comparandam multum juvant. Primum illud eſt, ut quemadmodum initio dixi, non intuamini in perſona ſuperioris hominem, &c.* Igitur, quia hæc media abſolutè non ſunt ad dictam perfectionem neceſſaria, ſed multum juvant. Hujus ratio eſt, quòniam in primis Sanctus ipſe Parens incipiens commendare hunc obedientiæ gradum, *num.* 9. ut ipſius poſsibilitatem patefaceret, docuit quomodò intellectus in his, in quibus cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere, ſeù imperio determinari, ſeù inclinari ad aſſentiendum cuilibet ex extremis oppoſitis: deinde, hac oſtenſa poteſtate, & judicii obedientię perfectione commendata, interrogantibus, quo pacto ad hanc perfectionem poſsit perveniri, reſpondet in hunc modum: *Huic ergò quæſtioni cum S. Leone ita reſpondeo: nihil arduum eſt humilibus, nihil aſperum mitibus: modo non deſit vobis humilitas, non deſit manſuetudo, non utique deerit Deo benignitas ad vos adjuvandos, ut quæ ſibi promiſiſtis, ea præſtare poſsitis, animo non ſolum æquo, ſed etiam libenti.* Hæc ille, & deinde pergit ad prędicta tria media adhibenda. Unde patet, quod, ſuppoſita divina gratia, humilis, & manſuetus ſubditus poteſt immediatè operari aſſenſũ intellectus erga partẽ ſibi minus veriſimilẽ, minuſque probabilẽ, ut perfectè, & actu etiã ſupernaturali ſuperiori ſuo obſecũdet.

17 Secundò: cuncta illa media non exhibentur, ut ſimul omnibus, & pro omni eventu ipſis utamur; patet enim, quòd qui cœco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine ulla prorsùs diſquiſitione verum, juſtum, ac perfectum exiſtimat, quod ſibi jubetur,

in

in ejusque fertur executionem, non utitur, nec in sensu composito hujus medii, uti valet medio alio quærendi rationes ad defendendum, quod sibi injungitur: ergò etiam si subditus non feratur eo voluntatis cœco, sed laudabili, impetu, quia videlicet evidens est, circa licitudinem rei præceptæ contraria reperiri Doctorum placita, remque ille prehabet apprimè discusam, & judicat æqualiter probabiles sententias oppositas, vel etiam probabiliorem sibi esse, quæ illicitam esse præceptam actionem, docet; tunc quidem propter inevidentiam talis illicitudinis, cui probabiliter obsistunt aliqua argumenta, & ex vi voluntatis parendi cupidæ, poterit proximè imperare assensum circa licitudinem speculativam talis actionis, judiciique exercere obedientiam perfectam; aliter enim huic subdito, & in his circunstantiis, impossibilis esset proprii judicii cum superioris judicio consensus: quod concedi non potest.

18 At dices, poterit ac debebit in persona superioris intueri Christum Dominum, qui ipsa est summa veritas: fateor quidem, sed notare oportet cum Eximio Doctore *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* Quod etsi meritò postulatur ad perfectam obedientiam consideratio Dei in superiore, & apprehensio præcepti ejus, ac si à Deo egrederetur, per hæc tamen non postulatur à religioso falsa apprehensio, vel existimatio erga superiorem, vel mandatum ejus; nam qui sic obedit, non judicat superiorem esse Deum, sed repræsentare Deum, quatenus vicem ejus gerit; quod verissimum est; nam de omnibus Magistratibus dixit Paulus, esse Dei ministros, & ab illo habere potestatem, *ad Roman. 10.* Neque etiam judicat præceptum superioris esse divinum, id est à Deo ipso immediatè latum, cum evidens sit illi, hominem esse, qui præest: sed judicat, rationem obediendi esse divinam, scilicet voluntatem ipsam Dei, quæ impletur, cum impletur superioris voluntas, & esse debet prima ratio obediendi. Item in religioso est peculiaris ratio divini cultus, quam in sua obedientia intueri debet; quia per speciale votum illam Deo consecravit. Nec etiam qui sic obedit, judicat, aut existimat, non posse decipi, aut errare superiorem, vel ex ignorantia, vel ex malitia; nihil enim horum ad prædictam considerationem intellectus necessarium est, neque ab antiquis Patribus, neque à B. Ignatio aliquo in loco insinuatum est.

19 Non enim sine causa, juxta doctrinam Patrum sæpius expressè N. S. P. addidit illam conditionem, *ubi peccatum non cerneretur*, ut dicit 3. *part. cap. 1. §. 23. & 6. part. cap. 1. §. 1. & in Epist. num. 18. fine.* hæc enim conditio, seù exceptio supponit, superiorem posse errare, aliquid illicitum præcipiendo, & propterea in legibus divinis addi non potest, quia fieri non potest, ut Deus mali aliquid præcipiat, quod si supponitur, superiorem posse præcipere aliquod malum, eadem ratione supponitur, posse id facere, non tantum ex ignorantia, vel etiam ex pravo affectu. Quia sicut non habet privilegium speciale, ut errare non possit; ita ut non possit esse negligens, aut habere pravum affectum: neque aliud potuit venire in mentem alicujus cordati hominis.

20 Quod autem D. Bernardus *in lib. de Præcep. & dispens.* ait in rebus dubiis debere subditum superiorem consulere, & rationes dubitandi illi aperire, & judicium ejus sequi, quia ex Scripturis (inquit) habemus quod labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt, quia Angelus Domini *exercituum est*, licet id ad omnes Ecclesiæ pastores accommodari possit, non tamen de omnibus eodem modo intelligendum est. Nam respectu Summi Pontificis, decisio dubii,

bii, si authentice fiat, in re ipsa infallibilis erit, respectu verò aliorum inferiorum, qui præsunt, non ita; cæterum in quibuslibet aliis prælatis eorum decisio, & præceptum in rebus dubiis, & utrinque opinabilibus poterit efficere practicam certitudinem, juxta ea, quæ supra diximus, & tunc licet contingat, judicium superioris re ipsa falsum esse, subditus per ignorantiam invincibilem excusabitur, & per virtutem obedientiæ merebitur. Verum ex eo præcisè quod inferiores Prælati aliquid præcipiant, non infertur, quod in rebus etiam inevidentibus, & dubiis, id verum, aut probabilius speculativè necessariò, aut ex obligatione existimari debeat à subdito, ut fusè supra tradidimus.

21 Unde evenire poterit, quòd omnibus inspectis, subditus censeat, omninò esse speculativè minus probabiliter licitum opus præceptum: ipseque P. Elizalde dum asserit, judicia contra superiorem plerumque esse falsa, significat, & docet, ex specialissima saltem ratione posse subditum id opinari: quid ergò, fas ne erit tunc opus præceptum exequi? Negat ille; quamobrem longè abest, ut ea in hypothesi obedientiæ judicii perfectionem confulat permittat vè. Quod tamen haud exiguam Politicæ, Ecclesiasticæ, & Religiosæ obedientiæ jacturam inferre, & fortè hujus virtutis nervos incidere, existimarem: in idque Exim. Doct. *dict. lib. 4. de Relig. cap. 15. num. 20.* ajebat, fieri moraliter impossibilem obedientiam, si unicuique subdito in particulari prius persuadendum esset, justum esse quod præcipitur: fit igitur illud obedientiæ judicii certamen ad quod B. N. Parens calcar nobis addidit, non præcisè, imò nec formaliter consistere in prælibata mediorum inquisitione, sed in humili judicii inferioris cum sententia superioris consensu.

***

SECTIO LIX.

Aliis solutionibus occluditur aditus.

1 UT prælibatum incommodum, obedientiæque jacturam præcaveat R. A. P. N. Generalis Tyrsus docet, fieri non posse, ut subditus quærat rationes, & non inveniat sufficientissimas, ut sententia superioris appareat sibi verisimilior, quàm propria, quam antè præceptum superioris sequebatur: in qua doctrina id valdè nobis probandum venit, quòd non solùm plerumque, sed semper in dubiis, & disceptabilibus, parendum esse à subdito, supponat, & satis clarè asserat; deinde, inspectis perfectæ obedientiæ motivis, quibus par est, voluntatem moveri, ad imperandum assensum sententiæ, juxta quam superior jubet, & pro posteriori ad hoc imperium ex affectione obedientiæ, piè, ac prudenter elicitum, majorem utique, & urgentiorem veritatis apparentiam sortiri, haud infiteor, partem illam, quæ pro priori minus verisimilis censebatur, juxta ea, quæ tradit P. Antonius Terillus, *quæst. 8. de consci. probab. præsertim num. 25. & seqq.* & *in Regula mor. part. 1. quæst. 30. assert. 1. & in solution. objection. num. 22.* ac sæpè *in dict. quæst.* & alibi, de quo nos infra, Deo auspicante.

2 Sed non propterèà dicendum est, quod ex notitia præcepti, & pro priori ad voluntatis subditi imperium præfatum, (valdè utile, & dilaudandum, ad obsequendum tamen licitè, haud necessarium, ut dictum, & probatum manet,) suppetant rationes speculativæ, quæ rem præceptam in se ipsa attingant, & quas subditus, si velit, assequi possit, ut probabilius verum, ac licitum censeat id, quod superior judicat; id quippè prorsus falsum reor, tum ex

ex dictis: tum quia etiam posito præcepto, potest subditus prudenter, & moraliter certò judicare, se nullas potiores inventurum rationes, quibus à sententia sua dimoveatur, & consequenter, nec tales rationes quærere tenebitur: licet enim expedientissimum sit, subditum esse benè affectum erga obedientiam,& ex se paratum ad quærendas rationes pro illa, & pro utilitate,&honestate rei præceptæ,etiam speculativè consideratæ, ut monet Mag. Parens, D. Ignatius; non tamen debet illas quærere, quando prudenter certum judicat,inveniendas non esse,ut ex se patet,& contingeret in prædicta hypothesi: sed quando sperat, inveniendas esse; quia non est factum examens ita diligens; ideòque illud S. Parentis consilium optimum est pro casibus regulariter occurrentibus, in quibus res ex se est vel indifferens, vel saltem dubia in utramque partem.

3 Tum quia, si ex ipsa præcepti notitia, fieri non potest,ut subditus quærat rationes, & non inveniat sufficientissimas, ut sententia superioris appareat sibi verisimilior, & probabilior, quàm propria antecedens præceptum, idque speculativè, & intrinsecè re præcepta discussa,utique jam non tenebitur subditus eas quærere rationes:sed ex quo præceptum sibi impositum agnovit ab authoritate saltem, debebit censere, esse probabilius verum, licitum,& honestum id, quod jubetur; imò licet rationes, quæ certò inveniri posse dicuntur,distinctè,& clarè subditus non caleret, cum tamen scire teneatur,tales rationes reperiri, debebit etiam judicare,ex motivis,licet sibi specificè incognitis, veris tamen, & realibus, probabiliorem speculativè, & ab intrinseco esse sententiam superioris,& propterea re ipsa esse minus probabilem oppositam, quam subditus ipse probabiliorem judicabat: si ergò sententia superioris omninò probabilior à subdito existimanda est, etiam ante rationes quæsitas,opus non erit id operis assumere,ut subditus illi sententiæ, tanquam probabiliori assensum præbeat, & judicio firmo, & non fluctuante, quale ab Authoribus, quos oppugnamus exigitur ad licitè operandum,judicet honestum esse quod sibi jubetur:ex adversa ergò sententia fit, necessarium non esse illud ipsum medium,inquirendi nempè rationes pro sententia superioris,præscriptum à S. N. Parente ad judicii obedientiam assequendam,& ad quod Adversarii confugiunt, tanquam ad quid necessarium pro eodem fine, seù ad licitè obediendum.

4 Cæterum falsum assumi, dicendo,fieri non posse, quin subditus sufficientissimas inveniat rationes,quæ intrinsecè convincant probabilius licitam, & honestam actionem præceptam,pro priori ad assensum, & antecedenter ad imperium voluntatis, concipitur, ex eo, quod si id verum esset, etiam transacto præcepto posset subditus, & deberet verisimilius judicare, contractum v. g. anteà præceptum, quoad speciem suam, & in circunstantiis carentiæ præcepti, non esse intrinsecè usurarium, sed licitum. Probatur consequentia: nam motiva illa,quæ in præcepti circunstantiis invenire debuit subditus, persuadebant talem esse naturam intrinsecam contractus, & consequenter materiam concernebant necessariam, quæ non variatur, nisi contractus conditiones,ipseque proindè contractus variationem accipiant; natura enim intrinseca contractus hujus v. g.trium contractuũ à sæculari superiore præcepti,si hodiè est talis, fuit, & erit semper intrinsecè talis, sicut homo, si intrinsecè est animal rationale, fuit,& erit semper:unde motivum persuadens hominem esse animal rationale, aut contractum non esse usurarium persuadet, non præcisè pro nunc, & quasi contingenter talem veritatem,

ſed pro ſemper, cum verſetur circa materiam neceſſariam, & æternam: unde hoc judicium: homo eſt animal rationale : contractus non eſt in ſe uſurarius, æquivalet huic : ubi & quandocumque exiſtat homo, vel iſte, cum his circunſtantiis, contractus, ille erit animal, hic non erit uſurarius: ut ex Philoſophia notiſsimum eſt, illuſtrarique poteſt ex Jure Civili, *leg. in ambiguis.* 85. §. 1. *ff. de regul. jur. leg. Quod initio.* 29. *ff. eod.* & ex Jure Canonico. *cap. Factum legitimè. de Reg. jur. in ſex.* ubi Dynus, & Decius *dict. leg.* 85. ergò ſi præceptum impoſitum circa contractum inducit probationes, quæ inveniri poſsint ad cognoſcendum efficaciter, illum eſſe in ſe non uſurarium magis probabiliter, id ipſum pro ſemper evincent, ac proinde ille, qui ob talia motiva judicavit, contractum non eſſe uſurarium, judicavit etiam nec tunc, nec aliquando eſſe, aut fore uſurarium, nec variari poſſe ejus naturam intrinſecam. Hæc autem ſequela, quæ evidens eſt, admitti non poteſt, ex terminis ipſius conſequentis.

5 Tum quia ex eo fieret, quod ſubditus ille poſſet docere illum contractum non eſſe uſurarium in ſe, & intrinſecè, & allegare præceptum ſibi impoſitum, pro motivo illius aſſerti; imò deberet ſemper adhærere illi doctrinæ : conſequentia hæc eſt legitima, ſed minimè concedenda; quis enim allegavit pro veritate ſuæ ſententiæ, quod ejus praxis ab aliquo etiam indocto ſuperiore, fu erit præcepta. Præterea non ſolum ipſe ſubditus tranſacto præcepto; ſed quilibet alius, poſſet & deberet reputare illum eundem contractum probabilius non uſurarium, & licitum. Probatur conſequentia, nam præceptum illud, alteri inſinuatum, eſt motivum ad judicandum, non de contractu præcisè relatè ad perſonam, ſed de contractu ſecundum ſe, ut *num. præcedenti* oſtenſum eſt, ergò ex illo præcepto, & motivo alteri inſinuato poſſet, & deberet ille probabilius exiſtimare, talem contractum in ſe, & reſpectu cujuſcumque perſonæ non eſſe uſurarium: ſicuti ex praxi communi proborum, & ſapientum alicujus opinionis inferimus, illam eſſe veram in ſe, & ſaltem probabiliorem, & à nobis etiam practicabilem: conſequens eſt apertè abſurdum, ſed bona conſecutione illatum. Exornat aſſumptum Illuſtriſsimus D.D. Franciſcus de Perea & Porras, Placentinæ Eccleſiæ digniſsimus Præſul, Majoris Salmanticenſis D. Jacobo dicati Collegii (vulgo de Cuenca) alumnus juxta, & hornamentum, cujus ingenii acumen, ſapientiam, dicendique, ſivè ex ſacro ſuggeſtu, ſivè ex Cathedra, univerſa hæc nobiliſsima demirata eſt Academia, ille igitur ſententiam confulcit noſtram in ſuo pretioſiſsimo *Lydio Lapide ſect.* 15.

6 Denique hoc aliud deducitur incommodum, quod nimirum aliquando cogeretur ſubditus admittere contradictoria, quòniam ſi præceptum illi imponatur de ineundo contractu probabiliter uſurario, & probabiliter etiam juſto, juxta Adverſarios inveniret rationes ſufficientiſsimas ad exiſtimandum probabilius, non eſſe uſurarium in ſe, & intrinſecè; & hoc quidem ſemper, & pro ſemper, ut dictum eſt: ſi verò poſtmodum alius ſuperior eidem ſubdito præcipiat, ne tale ineat contractum, quia uſurarium ſuperior cenſet, deberet, & poſſet idem ſubditus invenire rationes etiam ſufficientiſsimas concludentes probabilius uſurarium eſſe contractum, & hoc quidem ſemper, & pro ſemper: at contractum eundem probabilius eſſe intrinſecè uſurarium, & probabilius intrinſecè non eſſe ſemper, & pro ſemper uſurarium, ſunt contradictoria relatè ad eundem intellectum, eundemque ſubditum: ergò contradictoria concedere teneretur; ſeù aliter nec unum, nec aliud

aliud extremum poſſet amplecti, quæ ſunt abſurda ingentia, quæ ne admittere adigamur; opus erit fateri, ſuperioris præceptum non conſtituere veram, nec ſpeculativè magis probabilem rem præceptam, fierique poſſe, ut etiam præſuppoſito ſuperioris juſſu, res præcepta maneat ſpeculativè minus probabilis in intellectu ſubditi; propterèaque ut ſubditus poſsit judicii perfectam exercere obedientiam, dicendum, intellectum à voluntate poſſe determinari, ut, in non evidentibus, æquè aut minus veriſimili extremo aſſenſum præbeat.

7 Haud propterèa tamen cenſenda ſunt inutilia media, quæ à S. N. Parente præſcribuntur ad judicii obedientiam exercendam; plurima quippè in exercitio virtutum nobis immediatè libera ſunt, & nihilominus laboris, & operæ multum à Sanctis Doctoribus, Eccleſiæ Patribus, & aliis viris doctrina, & pietate conſpicuis impenditur in tradendis mediis ad ſuperanda vitia, & virtutes adquirendas, præſertim ad earum adipiſcendam perfectionem: igitur cum S. Parens quàm optimè ſciret, judicii obedientiam, licet nobis poſsibilem, & immediatè liberam, plurimum difficultatis involvere, *Frangit enim* (ut ipſe D. Ignatius inquit in ſua mirabili Epiſt. num. 14.) *ſe ſe Dei cauſa obediens ipſemet, reſiſtitque naturali propenſioni, quæ omnibus hominibus inſita eſt ad ſuam complectendam, ſequendamque ſententiam*: ideò ut leniret hanc difficultatem, mira dexteritate, opportuna nobis contulit media, quibus facilior aditus ad eum perfectionis obedientiæ gradum pateret.

8 Ex dictis colligitur, non ſatisfieri appoſitè noſtro argumento ex tradiris ab Illuſtr.ſimo Palanco, *quæſt.* 38. *de conſci.* ubi *num.* 10. inquit ſubditum obedire debere quando de licitudine rei præceptæ inveniuntur æquè probabiles opiniones: ex qua doctrina ſic argui poteſt: vel ſubditus poteſt ea in hypotheſi judicii perfectam exercere obedientiam, vel ſecus? Si primum, poterit intellectus ex imperio voluntatis immediatè aſſentiri extremo æquè veriſimili: ſi ſecundum aditus occludetur perfectioni obedientiæ à Sanctis Patribus commendatæ, maximèque dilaudandæ, quod ipſe religioſiſsimus Antiſtes ægrè ferret. Deinde *num.* 46. docet non poſſe ſubditum contra propriam opinionem obedire, id quod ſupra rejectum eſt, nec parum virtuti obedientiæ videtur obeſſe. Quæ autem ad firmandam ſuam ſententiam ingenioſus hic Scriptor adducit ex præcedentibus refelluntur.

SECTIO LX.

Objecta ex Philoſopho elevat juxta Div. Thomæ interpretationem.

1 PRotectam hactenùs ſententiam convellere adoriuntur oppoſitæ aſſertores, ex Philoſopho 2. *de Anima tex.* 153. ſic ajente, *Opinari non eſt in nobis*; *verum enim, aut falſum dicere neceſſe*: quæ verba P. Elizalde *in Append. de Natura opinionis, quæſt.* 2. §. 4. in hunc modum expendit: Dixit Ariſtoteles, opinari non eſſe in nobis, id eſt, non eſſe nobis liberum, & probavit per illud, *verum enim aut falſum dicere neceſſe*. Hujus probationis reſolutio eſt ad illud primum principium, quod ſcilicet intellectus eſt ad verum, ſicut voluntas ad bonum, & viſus ad coloratum, & auditus ad ſonum, &c. ideò tàm eſt impoſsibile intellectum in judicando non ferri ſub ratione

veri, atque eſt impoſsibile voluntatem non ferri in amando ſub ratione boni, aut viſum non ferri ſub ratione colorati. Quæ videntur in dubitata, & admiſſa ab omnibus.

2 Hinc quoties intellectus aliquid judicat, aliquid dicit; & quoties aliquid dicit, ſe verum dicere putat: opinando autem aliquid dicit: ergò ſe verum dicere putat, ſcilicet, vel negando falſum, vel affirmando verum: nam omne dicere adæquatè dividitur in affirmationem, & negationem. Ideò Ariſtoteles breviter, & ſapienter pronuntiavit: *verum enim, aut falſum dicere neceſſe*; nam dicendo neceſſe eſt, quod affirmet, vel neget, & ſimiliter eſt neceſſe, quod ſe aut falſum negare, aut verum affirmare credat, & putet; non quidem quod ſemper re ipſa talia dicat; ſed quæ talia eſſe, ipſe credat, & ſibi perſuadeat. Et hoc eſt intellectum in judicando ſemper ferri ſub ratione veri, quippè in apprehendendo, & per primam operationem æqualiter fertur ad vera, & falſa, quia fertur ad contradictoria. A contrario in judicando, in contradictoria ſimul ferri nequit, nec ad falſa nota affirmando, nec item ad omninò dubia, & incerta, quia fertur ſub ratione veri, ſcilicet in ea, quæ vera eſſe credit, & putat. Ideò intellectus ſciens, ſeù ſciendo numquam fallitur, nec ad id moveri poteſt ullo imperio voluntatis, quin nec per divinam potentiam: & ipſa ſuæ deceptionis cognitio neceſsitaret ipſum, ad deponendam ſuam deceptionem.

3 Et hæc quidem doctrina, & explicatio videtur certa, & innegabilis. At ex illa immediatè ſequitur intellectum non poſſe opinari inter æqualiter probabilia alterum; minus verò multò minus probabilia. Nam opinando, & ſic dicendo, & v. g. affirmando, non poſſet credere, & putare ſe verum dicere magis, quàm falſum; quia nihil habet pro ſua magis veritate, quàm falſitate, quin in minus probabilibus habet minus. Quare rogatus an magis verum quàm falſum dicat, nihil reſpondere poſſet, niſi ſe à voluntate determinatum eſſe; nihil tamen habere, quo magis ſibi perſuadere poſsit, ſe magis dicere verum, quàm falſum, ſeù quo perſuadere ſibi poſsit, ſe verum dicere, & non falſum. At ut ſuppoſuimus, intellectus ſemper ſibi perſuadet, ſe verum dicere, & non falſum ſe dicere. Ergò numquam dicit aliquid verum, & non falſum eſſe propter rationes æquales: ergò multò minus propter rationes minus bonus, & quibus, & illarum contrariis conſideratis magis credere poſsit, ſe falſum dicere, & non verum. Sic P. Elizalde, qui §. 3. *ejuſdem quæſt. in princip.* inquit, in hac expoſitione Commentatores Ariſtotelicæ doctrinę convenire: nullum tamen nominatim laudat: idemque aſſerit quidam alius Noſter Recentior, dicens, omnes Philoſophos antiquos ſic docuiſſe in expoſitione textus Ariſtotelis; ſed verò nullo ex Antiquis expreſſo, unum Recentiorem Dandinum appellat.

4 Reſpondetur, Ariſtotelis mentem, & verba, ſi cuncta, quæ in ipſius textu ad rem conferunt, accipiantur, nullatenùs adverſariis opitulari: ſic enim Philoſophus inquit *dict. text.* 153. *in* 3. *de Anima*: *Phantaſia enim alterum eſt, & à ſenſu, & ab intellectu. Et hæc non fit ſine ſenſu, & ſine hac non eſt opinio. Quod autem non eſt eadem phantaſia, & opinio, manifeſtum eſt. Hæc enim paſsio in nobis eſt cum volumus. Præ oculis enim eſt facere, ſicut in recordativis poſiti, & idolum ſunt facientes. Opinari autem in nobis non eſt. Neceſſe enim eſt falſum, aut verum dicere.* Hæc Ariſtot. juxta antiquam lectionem, juxta aliam verò Joannis

Ar-

Argiropoli, exiguo discrimine, inquit: *Phantasia namque diversum est, tum à sensu, tum à dianoea, atque hæc eadem sine sensu non fit, & sine ea non est existimatio. Phantasiam autem, & existimationem non idem esse, perspicuum est; nam affectio hæc, cum volumus, in nobis est, licet enim ob oculos ponere, quemadmodum qui in mnemonicis collocant, & imagines effingunt, opinari verò non est in nobis; necesse enim est, vel fallamur, vel veritatem assequamur.*

5 Porrò autem Philosophi mens, & scopus in hoc textu dignoscitur, fuisse, assignare discrimen phantasiam inter, & opinionem, & ex eo maximè, quòd phantasiæ actibus prolibito utimur, quin aliqua indigeamus ratione, ut sic, vel aliter rerum imagines in phantasia collocemus, ut in mnemonicis, seù in præceptis memoriæ cernere est, juxta artem de qua Quintil. *Orat. lib. 11. cap. 2.* Cicer. *lib. 2. de orat.* Arist. *lib. de mem. & reminisc.* & ibi S. Thomas, & post plures ex antiquis, & Recentioribus pereruditus P. Sebastianus Izquierdo *in illustri sua Pharo, tom. 2. disp. 32. per totam*: ut verò opinemur, opus est nobis ratione aliqua, cui opinativus assensus innitatur, & sub qua intellectus adhæreat objecto, de quo opinatur. Et quidem hanc esse doctrinam Aristotelis, eo loci traditam, luce ipsa meridiana clarius apparet: hinc autem minimè fit, intellectum nostrum opinari non posse æquè, aut minus probabilia, quòniam probabile etsi minus tale, ratione aliqua, & non exigui momenti fulcitur: poterit ergò in illud opinativo sensu ferri intellectus, quia Philosophus ad opinandum non exigit rationem magis probabilem, nec urgentiorem, sed præcisè rationem aliquam.

6 Id quod ex illustriori, potiorique Aristotelis Interprete D. Thoma novam lucem accipiet; nam Angelicus Doctor in Commentario præ-

dicti textus, *lectione 4. lit. J.* sic fatur: *Probat, quod non sit idem opinio, & phantasia duabus rationibus, quarum prima talis est: passio phantasiæ est in nobis, cum volumus, quia in potestate nostra est formare aliquid, quasi apparens ante oculos nostros; ut montes aureos, vel quidquid volumus, sicut patet de illis, qui recordantur, & formant sibi idola eorum, quæ sibi videntur ad votum. Sed opinari non est in potestate nostra, quia necesse est, quod opinans habeat rationem, per quam opinetur, vel verum, vel falsum; ergò opinio non est idem quod phantasia.* Secundam rationem ponit cum dicit lit. K. Quæ talis est: *opinionem statim sequitur passio in appetitu; quia cum opinamur aliquid esse grave, vel terribile, statim compatimur tristando, vel timendo. Et similiter si sit aliquid confidendum: id est de quo aliquis debeat confidere, & sperare, statim sequitur spes vel gaudium. Sed ad phantasiam non sequitur passio in appetitu, quia dum aliquid apparet nobis secundum phantasiam, similiter nos habemus, ac si consideremus in pictura aliqua terribilia, vel sperabilia: ergò opinio non est idem, quod phantasia. Hujus autem differentiæ ratio est, quia appetitus non patitur, neque movetur ad simplicem apprehensionem rei, qualem proponit phantasia. Sed oportet quod apprehendatur sub ratione boni vel mali, convenientis vel nocivi. Et hoc facit opinio in hominibus componendo, vel dividendo, dum opinatur, hoc esse terribile, vel malum: illud autem esse sperabile, vel bonum. Phantasia autem non componit, neque dividit: patitur tamen appetitus animalium ab æstimatione naturali; quæ hoc operatur in eis, quod opinio in hominibus.* Hæc D. Thomas, ex cujus doctrina dimovetur omninò contrariorum objectio, præsertim illa Doct. Angelici pendendo verba, *opinari non est in potestate*

noſtra, quia neceſſe eſt quod opinans habeat rationem: ratio autem minus veriſimili non deeſt, ſaltem apparenter.

7 Fatcor itaque, intellectum eſſe ad verum, ſicut voluntas ad bonum, & viſus ad coloratum, & propterea intellectum non poſſe aſſentiri objecto alicui niſi ſub ratione veri; at cum objectum æquè, & minus probabile verum probabiliter appareat, ſufficiens erit ad intellectus aſſenſum terminandum, & conſequenter poterit intellectus affirmare eſſe verum id, quod probabiliter tale ipſi proponitur: ex ipſis quippè rationum momentis, quibus objecti probabilitas, ſeù veritas probabilis apparet, & conſtituitur, poteſt intellectus putare, & ſibi perſuadere, ſe verum dicere, non quidem perſuaſione certa, ſed probabili, & fallibili: tum quia cum oppoſita motiva non ſint evidentia, poteſt intellectus ex voluntatis electione, & determinatione, illa contemnere, ſeù non præferre, quemadmodum voluntas poteſt æquale, aut minus bonum amare de quo ſupra *ſect.* 45. *& ſequent. uſque ad ſect.* 51. copiosè diſſerui.

8 Sed dices ex perdocto P. Camargo *Reg. bon. lib.* 1. *cõt.* 5. *ar.* 4. *n.* 40. primo interpretationem iſtam ultrò confictam eſſe ad eludendam argumenti difficultatem contra omnes Philoſophos antiquos, & Interpretes Ariſtotelis, quorum nullus eundem ſic expoſuit. Secundò: quia ſicut nobis liberum non eſt opinari quodcumque objectum ex defectu motivi ſufficientis, ſic nec liberum eſt, quodcumque objectum imaginari, quia ſæpè non habemus ſpeciem: ergò ineptè ex hoc capite deſumpſiſſet Philoſophus diſcrimen utriuſque facultatis, proprium, & ſpecificum, ut intendebat.

9 At verò juxta noſtram, & communem intelligentiam (pergit P. Camargo) optimè, ac congruenter rem expoſuit, videlicet ex proprio, & naturali modo, quo prædictæ potentiæ operantur, ac tendunt in proprium ſuum objectum præſuppoſitum: quia ſcilicet phantaſia cum nihil propriè affirmet, aut neget, poteſt objecta, quorum ſpecies habeat, prout libuerit ſibi, componere, ſivè vera ſint, ſivè falſa, ſeù repugnantia, ſeù cohærentia. Contra verò intellectus, dum opinatur, aliquid dicit, hoc eſt enuntiat, affirmat, aut negat, quod facere non poteſt, niſi juxta merita objecti, & prout perſuaſerint enuntiandi motiva: ergò etiam dum adſunt pro utraque parte rationes, non eſt intellectus indifferens ad opinandum quodcumque velit, ideſt, ad aſſentiendum, vel diſſentiendum: ſed ſi opinandum ſit, debet omninò attendere ad rationes propoſitas utrinque, & conformare judicium ſuum cum ipſarum rationum exigentia. Igitur dum Philoſophus negat in nobis libertatem ad opinandum, negare omninò cenſendus potentiam aſſentiendi, vel diſſentiendi, prout nobis libeat, etiam dum adſunt utrinque rationes, ut plerumque adeſſe contingit. Hæc ille.

10 Quæ tamen inſtantia dimovetur primò, nam præſtita à nobis ſolutio, & expoſitio Philoſophi nullatenùs conficta, ſed vera, & germana eſt ipſius doctrina, quod ut liquidum fiat, ſat eſt, Doctoris Angelici verba ſupra excerpta in mentem redigere: nec aliquem Ariſtotelis Interpretem ex non paucis, quos evolvere licuit, reperi, qui noſtræ ſententiæ, & expoſitioni adverſetur; ex antiquis autem haud ſegniter luſtravi Simplicium, Janduńum, Niphum, & alios; utque abundè patefiat primævos Ariſtotelis Interpretes neutiquam oppoſitæ ſententiæ adfavere libet Auguſtini Niphi integram periodum adducere.

Diſ-

11 Diſſertiſsimus ergò is Philoſophi illuſtrator in expoſitione illius *text.* 153. quem *lib. ſecundo, non tertio de Anima* adſcribit, ſic habet: *Ex differentia inter phantaſiam, & opinionem Joan. Picus accepit, non eſſe in poteſtate noſtra credere aliquam propoſitionem eſſe veram, quando nobis placet, nec falſam eſſe, quando placet. Quòniam opinari eſt adhærere alicui cum oppoſiti formidine, credere verò conſentire ſimpliciter abſque formidine. Si igitur non eſt in poteſtate noſtra ſic, vel aliter opinari, de quo minus videtur, & à fortiori nec in poteſtate noſtra erit credere. Hanc partem tueri conatur primo, non eſt in hominis poteſtate facere intellectu apparere, propoſitionem aliquam eſſe veram, aut falſam, ergò nec in ejus poteſtate ſic vel ſecus credere: videtur enim incompoſsibile, aliquem credere propoſitionem, cui conſentiat, & tamen ei verum non appareat. Antecedens quoque arguit, quòniam hoc vel id apparere tale, vel ſecus intellectui: eſt hoc, vel id taliter, vel ſecus repræſentari intellectui, modo hoc ex voluntate non evenit, cum ejus eſſe voluntatis actus antecedat. Amplius ſecundo, aſſentire, & diſſentire ſunt actus intellectus ſpecificè oppoſiti, ſed nulli actus intellectus ſpecificè oppoſiti poſſunt determinari à voluntate: ergò diſſentire, & aſſentire non poſſunt à voluntate determinari. Major arguitur, omnis actus determinans aſſentire, & diſſentire debet eſſe actus primus reſpectu eorum. Sed nullus actus voluntatis poteſt eſſe ut actus primus reſpectu illorum, nec reſpectu aliquorum intellectus: ergò non poteſt determinare. Rurſum ad aliquid credendum non determinatur homo præciſsè per actum voluntatis, de quo interrogatus, cur id crediderit non aſsignabit præciſsè actum voluntatis. Conſtat autem experientia non aſsignare nos actum voluntatis in conſenſu alicujus crediti. Ultimò quotieſcunque aliqui duo determinantur ad credendum oppoſita, & quodlibet illorum præciſsè determinatur per hoc, quia vult ſic determinari, non poteſt dici quod rationabilius hic movetur ad credendum, quam è contra. Sed datis duobus, quorum alter vult credere, a, eſſe verum, & alter non, non eſt dicere hunc vel illum rationabilius, & alium irrationabilius, ergò illi, ad ſic, vel ſic velle non determinantur, quia præciſsè ſic volunt. Hanc concluſionem apponit Ariſt. Inquit enim, opinari autem non in nobis eſt, cujus rationem reddit, neceſſe enim aut falſum, aut verum dicere, modo hoc non in nobis eſt. Ecce quam plenè Ariſtoteles videtur hanc partem ſentire. Hoc idem Themiſtius inquit, ad credere aliquid, aut æſtimare, aut judicare de rebus quoties inceſsit voluntas, in noſtra manu non eſt, ſed quoties ipſa rei veritas, quæ videbitur apertiſsima aſſentiri nos cogit, neque enim fieri poteſt, ut quis rei, quam nihil dubitat falſam eſſe, aſſenſus ſuos accomodet. Quod oſtendit exemplo. d. At vero bis duo quatuor eſſe neceſſarium eſt, velis, nolis accedere. Contra ut bis duo ſint quinque, aut bis decem viginti non ſint, nemo unquam acceſſerit, qui rationem numeri tenet, ſicut neque ut homo non ſit bipes, aut ut ignis non perurat, & reliqua.* Hactenùs Joannes Picus.

12 Ejuſque propoſita ſententia, Niphus ait: *Debes ſcire quod poſitio hujus viri poteſt intelligi uno modo, ut nihil ſimpliciter credere poſsimus ex noſtro voluntatis actu, niſi eorum aliquid, cujus perſuaſio præceſsit, id eſt niſi per ſe ſupponatur intellectus conceſſus, & aſſenſus. Alio modo ut totus actus noſtræ voluntatis pendeat ex determinatione intellectus. Ad res enim quæ noſtro intellectui occurrunt, intellectus dupliciter ſe habet, uno modo limitatè, & ſimpliciter determinatus, quemadmodum ad veritatem primi principii: ut 4. traditur ſapientiæ. Alio modo in potentia neutra, vel cum perſuaſione ad unam partem magis quàm ad alteram, tunc dicerem, quod in poteſtate noſtra non eſt credere propoſitiones ad quas intellectus occurrit primo modo, & hoc Themeſtius, & Ariſtoteles, & Averroes, & Simplicius teſtantur, & ſi ſic intelligat vir*

iſte (nempè Picus) proculdubio optimè inquit, neque quæſtio talis viri condemnari meretur. Si vero intelligat quod voluntas reſpectu etiam duorum non poſsit limitare intellectum ad ſic, vel ſic credendum, proculdubio ſecum non ſum. In omnibas propoſitionibus contingentibus oportet dare unam primam per ſe notam in eo ordine, ut hæc voluntas vult, quæ eſt per ſe, & immediata. Argumenta igitur hujus viri apud me, primum probant intentum, ſecundum verò non, & ideò tibi patet his ſolutio. Hunc in modum Niphus diſſerit.

13 Ex cujus præclara doctrina dilucidè patet, nec Ariſtotelem, nec primævos illius Commentatores docuiſſe, intellectum in propoſitionibus contingentibus æquè, aut inæqualiter appareter veris, aut probabilibus, imperio, & determinationi voluntatis non ſubjacere: & propterea in præfato textu id ſolum mentis fuit Philoſophi, nempè abſque ratione, vel evidenter falſa nos opinari, non poſſe.

14 Unde fluit ſolutio replicæ *num.* 8. oppoſitæ: quòniam etiam ſuppoſitis ſpeciebus in phantaſia, necnon earum excitativis, diſcrimen elucet, & admitti debet ab omnibus, inter phantaſiam, & intellectum, ut habentem opinandi virtutem: quòniam (ut Angelici Doctoris verbis loquar) *in poteſtate noſtra eſt formare aliquid quaſi apparens ante oculos noſtros, ut montes aureos vel quidquid volumus, ſicut patet de illis qui recordantur, & formant ſibi idola eorum quæ ſibi videntur ad votum*, utique exiſtentibus in phantaſia ſpeciebus, *ſed opinari non eſt in poteſtate noſtra*, ſubaudi etiam ſpeciebus ſuppoſitis, *quia neceſſe eſt quod opinans habeat rationem, per quam opinetur.*

15 Quamobrem verum etiam eſt in noſtra ſententia, quòd quis aſſentiri nequeat niſi juxta merita objecti, in his quæ evidentia ſunt, vel niſi objectum propter apparentem, aut probabilem rationem intellectus aſſenſu dignum, aut capax fuerit; at ubi intellectus verſatur inter incerta extrema, æquè, vel inæqualiter veriſimilia, cuilibet ex illis aſſentiri poteſt ex determinatione voluntatis: & hæc eſt Philoſophi mens, & ſententia, cum antiquorum, tum Recentiorum intelligentia illuſtrata.

SECTIO LXI.

Alia ex Ariſtotele objecta elevat.

1 OPponunt ſecundo: intellectus juxta *Ariſtot.* 3. *Metaph. cap.* 1. dum anceps, & dubius eſt, comparatur homini vinculis ligato, qui idcircò progredi non poteſt: *In quantum enim dubitat* (inquit Philoſophus) *in tantum ſimiliter ligatis eſt paſſus. Impoſſibile enim utriſque procedere ad quod eſt antè.* Quem textum ſic ibi Angelicus Doctor, D. Thomas exponit: *Dubitatio autem de aliqua re, hoc modo ſe habet ad mentem, ſicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonſtrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid ſimile iis, qui ſunt ſtrictè ligati: ſicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non poteſt in anteriora procedere, ſecundum viam corporalem, ita ille qui dubitat, quaſi habens mentem ligatam, non poteſt ad anteriora procedere ſecundum viam ſpeculationis.* Sicut ergò homo ligatus non poteſt ad anteriora procedere, dum ligatus eſt, & niſi vincula diſſolvantur, fixus ibi manebit: ita intellectus noſter, qui ob æqualitatem motivorum hinc inde impellentium ligatus eſt, ne ad aſſenſum progrediatur, anceps hærebit illic, donec ſuperveniat aliqua nova ratio, vel motivum, quod ſuadeat veritatem, quam unicè intellectus quærit, in una parte contradictionis potius, quàm in alia reſidere. Iſtud enim motivum novum eſt, veluti ſpiritualis gla-

gladius vincula diſrumpens, & intellectum relinquens cum potentia proxima ad aſſentiendum illi parti; licet quia evidens non eſt, non trahat neceſſariò illum ad aſſentiendum, ſed opus ſit imperio voluntatis, quæ ubi adeſt ratio veriſimiliter ſuadens veritatem eſſe potius in hac parte contradictionis, quàm in oppoſita, poteſt imperio ſuo intellectum determinare ad aſſentiendum parti veriſimiliori.

2 Confirmatur: quia intellectus juxta Philoſophum quandoque neceſſariò dubitat ob conflictum rationum mutuò ſe invicem collidentium, ut habetur *lib.7. Ethic.cap.2.* ubi Ariſtoteles inquit, ſyllogiſmum captioſum ſeù ſophiſticum neceſſariò aliquando inducere dubitationem, cum ab una parte videatur incredibile, quod concluditur, & ab altera nequeat argumentum contemni, donec appareat ejus ſolutio. Atqui ſi vera eſſet noſtra ſententia, intellectus non poſſet ita ligari, aut neceſſariò dubitare, ſed ex libero ſemper voluntatis imperio poſſet vinculum impediri, aut diſſolvi per judicium determinatum de utralibet parte quæſtionis, nulla ulteriori adhibita veritatis inquiſitione. Evidens ergò eſt, Philoſophum docuiſſe Adverſariorum ſententiam, & noſtram reprobaſſe, tum in his locis, tum in aliis ſimilibus.

3 Confirmatur ſecundò ex recepta dubii definitione; dubium quippè, ut inquit Silveſter, *verb. Dubium*, ſecundum Philoſophum, & D. Thomam, eſt contrariarum rationum æqualitas, idem docet D. Antoninus 1. *part. ſummæ, tit. 3. cap.10. §. 10. regul. 6.* & P. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 40. ſect.5. num.2.* Dubium (inquit) proprium eſt, quando poſt ſufficientem inquiſitionem intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet. Præterea Corduba *lib. 2. quæſt.3.* & Adrianus, *Quodlib. 2. in 3. punc.* dicunt, tunc aliquem manere dubium, quando ſunt rationes æquè probabiles pro utraque parte: at intellectus dubius, & anceps, nequit ulli dubitationis extremo aſſentiri; falſo igitur contrarium aſſerimus.

4 Reſpondetur concedendo cuncta, quæ in Ariſtotele, D. Thoma, & aliis laudatis Scriptoribus reperiuntur de dubio, ac de dubitante, & negando Adverſariorum conſequentiam; quòniam ex Philoſophi, & Angelici Præceptoris doctrina ſolum fit, quod intellectus in quantum dubitat, anceps que manet, non aſſentiatur, vel quod ut ſic dubitans, ſeù in ſenſu compoſito dubitationis non poſsit alterutri parti aſſenſum præbere: vel etiam, quod dum intellectus dubitat, omninò negativè, ob rationis poſitivæ defectum pro utraque parte, (v.g. an ſtellæ ſint pares, vel impares?) Simpliciter nequeat aſſentiri; hæc autem nos minimè infitemur. Porrò id ſolum ex authoritatibus adductis confici, mihi liquidum eſt, ex illis Ariſtotelis verbis, *In quantum dubitat, in tantum ſimiliter ligatis eſt paſſus*: quibus conſimilia ſunt illa D. Thomæ: *In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid ſimile iis, qui ſunt ſtrictè ligati*: non enim fruſtrà adduntur à Præſtantiſsimis Magiſtris dictiones illæ *in quantum, in tantum*: quæ dictionis, termini, cui adhæreſcunt, ſunt reduplicativæ, igitur cum ad dubitantem referantur, earum vis, ac ſenſus erit, quòd dubitans, ut talis, ſeù dum dubitat, ſimilis eſt illi, qui ſtrictè ligatus eſt, & conſequenter, quemadmodum ligatum in anteriora progredi, impoſſibile eſt, nec dubitantem, ſeù dubitationis vinculo conſtrictum aſſentiri extremo alicui fieri poterit, in ſenſu inquam compoſito dubitationis.

5 At quemadmodum qui ſtrictè ligatus eſt; ſi rectè inſpiciat vinculum, & modum ligationis, poterit quidem vinculum diſſolvere, & ab eo ſe expedire; ita qui dubitat ſi ſpeculetur difficultates, earumque cauſas, ſeù prin-

principia, dubitationem ſolvere, non prohibebitur : & ideò Ariſtoteles in *dict. lib. 3. Metaph. cap. 1.* inquit: *Solvere enim non eſt ignorantis vinculum*: igitur qui vinculum non ignorat, ſed ipſius modum, rationemque cognoſcit, illud ſolvere poterit, ut ipſe Philoſophus docet poſt adducta ejus verba, quæ nobis objiciuntur, inquiens, *Propter quod oportet difficultates ſpeculari omnes prius, & horum cauſa*: & D. Thomas ibidem: *Et ideò ſicut ille, qui vult ſolvere vinculum corporale, oportet, quod prius inſpiciat vinculum, & modum ligationis, ita ille, qui vult ſolvere dubitationem, oportet, quod prius ſpeculetur omnes difficultates, & earum cauſas.* Apud Ariſtotelem igitur, & D. Thomam conſpicuum eſt, quod qui dubitat, quamvis in ſenſu compoſito dubitationis nequeat, alterutri dubitationis extremo aſſentiri, at in ſenſu diviſo, & dubitandi rationibus rectè perſpectis, earumque cauſis poteſt ad aſſenſum determinari: unde colligitur quòd dubitantis impotentia ad aſſentiendum non eſt ſimpliciter talis ſed ſecundum quid.

6 Aſſumptum inclareſcet ex eodem Ariſtotele, & Doctore Angelico *dict. lib. 3. Metaph. cap. 1.* ubi nos edocent, ad veritatem inquirendam, inveniendamque in ſcientiis oportere primò dubitare. *Neceſſe* (inquit Philoſophus) *eſt ad quæſitam ſcientiam nos aggredi primum, de quibus dubitare primum oportet... Ineſt autem inveſtigare volentibus præ opere benè dubitare. Poſterior enim inveſtigatio, priorum eſt ſolutio dubitatorum.* Ubi D. Thom. *lec. 1. lit. A. Dicit ergò primò, quod ad hanc ſcientiam, quam quærimus de primis principiis, & univerſali veritate rerum, neceſſe eſt, ut primum aggrediamur ea de quibus oportet dubitare, antequam veritas determinetur.* Pergit S. Doctor. *lit. b. dicit, quod volentibus inveſtigare veritatem contingit præ opere id eſt ante opus (benè dubitare) id eſt, benè attingere ad ea, quæ ſunt dubitabilia. Et hoc ideò quia poſterior inveſtigatio veritatis nihil aliud eſt, quam ſolutio priùs dubitatorum.* Tum ſic, in omni addiſcenda ſcientia, & veritate, oportet primò benè dubitare, & rationes dubitandi perpendere: at in quacumque ſcientia, poſtquam rectè dubitatum eſt, poſſumus ad plura theoremata, tum certa tum, probabilia aſſequenda pervenire: igitur quia qui dubitat, poteſt ad aſſenſum vel certum, vel probabilem determinari: ſed qui poſt dubitationem dignoſcit partem aliquam eſſe probabilem æquè, aut minus, cognoſcit etiam mentis vinculum, & modum probabiliter illud ſolvendi, ut patet: ergò aſſequitur etiam medium expediendi ſe à vinculo, & dubitatione, aſſentiendo probabiliter illi parti, & extremo: quamobrem opus non eſt gladio vincula dirumpente, ut in objectione dicebatur, ſed ſufficit cognitio probabilis modi ligationis, ad nodum ſolvendum, imò ad dubitationem imprudenter diſſolvendam ſufficit aſſentiendi leve motivum, ut in judicio temerario, & inhæreſi oſtenſum eſt.

7 Hinc autem deſcendit ſolutio confirmationis primæ non enim infiteor, intellectum quandoque obſtringi ad dubitandum, ut cum ſophiſtico argumento mens pulſatur, nec concluſio, quia inopinabilis eſt, poteſt placere, aliundè tamen ignorat ſophiſmatis ſolutionem: ſub quibus terminis procedit Ariſtoteles *in lib. 7. Ethic. cap. 2.* dum inquit, *Adhuc ſophiſticus ſermo mentis dubitatio... falſus ſyllogiſmus dubitatio fit. Ligata eſt enim mens, cum manere non velit, propter non placere concluſionem. Procedere autem non poſſit, propter ſolvere non habere ſermonem.* Hæc tamen ſententiæ noſtræ non officiunt; quòniam ex eodem Philoſopho infertur, quod ſi in hac hypotheſi, rationem, ſeù ſermonem adipiſcatur intellectus, ut ſophiſmati quadantenùs ſatisfaciat, poterit dubitatio ceſſare, at ratio probabilis hu-

juſ-

juscemodi est, ut argumento occurrat satisfaciatque, modo quidem rationabili, licet non evidenti; imò & verisimili præcisè ratione aliquomodò id potest obtineri: igitur doctrinæ Aristotelis inhærendo, quàm optimè asserere possumus, intellectum ex determinatione voluntatis assentiri posse objecto minus, vel æquè verisimili. Videsis *fictionem* 11. *num.* 8. *& seqq.* necnon *sectio* 45. *num.* 15. 16. *&* 17. ubi alia ad rem attinentia, & Aristotelis, ac Divi Thomæ sententiam enucleatam invenies.

8 Ex dictis exarmatur secunda objectionis confirmatio: concedimus quippè, ex totali defectu positivæ rationis in utroque contradictionis extremo, vel etiam ex æqualitate ponderis rationū, quæ intellectus bilance perpenduntur, oriri necessariò dubium, quo intellectus fluctuet: id quod communi calculo ab Authoribus, non solum in objectione adductis, sed à cæteris omnibus docetur: ea tamen præsuppositā sententia, insuper asserimus, quòd ex superveniente voluntatis determinatione, in hypothesi dubii positivi, ex æqualitate motivorum sibi contradicentium dimanantis, quàm optimè ad assentiendum flecti potest intellectus ex determinatione voluntatis: cui theoremati nihil contrarium ex Aristotele, aut ab ineluctabili ratione petitum ostenditur, ut ex dicendis amplius innotescet.

SECTIO LXII.

Præcipuum Adversariorum argumentum ad amussim proponit.

1 COnstabilitam doctrinam sequenti ratiocinio efficaciter everti, adversæ sententiæ Authores existimant, & sic differunt: Noster intellectus in suis assensibus tendit sub ratione veri: igitur impossibile est, ut ex duobus contradictoriis sibi propositis, illi assensum præbeat, quod sibi ut minus verisimile repræsentatur; præsertim ubi excessus est manifestus, & evidens: at motivis fidei sufficienter propositis, eorum credibilitas, utpote evidens, manifestè excedit credibilitatem hæreseos: intellectus igitur nequit immediatè à libera voluntate flecti, ut hæresi assentiatur, dum fidei motiva sufficienter proponuntur. Liquet antecedens, primum, necnon subsumpta: consecutio verò utraque probatur. Implicat enim contradictionem, ut dum majorem verisimilitudinem experitur intellectus in uno extremo, eamque reflexè evidenter cognoscit, quatenùs videt se vehementius impelli à rationibus suadentibus veritatem illius extremi, quàm à rationibus oppositis, implicat, inquam, quòd nihilominus tum judicet, illud extremum esse falsum, & extremum oppositum, quod sibi ut manifestè minus verisimile proponitur, esse verum. Id autem præstaret, si tunc assensum præberet huic extremo minus verisimili: nam assensum præstare alicui extremo contradictionis, est illud censere verum, & oppositum censere falsum, ut patet ex terminis.

2 Confirmatur primo ex R. N.P. Tyrs. *dissert.* 3. *cap.* 2. *num.* 18. & ex P. Camargo *lib.* 1. *controv.* 5. *art.* 9. *num.* 97. quia nemo in se experitur hunc actum: *Ego credo hoc, sed video contrarium esse probabilius, & verisimilius.* Et sanè, si quis in publica disputatione, post relatas duas sententias, immediatè, ac extremè oppositas, & expensa earumdem fundamenta, ita demum concluderet, ego quidem inspectis omnibus, censeo, sententiam affirmativam gravioribus inniti, & verisimilioribus fundamentis, ratione quorum mihi verosimilius est, ipsam præ negativa veram esse, nihilominus tamen sententiam negativam existimo absolutè veram: rem novam di-

diceret, & mirabilem: imò verò planè ridiculam. Certè nullus hucusque ita locutus est, & si quis loqueretur, non solùm cum admiratione, sed & cum risu ab omnibus exciperetur, nec ita judicare intellectualiter, sed potius fingere crederetur; ergò quia ex ipso naturæ lumine, cunctis mortalibus insita est repugnantia talis judicii.

3 Confirmatur secundo: supponamus Doctorem quempiam publicè disputantem celebrem aliquam controversiam (ut in prælectionibus fieri solet) suspendere, uti potest omnem intellectus assensum, donec utrinque expensis rationibus, sic tandem coram omnibus pronuntiat: *Usque modo intellectus meus nullam sententiam protulit de quæstione proposita: consideratis autem, ut vidistis, utriusque partis momentis, invenio, partem affirmativam gravioribus inniti, solidioribusque rationibus, vi quarum mihi apparet absolutè verisimilior; ingratiam tamen Magistri mei oppositam veram censeo.* Nemo unquam, ut reor, ita locutus est, neque, citra pudorem, talem sententiam proferre audebit. At unde precor pudor, si vera est sententia nunc oppugnata? Porrò si assensus ille foret possibilis, & prudens esse posset, imò quandoque, omnibus consideratis, oppositoque prudentior. Ideò ergò sic loqui nimis puderet hominem illum, quia videret à nemine fidem esse sibi adhibendam, sed mentiri potius, & fingere ab omnibus esse credendum. Est igitur omninò impossibilis præfatus intellectus assensus.

4 Confirmatur tertio ex R. A.P.N. Tyrso, *differt. 3. cap. 2. num. 12.* Qui experimentaliter cognoscit, sivè exercitè sivè signatè, unum extremum esse manifestè verisimilius suo contradictorio, implicat, ut ex hac suppositione judicet illud extremum esse falsum; (judicaret autem esse falsum, si ex illa suppositione assensum præberet extremo contradictorio sibi minus verisimili, ut patet) sicut qui judicat colorem A. esse similiorem albo, quam nigro, implicat ut in sensu composito istius judicii pro posteriori judicet colorem A. esse nigrum: sunt enim opposita hæc judicia virtualiter: *Color A. est similior albo, quam nigro: color A. non est albus, sed niger.* Eamdem autem oppositionem habent hæc alia duo: *Extremum A. est manifestè similius vero, quàm falso: extremum A. non est verum, sed falsum.*

5 Confirmatur quartò ex eodem Sapientissimo Doctore *dict. cap. 2. num. 13.* Quia ubi unum extremum contradictionis proponitur, ut manifestè verisimilius suo contradictorio, intellectus exercitè cognoscit evidenter illum excessum, quia manifestè experitur se vehementius impelli à rationibus suadentibus illud extremum, quàm à rationibus suadentibus oppositum. Potest ergò reflectere supra suam cognitionem experimentalem, & signatè sic affirmare: *Extremum A. mihi videtur manifestè verisimilius, quàm extremum B. ipsi oppositum.* Implicat autem, ut in sensu composito hujus judicii possit nihilominus amplecti ut verum extremum B. & rejicere ut falsum extremum A. Nam hic actus contradictionem involvit: *Quamvis censeam extremum A. esse manifestè verisimilius extremo B. nihilominus censeo extremum A. esse falsum, & extremum B. esse verum.* Ergò non potest intellectus assentiri illi parti contradictionis, quæ ipsi proponitur ut minus verisimilis, quàm ipsius contradictoria: nam quæ proponitur ut minus verisimilis, hoc ipso proponitur ut magis falsisimilis, seú ut magis exposita falsitati, quàm veritati: implicat autem ut intellectus judicet absolutè veram eam partem, quam in eodem instanti judicavit magis similem falsò quàm vero.

6 Confirmatur quintò ex ipso, in *eod. cap. 2. num. 14.* Nam qui aliquid affirmat, credit se verum dicere, si

id

id mente, & non ore tantum affirmet; & credit falſum dicere eos, qui id negant: ergò credit ſe majori fundamento niti, quam negantes. Ergò implicat, ut ſimul credat veriſimilius eſſe oppoſitum: prorſus enim eſt impoſsibilis hic actus: *Ego quidem cenſeo contractum A. eſſe uſurarium, & falli Authores id negantes; nihilominus fateor, fundamenta illorum eſſe urgentiora, & veriſimiliora.* Stultuſque meritò haberetur, qui ita aſſereret: *Sententia affirmans contractum A. eſſe uſurarium, vera eſt; proindeque abſolutè ego judico illum contractum eſſe illicitum: nihilominus ſententia contraria habet meliora fundamenta.* Ergò numquam intellectus aſſentiri poteſt alicui parti contradictionis, eamque ut veram amplecti, quin ipſi repræſentetur, ut magis veriſimilis, quàm contradictoria.

7 Quod ſi reſpondeat quiſpiam ex P. Terillo, *quæſt. 8. de conſcien. num. 25. & quæſt. 9. tum in Regula Mor. part. 1. quæſt. 30. Aſſert. 3. & ferè per totam quæſt.* Eum qui affirmat, aliquid eſſe verum, hoc ipſo ex ſuppoſitione hujus aſſenſus, judicare, illud objectum eſſe veriſimilius oppoſito, quod judicat eſſe falſum; quia affectus voluntatis imperantis illum aſſenſum, & aſſenſus ipſe ſicut faciunt, ut appareat verum illud objectum, & verum eſſe credatur, ita faciunt, ut appareat veriſimilius objecto oppoſito; cæterum cum hoc componi, quod antecedenter ad imperium, omnemque affectionem voluntatis pars oppoſita appareat magis veriſimilis: hacque, præoculis habita apparentia duplici, antecedenti nempè, & conſequenti, infringi argumentum cum ſuis confirmationibus conſtat; quòniam omnes quidem concomitanter, & conſequenter ad ſuum judicium videntur ſibi optimè judicare, quia ſequuntur apparentiam majorem pro veritate, ſed non omnes rectè judicant, quia temerè judicantes non ſequuntur apparentiam majorem antecedentem, quæ digna eſt aſſenſu, ſed ex prava voluntate afficiuntur ſuis erroribus, de quibus conſequenter ad ſuum affectum habent apparentiam majorem; ſi inquam ſic reſpondeatur.

8 Contra inſurgit adverſa ſententia, eſtque ejuſdem ſexta confirmatio. Qui amplectitur partem aliquam ut veram, & alteram rejicit ut falſam, id præſtat ex vi alicujus motivi, vi cujus paratus eſſe debet ad defendendam ſuam ſententiam, & rejiciendam oppoſitam: ergò motivum illud debet antecedenter ad aſſenſum repræſentari ei ut validius oppoſito, & veriſimilius: nam nemo defendens concluſionem ob aliquam rationem, eam putat eſſe validiorem oppoſita, eo quod illi præſtitit aſſenſum; ſed quia ſecundum ſe, & antecedenter ad aſſenſum ei apparet validior, & experitur, ſe vehementius per illam inclinari, quàm per oppoſitam. Et interrogatus cur amplectatur ut veram illam ſententiam potius, quàm oppoſitam? debet reddere rationem, quæ vim habeat ſuadendi independenter ab aſſenſu ipſo, & imperio eum inducente. Ergò qui amplectitur aliquam partem, ut veram, & oppoſitam rejicit, ut falſam, id præſtat, quia antecedenter ad aſſenſum illa pars propoſita ei fuit ut veriſimilior oppoſita.

9 Confirmatur ſeptimò, rejiciturque P. Terilli ſolutio: nam ſi antecedenter ad omnem actum voluntatis, & antecedenter ad aſſenſum unius partis, repræſentatur mihi ut veriſimilius, contractum A. eſſe peccaminoſum, idque intellectus meus experitur, & exercitè cognoſcit, vel etiam ſignatè, reflectendo ſupra majorem probabilitatem illius partis; quantumvis accedat imperium voluntatis flectens intellectum ad judicandum, illum contractum non eſſe peccaminoſum, neceſſariò intellectus experitur in eo inſtanti majorem

rem probabilitatem in ſententia aſſerente, contractum A. eſſe peccaminoſum, & judicat majorem probabilitatem eſſe penès ſententiam illam: ergò implicat, ut in eodem inſtanti pro poſteriori judicet ſententiam oppoſitam eſſe magis veriſimilem, magiſvè probabilem; quia in eodem inſtanti adhuc pro diverſis ſignis non poteſt judicare de eadem ſententia, eſſe minus veriſimilem, & eſſe magis veriſimilem: ſicut de eadem ſententia nequit in eodem inſtanti pro diverſis ſignis judicare, quod ſit vera, & ſimul judicare, quod ſit falſa: ergò quotieſcumque intellectus amplectitur aliquam ſententiam ut veram, & oppoſitam rejicit, ut falſam, manifeſtum eſt, antecedenter ad aſſenſum repræſentatam fuiſſe ei illam ſententiam, ut magis veriſimilem, & oppoſitam ut minus veriſimilem; ideò enim illam amplexus eſt ut veram, & oppoſitam rejicit ut falſam, quia antecedenter ad aſſenſum apparuit abſolutè magis veritas, quàm falſitas in illa ſententia, & in oppoſita apparuit magis falſitas, quàm veritas: ergò eſt chimæra, quod intellectus etiam ex imperio voluntatis amplectatur ut veram illam ſententiam, quæ antecedenter ei magis falſa, quàm vera apparebat, quatenùs dabantur rationes validiores ad ſuadendum eſſe falſam, quàm ad ſuadendum eſſe veram, eaſque manifeſtè intellectus experiebatur.

10 Confirmatur octavò: apparentia omnis, quæ non præcedit ipſum aſſenſum, de materiali omninò ſe habet ad poſsibilitatem ipſius: igitur ex apparentia vel actum ipſum intellectus conſequenti, vel ipſum actum comitanti, non poteſt defendi, nec ſtabiliri poſsibilitas aſſenſus præſtiti parti minus veriſimili: tum quia, cum contradictionem involvat, quòd eadem propoſitio in eodem inſtanti reali etiam pro diverſis ſignis, appareat minus, & magis veriſimilis, eo quòd magis alliciat intellectum, & eundem minus alliciat, fit inde, ut apparentia illa minor veritatis, quæ in noſtra ſententia reperitur in extremo ad cujus aſſenſum determinat voluntas, non poſsit verificari, niſi in inſtanti antecedenti ad aſſenſum, vel in inſtanti ſubſequenti: id vero apparentiæ nihil refert ad aſſenſum; nec ad quæſtionis noſtræ hypotheſim, quæ videlicet eſt, an dum extrema contraria æqualiter, vel inæqualiter probabilia, aut veriſimilia intellectui proponuntur, poſsit voluntas intellectum determinare ad aſſenſum extremi æquè aut minus veriſimilis; quod verò antea, vel poſtmodum intellectus experiatur, inveniatque majorem aut minorem veritatis apparentiam, extrà difficultatis punctum erit, nec intellectum poteſt movere ad aſſentiendum in inſtanti, in quo talis apparentia non dignoſcitur, nec eſt, reſpectu ejuſdem intellectus: igitur diſtinctio illa apparentiæ antecedentis, & conſequentis nullius momenti eſt ad elevandam prælibati argumenti difficultatem.

11 Confirmatur nonò ex Illuſtriſsimo Palanco *tract. de conſcien. quæſt.* 26. §. 5. *num.* 66. Implicat quòd objectum conſequenter ad affectum voluntatis, & ad aſſenſum intellectus appareat rationabiliter magis verum, aut magis probabile, ſi antecedenter proximè apparebat minus probabile, & minus verum: ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur; quia dum non apparet novum motivum, aut nova ratio pro objecto, implicat quod objectum appareat rationaliter magis verum, & magis probabile, quam anteà, ut per ſe patet; ſed poſtquam voluntas afficitur erga objectum, & intellectus ei aſſentitur, nulla nova ratio apparet pro objecto: ergò implicat quod objectum appareat conſequenter magis probabile, aut magis verum, quàm antea.

12 Quod ſi dixeris apparere novam rationem pro objecto, nimirum pro-

proprium judicium assentientis ei, propriamque authoritatem, quæ sunt nova motiva pro verisimilitudine objecti, contrà insurgit idem Palancus, & manifestè, ut ipse putat, quia propria authoritas judicantis ejusque judicium, non potest dici, quod sit ratio, aut motivum pro objecto, augens probabilitatem objecti. Quis enim nisi fatuè ita diceret; fateor, quod hæc opinio de se est minus probabilis, quàm opposita; tamen mihi est magis probabilis, quia pro illa stat mea authoritas, & meum judicium. Et hæc sunt rationes, & motiva vi quorũ mihi est magis probabilis. Urget: rationes, & motiva, quibus rationaliter nequit probari conclusio nequeunt facere illam conclusionem magis probabilem, aut magis apparere veram, sed nemo probare potest suam conclusionem, quia pro illa stat proprium judicium: ergò propria authoritas, & proprium judicium non sunt novæ rationes, aut motiva, vi quorum conclusio evadat magis probabilis, aut appareat magis vera: rursus assensus proprius non potest movere ad ipsum assensum eliciendum, ut patet.

13 Confirmatur decimo ex eodem, *dict. quæst. 26. num. 69.* si affectus, assensusque opinantis possent præstare majorem probabilitatem motivis præcedentibus, posset contingere quòd motiva essent antecedenter levia, & consequenter gravia, sed hoc est impossibile: ergò. Sequela patet: quia si possent assensus, & affectus præstare majorem probabilitatem motivis antecedenter minus probabilibus, possent eis præstare majus pondus, & majorem vim; sed eo ipso possent motiva antecedenter levia, contracto majori pondere, fieri consequenter gravia: ergò. Absurditas autem sequelæ patet; quia rursus ex illa sequeretur, quod judicans ex motivo levi, & temerè, consequenter posset idem judicare prudenter, seù ex motivo gravi, nulla superveniente ratione præter affectum proprium, & judicium ex motivo levi temerè conceptum; hoc autem nec ipsi contrarii admittere audebunt: ergò. Tum quia authoritas aut judicium alicujus pro aliqua sententia non facit illam sententiam magis probabilem, si semel sciamus, illum sequi opinionem minus probabilem. Imò si hoc sciamus potius facit opinionem illam arguitivè minus probabilem. Sicut si sciremus, aliquem eligere semper cibos minus salubres, quamvis eligeret cibum A, non probaretur, talem cibum esse salubriorem, sed potius esse minus salubrem; sed in prædicto casu voluntas per suum affectum eligit assentiri parti minus probabili: ergò ejus affectus, & assensus non reddunt illam partem magis probabilem, sed potius arguitivè minus probabilem.

SECTIO LXIII.

Superius argumentum, & ejusdem confirmationes, antecedentis ac consequentis apparentiæ retenta distinctione, exarmat instantiis.

1 PRælibatum ex Adversariorum sententia Achilleum argumentum licet in alium collineet scopum, ut in obsistentibus nobis nonnullis Authoribus conspicere est, quia tamen ex equo suas exerit vires adversus immediatam quoad speciem fidei libertatem, illud infringere; nostra refert; quoniam extra dubii aleam est, multò majorem in fidei objecto sufficienter proposito veritatis apparentiam splendere, quàm in hæreseos extremo; & in primis objectio haud unica eliditur instantia; nam primò, si intellectus, quia tendit sub ratione veri, assentiri

non potest objecto minus verisimili, nec voluntas adhærere affectivè, seu electivè minus bono quibit, quòniam tendit sub ratione boni: quod falsum esse, *sect.* 45. *& sequentibus* docuimus: consecutio autem liquida est; nam sicut intellectus vehementius à verisimiliori objecto impellitur, etiam à majori, seù meliori bono voluntas allicitur: quemadmodum ergò adversum nos majorem illam verisimilioris objecti vim stimulandi intellectum ad assensum, opposita sententia intorquet, ut hinc impossibilem assensum erga objectum minus verisimile evincat: æquo jure, & nos majus illud melioris boni pondus, quo voluntas illicitur, in adversarios deflectimus, ut vel fateri cogantur, voluntatem minus bonum amare, seù eligere non posse, vel si id renuant, nobis adsentientes intellectum determinari posse à voluntate ad assentiendum objecto minus verisimili fateantur. Videsis *sectionem* 51.

2 Secundò, juxta objectionem, intellectum pro posteriori signo alicujus instantis, magis, & absolutè assentiendo, adhærere objecto, quod pro priori ejusdem instantis signo, minus verisimile proponebatur, minusque eundem intellectum impellebat, contradictionem integit: ergò & voluntatem, pro posteriori signo alicujus instantis, magis & absolutè consentiendo adhærere objecto, quod, pro priori ejusdem instantis signo minus appetibile cognoscebatur, minusque eandem trahebat voluntatem, repugnantiam involvet.

3 Tertiò: si quispiam Regius Consiliarius in Supremo Senatu postquàm in re magni momenti ad libram intellectus, & rationis placita duo immediatè, & extremè opposita expenderit, in hunc modum suffragium ferret: ego quidem, judicii lance perpensis omnibus, censeo, negotium istud ita peragi, bonum, & melius esse; nihilominus tamen volo aliter, & oppositum minus bonum opus exequi, rem novam diceret, stuperentque omnes in Senatu ad admirandam sententiam istam. Certè nullus hucusque ita locutus scitur, & si quis ita consilium præberet, non solum cum admiratione, sed & cum risu ab omnibus exciperetur, nec ita velle, nec ex animo loqui, aut consulere, sed potius fingere crederetur. Ergò quia ex ipso naturæ lumine cunctis mortalibus insito est repugnantia hujusce electionis objecti minus boni, similisque consilii? Ergò voluntas non potest minus bonum eligere, in conspectu melioris?

4 Quartò: juxta objicientes, opposita sunt virtualiter hæc judicia: color A. est similior albo, quàm nigro: color A. non est albus, sed niger: eandemque oppositionem habent hæc alia duo: extremum A. est manifestè similius vero, quàm falso: extremum A. non est verum sed falsum: tum sic, igitur consimili oppositione obsistunt sibi hæc alia judicia: objectum A. est similius bono, quàm malo: objectum A. non est bonum, sed malum: eandem ergò oppositionem habebunt hi actus, ego magis propendeo in objectum A, ut similius bono, quàm malo: ego simpliciter nolo objectum A, ut malum: consequentia eodem jure gaudet, quo adversum nos contraria sententia agit: at consequens falsum est; quòniam proposito aliquo objecto ut bono magis verisimiliter, eodemque cognito ut minus verisimiliter malo, adhuc voluntas potest illud ut malum respuere: ut patet. Hinc verò, & præ oculis retentis superioribus instantiis, haud magna difficultate, reliquæ objectæ confirmationes retorqueri valent.

Quin-

5 Quintò ut urgeam, præmitto primò, plurium graviumque Theologorum esse sententiam asserentem, non posse esse peccatum sine errore, quo intellectus judicet, hoc hîc, & nunc esse faciendum. Sic enim docuere Durandus *in* 2. *sent. dist.* 5. *quæst.* 1. *num.* 10. *&* 11. Capreolus *in* 3. *sent. dist.* 36. *quæst. unica, art.* 3. *ad primum, & ad alia argumenta Scoti contra primam conclusionem.* Hisp. *in* 3. *sent. dist.* 36. *quæst. unica. art.* 3. *&* 4. Zumel *in* 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 2. *disp. unica. concluf.* 2. *&* 6. Adrian. *quodlibet.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. Petrus de Soto *lec.* 2. *de Actib. human. & lect.* 2. *de Peccatis.* Cajetanus, Medina, & Conradus *in* 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 2. ubi D. Thomas haud parum favet eidem opinioni, tum *in corp.* tum *in solutione ad* 3. *& ad* 5. ut expendit Vincenti. *in Speculo morali. lib.* 3. *part.* 2. *dist in.* 6. *ad* 2. Id etiam opinantur Gotofred. *quodlib.* 5. *quæst.* 1. *& quodlib.* 8. *quæst.* 16. Henricus *quodlib.* 10. *quæst.* 10. *& quæst.* 13. P. Valentia *in* 1. 2. *disp.* 6. *quæst.* 8. *punc.* 1.

6 Tribuitur etiam idem placitum Alensi *part.* 2. *quæst.* 23. *memb.* 1. §. 8. *& quæst.* 129. *memb.* 4. Durando *non solum loco jam citato, sed etiam in* 2. *dist.* 23. *quæst.* 1. *& dist.* 39. *quæst.* 1. Div. Antonino *prima part. tit.* 6. *cap.* 1. §. 1. *&* 2. *part. tit.* 5. *cap.* 9. *in fine*, Bachonio *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Ægidio *in* 2. *dist.* 24. *part.* 2. *quæst.* 2. *art.* 1. Peletano *tract.* 17. *de peccat. orig. in fine, & aliis.*

7 Secundò præmittendum venit, quòd prælibata sententia exponitur ab aliquibus ita, ut peccatum esse non possit sine errore intellectus, consistente in præcepto, seù imperio, quo intellectus jubeat fieri opus, quod faciendum non est juxta legem, & rationem; quod imperium dicitur esse ignorantia, & error quidam oppositus non scientię morali, sed prudentiæ, cujus præcipuum munus est præcipere. Ita etiam docent Cajetanus, Medina, Conrad. Hispal. Valentia locis proximè relatis, idem Valentia *disp.* 5. *quæst.* 7. *punc.* 2. Zumel *supra, concluf.* 7. licet putet, Cajetanum nomine præcepti judicium practicum particulare intellexisse: & ita isti Authores interpretantur dicta Divi Thomæ, Aristotelis, & aliorum asserentium, non dari peccatum sine errore, aut ignorantia.

8 Hinc verò haud inefficax efformari valet instantia, Adversariorum disjiciens ratiocinium; quòniam prælucente cognitione turpitudinis objecti, motivis utique urgentioribus ad retrahendam voluntatem à prosecutione illius, & consequenter avertentibus intellectum majori pondere ab imperio amoris, & consensus in objectum ipsum, nihilominus in eodem instanti, homo peccare potest, & sæpè ita Deum offendit: id quod juxta objicientes contingere non posset, præmuntur quippè sub hac forma: implicat contradictionem hujuscemodi enunciatio: quamvis censeam extremum A. esse manifestè verisimilius extremo B. nihilominus censeo extremum A. esse falsum, & extremum B. esse verum: ergò contradictionem eodem jure includit enunciatio ista: quamvis cernam extremum A. esse manifestè imperio intellectuali dignius extremo B. nihilominus intellectuali imperio rejicio extremum A. & impero extremum B. erga quod intellectus meus minus propendet.

9 Idem urgetur primò, imperium quippè juxta sententiam adductam, & in priori ejus sensu, est judicium intellectuale, & si practicum: sic enim expressè tradit perdoctus Bartholomæus Medina in prim. secun. *quæst.* 9. *art.* 1. *pag. mihi* 169. ubi postquàm statuit in tertia conclusione, non

ſufficere ad movendam voluntatem judicium practicum, quod explicatur his verbis: *Beatitudo eſt ſummè appetenda: bonum eſt ſequi virtutem*: in quarta concluſione inquit. Satis eſt ad movendam voluntatem judicium practicum intellectus, quod explicatur his verbis: *fac hoc, ama, dilige*. Exim. Doct. P. Suarez, quamvis inficietur eſſe neceſſarium imperium intellectuale ad movendam voluntatem, tamen *diſp.* 19. *Metaph. ſect.* 6. *num.* 8. conſimiliter docet, imperium practicum intellectus, quo quis intelligitur ſibi ipſi, vel ſuæ voluntati imperare, non eſſe aliud à judicio perfectè practico, & omninò definito cum omnibus circunſtantiis: & non nullis interjectis in eundem ſenſum ait: Neque Ariſtoteles, aut D. Thomas imperium rationis aliter unquam declarant, quam per modum judicii omninò practici, ut latius *in* 1. 2. *q.* 17. *tractatur*: concinunt P. Fonſeca *tom.* 3. *met. lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 2. Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 29. *quæſt.* 1. & 2. Vazquez *in* 1. 2. *diſp.* 49. *cap.* 3. *num.* 14. & 1. *part. diſp.* 87. *cap.* 3. & 1. 2. *diſp.* 150. *cap.* 3. & 4. Didacus Ruiz *diſp.* 3. *de providen. ſect.* 6. Arrubal 1. *part. quæſt.* 22. *art.* 1. *diſp.* 63. *cap.* 3. Puente Hurtado *diſp.* 15. *de Anima. ſect.* 8. Arriaga *diſp.* 8. *de Anima. ſect.* 2. Tannerus 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 17. & *quæſt.* 2. *num.* 31. Oviedo *controver.* 8. *de Anima. punc.* 5. & *in* 1. 2. *de Actib. hum. tract.* 2. *controv.* 4. *punc.* 6. *num.* 151. Mag. Lorca *diſp.* 21. *verſ. Quia verò.* Doct. Monteſinos *in* 1. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 17. & *quæſt.* 2. *num.* 31.

10 Porrò autem judicium iſtud practicum, in quo ex tot præſtantium Theologorum ſenſu conſiſtit rationis imperium, crebrò ab intellectu elicitur, dum ſtimulis conſcientiæ urgetur, præmiturque, ne ita operetur, nè in eum actum erumpat, ut dum homo cum plena mali advertentia peccat: maximè quando ex malitia delinquit, & ſcienter malum, & prohibitum eligit: in hac enim hypotheſi quis ibit inficias, potiora, & urgentiora cognoſci motiva retrahentia ab illo dictamine, & judicio practico? ſanè hujuſcemodi ſunt objecti ipſius malitia, & turpido, lex Dei, ſeù legitimi ſuperioris, æternum damnum, cui ex legis tranſgreſſione homo ſubjicitur; quæ omnia imperio illi, & judicio practico obſiſtunt. Sub his ergò terminis homo delinquens, ita cenſeret: omnibus quidem inſpectis, ego magis propendeo, ut cenſeam hic, & nunc non eſſe agrediendum opus iſtud lege prohibitum, nec ab intellectu meo eſſe imperandum, ſimulque animadverto, voluptatis, commodivè brevis uſuram, necnon ſpem ex delicto emergendi exigui eſſe ponderis, ut à me practicum id exequi judicium hic, & nunc extorqueant: nihilominus tamen judico, in his circunſtantiis iſtud prohibitum delectabile, aut utile bonum eſſe faciendum, & ut tale impero voluntati meæ, ut faciat. Profectò hic modus tendendi intellectus, dum homo peccat cum plena advertentia, colligitur ex Adverſariorum ratiocinio, & ex præſuppoſita ſententia præſertim *num.* 5. & 6. imò & ex adducta *num.* 7. quam eſſe valdè probabilem, & ingenti authoritate fulcitam à nemine negari poteſt, etiam in illius priori ſenſu.

11 Illaque præterea illuſtratur à Card. Bellarmino, *tom.* 3. *lib.* 3. *de Gratia, & libero arbitrio, cap.* 8. *propoſ.* 6. *col.* 499. ſic ajente: (Sexta propoſitio: voluntatis electio pendet neceſſariò ab ultimo judicio practicæ rationis. Probatur. Nam voluntas non poteſt aliquid velle ſine præcedenti judicio rationis, ergò ſi judicium ſit indeterminatum, & ipſa erit in-

indeterminata, si judicium determinatum sit, & ipsa determinata erit: at judicium ultimum practicum est omninò determinatum, dicit enim tunc ratio, (perpendas quæso) hoc nunc omnibus consideratis est faciendum, igitur voluntas necessariò eliget id, quod ultimum judicium practicum determinavit esse eligendum.

12 Probatur antecedens primæ consecutionis manifestis rationibus. Primò voluntas est appetitus rationalis,& ex Arist. *lib.* 3. *Ethic. cap.* 2. electio est appetitus intellectivus. Ex August. *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 4. nemo potest amare incognitum, igitur sine rationis actu precedente nulla esse potest electio. Secundò voluntatis objectum est bonum apprehensum, & judicatum conveniens, quo circa si voluntas aliquid vellet sine præcedenti cognitione,& judicio, operaretur sine objecto, quod fieri non potest. Tertiò. Quidquid homo agit,propter aliquem finem agit, ac proinde fieri nequit, ut moveatur ad eligendum aliquid, nisi ratio dictet illud esse medium conveniens ad propositum finem. Denique experientia idem docet. Nemo enim est, qui si quæratur ab eo, cur aliquid agat, non respondeat quia judicat ita esse faciendum. Ille etiam qui dixit, sit pro ratione voluntas, non excluſit judicium ab electione, sed judicavit, bonum sibi esse contra rationem agere. Itaque rectè S.Bernardus in *lib.de Gratia,& libero arbitrio*: *Habet* (inquit) *voluntas quocumque se volverit semper comitem rationem*, non quod semper ex ratione,sed quod nunquam absque ratione moveatur. Hactenùs Eminentiss.Bellarminus.

13 Et post alia eundem in scopum,*colum.* 500.*circa finem. dict. cap.* 8. sic pergit præclara eruditione excultus Scriptor. (Accedat ad has rationes,quòd si posset fieri,ut quis eligeret contra dictamen ultimi judicii practici,posset etiam fieri, ut in voluntate esset peccatum sine ullo errore, vel defectu in ratione, sivè intelligentia. Quod quidem Adversarii coguntur admittere. Sed certè videtur esse contra illud Salomonis, *Proverb.* 14. *Errant,qui operantur malum.*Et manifestissimè pugnat cum sententia Philosophi, *lib.* 3. *Ethic. cap.*1.3.& 5.*lib.*6.*cap.* 12.& 13.*lib.*7. *cap.* 3.& *in lib.*3.*de anima tex.*58. Hæc ille: quæ excerpere libuit, non quòniam huic placito,de necessitate hujusce imperii, ego subscribam,sed ut liquidum fiat,argumentum, cui multum ac nimis adversarii fidunt, nostramque sententiam funditus everti existimant,eadem efficacitate, tot sapientia, & antiquitate illustrium Scriptorum opinionem impetere, ex illaque eandem objectionem instari, & dilui satis dilucidè: cum enim imperium, seù judicium ultimum practicum exactum ad liberè operandum juxta prefatos Authores, enuntiet, *hoc opus nunc omnibus inspectis esse faciendum*, & sæpè homines cum plena advertentia minus bonum, imò & malum operentur: fit utique quod licet motiva adsint urgentiora ad partem negativam in re aliqua censendam:potest tamen intellectus ex libera affectione, & determinatione voluntatis affirmativam partem amplecti:id quod nos intendimus:si autem id fieri nequeat propter absurda, quæ adversarii deduci credunt: opus est, ut illa omnia absurda in præstantissimos prælaudatos Authores contorqueant.

14 Dices: si quotiescumque homo peccat, aliquis error in ejus intellectu præcederet : omnis peccator esset hæreticus, & quoties homo incideret in peccatum, toties laberetur in hæresim: sed hoc est falsum, & absurdum,cum multi fideles peccent in mortalibus, & tamen à fide non deficiant: ergò & illud.Respondeo,hanc difficultatem à me non exiguam censeri, eam tamen elevare, attinere ad Authores

prælibati imperii: nobis enim ſufficit, quòd prædictum judicium practicum ex capite contradictionis in ſe ipſo non oppugnetur. Interim à præfatis Authoribus objectioni occurritur dicendo, quòd cum error, qui in intellectu peccantis exiſtit, non ſit ſpeculativus, ſed practicus, nec fidei, ſed ſolum rectæ rationi, & prudentiæ adverſetur, peccatorem, infidelem, vel hæreticum non reddit, ſed ſtultum potius, & imprudentem, ut patet ex illo *Proverb.* 14. *Errant omnes qui operantur malum.* Sic illi.

15 Nec inſtantiæ energia infringitur, ſi dixeris: practicum illud judicium ideò efformari poſſe, quia bonum delectabile vividius proponitur, quàm honeſtum: nam contra urgeo primò: vividior boni propoſitio ſolum eſt motivum immediatè alliciens voluntatem, non intellectum: ſecundò, ſi motivum minoris in ſe ponderis, quia vividius repræſentatur, ſufficit, ut intellectus gravioribus motivis diſſentiat, ſimili, ſeù eadem ratione ſtare poterit aſſertio noſtra de poteſtate intellectus aſſentiendi extremo minus veriſimili in conſpectu magis veriſimilis, ſaltem ſi minus probabile, aut minus veriſimile vividius proponatur. Tertiò: voluntas poteſt amare, & eligere bonum minus vividè repræſentatum in conſpectu oppoſiti boni efficacius cogniti, ut fusè oſtenſum eſt *ſect.* 49. *per totam*: igitur intellectus etiam ex voluntatis imperio, ac determinatione aſſentiri poterit objecto minus vividè apprehenſo.

16 Dices iterum, ex inſtantia adducta nimis probari, & proinde nihil, patet; quòniam certum, & evidens eſt, malum omninò eſſe fugiendum in linea morali: ita ut nec facienda ſint mala, ut inde veniant bona. *cap.* 1. *&* 2. *cau.* 14. *quæſt.* 5. *cap. Non eſt putandum.* 1. *q.* 1. *cum vulgatis*: ſed nihilominus juxta prælibatam ſententiam intellectus poteſt judicare, hic & nunc, practicè efficiendum eſſe actum prohibitum, ſeù malum: ergò intellectus poteſt aſſentiri objecto contrario principiis certis, & evidentibus: quo nihil falſius. Reſpondeo, hanc objectionem, non noſtram impetere ſententiam, ſed illam, quam ſupponimus: nec ideò illi ſubſcribimus; cæterum ex doctrina Authorum ejus dicendum, quòd malum non eſt faciendum juxta prudentiam, rectamque rationem, idque certum, & evidens eſt; at cum voluntas poſſit à recta ratione deficere, ideò poteſt determinare intellectum ad eliciendum practicum judicium rectæ rationi contrarium; tum quia illud judicium non ſpeculativè, ſed practicè ſolum determinat voluntatem, ut preferat actum prohibitum ſub ratione utilis, aut delectabilis: Authores enim hujuſce imperii neceſſarii ad operandum, aſſerunt, quòd voluntas ſicut applicuit liberè intellectum ad illud judicium, ita potuit ipſum applicare ad oppoſitum: unde, & voluntas determinat ad ſic practicè judicandum, & inſuper ab hoc ultimo judicio practicè practico ad agendum voluntas determinata eſt: videſis præter ſupra relatos Authores, Gonetum *tom.* 3. *tract.* 5. *de Peccatis. diſp.* 6. *de cauſis pecc. art.* 2. *per totum, & præcipuè num.* 29.

17 Sextò inſtari poteſt objectio in judicante temerè de proximo: quòniam vel ſub his terminis locum habent oppoſitæ difficultates, earumque confirmationes, itaque adverſarii onus ſubire adiguntur elevandi illas, quatenùs impoſsibilitatem aſſenſus erga partem minus veriſimilem concludere tentant: vel neganda venit judicii temerarii poſsibilitas, quod ingens eſſet abſurdum: omnia liquent ex dictis *ſect.* 52. *& ſeq.* Septimò, & urgentius ex aſſenſu formaliter hæretico, & pertinaci, juxta ea, quæ fusè tradidimus ſupra, conficitur planè inefficacem eſſe adverſariorum ratiocinationem.

SEC-

SECTIO LXIV.

Directè elevat idem argumentum ipsiusque confirmationes.

1 DIrectè igitur respondeo inhærendo doctrinæ traditæ à P. Terilo *q.* 8. & 9. *de consc. prob. tum in Regula mor. part.* 1. *quæst.* 30. & concedo primum objectionis antecedens, at neganda est consequentia: ad cujus probationem dicendum, quòd licet contradictionem implicet, quòd citra voluntatis determinationem intellectus assentiatur extremo sibi minus verisimili, at intervenientе ea voluntatis determinatione id nullam involvit repugnantiam: nec ideò infertur, quòd sic elicito assẽsu, intellectus possit absolutè dicere, *hoc cẽseo verum, oppositumque esse verisimilius, & probabilius*; quòniam post affectum, & determinationem voluntatis, & multò magis post assensum uni parti impensum, fertur intellectus in objectum illud tanquam probabilius, aut verisimilius, & absolutè verum: unde cum objectio supponat præstitum jam assensum, falsò assumit, quod simul possit intellectus absolutè dicere, probabilius aut verisimilius esse extremum assensui contrarium.

2 Ad primam confirmationem, concedo, illum actum neminem experiri, nempè: *Ego credo hoc, sed video contrarium esse probabilius*, quia in hoc complexo judicio præsupponitur assensus uni parti impensus: assensus autem vis, & efficacia respectu intellectus assentientis, præsertim, ut cum voluntatis affectione conjuncti, tanta est, ut extremum, cui adhæret, apparere faciat verisimilius, & probabilius opposito, & unicè, & absolutè verum: Hinc ratio descendit, ob quam nemo in publica disputatione, mentem suam ita proponeret: ego quidem inspectis omnibus, censeo, sententiam affirmativam gravioribus inniti, & verosimilioribus fundamentis, ratione quorum mihi verosimilius est, ipsam præ negativa, veram esse: Nihilominus sententiam negativam existimo absolutè veram: nemo inquam ita concluderet, quia nemo Cathedram ascendit studendi causa, sed docendi; ideòque Cathedram ascensurus jam apprimè rem discussit, & difficultatis lancem suis ponderibus librasse, supponitur, & consequenter aliquam ex partibus contradictionis illius menti insedisse, ut veram; quapropter elicito assensu illi extremo absolutè, nequit contrarium enunciari absolutè probabilius: & propterea fingere, & illudere crederetur, qui diceret se assentiri sententiæ affirmativæ, probabiliorem tamen censere negativam.

3 Unde nullo negotio secunda excinditur confirmatio; quamvis enim in Cathedra docens, aut prælegens sententias proponat oppositas, quin statim suam mentem aperiat, non ideò credimus intellectum prælegentis nulli ex partibus contradictionis assensum præstitisse, sed potius expectamus, ut suam opinionem proferat, si ergò in suæ sententiæ probatione assereret, partem affirmativam esse absolutè probabiliorem, oppositam verò esse veram absolutè, contrariа, & sibi contradicentia enuntiaret; & proinde nihil mirum, quòd sic eloqui, puderet virum vel mediocriter doctum; quia ut libavimus affectus voluntatis, & assensus intellectus constituunt objectum, quod amplectuntur, in ratione veri, & probabilioris respectu assentientis.

4 Ad tertiam confirmationem, utque ad reliquas confirmationes expositio præluceat, assero cum P. Antonio Terillo de *consci. prob. quæst.* 8. *assert.* 3. *num.* 30. duo illa judicia, licet rarò admodum conjungantur, partem scilicet affirmativam esse probabiliorem,

rem, eandemque abſolutè eſſe falſam, tamen non eſſe metaphyſicè incompoſsibilia; quia primum judicium ſolum enuntiat de apparentia, quam objectum habet in intellectu pro priori ad omnem affectum, omnemque aſſenſum erga illud abſolutè impenſum: ſecundum verò enuntiat de apparentia, quam habet, prout illud unà cum prioribus motivis nunc ſubſtat efficaci amori, & abſoluto aſſenſui ita judicantis. At hæc apparentia diverſa eſt à priori, & à diverſis cauſis derivatur. Ergò abſurdum non eſt, quod idem intellectus ſimul enuntiet primam apparentiam eſſe potiorem pro parte A, quàm pro parte B; ſecundam verò magis favere B, quàm A, & ſubinde veram eſſe B, ſecus A.

5 Verum quidem eſt, quòd hæc duo judicia, ut libavi, rariſsimè conjunguntur, primò, quia ſi comparatio fiat ante omnem affectum, & determinationem voluntatis, cum in incertis ante id determinationis, aſſenſus opinativus elici non poſsit, nec præfata judicia in mente poterunt reperiri. Secundò, quòniam quando enunciamus de aliqua poſitione, non tam ferimus judicium de apparentia, quæ præceſsit amorem, & determinationem voluntatis, quàm de apparentia concomitante, aut ſubſequente voluntatis imperium, & aſſenſum opinativum, qua ſcilicet nunc conſideramus nos diſpoſitos ad continuandum in præſenti opinione: unde juxta communem ſenſum idem eſt cuique, opinionem eſſe ſuam, ac eſſe probabiliorem; eaque propter rarò admodum fiet, ut quiſpiam enuntiet opinionem ſuam ſibi apparere minus probabilem, juxta apparentiam, ſcilicet præcisè antecedentem.

6 Præ oculis autem habita diſtinctione hujus duplicis apparentiæ, nempè præcedentis, & conſequentis, evaneſcit contradictio illarum propoſitionum, quæ verificari debent juxta nos: ſcilicet, hoc cenſeo verum: oppoſitum apparet, vel cenſeo probabilius, aut veriſimilius: hæc enim judicia ſi accipiantur de eodem, & ſecundum idem, erunt ſibi oppoſita, ſed non ita concedi debent, nec bona conſecutione ex principiis, doctrinaque tradita ſubduci queunt: ſolùm quippè verum habent ſecundum diverſas ejuſdem objecti apparentias, aliam antecedentem, & ſubſequentem aliam, quamvis in eodem inſtanti repertas: id verò nullam involvere repugnantiam liquet, tum ex terminis: tum ab exemplo in re eadem ſuſcipiendo à cunctis: ſi enim opinio aliqua inſpiciatur ut oppugnata à valida quidem, & difficulter elevanda objectione, apparet, quidem falſa; cæterum ſi opinio ipſa introſpiciatur, ut à magni momenti rationibus fulcita, jam vera proponitur, cenſerique poteſt: in eodemque inſtanti intellectus judicans veram eſſe illam ſententiam, contemplari, aut animadvertere, poteſt rationem, qua non leviter falſa appareret, non utcumque, ſed magis veriſimiliter, inſpectis ſcilicet rationis momentis præciſè eam oppugnantibus: igitur nullam dicit repugnantiam, quòd ſecundum apparentiam præciſivè antecedentem voluntatis determinationem ſententia aliqua judicetur probabilior, aut veriſimilior; & ſecundum apparentiam ſubſequentem in eodem inſtanti judicetur falſa.

7 Illuſtratur ex traditis à P. Joanne Azorio, *Inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 2. *colum. mihi* 125. *lit. D.* ubi inquit, poſſe nos rei alicui aſſentiri, vel ex principiis ejus propriis, & internis; aut ex principiis communibus, & extrinſecus aſſumptis. Si aſſentiamur ex cauſis rei, vel ex propriis ejus effectibus, vel ex propriis affectionibus, aut aliis, quæ ſunt cum re ipſa connexa: tunc aſſentimur rei ex propriis principiis, & internis: ſi aſſentiamur verò ſolo teſtimonio, & auctoritate dicentium,

vel

vel argumentis, rationibus, conjecturis, vel ſignis tantùm probabilibus permoti, tunc aſſentimur ex principiis communibus, & extrinſecus adhibitis. Nam teſtimonia dicentium extrinſecus petuntur, & argumenta probabilia (ſubaudi extrinſeca) communia tantum ſunt, non propria; quòniam utramque quæſtionis partem probabilem conficiunt. Poſtremò eſt animadvertendum, poſſe nos duos aſſenſus de eadem re ſimul contrarios habere: unum ex principiis propriis, & cum re ipſa conjunctis, alterum ex principiis communibus, & extrinſecus accedentibus. Exempli gratia, putat quis, ſe peccare, ſi ex mutuò commodum exigat, & accipiat ratione lucri ceſſantis, ponamus eum ita ſentire ob rationes, quas putat eſſe ex mutui natura deductas, & nihilominus credit, ſe nihil mali committere, id emolumenti ex mutuo petendo, quia novit eſſe opinionem communem maximè probabilem, aſſerentem, nullum in ea re committi peccatum; hic ex diverſis principiis diverſa concludit; pari ratione aliquandò contingit, ut quis dubitet an res, quam poſsidet, ſit ſua, an aliena: an eam reſtituere debeat, an vero ſibi retinere tuta conſcientia poſsit: & nihilominus ex alio principio aliundè ſumpto, jure poteſt rem eam ſibi retinere; quia in rebus ad juſtitiam pertinentibus melior eſt conditio poſsidentis. Ex hoc igitur principio extrinſecus ſumpto motus, ac ductus exiſtimat, non debere ſe rem, quam poſsidet, reſtituere: ex aliis verò principiis dubitat an ſibi liceat retinere. Hæc P. Azorius in eadem perſiſtens ſententia *lib. 2. cap. 17. quæſt. 7. fine.* unde optimè conſici videtur, quòd ſi ex diverſis principiis eadem res cenſeri poteſt quòd liceat, & quòd non liceat, potiori ratione judicare poterimus, ſecundum unam præciſivam apparentiam quidquam veroſimilius eſſe, & ſecundum aliam minus veriſimile, imò & falſum eſſe idem: & ita fieri poteſt, hæreticum ex vi ſui hæretici aſſenſus credere, falſam eſſe Eccleſiæ doctrinam, & ex vi propoſitionis ſufficientis ad aſſenſum Catholicum agnoſcere, longè credibiliorem eſſe Eccleſiæ doctrinam.

9 Ad quintam confirmationem fateor, quòd qui aliquid affirmat, credit etiam, ſe verum dicere, ſi mente id enuntiet, & proinde credit falſum dicere eos, qui id negant; cæterum conſequens ab objiciente deductum venit diſtinguendum: nam ſi inſpiciatur apparentia conſequens affectum voluntatis, & intellectus aſſenſum, vel eum concomitans, haud diffiteor, quod qui ſic affirmat, credit etiam, ſe majori fundamento niti, quàm negantes: at ſi præciſè conſideretur apparentia præcedens, id credere non debet in hypotheſi, quam verſamus: eàdemque diſtinctione elevatur contradictio, & abſurdum, quod nobis opponitur ex enunciationibus, quæ ſine illa diſtinctione effinguntur, præſertim cum de ſola ſubſequenti, aut concomitanti apparentia accipiendæ veniant: ſiquidem apparentia antecedens, eſt talis ſecundum quid, conſequens verò ſimpliciter talis: quamobrem quemadmodum, falſa eſt hæc propoſitio, abſolutè prolata, *Æthiops eſt albus*, licet vera eſſet, ſi diceretur de eodem, quod eſt albus ſecundum dentes: quia id limitatæ albedinis non conſtituit ſubjectum ſimpliciter album, ſed ſecundum quid: conſimili ratione enunciatio illa: *Ego quidem cenſeo contractum A. eſſe uſurarium, & falli Authores id negantes; nihilominus fateor, fundamenta illorum eſſe urgentiora, & veriſimiliora*: eſt quidem abſolutè, & ſimpliciter falſa: quia ſimpliciter, & abſolutè aſſeritur, fundamenta aſſenſui contraria eſſe urgentiora, cum id ſolum verificari poſsit cum limitatione, & ſecundum quid, vel ſecundum antecedentem apparentiam; quæ reſtrictio

non

non ſignificatur in præfata complexa enunciatione, ideòque eſt falſa, quia venit ſimpliciter accipienda, ſeù de apparentia conſequenti, aut aſſenſum comitanti: verba quippè abſolutè prolata intelligenda ſunt ſimpliciter, & non ſecundum quid *leg. Hoc legatum.* §. 1 *ff. de legat.* 3. *leg.* 1. §. *Si quis ſimpliciter. ff. de verb. oblig.* Cardin. Tuſchus, *tom.* 8 *lit. V. concluſ.* 92. *per totam*; & Dialectici id frequenter adnotant, ac propterea contradictionem includit prædicta aſſertio.

10 Tum quia verba debent intelligi ſecundum communem uſum loquendi, *leg. librorum.* §. *quod tamen.* ubi Bartolus, *ff. de legat.* 3. *leg. Labeo. ff. de ſupellect. legat. leg. cum de Lanionis.* §. *Item. verſ. Optimum ergò. ff. de fund. inſtruc. leg. cum autem. Cod. de donation. ant. nup.* Cardinalis Mantica *de conject. ult. volunt. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 1. Gonçalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ. Gloſſ.* 11. *num.* 68. *Gloſ.* 13. *num.* 62. Auguſt. Barb. *tract. variar. axiom.* 222. *n.* 7. ſed, ut animadverſum eſt ſupra *n.* 4. & 5. rarò admodùm conjunguntur duo illa judicia, alterum nempè affirmativam majoris antecedentis apparentiæ veritatis, alterum conſequens negativum abſolutè veritatis objecti ejuſdem: igitur quando non exprimitur hujus duplicis apparentiæ diſtinctio, aut præciſio, ea ſubintelligi non debet, ſed cenſendum eſt, enunciari de objecto ſecundùm eandem indiviſam apparentiam, utique ſubſequentem ad voluntatis determinationem, & comitantem aſſenſum intellectus: quo in ſenſu, profectò contradictionem involvunt talia judicia, quæ in objectione adducuntur; eaque propter noſtræ ſententiæ nullatenùs officiunt.

11 Ad ſextam confirmationem reſpondeo, verum eſſe, & à nemine negari poſſe, quòd qui amplectitur partem aliquam, ut veram, & alteram rejicit, ut falſam, id præſtat ex vi alicujus motivi, vi cujus paratus eſt ad defendendam ſuam ſententiam, & rejiciendam oppoſitam: ſimiliter non infitemur, debere illud motivum præcedere aſſenſum intellectus; cæterum hæc motivi præcedentia poteſt eſſe duplex, alia quæ licet antecedat intellectus aſſenſum, ſubſequitur tamen voluntatis imperium, & affectionem: motivum ergò aſſenſum præcedens debet proponi ut majus, & urgentius poſt determinationem voluntatis, ſecus ante illam, ut latè ſtabilit P. Terillus locis ſupra citatis, unde qui amplectitur aliquam partem ut veram, & oppoſitam rejicit ut falſam, id præſtat, etiam in ſententia quam propugnamus, quia antecedenter ad aſſenſum, ſubſequenter tamen ad affectionem, imperiumque voluntatis, illa pars ei propoſita fuit ut veriſimilior oppoſita; quod ſi contendas, etiam opus eſſe, quòd antecedenter ad voluntatis imperium, ut veriſimilior proponatur, id utique inficiamur, & ab objiciente debet amplius oſtendi.

12 Ad ſeptimam confirmationem, concedimus, quòd in hypotheſi, pro priori ad voluntatis imperium, intellectus experitur majus veriſimilitudinis pondus pro parte ſibi probabiliori, aliàs nec probabilior illi appareret; cæterùm adveniente voluntatis affectione, ſeù pro poſteriori ad illam, pulſatur jam intellectus majori pondere pro parte, cui voluntas efficaciter adhæret, & aſſentiri imperat: & licèt contradictionem involvat, quòd intellectus, etiam pro diverſis ſignis ejuſdem inſtantis, judicet de eadem ſententia, ſecundum apparentiam eandem eſſe magis veriſimilem, & minus veriſimilem; tamen nullam dicit contradictionem, quòd ſecundum apparentias diverſas aliam priorem, aliamque poſteriorem, idem intellectus pro diverſis ſignis ejuſdem inſtantis, judicet de eadem ſententia, ſic eſſe magis veriſimilem, & minus veriſimilem; quia volunta-

tatis affectio, & imperium efficit, indirectè saltem, majorem esse apparentiam verisimilitudinis pro parte, cui voluntas afficitur.

13 Id quod adversarii diffiteri non possunt, quando voluntas imperat assensum erga partem probabiliorem, tunc enim proculdubio major apparet verisimilitudo in parte illa pro posteriori ad affectionem, & imperium voluntatis, & pro priori ad intellectus assensum, quàm apparebat ante id imperii, & affectionis: igitur idem omninò objectum sortiri majorem, minoremque verisimilitudinem, pro eodem instanti reali, & pro diversis ejusdem signis, contradictionem haud implicat; quia nimirum id obtinet secundum diversas considerationes.

14 Tum quia pro posteriori ad assensum, & concomitanter ad illum, majorem etiam verisimilitudinem adipiscitur objectum, quàm pro signo indifferentiæ ad assentiendum: patet, quia pro posteriori ad assensum, & in illius signo, verisimilitudine asserta, & definita, objectum gaudet absoluta verisimilitudine seù veritate, quæ de illo enuntiatur; at pro priori ad assensum, tali carebat verisimilitudine, seù potius ab illa præscinditur: nihil ergò repugnantiæ est in eo, quòd idem objectum pro posteriori ad affectum, imperiumque voluntatis cognoscatur verisimilius, & quòd in eodem instanti, pro priori ad id affectionis, & imperii, ab ea majori verisimiiitudine præscindatur, & cognoscatur secundum verisimilitudinem minorem; quamvis contradictionem involvat quòd in eodem instanti etiam pro diversis signis, eadem propositio judicetur vera, & falsa: quia veritas, & falsitas, sicut esse, & non esse, immediatè, & omninò opponuntur; at major verisimilitudo, & minor ejusdem objecti non contradicunt sibi, sed reperiri possunt ex diversis motivis: sicut in probabilissima sententia idem objectum potest esse terminus scientiæ, fidei, & opinionis in eodem instanti, in eodemque intellectu.

15 Hinc liquet, quòd etiam pro priori ad assensum intellectus, jam illi repræsentatur ut verisimilior pars illa, quæ pro priori ad voluntatis imperium, & affectionem intelligebatur, ut minus verisimilis; quamobrem licet opus sit, quod pro priori ad intellectus assensum proponatur, ut verisimilior pars, cui assensus præstatur, id illa obtinet ratione affectus, & imperii voluntatis; idque necessum esse existimat P. Terillus in *Regu. mor. part.* 1. *quæst.* 30. *assert.* 2. *num.* 3.

16 Unde fluit solutio ad confirmationem octavam; quòniam, & si apparentia, quæ assensum non præcedit, insufficiens sit ad alliciendum intellectum ad assentiendum, simulque requiratur, objecti verisimilitudinem esse potiorem pro parte, cui assensus præstandus est; tamen ex voluntatis affectione, & imperio existente in eodem instanti, quo existit assensus, & ipsum assensum intellectualem præcedente, non tempore, sed signi præcedentia, constituitur verisimilior pars illa, quæ præscindendo à voluntatis affectione minus verisimilis proponebatur: nihil enim est absurdi in eo, quòd aliqua contradictionis pars propter voluntatis affectionem præfulgeat aliqua verisimilitudine majori ea, quæ in eodem instanti pro priori ad affectionem proponebatur, ut ostensum est. Nec tamen ideò supervacanea est major verisimilitudo, quæ comitatur, & subsequitur assensum intellectus; cum enim iste majoris verisimilitudinis gradus potior sit illo, qui aderat pro priori ad assensum: quippè assentiendo fertur mentis sententia, & intellectus absolutam veritatem tribuit illi parti; hinc oritur, ut unusquisque tàm asseveranter suam opinionem verisimiliorem, potioremque cunctis contrariis existimet: com-

comparatio enim hæc ultimatè fieri non ſolet, niſi poſt aſſenſum uni parti præſtitum; quia quando enuntiamus de aliqua opinione, non tàm ferimus judicium de apparentia, qua præcisè inducti ſumus ad amandum, & credendum hanc partem præ illa: quàm de apparentia, quæ aſſenſum, & opinionem noſtram committatur.

17 Ad nonam confirmationem Illuſtriſsimi Palanco, nego antecedens, cujus probatio inefficax eſt; quòniam ut motivum aliquod magis moveat intellectum, non indiget additione, aut conjunctione alterius diſtincti motivi, ſed ſufficit, ut intenſius, ſeù vividius proponatur: non ne apud prędictum Auctorem, Scholamque ſuam Patrum nempè Dominicanam, unius indiviſibilis caloris gradus per ſolam majorem radicationem in ſubjecto fit major calor, & intenſior? Potiori igitur jure idem motivum poteſt magis movere intellectum, & magis ſuadere, ſeù majorem veritatis ſortiri apparentiam, quin nova ratio ſuperaddatur: & conſequenter idem objectum ratione affectionis voluntatis poteſt majorem veriſimilitudinem adipiſci. Potiori inquam ratione id amplecti adigitur objiciens, quòniam pro majori illa intenſione, & radicatione caloris aſſerenda nihil ſufficientis cauſæ, vel rationis formalis uſpiã aſsignatur; at verò ad majorẽ apparentiã, in noſtra hypotheſi, agnoſcendam voluntatis affectio compellit. Et ſanè crederem, neminem hoc infiteri poſſe; quòniam nec temerè judicans, nec hæretico errori adſentiens, aliundè tantam in ſuæ hæreſeos, & judicii temerarii objecto veriſimilitudinem haberent, niſi ex prava voluntatis ſuæ affectione; qua ſecluſa omninò objecta, & motiva temerarii judicii, & hæreſeos parvipenderentur: nec quia pravum, & hæreticum eſt illud judicium, deſinit eſſe rationalis operatio, aliàs homo non poſſet eſſe hæreticus, nec temerè judicare: quod ſi To *rationale*, aut *rationaliter*, apud Palancum, idem ſit, ac *prudens*, & *prudenter*: reſpondetur, quæſtionis non eſſe an prudenter, ſed præcisè an phyſicè, & imprudenter etiam, ut in pertinaci hæretico evenit, intellectus ex imperio voluntatis poſsit aſſentiri objecto minus veriſimili: certum enim eſt, quòd hæreticus ſummè imprudenter ſe gerit in ſuo pertinaci aſſenſu; & tamen ad oſtendendam immediatam fidei libertatem, ac meritum, dicimus, pro priori ſigno ad hæreſeos aſſenſum, & ſufficienter propoſito fidei objecto, hominem liberum eſſe immediatè ad imperandum vel aſſenſum fidei, vel diſſenſum hæreticum, quin ad aſſentiendum errori in fide opus ſit nova ratione, ſed ſufficit prava, & impia affectio voluntatis.

18 Nec ineluctabiles ſunt aliæ ejuſdem Illuſtriſsimi Palanco objectæ reflexiones: nemo enim ibit inficias, aliquando virum prudentem, & perdoctum in re, quam præ aliis ipſe diſcuſsit, poſſe magis fidere ſuo labori, doctrinæ, & majori, intenſiorique diſquiſitioni, quàm aſſertioni plurium, qui leviter rem eandem perſtrinxerunt: igitur judicantis authoritas poteſt eſſe aliquale judicandi motivum: & quemadmodum non imprudenter nonnumquam id accidere valet: etiam imprudenter, & præ ſuperbia, fieri poterit, ut prudentiæ ſuæ quis innitatur: propterèaque à Domino Cœlicum illud accepimus oraculum *Proverb. cap. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ*, (autem) *ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videantur patrum decretis proponit*, ut inquit D. Hieronymus relatus *in cap. Ne innitaris. de conſtit.* fruſtrà autem ea ſacra erudiremur cautione, ſi impoſsibile eſſet, quòd quis ſibi nimis fideret: igitur non immeritò P. Antonius Terillus dixit, judicantis authoritatem poſſe eſſe motivum aſſentien-

tiendi, ſivè id prudenter, ſivè imprudenter eveniat: nec ideò infertur, ille enuntiandi modus, ac tenor, qui à Palanco adſtruitur, ſcilicet: *fateor, quod hæc opinio de ſe eſt minus probabilis, quam oppoſita, tamen mihi eſt magis probabilis, quia pro illa ſtat mea authoritas, & meum judicium. Et hæc ſunt motiva, vi quorum mihi eſt magis probabilis*: quia in hac aſſertione confunduntur apparentia veritatis conſequens, & antecedens, ut dixi *num.* 4. *& ſeq.* Tum quia licet judicantis authoritas poſsit eſſe aſſentiendi motivum, refunditur tamen in rationis momenta, quæ ſunt ex parte objecti, ſivè id juſtè, ſivè injuſtè, & fallaciter ab aſſentiente exiſtimetur.

19 Quod verò additur ab eodem Authore, nempè motiva, quibus rationaliter nequit probari concluſio, non poſſe facere illam concluſionem magis probabilem: verum quidem eſt, ſi intelligatur de probabilitate, & apparentia antecedente voluntatis affectionem; cæterum ſi accipiatur de ſubjectiva probabilitate, aut apparentia comitante, ſeù conſequente affectum voluntatis, & aſſenſum intellectus, non eſt univerſaliter verum, ut ex dictis conficitur, & ex ſtatim dicendis magis liquidum fiet.

20 Ad decimam ergò confirmationem, ex terminis argumenti propoſiti, negatur ſequela; quòniam non quodcumque pondus additum motivo levi, illud conſtituet in ratione gravis; ſicut enim ponderis gravitas poteſt eſſe major vel minor, ſic levitas motivi minor, aut major eſſe valet: ubi autem ab ipſo judicante cenſetur leve motivum aſſenſum præcedens, nequit illud fieri grave ob ipſius judicantis authoritatem, quamvis hæc authoritas aliquid ponderis adderet: imò in eo eventu dicimus nihil veri ponderis ex authoritate judicantis refundi poſſe in veriſimilitudinis motivum: nihil veri ponderis dixi, quòniam planum eſt, quod ex levi motivo temerè judicans propter ſuam pravam affectionem, & concomitanter ad aſſenſum, & pro poſteriori ad ipſum, magni pendet ſuum judicium, ſicut & ſuum errorem pertinax hæreticus: ſed immeritò, & fallaciter, & abſque verò rationis pondere.

21 Et quidem, quòd voluntatis affectus vim habeat, ut intellectus præſtet aſſenſum firmiorem ſupra merita motivorum, ſubducitur ex decreto Innocentii XI. propoſitionem illam, numero vigeſimam, damnante: *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*: prætereà ex ipſo aſſenſu fortius intellectus adhæret objecto ipſius, quàm pro priori ad aſſenſum, ſicut & in forenſi judicio poſt rem judicatam, majus eſt jus partis, cui adjucata res fuit, quàm pro priori ad judicium ſententiam, & cauſa ſolum cognita: judicium enim, & aſſenſus intellectus approbat juſtitiæ, & veritatis motiva, eſtque decretoria enunciatio intellectum ea in re figens, ac determinans: unde majori efficacia adhæret intellectus objecto, ratione affectus voluntatis, & aſſenſus, quàm pro priori ad utramque hanc operationem: cæterum hæc major intellectus adhæſio in eo qui temerè, & imprudenter judicat, nihil referre valet ad imprudentiam, ac temeritatem minuendam, imò illam potius conſtituit, & auget: quia cum intellectus, & voluntas pro priori ad aſſenſum, & affectionem, ſimplici ſolum quadam, & in efficaci inclinatione, & complacentia fortè, traheretur in objectum illud, non niſi imprudenter alliciens; pro poſteriori, & concomitanter ad affectum, & aſſenſum efficaciter illud intellectus, & voluntas amplectuntur.

22 Quinimò etiam in illo, qui nõ imprudenter aſſentitur objecto minus ſibi ve-

verisimili, verè tamen, & gravi fundamento probabili, hujuscemodi assensus nequit augere probabilitatem, quæ assensus prudentiam fundat, hæc quippè solum derivatur ex rationum momentis, quę assensum, & affectum voluntatis præcedunt: eàque propter nec respectu aliorum potest effici probabilior opinio ex eo, quòd sciatur aliquem etiam non indoctum illi assensum præstitisse: quòniam prudens rei probabilitas objectiva est, quæ venit inspicienda, & exquiritur, & ab illa mensuratur subjectiva probabilitas; quamvis in assentiente sit major objecti verisimilitudo ratione affectionis, & virtualiter ratione assensus.

23 Haud tamen diffitebor, ex assensu viri docti, qui opinioni alicui assentiatur tanquam probabili, & si minus verisimili, aliquomodò firmari amplius ejusdem opinionis probabilitatem propter extrinsecam scilicet authoritatem assentientis, quemadmodum evenit, dum invenimus opinionem aliquam apud Scriptorem perdoctum, probabilem reputari, licet ipse amplectatur oppositam, tunc enim, nequit non fulciri opinionis illius probabilitas, licet illi opinioni directè dissentiat Scriptor.

24 Unde conficitur sententiam à P. Terillo illustratam, distinctionemque apparentiæ antecedentis à consequente assensum optima fulciri ratione, eamdemque tradit distinctionem, & probabit magnus ille noster Theologus P. Antonius Perez *disp.* 4. *de just. & jur. cap.* 5. *num.* 10. cujus verba dedimus *sect.* 18. *num.* 1. 2. & 3. Adstipulantur P. Philippus Aranda *in* 1. 2. *D. Thomæ. lib.* 10. *de lege, & conscien. disp.* 38. *sect.*6. *num.* 155.

SECTIO LXV.

Prælibatam objectionem, & ipsius confirmationes aliter excindit.

1 QUamquàm perspicuè satis protecta sit nostra sententia, & adversariorum præcipui conatus ex dictis infracti dignoscantur; operę pretium duxi, alias eidem argumento occurrendi vias adjicere: igitur P. Sparça *in Append. ad quæst. de usu licito opin. prob. part.*2.*art.*113. hæc habet: (Observandum præterea est, me non asserere, nec asserendam putare, sed rejiciendam potius, libertatem ad opinandum utramlibet partem contradictionis in sensu composito judicii de majori probabilitate unius partis, quàm oppositæ; ita ut quis judicet fundamenta unius partis esse majora, habere majorem verisimilitudinem, eandemque partem reddere probabiliorem, quàm oppositam; atque retento hoc judicio, judicet nihilominus partem hanc oppositam esse absolutè veram, tametsi minus fundata sit, minusque verisimilis, & minus probabilis. Impossibile namque est, ut quod alicui videtur falsum, videatur nihilominus eidem similius vero, quàm quod putat verum esse.) Hæc ille qui propterea, ut videre est *in art.* 112. præcisè docet liberum esse in utramlibet partem opinari, atque adeò convenire nobis libertatem specificationis, seù contrarietatis quoad actus opinativos, quandocumque motiva utrimque apparentia ad opinandum sunt heterogenea, seù diversæ rationis, & se habent tanquam excedens, & excessum, ita ut neutra ex parte excessus simpliciter sit evidens, atque omninò manifestus.

Hinc

2 Hinc porrò haud difficulter præcipui Adversariorum argumenti, & confirmationum nodos solvere, fas erit; quòniam primò verum apparens, sub quo tendit intellectus, quàm optimè salvatur in qualibet contradictionis parte, quæ penès aliquam considerationem, majorem verisimilitudinem habet, quamvis incertam, & inevidentem. Secundò cum non præcedat assensum, nec voluntatis determinationem, judicium de majori verisimilitudine partis oppositæ, imò nec præsupponatur evidens, nec certa, aut simpliciter major ipsius verisimilitudo, adveniente assensu, non poterunt verificari, aut deduci illa duo judicia, quæ adversarii opponunt, videlicet: hoc judico absolutè verum, sed tamen oppositum censeo probabilius: quia nullum præsupponitur judicium de majori verisimilitudine partis oppositæ: nec illa simpliciter, & absolutè verisimilior apprehenditur, sed tantùm secundùm quid, seù relatè ad motivum aliquod heterogeneum, quod licet excedat aliquomodò verisimilitudinem motivi oppositi, exceditur tamen ab alio oppositio motivo. Tertiò juxta hunc dicendi modum non est opus, recurrere ad majorem verisimilitudinem consequentem affectum, & assensum intellectus; quia pro priori ad utrumque major adest verisimilitudo licet inexplorata, & secundum quid in parte cui prębetur assensus: corruuntque omnia, quæ in principali objectione, & in illius confirmationibus opponuntur. Potestque id exponi in judicio temerario, & in hæretico assensu; quòniam motiva temerè judicandi, quamvis levis momenti, & sunt heterogenea, & secundũ quid, id est fallaciter, excedũt efficaciam motivorum rectè judicandi, id enim proprium est fallaciæ cujuslibet. Deinde hæreseos motiva non solùm sunt valdè heterogenea, verùm etiam concupiscentiæ, effreni libertati, vitiosisque aliis indulgent affectionibus, propterea que imprudenti ausu possunt potiora existimari.

3 Aliter idem argumentum elevatur à P. Joanne de Cardenas *Crisi. Theolog. part. 1. tract. 1. disp. 15. cap. 4. ar. 9. in crisi sexti argumenti* à Baronio propositi, tũ *disp. 2. sect. 2. art. 2. §. 7.* & quidem Cardenas *num.* 300. supponit primò, inter rationes minus, & magis probabiles, nempè unius opinionis probabilioris, & alterius opinionis oppositæ minus probabilis, posse intellectum suspendere assensum, & hærere dubium; quia sola certitudo, aut evidentia, saltem moralis, cogit intellectum ad assensum. Supponit secundò rarò opinionem merè probabilem proponi intellectui ut evidenter probabiliorem; atque adeò de hoc ipso probabilioritatis gradu posse intellectum dubitare, sicut in quocumque alio objecto, quod sibi non proponitur ut certum, vel evidens: & hoc benè probat Caramuel in *Apolog. de Probabil. Epist. 2. num. 83.*

4 Asserit ergò primò. Quando ex duabus opinionibus neutra est evidenter probabilior, potest voluntas inclinatione sua flectere intellectum in quam partem maluerit. Id quidem præstat indirectè, quatenùs ex majori inclinatione facit, ut intellectus majori attentione consideret unam partem, ideòque putet probabiliorem, rationibus ejus partis clarius, & vivacius consideratis. Potest etiam id præstare directè ob rationem propositam *artic. 7. num.* 270. ab hypothesi nempè judicii temerarii desumptam.

5 Asserit secũdo, etiã quando una pars repręsentatur intellectui, ut evidẽter probabilior, potest voluntas flectere intellectũ ad assensũ partis minus probabilis. Et quidẽ cum repræsentatur, ut evidẽter probabilior adhuc ea pars repręsentatur ut incerta, & talis ut ab ejus assensu abstinere possit, nisi à voluntate flectatur. Unde dum in-

tellectus videt partem oppositam esse incertam,& si probabiliorem, ad cujus assensum ideò non cogitur, potest voluntas flectere intellectum ad partem oppositam. Patet conclusio. Nam dum quis fruitur bona fama de honestate morum,non est certum,illum esse innocentem;tamen probabilius est,illum esse innocentem; imò sæpè id tantum est probabile, oppositum verò, & si appareat verum, tamen prudenter opinabile non est. Et nihilominus hominis infensi voluntas sæpè flectit intellectum, ut temerè judicet , illum esse noxium: ergò ubi pars aliqua probabilior est, sivè ubi præponderat majus robur probabilitatis, potest voluntas flectere intellectum ad partem oppositam.

6 Nec valet, si dicas, illud esse judicium temerarium,& solum negari imperium voluntatis, ut flectat intellectum ad partem minus probabilem, ita ut resultet actus opinativus, & probabilis. Etenim hic sunt duæ quæstiones diversæ. Prima,an voluntas possit flectere intellectum ad unam partem , quando pro opposita, illa incerta quidem, est majus pondus probabilitatis? Secunda an actus iste judicii,qui ex illa inclinatione voluntatis resultat, sit probabilis, & opinativus, an potius temerarius? Quoad primam quæstionem attinet, si certum est, quod voluntas flectit intellectum ad unam partem carentem omninò fundamento gravi, quando pro opposita præponderat majus robur probabilitatis, ut patet in casu proposito ; à fortiori certum erit, quòd in simili casu possit voluntas flectere intellectum ad eam partem, quæ gravi fundamento , quamvis minori, fulcitur. Quoad secundam verò quæstionem, cum actus ille judicii, qui resultat, nitatur fundamento gravi, quamvis minori, non poterit dici esse actus judicii temerarii, sed prudentis. Sic Cardenas, sed memori retinendum mente, disquisitionis meæ non esse, an assensus minus verisimili præstitus objecto sit prudens , certum quippè est, quòd non nisi per temerariam imprudentiam hæresibus exibeatur assensus.

7 Pergit P. Cardenas *num.* 306.aitque,& quidem Vincentius(Baronius) in argumento proposito non intendit vires argumenti in eum scopum, ut probet illud judicium, quod terminatur ad partem minus probabilem esse temerarium: sed potius ut probet, intellectum necessitari ad assensum partis probabilioris, casu quo aliquem assensum eliciturus sit : & intellectui impossibile esse, quod assensum præstet parti minus probabili, nec voluntati inesse vires ad inclinandum intellectum ad hujusmodi assensum ad objectum minus probabile ::: Jam vero constat argumentum Vincentii omninò corruere. Qui censet partem unam probabiliorem, judicat alteram minus probabilem falsò proprius abesse (quoad motivum, & cum incertitudine veritatis) concedo, (quoad rem ipsam,vel cum certitudine veritatis)nego; consequens autem negandum est , (nempè si istam alteri anteponit adhærebit parti , quam judicat magis falsam.) Est enim omninò falsum, quod dum assentitur parti minus probabili, judicet istam magis falsam. Aliud enim est magis appropinquare motivis falsitatis , & aliud est esse falsam , aut magis falsam. In eo ergò casu quo assentitur parti, quæ sibi proponitur ut minus probabilis ex parte motivi, judicat motivum oppositum magis accedere motivo veritatis; adhuc tamen judicat falsum , ubi non cogit ad sui assensum id motivum fallibile , & incertum , & partem minus probabilem judicat verum , quamvis debiliter , & cum formidine. Quo argumento manifestè redarguitur Vincentius in judicio temerario , quod elicit in-

intellectus contra motivum majus, nempè ex inclinatione voluntatis. Hactenùs ille.

9 Qui rursus in 3. *part. crif. Theol. tract.* 1. *disp.* 56. *cap.* 8. *art.* 3. *fere per totum*, & præcipuè *num.* 363. animadvertit, hic ab aliquibus disputari, An in sensu composito cum judicio de majori probabilitate unius contradictoriæ possit intellectus assentiri oppositæ? in qua quæstione (pergit Cardenas) aliqui censent, id esse possibile: quia cum opinio probabilior sit incerta, non cogit intellectum ad assensum, cum iste cogatur solum ab evidentia, aut certitudine veri: aliundè autem solvendo objectiones partis probabilioris, expeditus manere videtur intellectus ad assensú partis oppositæ. Cæterú immediatè subjungit Carden. se ab hac quæstione præscindere, quòniam ipse existimat ad institutum suum sufficere quod qui judicat probabiliorem unam partem, deponat id judicium, & hoc deposito assentiatur alteri parti, vel tanquam probabiliori, vel tanquam æquè probabili: & hoc modo intelligendum esse quod supra ab ipso dictum fuit in *prima parte crif.*

10 Juxta hæc igitur, quæ ab hoc perdocto Scriptore edocentur, cunctæ elevantur objectæ difficultates, etiam præscindendo à distinctione apparentiæ antecedentis à consequente: nam qui judicat partem aliquam esse veram, opinativè, non repugnat, quod simul partem contradictoriam apprehendat ut magis probabilem; primò, quia non affirmat eam majorem probabilitatem; secundò, quia id majoris apprehensæ probabilitatis non repræsentat, magis veram esse partem illam, sed præcisè, motiva illius apprehendi ut magis ad veritatem appropinquantia: in quo nihil contradictionis reperitur; præsertim cum simul aliquomodò soluta proponantur motiva, quæ probabiliora apprehenduntur; simulque judicare possit intellectus eadem motiva re vera esse nulla. Insuper ex hac hypothesi non potest colligi, quod quispiam asserere valeat, hoc judicio verum, licet oppositum judicem esse probabilius; sed unicè quod ita queat enuntiari, nempè, hoc judico opinativè verum, licet oppositum appareat probabilius: in quo judicio nihil chimericum, aut impossibile apparet.

SECTIO LXVI.

De prædictis solutionibus fert judicium, & stirpitus convellit difficultatem: ostenditque, ut cum evidenti rerum fidei credibilitate apprehensa, vel etiam judicata stare queat hæreticus dissensus.

1 REor quidem distinctionem apparentiæ duplicis, antecedentis scilicet, & consequentis frequentiori, & faciliori modò assentiendi objecto minus verisimili esse congruentem, & valdè expeditam, illamque, & reliquas solutiones quoad rem ipsam sibi concinere, & esse utique veras: patet quòniam prima in hoc præcisè stat, quoad præsens institutum, nimirum, ex imperio, & affectione voluntatis objectum, quod pro priori apparebat minus verisimile, posse fieri magis verisimile: & præterea ratione assensus existimari verisimilius, & verum: ideòque unicuique suam opinionem verisimiliorem apparere: at P. Sparça majori cum limitatione, solum propugnandum suscipit, intellectum à voluntate determinari posse, ut assentiat objecto aliqua ratione verisimiliori, quamvis simpliciter talis esse non debeat: id quod non renuit P. Cardenas dum docet, ideò voluntatem posse imperare assensum erga partem, non quidem judicatam, sed apprehensivè cognitam ut minus probabilem, quia major illa verisimilitudo opposita,

ſolum eſt major ſufficientia terminandi aſſenſum, & non conſtituit partem illam magis veram, cum nec ſimpliciter veram enuntiaverit illam intellectus in hac hypotheſi.

2 Cæterum licet hæc veritati conſona cenſeamus, exponendum ſupereſt primò, an intellectus determinari à voluntate queat ad aſſenſum partis manifeſtè minus verifimilis, exiſtente hujuſcemodi veri apparentia majori in apprehenſione tantum? Secundò, an idem contingere valeat ſimul cum judicio de illa majori veriſimilitudine?

3 Et quoad primum, haud ambigo, affirmativè reſpondendum, eamque eſſe ſententiam, & mentem Angelici Doct. & præſtantiſsimorum Auctorum, quorum verba latè perpendimus *ſect.9.& ſequentibus uſque ad* 24. idemque conficitur argumentis ferè cunctis, tàm Theologicis, quàm Canonicis, ſuprà allatis, pro fidei immediatà libertate, & ex hæreſeos pertinacia: fidei namque myſteria ſunt longè veriſimiliora, quàm oppoſiti errores, idque certò, & manifeſtè, imò ſunt evidenter credibilia, ut recepta Theologorum ſententia docet: & tamen in ſigno libertatis, & indifferentiæ ad fidem poteſt voluntas imperare aſſenſum hæreticum: ergò quamvis manifeſtè appareat veriſimilior pars aliqua contradictionis, poteſt ex imperio voluntatis determinari intellectus ad aſſenſum partis contrariæ: aut contradictoriæ, licet minus veriſimilis: adeòque, & cũ evidenti fidei credibilitate cõjũgi poteſt hereſis.

4 Præterea hæretici formalis pertinacia ex eo conſtituitur, quòd cum ſufficienter ipſi propoſita ſint fidei myſteria, ita ut credere teneatur, diſſentit tamen illis, vel eorum alicui: & abſque hac ſufficienti cognitione nemo pertinax cenſetur: unde Summus Pontifex Pelagius de ſchiſmaticis, de hæreticiſque loquens in *cap. Schiſma.* 24.*quæſt.*1. inquit: *Si enim etiam ipſi licet in ſuo ſenſu abundantes intra materna tamen poſiti viſcera quærerent veritatem, à nobis repellendi non erant, donec apud eos ratione duce rei veritas claruiſſet.* Et conſimilia plura ſacra jura congeſsimus, *ſect.*38.*& ſequentibus*, & in *ſect.* 39.*n.*3. *& ſequentibus* ſignanter exponitur qualitas hujus ſufficientis propoſitionis, talis enim debet eſſe, ut authoritas Eccleſiæ, & definitio ejus circa talem materiam ſufficienter proponantur tanquam evidenter credibiles, ut docet D.Thom.2.2.*quæſt.*1.*art.*4.*ad* 2. ibi: *Non enim quis crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid ejuſmodi.* Ubi idem docet Cajetanus, & communitèr Theologi, præcipuè Exim. Doct.*de fide. diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.*4. Coninch.*de fide. diſp.*13.*dub.*1.*num.*3. Hurtado *eod.trac. diſp.*22.*ſect.*1. §.2. Cardinalis de Lugo *de fide.diſp.*5.*ſect.*1.*num.*3. Ripalda *diſp.* 6.*ſect.* 7. *num.* 48. Martinonus *diſp.* 5. *ſect.*1.*per totam.*

5 Et quidem fidei chriſtianæ myſteria eſſe evidenter credibilia, docent D.Thom. non ſolum loco citato, ſed etiam 3.*part.quæſt.*42. 43.& 44. agens de doctrina, & miraculis Chriſti Domini, & 1.*contra Gent. cap.* 6. & reliqui Theologi Scholaſtici tum *in* 2.2.*in Commentariis ad D.Thom.tum in Prolog. ſententiarum*, ubi præclare Subtilis Doctor Scotus, *quæſt.* 2. & infra magis firmabitur.

6 Tum ſic: ergò dum fide ſupernaturali credimus, pro ſigno priori ad aſſenſum, & ad piam affectionem, imperiumque voluntatis, præ lucet cognitio evidentis credibilitatis myſteriorum fidei chriſtianæ, & quæ repreſentat, manifeſtè eſſe longè majorem, ſuperioremque veriſimilitudinem objecti fidei præ veriſimilitudine objecti hæreſis, ſeù erroris contrarii; atqui pro illo priori poteſt intellectus flecti ad diſſentiendum fidei myſteriis ex imperio

ſci-

ſcilicet voluntatis: & etiam dum pertinax formalis hæreticus ſuo pravo dogmati adhæret, pro priori ſigno potuit aſſentiri fidei objecto, ut evidenter credibili, & cum manifeſta longè majori veriſimilitudine propoſito: igitur oportet omninò fateri, quòd dum fidei myſteria apprehenduntur ut evidenter credibilia, ita ut erroris credibilitatem longè ſuperent, poteſt ex imperio voluntatis flecti intellectus ad aſſentiendum errori, & ad diſſentiendum fidei myſteriis.

7 Idem convincitur ex judicii temerarii conceptu, & qualitatibus juxta ea, quæ de illo tradidimus *ſect.* 52. & 53. præſertim ex Divo Bernardino Senenſi *tom.* 2. *Quadrageſim. de Evang. æterno. feria* 5. *poſt primam Dominicam in Quadrageſim. Serm.* 14. *cap.* 3. ubi ſigna judicandi de proximo exponit quando ſint temeraria, & præcipuè temerarium ſignum eſſe inquit, *quando nulla ſunt ſigna mali, & omnia ſunt ſigna boni*: & ita judicari ait, *Si videres hominem contemnere mundana, caſtitatem, humilitatem ſectari, Sacramenta Eccleſiaſtica frequentare, divinis parere præceptis, fugere conſortia malorum, &c. credas, & dicas hujuſmodi hypochritam; temerarium judicium eſt, & mortale.* Porrò ſic temerè judicans nequit non dignoſcere, ſeù apprehendere majorem manifeſtè eſſe veriſimilitudinem probitatis in tali homine: & conſequenter manifeſta major veriſimilitudo nequit impedimento eſſe, ne intellectus à voluntate flectatur, ut objecto diſſentiat, quando alioqui illius veritas nec per ſe evidens eſt, nec demonſtrativè concluditur.

8 Quoad ſecundam difficultatem *num.* 2. propoſitam, videtur etiam magis rationi conſonum, quòd ſtante judicio de majori probabilitate, ſeù de majori objecti veriſimilitudine, poteſt à voluntate determinari intellectus ad diſſentiendum eidem objecto: hæc eſt aperta P. Terilli ſententia, *de conſcien. prob. quæſt.* 8. *aſſert.* 3. *num.* 33. & *quæſt.* 9. *aſſert.* 1. *per totam, maximè num.* 34. & eam ab impugnationibus vindicavimus *ſect.* 63. & 64. ex diſtinctione duplicis apparentiæ in eodem objecto, & in eodem inſtanti, quamvis pro diverſis ſignis, nihil involventis repugnantiæ.

9 Et ſub his terminis poteſt probari, quòniam in his, quæ evidentia ſunt, intellectus noſter non eſt liber, nec indeterminatus non tantum quoad ſpeciem, verùm nec quoad exercitium, ut patet in principiis primis, quorum eſt intellectus, & in concluſionibus, quorum eſt ſcientia, ſic docet Angelic. Doct. 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *corp.* & *quæſt.* 14. *de verit. art.* 1. *corp.* ipſique ſubſcribunt ejus Diſcipuli, & Expoſitores: & in Philoſophia dicitur ſatis communitèr ex aſſenſu præmiſſarum neceſſitari intellectum ad aſſenſum concluſionis, & eſt valdè recepta ſententia Patrum Dominicanorum, ut videre licet apud PP. Diſcalceatos Complutenſ. *in Logica. diſp.* 17. *quæſt.* 4. Masjũ. *q.* 9. & 10. & apud pereruditum Doc. Jacobum Servera *Log. diſp.* 21. *cap.* 4. Ex Societate noſtra ab eadem ſententia ſtant P. Hurtado *diſp.* 7. *de Anima. ſect.* 4. P. Oviedo *controv.* 9. *punc.* 4. Carleton *diſp.* 47. *ſect.* 8. P. Arriaga *diſp.* 14. *Log. ſect.* 6. concinunt Calagurritanus *diſp.* 37. *cap.* 3. Mauri *lib.* 2. *Logicæ. quæſt.* 63. Petrus à S. Joſeph *lib.* 3. *Log. cap.* 6. *art.* 5. Bona Spes *tract.* 9. *diſp.* 2. *dub.* 2. Caſimirus *part.* 1. *Met. real. diſp.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 11. Olpenſ. *lib. ult. Log. diſp. unic. art.* & *quæſt.* 2. idem tuentur Subtilis Doctoris diſcipuli.

10 Igitur ſtante evidentia majoris veriſimilitudinis, nequit intellectus ſuſpendere aſſenſum de eo veriſimilitudinis exceſſu: de hoc inquam exceſſu, non quidem de veritate abſoluta objecti: non enim eſt idem, judicare eſſe aliquid veriſimilius, & judicare id eſſe abſolutè verum, ut patet. At ſtan-

ſtante nota, & evidenter majori veriſimilitudine objecti per apprehenſionem repræſentata, poteſt intellectus eidem objecto diſſentiri, ut probatum manet : ergò etiam elicito judicio de majori objecti veriſimilitudine, poteſt conjungi diſſenſus circa tale objectum.

11 Tum quia,etiam ſi intellectus non neceſsitetur quoad exercitium,ad aſſentiendum objecto evidenti propoſito per apprehenſionem, nemo inficiari poteſt , neceſsitari quoad ſpeciem; igitur ſi evidens major veriſimilitudo objecti cognita per apprehenſionem non impedit diſſenſum directum circa idem objectum , ut liquet in hæretico pertinaci,juxta ſuperius expoſita, tum in judicio temerario ex hypotheſi *num.* 7. prælibata: nec aſſenſus exhibitus de majori objecti veriſimilitudine incompoſsibilis erit cum directo diſſenſu circa idem objectum.

12 Et hęc videtur eſſe ſententia tradita à P. Gregorio de Valentia *tom.*2.*in* 1.2. *diſp.* 2.*quæſt.*12.*de imperio.punc.* 5.ubi, cum in ſecunda aſſertione juxta mentem D. Thomæ dixerit,quoad ſpeciem poſſe imperari à voluntate omnes actus intellectus, qui non habent cauſas neceſſarias,opponit ſibi,ex eo colligi, eſſe in noſtro arbitrio poſitum,ut abjecta una opinione,quam putamus eſſe probabiliorem,&cui proinde adhæremus , poſsimus amplecti aliam,quę judicio noſtro ſit minus probabilis, idque ſine ulla etiam nova ratione. At iſtud conſequens videtur eſſe contra experientiam : ergò & illa aſſertio eſt falſa.Sequela probatur. Nam poſito quod illa ſententia cui adhęremus,ſit tantum opinio,nulla neceſſaria cauſa convincit intellectum noſtrum, ut illi aſſentiamur : ergò ſecundum illamD.Thomæ aſſertionem ſuberit noſtro libero imperio ejuſmodi aſſenſus, ita ut poſsimus illum abjicere.

13 Pergitque idem Valentia,& ait:Reſpondeo,ſequelam eſſe admittendam, poſito quod apud nos maneat talis opinio intra latitudinem opinionis: quod ſit quandiù nobis perſuademus, rationes illius ſolvi poſſe, aut à nobis ipſis aut ab aliis. Quapropter aſſertio illa ſecunda intelligi debet quando, & revera, & ſecundam noſtram exiſtimationem , aſſenſus non habet cauſam neceſſariam. Tunc dicimus cum D. Thoma poſſe nos abjicere talem aſſenſum pro libito , & complecti aliam opinionem,etiam ſi videatur nobis minus probabilis. Cujus doctrinæ fundamentum poſitum eſt in ipſa experientia, quam unuſquiſque poteſt, ſi attendat in ſe animadvertere,quæ proinde experientia indicat à poſteriori, hanc eſſe naturam noſtri intellectus ut id poſsimus facere.Hactenùs P.Valentia conſpicuus utique Doctor : eoque laudato ipſi ſubſcribit P.Tannerus *tom.* 2.*in* 1.2.*diſp.*2.*de Actib.human.quæſt.*2. *dub.*7.*num.*69.in quorum doctrina perpendo maximè , quod aſſerunt, poſſe nos aſſenſu complecti opinionem, quæ judicio noſtro ſit minus probabilis:unde planum ſit juxta hos claſicos Scriptores, ex mente Doctoris Angelici aſſenſui unius partis non obeſſe judicium modale de majori probabilitate,ſeù veriſimilitudine partis oppoſitæ.

14 Unde colligi videtur, quod etiam ſi voluntatis imperium, & affectio efficere non poſsit, aliquando ſaltem, quòd pars,cui adhæret voluntas, appareat probabilior,aut veriſimilior ; tamen poſsit intellectus flecti ad illi aſſentiendum : primò,quia formalis ratio aſſenſus non eſt ratio majoris veriſimilitudinis, ſed abſoluta ratio veri apparentis. Secundò, quòniam voluntas non indiget ea majoris boni apparentia, ut objectum ſuum ſub ratione boni eligere , & amare queat. Tertiò, quòniam incredibile, & impoſsibile videtur , quod tantæ vis ſit affectio voluntatis, ut in hypotheſi exceſſus veri-

ſi-

similitudinis tàm præstantis, qualis in mysteriis fidei sufficienter propositis invenitur, ex instantanea voluntatis affectione, & jussione, fiat apparenter major verisimilitudo objecti erroris, & fidei contrarii, ut pertinax hæreticus illi falsò dogmati præstet assensum.

15 Quartò, quia non repugnat, ut pertinaci hæretico proponantur sufficienter fidei christianæ mysteria, eo nihilominus in suo pertinaci errore perseverante: id enim sæpè contingere, supponitur à Theologis, & Canonici Juris Interpretibus, dum differunt de sufficienti monitione facienda ut quispiam pertinax hæreticus censeatur: de quo *sect.* 38. & 39. *n.* 15. & *seqq.* plenè dictũ est: & factũ ostenditur in perfidis Judæis, Christi Dñi prædicationẽ audiẽtibus, ejusque præclarissima, ac divina signa conspicientibus, in sua tamen prava, ac pertinaci duritia, & infidelitate permanentibus, de quibus Joann. cap. 9. v. 41. Dominus dixit: *Si essetis cæci, non haberetis peccatum; nunc autem dicitis, quia vidimus; peccatum ergò vestrum manet.* Et Joann. 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

16 Quintò, quia valdè communis est sententia docens, ad fidem supernaturalem non sufficere apprehensionem evidentis credibilitatis mysterii fidei, sed opus esse judicio, quo evidens illa credibilitas affirmetur: sic enim docet Exim. Doctor P. Suar. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 4. & *seqq.* P. Valentia *in* 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punc.* 4. *quæst.* 3. *ad finem*, præcipuè in *respon. ad* 3. P. Granad. *in* 2. 2. *tract.* 9. *disp.* 4. & alii communitèr ex PP. Dominicanorum Schola, ut legere est apud Illustriss. Araujo, *ad* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 5. *dub.* 2. præcipuè in solutione ad 2. PP. Discalceat. Carmel. Salmant. *tom.* 7. *disp.* 3. *num.* 4. qui ut communem Theologorum hanc tuentur sententiam; sed præsuppositò prædicto judicio, adhuc liberè potest voluntas imperare dissensum erga res fidei, quemadmodum suppositò judicio honestatis objecti, & præcepti amandi illud, voluntas potest actum contrarium, & illicitum imperare: igitur cum judicio de majori verisimilitudine, rerum fidei Catholicæ, excessu utique incomparabili, stare potest pertinax hæreticus dissensus.

17 Cõterunt cũcta, quæ exarata manent *sect.* 25. & *seqq.* pro immediata fidei libertate. Sed in prædicta hypothesi, in mentibus tã pravæ indolis hominum, concedendum est, notam fuisse fidei veritatem, præstantissima quadam longè majori verisimilitudine, ex adductis hac *sect. num.* 4. & *seqq.* & uberius *sect.* 25. & *seqq.* cum notatis præcipuè *sect.* 28. *à n.* 3. Igitur, quamvis pars aliqua contradictionis non appareat verisimilior, etiam post affectum voluntatis, potest intellectus illi assentiri ab ipsa voluntate determinatus. Nec capere valeo, quomodò aliter sarta tecta maneant, quæ ex Sacræ Scripturæ oraculis, Conciliorum sanctionibus, Patrumque sententiis stabilivimus de immediata fidei libertate, simul cum sufficienti externa fidei propositione, & interiori gratia, ac illustratione, ut videre licet in iis, quæ in hunc scopum supra tradidimus præsertim de pertinacia, adjuncta evidenti mysteriorum sanctæ fidei credibilitate, & ingenti eorumdem verisimilitudine ab argumentis ejusdem credibilitatis petita.

18 Nec obest, quod cuique sua opinio verisimilior appareat; hæc quippè verisimilitudo major provenit ab ipso assensu, vi cujus ita formaliter præfertur pars cui intellectus adhæret, ut non solum verisimilior, sed etiam absolutè vera, & contraria falsa judicetur: quamobrem non requiritur, quòd major illa verisimilitudo pro priori ad assensum præfulgeat. Et hæc videtur esse expressa sententia P. Terilli *quæst.* 9.

de

de conſcien.prob.num. 16. licet in aliis locis videatur aliter docere: ſed exponi valet de his, quæ ſæpè eveniunt, quando videlicet exceſſus veriſimilitudinis eſt exiguus, aut nullus, tunc enim ex affectu voluntatis, & pro priori ad aſſenſum pars illa cui adhæret voluntas evadit magis veriſimilis. Et *part.* 1. *de Regula mor. quæſt.* 30. *aſſert.* 2. *num.* 3. magis videtur loqui permittendo, quàm aſſerendo.

19 Ab hac eadem ſententia ſtare videtur perdoctus P. Chriſtophorus Haunoldus *tom.* 7. qui Theologiam ſpeculativam continet *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *controver.* 3. §. 2. *num.* 269. ubi propoſitæ objectioni Cardinalis Pallavicini, quæ etiam eſt Baronii, & aliorum Recentiorum ſub hac forma: Nemo unquam in ſe experitur hunc actum: *Ego credo hoc ſed video contrarium eſſe probabilius, vel æquè probabile.* Reſpondetur (inquit) Haud rectè adverſarium teſtari de omnium hominum experientia, cum potius hominum experientia communis ſtet contra ipſum, ut jam oſtendimus: (ex libertate ſcilicet fidei, & ex hæreſeos pertinacia) quapropter nos eodem, & meliori jure ad experientiam provocamus. Perinde ergò eſt hoc argumentum ac ſi diceres: Nemo experitur in ſe hunc actum: volo facere hoc, tametſi videam oppoſitum eſſe melius: hoc falſum eſſe agnoſcit ipſe Pallav. *num.* 146. quia de fide eſt, melius eſſe operari honeſtè, quàm inhoneſtè; atqui ſæpè amplectimur inhoneſtum abſque hereſi: ergò amplectimur minus bonum cognito meliori bono oppoſito. Sic ergò reſpondendum eſt Pallav. ex hæreticorum pertinacia conſtare ſatis de experientia illius actus, quem ille putat neminem experiri. Hęc Haunoldus. Concinit P. Fabri, in *Pithanophilo, dialogo prim. pag. mihi* 24. & 25. & *dialog.* 2. *pag. mihi* 39.

20 Sextò illuſtratur noſtra ſententia: aſſenſus opinativus, quo aliquis judicat unionem v. g. non diſtingui ab extremis, non contradicit judicio, quo dicitur, veriſimilius eſt, unionem ab extremis realiter eſſe diſtinctam: igitur hæc judicia poſſunt in eodem intellectu, eodemque inſtanti, vel etiam ſigno conjungi. Antecedens probatur; quia omnibus notum eſt, majorem veriſimilitudinem ſępè cum falſitate conjungi: patet quòniam ex duabus ſententiis contradictoriis, neceſſe eſt alteram eſſe falſam: aſt nihilominus utraque ſententiarum probabilium contradictoriarum ſuis Authoribus probabilior eſt: ergò diffiteri non poſſumus majorem probabilitatem ſæpè decipere, & cum falſitate conjungi: id quod notavit *Ariſt. lib.* 8. *Topicorum, cap.* 4. *paulò poſt principium*, hiſce verbis: *Nihil enim prohibet alicui videri quæ non ſunt, magis quam vera.* Tum ſic: ergò is, cui aliqua opinio veriſimilior apparet, poteſt animadvertere, eam majorem veriſimilitudinem poſſe eſſe conjunctam cum falſitate: ergò judicium de majori probabilitate non eſt judicium contradicens falſitati ejuſdem poſitionis apparentis cum majori veriſimilitudine, aut probabilitate: igitur hæc judicia, unio non diſtinguitur ab extremis: probabilius eſt unionem eſſe realiter ab extremis diſtinctam, non ſibi contradicunt, aut non ſunt contraria: & conſequenter poſſunt pro eodem inſtanti, & in eodem ſigno ac ſubjecto eodem reperiri.

21 Urgetur: repugnat, quod ſint ſibi contradicentia, & inconjungibilia judicia affirmativa objectorum, quæ in eodem intellectu, & in eodem inſtanti, & ſigno cognoſcuntur compoſsibilia, & conjungibilia: ſed major ſententiæ alicujus veriſimilitudo eſt objectum, quod cognoſcitur in eodem intellectu, & in eodem ſigno conjungibile cum falſitate ejuſdem ſententiæ: ergò repugnat quòd ſint inconjungibilia in eodem intellectu, & ſigno duo

illa

illa judicia, quorum unum affirmet majorem ſententiæ A. veriſimilitudinem, aliud autem quod aſſerat ejuſdem ſententiæ A. falſitatem. Prima aſſumptio vera utique eſt: quòniam oppoſitio actuum debet deſumi ab oppoſitione objectorum, quæ affirmantur: & negantur. Aſſumptio ſecunda fulcita manet ex numero præcedenti: conſequentia liquet.

22 Urgetur ſecundò ex libertate voluntatis: ideò ſæpè voluntas poteſt minus bonum cognitum eligere, relicto bono meliori: quia hoc bonum, licet melius, non cogit voluntatem propter aliquam boni carentiam in illo repertam, & cognitam: quamobrem in eodem inſtanti, & ſigno, pro quo ſupponitur cognitio majoris boni, ſtare poteſt amor, & electio minoris boni præſertim diſsimilis: atqui etiam ſi cognoſcatur major veriſimiiitudo ſententiæ alicujus, poteſt ſimul dignoſci motivum, quo eadem ſententia oppugnatur: igitur ex eo motivo, etſi minoris veriſimilitudinis, diſsimilis tamen, poterit intellectus à voluntate determinari, ut diſſentiat magis veriſimili ſententiæ: & ex hoc maximè hæreticorum pertinacia revincitur, quòd cum longè ſuperiorem fidei myſteriorum credibilitatem, vel inviti cognoſcant, ſuis tamen hæreſibus aſſentiri velint.

SECTIO LXVII.

Expendit objectionem ab æqualitate motivorum ſibi obſiſtentium petitam.

1 SI inter æqualis ponderis rationum contrariarum momenta conſtitutus intellectus aſſentiri non poſſet eorum cuilibet extremo contradictionis, aut contrarietatis, profectò nec minus veriſimili objecto poſſet aſſenſum exibere, adeòque nec fides eſſet immediatè proximè libera; propterea igitur elevanda ſunt argumenta, quæ ex motivorum ſibi obſiſtentium æqualitate opponuntur ab adverſæ ſententiæ Authoribus: argui: igitur ſuo ingenti acumine P. Elizalde *in Append. de natura opin. quæſt.* 2. §. 3. Nemo poteſt ſine peculiari ratione imperare ſibi aſſenſum de paritate ſyderum, quia cum ſingulis numeris paribus poſsibilibus reſpondeant ſinguli numeri impares, nemo habet ullum fundamentum exiſtimandi, pleraſque collectiones creatas univerſim, aut convenientes cum collectione ſyderum in aliquo prædicato eſſe collectiones numeri paris: ex quo oriretur aliquod fundamentum talis exiſtimationis. Sed hoc fundamentum ſimiliter deficit, quoties deficit exceſſus probabilitatis pro altera parte. Ergò tunc nequit imperari talis aſſenſus.

2 Dicent (pergit Elizalde) de paritate vel imparitate ſyderum nullas haberi rationes nec æquales, nec inæquales; & ideò neutri parti aſſenſum dari, ſed reſponderi, *neſcimus*: at in æqualiter, & minus probabilibus adeſſe rationes, quibus moveri poſsit intellectus; ideòque his aſſenſum eſſe dabilem.

3 Cæterum hæc ſolutio, quæ unica eſſe poſſe videtur (inquit idem) eſt nulla: nam in primis facilè eſt pro paritate, & diſparitate ſyderum, & pro ſimilibus omnibus rationes adinvenire, & ſyllogizare, ut infra faciemus, ſed nunc magis è re; quia rationes in tantum valent ad movendum intellectum ad aſſenſum, in quantum illi oſtendunt rei aſſerendæ veritatem. Et ideò per ſe non requiruntur rationes, & probationes ad dandum aſſenſum, ut non requiruntur, quoties rei veritas per ſe ipſam ſine rationibus, & probationibus eſt nota, & manifeſta, ut patet in aſſenſu primorum principiorum. Et

à contrario, etiam juxta adverſarios, rationes aliquæ ſcilicet leviſsimæ, & improbabiles non ſufficiunt ad movendum intellectum, quia per eas non innoteſcit, rem aſſerendam eſſe veram. Ergò verum eſt, quod aſſumpſimus, nempè rationes in tantum valere ad movendum intellectum ad aſſenſum, in quantum per ipſas manifeſtatur, oſtenditur, & innoteſcit rei aſſerendæ veritas. Sed quoties utrinque, & pro vero, & falsò adſunt æquales rationes, non magis innoteſcit, rem eſſe veram, quàm in caſu adducto, paritatis, & imparitatis ſyderum; nam in utroque caſu proponitur objectum non magis verum, quàm falſum, ſed omninò indifferens ad verum, & falſum. Ergò nulla eſt diſparitas de rationibus, vel non rationibus; nam in utroque caſu æqualiter ignota, & incerta nobis eſt veritas rei propoſitæ, & aſſerendæ.

4 Confirmatur ab eodem Authore. Æqualis ratio eſt ſicut nulla ratio, quoad movendum intellectum ad aſſenſum. Sed nulla ratio non ſufficit, etiam cum imperio voluntatis ad movendum intellectum ad aſſenſum, ut conceditur à cunctis, & patet in caſu ſyderum, & in omni caſu dubii negativi: ut v.g. an nunc loquatur, vel taceat Turca? Ergò æqualis ratio non ſufficit.

5 Major oſtenditur, quia ſecluſo imperio voluntatis, intellectus non magis movetur, & inclinatur ad aſſenſum, quàm ad diſſenſum, ſed omninò hæret, & manet in ſuſpenſo, ſicut in caſu nullius rationis, quia vis tota unius partis eliditur per contradictoriam æqualem, ut in teſtibus admittunt omnes: & oſtenſum eſt *lib.* 2. Rurſus quantum ponitur cauſæ, tantum ponitur impedimenti ex altera parte: ergò tanta vis requiretur ad movendum, quantum requireretur, ſi nulla omninò adeſſet cauſa, ut patet innegabiliter in bilancibus, & in aliis rebus quibuslibet, ſcilicet bilances habentes æqualia utrinque pondera, tantam omnino vim requirerent, ſi nulla omninò eſſent pondera in bilancibus, & qui bilances vacuas, & ſine pondere movere non poſſet, nec ſanè poſſet illas æqualiter utrinque ponderatas. Ratio autem eſt; quia quantum ponitur cauſæ impellentis in una parte, tantum ponitur cauſæ impedientis ex alia. Ergò idem omninò eſt in caſu noſtro propter omnimodam identitatem rationis. Sed voluntas non poteſt determinare, & inclinare in unam partem intellectum vacuum, & nullas rationes habentem. Ergò nec habentem æquales utrinque rationes.

6 Quarè hanc intellectus immobilitatem approbat Ariſtoteles 2. *de Cœlo*. non quidem *textu* 93. de *Capillo*; ut quidam dixere; nam potius de capillo ibi tradit, non quidem quod maneret immobilis, quando utrinque æqualiter trahitur, ſeù diſtenditur, ut Plato exponebat immobilitatem terræ; potius enim capillus rumperetur, & pars hùc, pars illùc traheretur: & ſic etiam eſſet de terra, ſi à polis attraheretur æqualiter. Approbat ergò doctrinam *textu* 94. nam capillus, ſi eſſet quoad omnes partes ſuas æqualiter fortis, prorſus in medio rumperetur, & ſola dimidia pars utroque attraheretur: *Secundum accidens tamen hoc verum* (ſcilicet immobilitas) *quia neceſſarium manere in medio omne, cui nihil magis hùc, quam illùc moveri convenit.* Intellectui autem non magis convenit hùc, quam illùc moveri in caſu noſtro, quia utrinque refulget eadem ſpes, & ſpecies veritatis: & utrinque imminet, & terret idem periculum falſitatis; nec item intellectus rumpi poteſt, ut capillus, vel terra. Ergò manebit immobilis, & in medio. Quin cum natura intellectus ſit ad verum, illi manifeſtè diſconveniens eſt, quòd moveatur ad minus probabile, in quo minus apparet ratio veri, quàm

quàm in ſuo oppoſito. Ergò magis contra ipſum eſt, quod ſit mobilis ad minus probabile, quàm ad omninò dubia, in quibus nulla eſt ratio; quia in his in neutro extremorum magis apparet ratio veri, vel falſi: ſed quoad iſta eſt immobilis. Ergò à fortiori erit immobilis quoad minus probabilia.

7 Hic diſcurſus confirmatur ſecundo authoritate S. Thomæ, qui tradit, voluntatem nec ſe ipſam quidem movere poſſe ad eligendum inter bona æqualia in nullo diſcrepantia, & omninò ſimilia: & Vazquis ſententiam ſic temperatam, & ad bona æqualia, & ſimilia reſtrictam pridem tradidi libris de Anima. Voluntas enim noſtra habet ſemper cur objectivum, non ſolum cur amet, ſed etiam, cur hoc præ alio, nec ſufficit illud *cur* quaſi ſubjectivum, quia volo; poſſent alioqui beati deſiſtere ab amando Deo; non enim indigebunt ratione ex parte objecti, quę nulla eſt, ſed ſatis erit illud, *quia volo*. Sed de his loco ſuo. Hactenùs P. Elizalde, qui aſſumptum ſtabilire pergit ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 13. *art.* 6. *ad* 3. & 1. *Perhiermen. lect.* 14. expreſsè in opinabilibus, ipſius Elizalde judicio, requirente motivum aliquod in intellectu, *quo magis inclinetur in unam partem, quam in aliam.*

8 Quod ſi dixeris intellectum dubium, ut dubium non poſſe opinari, tamen quando eſt dubius poſſet adlibitum voluntatis ſe determinare, tuncque amplius non erit dubius, & poterit opinari. Contra ſic urget Mag. Julius Mercorus in *Baſi totius moralis Theolog. part.* 2. *art.* 3. *pag. mihi* 132. Intellectus non liberè eſt dubius; ſed ideò ſtat anceps, quia rationes undique graviter urgent, ipſumque trahunt ad oppoſita, & ratione æqualitatis non habet, ut magis moveatur verſus unam partem, quàm verſus aliam, ſicuti pondera æqualia poſita in utraque parte ſtateræ, mutuò ſe impediunt, nec permittunt ſtateram in aliquam partem declinare. Sicuti igitur intellectus non liberè eſt dubius, ita nec liberè ſe determinare poteſt, durante tali diſpoſitione moventium.

9 Confirmatur ex *Ariſt.* 3. *Metaph. cap.* 1. ubi comparat intellectum dubium homini vinculis mancipato. Poſterior enim, inquit, inveſtigatio priorum eſt ſolutio dubitatorum; ſolvere enim non eſt ignorantis vinculum ubi concinit D. Thomas. Ex his porrò infero. Si poſterior inveſtigatio veritatis eſt ſolutio dubitatorum: ergò veritas noviter inventa, & non pura voluntas determinat intellectum, & à dubietatis vinculo diſſolvit. Secundò: ſi non eſt ignorantis ſolvere vinculum dubitationis: ergò qui adhuc ignorat veritatem, quando ambæ partes ex æquo apparent veræ, non valet adlibitum ſolvere dubitationis vinculum.

10 Tertio, ſi mens dubia eſt à dubio ſtrictè ligata, ut ait D. Thomas. Ergò non eſt libera ut ex pura voluntate ſe eximat à vinculo dubietatis: ſicuti neque qui eſt ligatus corporaliter. Quartò, ſi qui dubitat in via ſpeculationis non poteſt ad anteriora procedere, ſicuti nec ille, qui eſt ligatus corporaliter: ergò intellectus qui fluctuat inter partes contradictionis, quando ſunt æquè probabiles, non valet à ſtatu dubitationis procedere ad opinionem, cum opinari ſit quoddam ſpeculari.

21 Et benè nota Philoſophum loqui in dicto textu de dubio opinionum ob contrarietatem rationum, ait enim: *Amplius autem melius neceſſe eſt ſe habere ad judicandum eum, qui audivit, velut adverſariorum; & dubitantium omnes rationes.* Ubi S. Thom.

ſicut autem in judiciis nullus poteſt judicare, niſi audiat rationes utriuſque partis, ita neceſſe eſt, eum, qui debet audire Philoſophiam melius ſe habere in judicando, ſi audierit omnes rationes quaſi adverſariorum dubitantium. Hoc dixi, (inquit Mag. Mercorus) ne quis arbitraretur vim hujus rationis declinare, gloſſando hunc textum de dubiis ob defectum rationum ex una, aut ex utraque parte contradictionis.

12 Quinto urget idem Mercorus opinari, ſecundùm omnes Doctores, eſt, intellectum aſſentiri uni partium, cum ſola formidine proveniente ex inefficacia motivi, quod omninò non convincit, ſed qui opinatur de propoſitione probabili, concurrente oppoſita æqualis probabilitatis, non ſolum habet formidinem propter inefficaciam motivi, propter quod huic parti adhæret, ſed etiam timet poſitivè de ejus falſitate propter æqualem efficaciam motivi oppoſitæ partis: ergò intellectus qui per te in tali diſpoſitione opinatur, non opinatur, ſed potius dubitat adhuc, aut ſimul dubitat, & opinatur, quod implicat.

13 Sexto ex eodem: Judicare utramque partem contradictionis eſſe æqualis probabilitatis, eſt judicare utramque non minus apparere veram, quàm falſam; nam quælibet ex proprio motivo apparet vera, & ex motivo ſuæ oppoſitæ apparet falſa; unumquodque enim motivum quantò magis ſuam partem facit apparere veram, tantò magis ſuam oppoſitam facit apparere falſum; cum igitur ex utraque parte motiva ſint æqualia, utraque pars æqualiter apparebit vera, & æqualiter apparebit falſa; ſed nullus poteſt opinari de propoſitione, quæ ſibi æqualiter apparet vera, & æqualiter ſibi apparet falſa, cum opinari ſit judicare propoſitionem veram cum ſola formidine, quod ſit falſa, ut dictum eſt: ergò in caſu, quo intellectus judicat utramque partem contradictionis eſſe æquè probabilem, de neutra poteſt opinari.

SECTIO LXVIII.

Præcedens argumentum ulterius fulcitur.

1 SEptimò, ex R. A. P. N. Tyrſo *in tract. de recto uſu op. prob. diſſert.* 7. §. 3. *num.* 9. præcedens difficultas urgetur: ſi rationes oppoſitę ſint omninò æquales in vi movendi, id que intellectus experimentaliter cognoſcit, poteſt ſupra illa motiva reflectens ſic enunciare: *æquè veriſimilis mihi videtur una pars, ac alia.* Hoc poſito, ne accedente quidem imperio voluntatis, valet aſſentiri uni potius, quàm alteri; quia intellectus aſſentiens uni parti contradictionis, ſicut judicat illam eſſe veram, ita judicat oppoſitam eſſe falſam, & ſicut judicat motivum illius partis eſſe verax, aliter non moveretur intellectus ab illo, nec aſſentiretur illi parti, ita judicat motivum oppoſitæ partis eſſe fallax, & ideò illud præfert iſti. Implicat autem, ut intellectus ſimul judicet motivum A. eſſe æquè veriſimile, ac motivum B. & nihilominus motivum A. eſſe fallax, & motivum B. eſſe verax.

2 Octavo ex eodem, *dict.* §. 3. *num.* 10. Voluntas non poteſt in intellectum exercere hoc imperium: *Quamvis nulla ratio tibi ſuppetat, ad affirmãdum, hunc extractum eſſe uſu-*

æsurarium; nihilominus volo, ut affirmes potius, quàm neges. Sicut enim ubi appareret objectum esse falsum, nequit imperare, ut judicet esse verum, quia hoc imperium est contra rationem intellectus, non potentis assentire objecto, nisi sub ratione veri, seù quia apparet verum: similiter ubi non magis apparet esse verum, quàm falsum: & ratio est, quia intellectus naturaliter refugit deceptionem, & errorem, & amat veritatem, & in eam tanquam in centrum, naturali quasi impetu, fertur. Quarè ubi tantum habet fundamentum ad censendum, esse aliquid falsum, quàm ad censendum esse verum, non potest determinatè judicare objectum illud esse verum, ne decipiatur.

3 Si respondeatur: pro unaquaque parte esse motivum sufficiens; & quamvis ante imperium voluntatis sit intellectus anceps, & in æquilibrio propter æqualitatem moventium, tamen accedente imperio posse erumpere in assensum unius partis determinatè; quia motivum de se sufficiens ad conciliandum assensum, non amittit vim motivam ex eo, quòd concurrat cum motivo ad oppositum, ac proindè cum vi motivi suadentis contractum aliquem esse licitum, sufficienter appareat ejus honestas, potest voluntas imperare intellectui, ut vi illius judicet, licitum esse illum contractum non obstanti motivo æquali oppositò, vi cujus sufficienter apparet turpido talis contractus.

4 Contrà insurgit nonò, quia vis unius motivi eliditur, & omninò impeditur per vim æqualem motivi oppositi, seù ad oppositum; sicut pondus unius libræ de se sufficiens ad deprimendum dexterum bilancis brachium, impeditur ratione ponderis æqualis impellentis ad oppositum; & ita manet bilanx in æquilibrio. Quantum enim motivum unius partis inclinat ad assentiendum tantum retrahit ab assensu motivum oppositum. Unde motivum illud non dicitur sufficiens ad conciliandum assensum per ordinem ad quemcumque rerum concursum, sed solum est sufficiens sub conditione, quod non concurrat cum motivo æqualiter, vel fortius trahente ad oppositum. Et quamvis non amittat vim intrinsecam movendi ex eo, quòd concurrat cum motivo oppositò, non sequitur, quod tunc possit exprimere assensum, seù persuadere; nimirum quia ex se nunquam habuit vim ad exprimendum assensum sub tali circunstantia.

5 Quod clarè cernitur; nam ex eo quod concurrat motivum de se sufficiens ad conciliandum assensum cum cognitione evidenti de falsitate objecti, non propterea amittit vim intrinsecam movendi ad assensum illius objecti, & tamen tunc non potest movere ad assensum; cùm implicet intellectum assentire alicui objecto, cujus falsitas evidenter innotescit. Sicut ergò nos necessario fateri debemus motiva opinionis probabilis solum habere vim conciliandi assensum respectu intellectus, non cognoscentis manifestè ejus falsitatem; ita dicendum non habere vim conciliandi assensum nisi respectu intellectus non habentis æquale, vel majus fundamentum ad oppositum. Dum enim habet æquale fundamentum ad oppositum, objectum illud non magis apparet ipsi verum, quàm falsum; sed vi unius motivi apparet verum, & vi alterius apparet falsum. Unde tunc non potest ferri per assensum in ipsum; quia quantum veritas apparens invitat, tantum retrahit falsitas apparens. Et cum non minus refugiat falsum, quàm

amet verum, nequit in illo occursu conjungi per assensum cum objecto, ne conjungatur cum falsitate, dum quærit veritatem. Nec voluntas potest illum cogere, ut uniatur cum objecto per assensum, quando non major affulget spes inveniendi veritatem, quàm falsitatem.

6 Quod alio explicatur exemplo. Quamvis homo vires habeat sufficientes ad trahendum pondus aliquod post se versus orientem; si tamen simul alius homo æqualium virium pondus illud dimovere conetur versus occidentem, & uterque æqualem impulsum imprimat, non poterunt unius vires pondus illud dimovere è loco; quia per impetum contrarium retunduntur. Sic ergò in nostro eventu, quamvis motivum unum alliciat ex se intellectum ad unam partem contradictionis, si tamen alterutrum æquali vi impellat ad oppositam, immotus manere debet, & ligatus; & implicat, ut rationes illæ, quæ ipsum ligant, & suspensum tenent, eumdem exolvant, quin eis aliquid superaddatur. Qui enim dubius est, an aliquid sit verum propter rationes dubitandi æquè moventes in unam, ac in alteram partem, solvere hoc dubium non potest præcisè per rationes, quæ ipsum dubitare faciebant, & tamdiù debet manere dubius, quamdiù non occurrit aliqua nova ratio, vel motivum movens magis ad unam partem, quàm ad aliam, & prævalens adversus aliam.

7 Nec dubium rationale solvi potest nisi per rationem; quia sicut rationes ligant intellectum, ita ratio illum exolvere debet. Et quamvis affectus, & inclinatio voluntatis ad unam partem contradictionis potius quàm ad aliam, multum deserviat, ut illa pars repræsentetur ut verisimilior, quia applicat intellectum ad quærendas rationes pro illa parte, & removet à parte contraria; tamen ubi utraque pars repræsentatur ut æquè verisimilis, non potest ex hac suppositione voluntas determinare intellectum ad amplectendam unam præ alia per assensum; quia cum ille tendat sub ratione veri, id est assentiat objecto, quia apparet verum, non potest assentire ubi objectum non magis apparet verum, quàm falsum, ut contingit in casu proposito. Id quotidiana experientia testatur. Dum enim Magistri expendentes momenta sententiarum, ut inter illas eligant, experiuntur æqualem efficaciam in fundamentis oppositis, nullam illarum præferunt alteri, donec nova lux superveniat, qua unius partis fundamenta appareant eis debiliora, & facilius solubilia. Et numquam quis amplectitur intellectu, & defendit unam sententiam præ alia, nisi quia ejus fundamenta ipsi apparent magis verisimilia, & videntur urgentiora.

8 Decimo ex eodem: Implicat ut quis oculis lustrans aliquem colorem, verè, & seriò pronuntiet. *Hic color non magis est similis albo, quàm nigro*; & nihilominus in eodem instanti affirmet: *Hic color albus est, non niger.* Ergò etiam repugnat, ut quis seriò enuntiet: *Hæc opinio non magis est similis vero, quàm falso*: seù, *Hæc opinio non magis mihi proponitur ut vera, quàm falsa*; & nihilominus in eodem instanti pro posteriori seriò enuntiet: *Hæc opinio vera est non falsa.* Quod sanè contingere potest, si stantibus motivis omninò æqualibus ex parte intellectus pro utraque parte contradictionis, posset ex imperio voluntatis assentire alicui determinatè.

9 Undecimo ex P. Camargo *part.* 1. *lib.* 1. *contr.* 5. *art.* 4. *num.* 45. Nulla potentia nostra, adhuc ex libero voluntatis

tis imperio operari aliquando potest extra objectum suum proprium, & specificativum; ut patet; alioqui posset oculus videre sonum, & auris audire colorem. Sed objectum formale, ac proprium intellectus in ordine ad assensum, est verum per apprehensionem prę̨viam sibi propositum, & absolutè apparens, ut tale, pro priori ad ipsum assensum, (& idem est in ordine ad dissensum de falso) igitur numquam intellectus potest, adhuc ex libero voluntatis imperio, tendere per assensum in objectum, quod sibi pro priori absolutè hîc, & nunc non repręsentetur ut verum. Hæc certa sunt, modò fiat: atqui dum intellectus invenit pro parte contraria rationes æquè, aut magis urgentes, nequit objectum ipsi apparere absolutè verum: ergò nequit illi assentiri adhuc ex libero voluntatis imperio. Cętera per se patent: minor ostenditur. Objectum apparere intellectui absolutè verum in ordine ad assensum præstandum, est prædicatum repræsentari ut conveniens absolutè subjecto, seù (quod in idem recidit) est subjectum enuntiationis apparere intellectui connexum absolutè cum prædicato, ut ex ipsis terminis manifestum, & vel tyronibus in Dialectica notum. At in eventu posito nequit subjectum enuntiationis apparere intellectui connexum absolutè cum prædicato, cum nullum majus, sed potius minus, vel ad summum æquale fundamentum repræsentetur ipsi pro connexione, quàm pro connexionis carentia: ergò objectum non potest absolutè apparere intellectui verum: ergò non potest eidem assentiri, adhuc ex libero voluntatis imperio. Hoc argumentum sub his terminis institutum (inquit idem ingeniosus Scriptor) demonstrativum est, ac convincens, si rectis oculis inspiciatur, quippè quod ex principiis apud omnes indubitatis sententiam legitimè concludat. At inefficax esse ostendam.

10 Confirmatur duodecimo ex Illustriss. Palanco *de conscien. quæst.* 26. §. 1. *num.* 6. voluntas in quæstione dubia non potest per se, & immediatè determinare, quænam pars sit vera, quænam falsa; sed si stantibus rationibus æqualibus pro utraque parte contradictionis, voluntas immediatè imperaret assensum partis affirmativæ, præ negativa, voluntas in quæstione dubia immediatè, & per se decideret, & determinaret partem affirmativam esse veram, & negativam esse falsam: ergò implicat voluntatem stantibus rationibus æqualibus pro utraque parte consideratis actu ab intellectu, imperare immediatè assensum partis affirmativæ, præ negativa. Major patet, quia dijudicare inter verum, & falsum, ac decidere dubia intellectualia, non est munus voluntatis, sed solius intellectus, ut enim inquit Arist. 3. *Metaph. cap.* 1. *Solvere vinculum dubitationis non est ignorantis.* Voluntas autem de se cœca, & ignorans est: non ergò potest voluntas per se, & immediatè in quæstione dubia decidere, ac determinare, quęnam pars vera sit, & quænam falsa.

11 Minor verò probatur: quia in prædicto casu intellectus pro priori ad imperium voluntatis esset in quæstione dubia dubitans, quænam pars esset vera, & quęnam falsa, ac voluntas immediatè imperaret intellectui, ut assentiret parti affirmativæ, præ negativa: ergò voluntas per se, & immediatè decideret dubium, intellectusque tantummodò sequeretur decisionem voluntatis.

12 Decimotertio ex eodem: vel voluntas imperaret intellectui, quòd assentiret parti affirmativæ, ut verę, vel quòd assentiret illi sivè veræ, sivè falsæ; hoc secundum est chimericum, quia implicat, intellectum assentiri objecto, nisi ut vero: ergò imperaret intellectui, quòd assentiret parti

affirmativæ,ut veræ:tunc ſic interrogo: unde habet voluntas, quod pars affirmativa potius eſt vera,quàm negativa? non ſanè ab intellectu, ſiquidem intellectus ſupponitur dubius: ergò ex ſe ipſa,& per ſe ipſam attribuit veritatem potius parti affirmativæ, quàm negativæ: ergò voluntas eſt, quæ dijudicat primò,& per ſe inter partem veram, & partem falſam,& quæ ſolvit per ſe dubium intellectus, quod quis credat?

13 Decimoquartò ex eodem aliiſque: implicat intellectum ità aſſentire uni parti contradictionis, quòd nullam aſſenſus poſsit rationem reddere, niſi tantum *quia volo*: ſed ità contingeret,ſi intellectus inter ſententias æquè probabiles conſtitutus, ex imperio voluntatis alicui ex his ſententiis oppoſitis aſſentiret: ergò.Major patet, adeòque ſi quis in Scholis eam ſui aſſenſus redderet rationem, ab omnibus rideretur. Minor ex hypotheſi conſtat: & conſequentia eſt bona.

14 Decimoquinto ex ipſo: adverſus opinantem in noſtra hypotheſi, poſſet in hunc modum legitimè argui. Nulla eſt major ratio, cur ſit vera affirmativa,quàm ut ſit vera negativa; ſed per te negativa non eſt vera, quia judicas illam falſam: ergò nec affirmativa. Certè conceſſa majori, evidenter concluſum eſſet: ergò ut poſſet quiſpiam ſui aſſenſus rationem reddere,deberet majorem illam negare:id quod in hypotheſi noſtra impoſsibile eſt: & conſequenter hypotheſis eſt in ſe ipſa involvens contradictoria.

15 Decimoſexto inſtauratur paritas ſtateræ;nam licet ſtatera ipſa non habeat libertatem,ſed naturaliter ponderet, & inclinetur, tamen qui ſtatera utitur,habet libertatem eam inclinandi in hanc,vel illam partem. Sed qualiter? non ſanè ponderando ex parte utriuſque lancis æqualia pondera, ſed prout ſibi libuerit, apponendo in una lance pondus magis grave, quàm in alia. Tunc ſic, ſed intellectus etiam ex parte ſua non eſt liber,ſed tota libertas ſe tenet ex parte voluntatis: ergò licèt voluntas poſsit inclinare intellectum in unàm partem potius, quàm in aliam, non ſanè ponderando, & conſiderando ex utraque parte contradictionis rationes, & motiva æqualis ponderis,ſed ſolùm faciendo, quòd intellectus pro una parte conſideret rationes magis graves, & pro alia minus: ergò exemplo ſtateræ rectè probatur, intellectum actu ponderantem rationes æquales pro utraque parte contradictionis,adhuc ex imperio voluntatis, non poſſe flecti in unam partem potius, quàm in aliam.

16 Quòd ſi dixeris,ſtateram poſſe ab extrinſeco impulſu inclinari potius in unam partem,quàm in aliam, & conſimiliter intellectum inter extrema oppoſita,& æqualia conſtitutũ poſſe ab impulſu voluntatis in unum potius,quàm in aliud inclinari.Contrà inſurgit Illuſtriſsimus Palanco,quia in tali caſu ſtatera deficeret à ſuo munere dijudicandi, & diſcernendi inter pondera,eique fieret violentia contra propriam naturam, & officium, ut ſic dicam. Unde ſtatera in illo caſu, illa inclinatione violenta, non deſignaret, quòd pondus illius partis eſſet majus, nec diſcerneret inter pondus, & pondus: ergò pariter ſi intellectus conſiderans rationes æquales pro una, & altera parte contradictionis, inclinaretur ab impulſu extrinſeco voluntatis in unam partem præ alia,tunc intellectus deficeret proprio muneri judicandi inter verum, & falſum, eique fieret injuria, & violentia, minimèque per talem inclinationem intellectus ſuum judicium proferret, ſed merè paſsivè ſe haberet, ſolaque voluntas eſſet, quæ ibi anteponeret partem affirmativam negativæ. At voluntas nequit ſibi uſurpare munus dijudicandi inter verum, & falſum, nec poteſt intellectum violen-

lenter movere,& contra ejus naturam: ergò voluntas non potest movere intellectum actu considerantem æquales rationes pro utraque parte contradictionis ; cum inclinando in unam partem potius,quàm in aliam.

SECTIO LXIX.

Præcedens refellit argumentum.

1 OBjectio prælibata in primis subest instantiis,*sect.*63. adductis ; quòniam si motivorum æqualitas invincibili impedimento est, ut intellectus alicui ex oppositis extremis assentiat,etiam mediorum, finiumque particularium æqualitas in ratione boni indeterminabilem constituet voluntatem,quod falsum esse ostendimus *sect.*45.& 46. ex eademque voluntatis libertate eligendi æquale bonum,evicimus *sect.* 51. intellectus potentiam assentiendi objecto æquè verisimili, determinatione voluntatis interveniente.

2 Id quod præcipuè stabilitur ex illo principio, quod Angelicus Doctor D. Thomas illustrat *prima part. quæst.*82.*art.*2.*corp.*& *lib.*2.*sent.dist.*25. *quæst.*1.*art.*2.*corp.* videlicet,sic inhærere intellectum primis principiis, & iis propositionibus,quæ cum primis principiis, habent connexionem, si id connexionis per demonstrationem innotescat, sicut voluntas inhæret ultimo fini, seù beatitudini, nec non iis bonis quæ habent necessariam connexionem cum ultimo fine,si per certitudinem divinæ visionis vel aliter demonstretur hujus connexionis necessitas : deinde sicut voluntas non movetur ex necessitate ab objecto, quod potest accipi secundum aliquam rationem, ut malum : ita intellectus non movetur ex necessitate à vero cognito ut cõingẽti; seù quod potest accipi ut falsũ:ut plenè *sect.* 18. expendimus: unde inter intellectum,& voluntatem ex parte objecti est similitudo valdè in præsentiarum notanda,ut constat ex *sect.*51.

3 Quamobrem, si æqualitas motivorum in contradictoriis assertionibus in omnimodam reciuidit motivi carentiam, qualis reperitur pro affirmanda, & neganda numeri syderum paritate, seù imparitate, ut adversarii ajunt; etiam æqualitas motivorum voluntatis ad omnimodam motivi, seù boni carentiam reduceretur: quod falsum esse probatum fuit locis citatis, ubi discrimina, quæ voluntatem inter, & intellectum, ab adversa sententia redduntur, elevata manent : & ne eadem inculcare videar lege sis quæ *sect.* 51.præmisimus, ibi enim alia ad exarmandam objectionem præsentem, & illius confirmationes reperire erit. Conferunt valdè quæ stabilivi circa possibilitatem, ac debitum interpretandi dubia de proximo in meliorem partem *sect.* 53. *num.*6.& *seqq.*tum de perfectione obedientiæ intellectus etiam in dubiis positivis,*sect.*55.& *seqq.* quæ omnia ab objectione ejusque confirmationibus concuti videntur.

4 Secundò, & directè asserimus verum, & pro re nostra congruum esse discrimen *sect.* 67. *num.* 2. prælibatum, ut nullo modo possimus assentiri paritati, aut imparitati syderum, inter æqualia tamen assentiendi motiva oppósita, constituto intellectu, cuilibet adhærere assentiendo valeamus; quia sicut voluntas tendit sub ratione boni, & ideò quod nullatenùs bonum est,aut tale non apparet voluntas prosequi non potest; ita quod nec verum, aut tale non apparet,assensum intellectus terminare nequit: nec obest,quod dicitur facilè esse rationes invenire pro paritate,& imparitate syderum; nam vel rationes hujusmodi evidenter confringuntur, aut secus:si primum non quidem rationes,sed logi, &

ca-

cavilli erunt: si secundum, falsum assumitur; stellas esse nã nobis innumerabiles, Scriptura Sacra non uno loco docet. *Genes.* 12. Deus Abrahamo dicit: *Suspice Cœlum, & numera stellas, si potest.* Et *cap.* 22. addit: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Jeremiæ, 33. legimus: *Sicuti enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei.* Solus ergò Deus vel is cui ipse revelaverit stellarum numerum inire poterit, de quo David *Psal.* 146. canit: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

5 Idem experientia testatur; nam vel numerus ipse stellarum libero oculo, & sine telescopio visarum diversus est apud Astronomiæ Authores: primò ob diversa climmata in quibus observata sunt: nam in uno conspiciuntur aliquæ, quæ in alio conspici non possunt: secundò ob diversas anni tempestates, in quibus sunt numeratæ; nam hyeme serenis noctibus plures apparent, quàm æstate; tertiò ob majus, minusvè oculorum acumen: quartò ob errorem calculi, aut ob typographica menda: idque patet ex diversis opinionibus numerisvè repertis apud Ptolomæum, Griembergerum, Bayerum, & Keplerum.

6 Innumerabiles aliæ telescopio detectæ sunt stellæ. Nam Galillæus in nebulosa Orionis numeravit 21. in nebulosa Præsepii 36. in Asterismo Plejadum plures, quàm 40. intra spatium cinguli, & ensis Orionis ad minimum 80. & intra unius, alteriusvè gradus spatium in Orione plusquàm 500. Idem observavit Galaxiam, vel viam lacteam cœli (quæ per Geminos, & Sagitarium transit) nihil aliud esse, quàm innumerarum stellarum coacervatim consitarum congeriem. Ex quibus concludit, alias etiam cœli areolas Galaxiæ similes, & nebulosas stellas. P. Joannes Baptista Ricciolus *lib.* 6. *Almag. cap.* 6. *num.* 5. putat, si quis stellas esse ultra vicies centena millia asserat, nihil inopinabile asserere. P. Athanas. Kircherus in Itinerario extatico cœlesti, ait, innumerabiles in firmamento esse stellas, idem edocet P. Andreas Tacquet *lib.* 5. *Astronom. cap.* 2. *num.* 31. *versus finem.* P. Gaspar Schotus *lib.* 7. *Astronom. elemen. part.* 3. *cap.* 3. *fine.* & reliqui Astronomi.

7 Quod si de indefinito numero pari, vel impari loquamur, apud omnes sivè Matheseos peritos, sivè Philosophos, aut Theologos, in exemplum dubii negativi, seù talis, ut nulla affirmandi, vel negandi suppetat ratio, stellarum numerus adducitur: quî ergò fieri poterit, ut objiciens, etsi pereruditus, facilè invenire queat rationum momenta, ut *maximam* omnium sapientum mentibus infixam evertere possit, vel quoad speciem dumtaxat?

8 Cæterum gratis largiamur, posse quadantenùs fieri verisimilem imparem stellarum numerum, tunc equidem non magis repugnabit, ei positioni intellectum assentire, quàm hæreticum formalem suo adhærere errori, seù quempiam alium temerè judicare, li quidum enim est, tum hæreticos formales, tum temerè de proximo judicantes, levibus rationibus, & nullius roboris argumentis ad assensum suum duci.

9 Unde fit, P. Elizalde non rectè asserere, nostræ sententiæ Authores absolutè fateri, non sufficere ad assentiendum rationes levissimas, & improbabiles; quòniam licet similes rationes nullatenùs sufficere queant ad prudentem assensum, ad imprudentem tamen temerarium, & hæreticum utique sufficiunt: ut satis ex se liquet. Nihilominus non diffiteor, rationes in tantum valere ad movendum intellectum ad assensum, in quantum per ipsas,

sas, manifestatur, ostenditur, & innotescit rei asserendæ veritas: si enim hæc objectionis assumptio sale condiatur, potest, debetque concedi; nimirum si manifestatio, ostensio, & notio etiam cum latitudine, improprietate, seù imperfectione accipiantur, & si sermo sit de veritate vel reali, vel apparenti. Argumentum quippè licet exigui momenti, aliquomodò ostendit, manifestat, & notam facit identitatem extremorum cum medio; fallaciter tamen, & ea improprietate, qua rudis quædam Cæsaris imago, Cæsarem repræsentat: imò & cum majori improprietate in fallaci ratiocinio contingit; siquidem exigui roboris argumentatio cum verum adumbrare videatur objectum, falsum tegit, ea specie veritatis: negari tamen nequit, quòd aliquomodò repræsentatur intellectui ut verum; & consimiliter illi ostenditur, & manifestatur veritas seù illius species, semper ac intellectus alicui objecto assentitur: cum non possit tendere intellectus nisi sub ratione veri: verùmtamen, si objiciens velit, intelligi ostensionem, & manifestationem cum omni proprietate, seù certitudine, & evidentia, falsum erit, quod adeò perfectè debet rei veritas innotescere, ut intellectus valeat assentiri, ut patet in assensu quocumque tantum probabili, & in temerario, & hæretico.

10 Quamobrem licet in hypothesi æqualis verisimilitudinis utriusque oppositi extremi non ostendatur veritas evidenter, nec certò, aut demonstrativè, tamen sufficienter proponitur, ut cuilibet ex extremis intellectus possit assentire: sivè prudenter, sivè temerè id fiat, modò enim ad immediatam potestatem, libertatemque assensus ostendendam incumbimus, præscindendo ab eo, quòd hujuscemodi assensus sit prudens, vel imprudens, ut hinc conficiatur immediata fidei quoad speciem libertas, sicut & hæreseos; omninò enim exploratum est, assensum hæreticum, & judicium temerarium non nisi per ingentem imprudentiam elici: & proinde liquidum est discrimen hypothesis intellectus considerantis paritatem, & imparitatem stellarum, ab ea, in qua, pro utraque contradictionis parte intellectus animadvertit, non exigui momenti ad esse argumenta, licet quoad vim suadendi æqualia: quia in prima hypothesi caret intellectus sua ratione formali, quæ scilicet est verum apparens, etiam si imprudenter, aut fallaciter; secus in secunda, in qua pro utroque contradictionis extremo, suam rationem formalem invenit.

11 Propterea negandum est, quòd æqualis ratio sit sicut nulla ratio, quoad movendum intellectum ad assensum: nec contrarium ab arguente sufficienter evincitur; non enim vis movēdi unius partis eliditur omnino per contradictoriā ęqualē, ut in testibus etiam cōtingit, idque infrà constabit ex *cap. Ex litteris. de probation. §. quod si ambarum*, tum ex aliis juribus, ex quibus compositi versus illi apud Glossam. *dict. cap. lit. E.*

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos: Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

12 Quod si æquales testes, essent sicut nulli, quonam pacto prædictæ causæ stare possent, quando utriusque partis testes æquales extiterint? Unde fit, quod non ponitur tantū impedimenti, quantum ex altera parte ponitur causæ, quando æquales oppositæ adsunt rationes: primò quia motivum probabile penitus, & ex asse non infringitur per aliud æquè, vel magis probabile: quòniam probabilitati strictæ non contrariatur nisi opposita certitudo, sivè metaphysica, sivè moralis: quamvis ex parte minuatur vis suadendi in motivo probabili ex contrapositione oppositi motivi æquè, aut magis ve-

verisimilis: siquidem ratio probabilis, quando nulla in oppositum militat, moralem certitudinem gignit, ut notat Exim. Doct. *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. cap. 15. num. 21.* & sæpè alibi unde ex obsistentia motivi probabilis, ex parte minuitur vis alterius motivi ad suadendum: cæterum non ita enervatur unius partis probabilitas propter oppositæ partis probabilitatem, ut ideò desinat esse probabilis; quandoquidem respecta ejusdem intellectus possunt quàm optimè probabiles esse opiniones contrariæ, aut contradictoriæ, ut docent Doctor Exim. *dict. tom. 4. tract. 10. lib. 4. cap. 15. num. 21.* P. Vazquez 1. 2. *quæst. 19. art. 6. disp. 62. cap. 3. num. 10.* P. Azor. *tom. 1. Instit. mor. lib. 2. cap. 16. quæst. 2. & 3. & cap. 17. quæst. 7.* P. Thomas Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 9. num. 12.* & alii frequenter.

13 Sed præscindendo nunc ab eo, quòd probabilitas consistere queat penes sententias extremè oppositas, nihil enim nostra refert, id comprobabilitatis esse impossibile, certum est, quòd ut intellectus partem aliquam opinativè complectatur, non officit ineluctabiliter, quòd opposita pars sit valdè verisimilis, ut cernere est in judicio temerario, & in hæretico assensu; in utroque enim hoc eventu, cum tenui solum veri apparentia, & contra urgentissima rationis momenta, præsertim in casu hæreseos, subjicitur intellectus voluntatis imperio, & determinationi ad assentiendum illi extremo, licèt leviter verisimili: liquidum ergò sit, in hypothesi æqualis probabilitatis, seù verisimilitudinis pro utraque contradictionis parte, non reperiri tantum impedimenti ex una parte, quantum ex altera parte ponitur causæ ad assentiendum: & ea propter non requiritur tanta vis ad assentiendum sub his terminis, quanta requireretur, ubi nulla ratio, nullaque causa assentiendi adesset.

14 Nec à bilancibus productum exemplum evincit intentum contrarium: quin & pro nobis in adversarios contorqueri potest; nam dum bilances æquà linea persistant, vel minimo ponderis impulsu adjecto ex una parte, everso æquilibrio, in illam partem cadunt: ergò & æqualibus assentiendi, & dissentiendi propositis momentis, accedente impulsu voluntatis erga extremum aliquod, illud utique præponderabit: nec dicat quispiam, voluntati nullas esse vires inclinandi intellectum ad assensum supra merita objecti; oppositum quippè dicendum venit ex Innocentii XI. decreto damnante propositionem illam numero decimâ nonâ: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*: in qua assertione perpendo *To in se ipso*, inde enim concedendum videtur, quòd non solum assensus intellectus firmior fieri potest extrinsecè, & ratione imperii voluntatis adhærentis determinatè objecto illi, verùm etiam quòd intrinsecè, & in se ipso, & ut suum objectum complectens potest assensus intellectus effici à voluntate magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad illum impellentium: igitur voluntas potest addere intellectui impulsum, stimulumque versus objectum intellectus ipsius: ergò licet pro priori ad voluntatis imperium æquè verisimilia supponantur contradictionis extrema, poterit intellectus statera flecti in partem à voluntate complexam.

15 Secundo argumentum ab statera deductum nimis probat, adeòque nihil evincit: patet, quòniam statera versus partem in qua majus adest pondus, sic flectitur, & vergit, ut non sistat dum ultra descendere possibile sit: igitur intellectus dum magis propendet in verosimiliorem partem, ita in illam tendere debet, ut non possit

ſit ſiſtere donec illi aſſenſum præſtet: quod ab omnibus falſum cenſetur: nimis ergò ſtateræ exemplum probat: quod ſi in hoc admitti non debet, quare in eo quòd adverſa ſententia contendit à nobis admittendum erit?

16 Tertio ex P. Sparça in *Append. ad quæſt. de uſu lici. part. 2. artic.* 132. Bilanx movetur ſola ponderum injectorum gravitate, qua gravitas eſt, cæteris prædicatis ſe habentibus purè materialiter, cum intellectus diverſimodè afficiatur per authoritatem, & per rationem, nec non per rationem à priori, & à poſteriori, atque per ſingulas quaſque harum, ſimiliumque motionum differentias ſpecificas, cum facultate ſolius rationalis potentiæ propria, ſuper illas reflectendi, eaſdemque invicem comparandi: compertum ergò fit, nullum poſſe validum confici argumentum à modo tendendi bilancis materialis ad modum tendendi ſpiritualis ſtateræ intellectus.

17 Quartò. Statera falli non poteſt in motu bilancium, nec iſtę flecti poſſunt niſi à vero pondere: intellectus tamen in his rebus incertis, ſæpè fallitur, imò & à rationum momentis præcisè apparentibus, & in re fallacibus allicitur. Cum ſtatera à ficto pondere non moveatur. Hinc quinto: licet ſtatera declinet in partem, quę majus pondus continet, cùm aliqua tamen reſiſtentia ponderis in altera lance exiſtentis, & ſi minoris, tamen certò nobis definit majoris ponderis gravitatem, ſeù abſolutè majus eſſe pondus illud, in quod magis declinat: cæterum intellectus ſic à majori veriſimilitudè apprehenſa allicitur, & objecto iſti ex imperio voluntatis aſſentitur, ut formidet de falſitate ſui aſſenſus, & motivorum ejus, ac proinde forſitan oppoſitum eſſe verum: imò & in ipſa majori inclinatione in partem aliquam, pro priori ad aſſenſum, poteſt intellectus, & debet formidare, fortè ipſum falli, ſeù fallere argumenta, quæ ſic alliciunt: quòd ſtateræ nequit aptari.

18 Sexto in bilancibus, idem prorſus eſt, earum aliquam magis in centrum declinare, ac pondus eſſe realiter majus: in intellectu autem, non eſt idem propendere magis in aliquam partem, & illi aſſentiri; imò ex fallaci pondere poteſt ſoletque oriri non ſemel illa propenſio, nec aſſentiri opinioni alicui eſt, verè, & realiter partem illam eſſe veram; cum poſſit intellectus versùs aliquam contradictionis partem magis propendere, quin illi aſſentiatur; poſſitque aſſentiri parti, quę realiter eſt falſa, & ſi appareat vera.

19 Septimo: bilances ſic ob ponderum æqualitatem conſiſtunt æqualiter, ut tamen quodlibet ex illis ponderibus in centrum gravitet, eadem vi, ſeù eadem propenſione, ac ſi ſolum illud pondus adeſſet: patet, quòniam libripens, ſeù quilibet manu tenens ſtateram, majus pondus experietur, potioribuſque indigebit viribus, ſi pondus viginti librarum ad ſit in utraque lance, quàm ſi unius tantum libræ ſit pondus: tum quia funiculi ſufficientes ad ſuſtinendum in lancibus pondus unius libræ tantum, utique non ſufficerent, ſi in eiſdem lancibus collocarentur viginti librarum pondera: ergò æqualia pondera penès gravitatem ſuam in bilancibus non ita ſe habent, ac ſi nullum eſſet pondus in iis: ergò reſpectu intellectus æqualia motiva non ita ſe habent, ac ſi nullum eſſet motivum: ut objectio ait, & probare nititur.

20 Octavo: æquale pondus ita in centrum terræ propendit per lineam directionis è centro gravitatis ſuæ ad centrum terræ ductam, ut nullo ſit impedimento, quominus aliud æquale oppoſitum pondus eadem vi in centrum terræ propendeat; & proinde ſi non adeſſet invincibile impedimentum, utrumque æquale pondus, licet

per

per diverſas lineas ad centrum terræ perveniret: ergò in intellectus ſtatera æqualia oppoſita motiva ſic intellectu nalliciunt, & in veritatis centrum propendent, ut ratione ſui poſsint cum veritatis centrò conjungi; & conſequenter poterunt, & aſſenſum ſimul terminare: quod adverſarii minimè fatebuntur, tum quia à cauſa caderent; tum quia omninò repugnat, quòd contradictoria, vel etiam contraria ſint ſimul vera.

21 Nono ex mathematicis aſſertis, ſed præcipuè ex theoramete tradito ab Archimede *lib. 1. de Æquiponderantibus*; ſic urgeo: Gravia ex diſtantiis inæqualibus æquiponderantia, inæqualia ſunt, & quod ex minori diſtantia pendet, gravius eſt altero, quod pendet ex majori: ſint in fig. 1. corpora gravia AB, & C. æquipõderãtia ex diſtãtiis inæqualibus DF minore, EF majore: dico, ea eſſe inæqualia quoad pondus, & AB ex diſtantia minori pẽdens gravius eſſe, quam C.



22 Demonſtratur: ſi AB. non eſſet gravius, quam C, vel eſſet æqualis, vel minoris ponderis, quam C; ſed non æqualis eſt ponderis, quòniam ſic præponderaret C. ut patet in ſtatera, quæ noſtro idiomate Romana nuncupatur; & ea propter nec minoris ponderis eſſe queit, quia tunc multò magis C. præponderaret: igitur AB. gravius eſt, quàm C.



23 Porrò quod gravia æqualia ex inæqualibus diſtantiis non æquiponderant, ſed præponderat id, quod ex majori diſtantia pendet, præterquamquod experientia patet, & ideò inter poſtulata mechanicæ, & Staticæ recenſetur, ut videre licet in curſu Mathemat. P. Gaſparis Schotti *lib. 15. de Mechanica, cap. 3. & lib. 16. de ſtatica, cap. 1. propoſ. 3.* Illuſtratur ab eodem pererudito Authore *part. 3. Magiæ lib. 1. Syntagm. 1. cap. 4. propoſ. 2. in Corollario.*

24 Unde fit per ſe loquendo aliud eſſe, corpora eſſe æquilibria, aliud eſſe æquiponderantia: corpora æquilibria ſunt, quæ ſuſpenſa ex diverſis libræ, ſtateræ, vectis, &c. brachiis conſtituunt ſcapum libræ horizonti parallelum: æqualis vero ponderis corpora ſunt illa, quæ æqualis potentiæ ſunt, qua videlicet deorſum nituntur, & moventur, ſublatis impedimentis; vel aliter, corpora ejuſdem, vel æqualis ponderis ſunt, quæ in eodem medio, æquali niſu deorſum tendunt ſublatis impedimentis.

25 Nec tantùm æquilibria poſſunt eſſe corpora inæqualis potentię, ſeù inęqualia penès intrinſecum, & abſolutum eorum pondus; verumetiam corpus ponderis intrinſecè, & abſolutè minoris poteſt in ſtatera præponderare; ſeù poteſt majus momentum habere, quàm corpus majoris ponderis, idque contingere poteſt, non ſolum ex vitio ſtateræ, ſed etiam in ſtatera rectè conſtituta: ſi enim velocitas minoris ponderis ad velocitatem majoris ponderis majorem rationem habeat, quàm pondus majus habet ad minus pondus, hoc præponderabit, & majus pondus vincetur, & elevabitur à minori, ut liquet in ſequenti hypotheſi.

26 Sit in fig. 2. pondus A. duplum ponderis B. & appendantur in communi ſtatera, ſeù libra inæqualium brachiorum, penès inęquales diſtantias, elevata utique libra ad ſitum DE. erit arcus EB. quem percurrit pondus B. triplum arcus AD. quem percurrit pondus A. conſequenter erit major ratio velocitatis B. ad velocitatem A. quàm ratio ponderis A. ad pondus B: hæc enim eſt dupla, illa vero eſt tripla: aſſero ergò, quod pondus B. præponderabit ponderi A. & proinde pondus B. habebit majus momentum, quam pondus A.

27 Probatur, quando velocitas ponderis B. eſt ad velocitatem pon-

ponderis A, ut pondus A ad pondus B. fit æquilibrium, quòniam quantum unum pondus movetur, tantum movetur aliud: igitur cum juxta hypotheſim, & experientiam, ſit major velocitas ponderis B reſpectu ponderis A. quàm ipſum pondus A reſpectu ponderis B. habebit utique majorem motum pondus B quàm pondus A: igitur pondus B erit majoris potentiæ, quàm pondus A: ita ut potentia ponderis B ſit major, quàm vis reſtitiva ponderis A: ideóque B. habebit majus momentum, quod erat demonſtrandum: hæc quidem, & pulchra alia ſatis difficilia, mira eruditione enodantur præſertim ab Authore *Philoſophiæ veteris, & novæ, tom. 1. lib. 2. tract. Metaph. diſp. 3. quæſt. 4.* Et è Societate Noſtra à P. Schotto locis citatis, nec non à P. Miliet *lib. 1. de Mechanica propoſ.* 17. & è Regali Valentina Congregatione Oratorii Divi Philippi Nerii ab excultiſsimo univerſæ Matheſeos illuſtratore, Doctore P. Thoma Vincentio Toſca *Curſus Mathem. tom. 3. tract. 9. de Machinaria lib. 1. & tom. 4. tract.* 10. *de Statica*, quæ eleganti dexteritate, & ſubtilitate, ſicut & reliquos Matheſeos tractatus ille exhornat.

28 Jam verò ad inſtitutum noſtrum redeuntes, ex prælibatis infringitur ratiocinium ab ſtatera depromptum: & retorquetur exemplum: in ſtatera rectè conſtructa corpus minoris ponderis poteſt conſtituere æquilibrium cum corpore ponderis longè majoris, imò & poteſt vinci corpus majoris ponderis à corpore ponderis longè minoris: ergò & in ſtatera intellectuali æquabiliter fieri poterit, ut ratio minus quidem veriſimilis vincat rationem longè veriſimiliorem: id enim quod in ſtatera materiali operatur major velocitas, & diſtantia, ex qua corpus minoris pōderis pendet, in intellectuali ſtatera obtinere valet affectio, & determinatio voluntatis, ob quam rationis momentum, & ſi minoris, aut majoris ponderis poterit intellectum vel in æquilibrio, id eſt dubitantem relinquere, vel etiam aſſentientem efficere. Præterea multiplex inter utramque ſtateram intellectualem nempè, & materialem diſcrimen agnoſcitur, quòniam in materiali ſtatera inæqualia pondera poſſunt habere æquale momentum, ſeù eſſe æquilibria, & hoc quidem attenta rei veritate, & juxta certiſsimas Mechanicæ, & Staticæ regulas: in intellectuali autem ſtatera id fieri nequit, ſcilicet quod argumentum, quod in re eſt majoris ponderis, rectè cognitum, minus alliciat, & æquè ac aliud minoris ponderis, perfectè etiam penetratis deinde in ſtatera materiali corpus minoris ponderis intrinſeci poteſt præponderare corpori, quod ſit majoris intrinſeci ponderis: ſecus vero in ſpirituali judicii ſtatera, in qua neceſſe eſt, quòd ratio major pro priori ad affectum volūtatis magis alliciat. Quapropter ex multiplici adnotata diſcrepantia liquidum ſit nullius ponderis eſſe objectionem ex ſtatera petitam.

SECTIO LXX.

Ejuſdem objectionis fulcimenta ex Ariſtotele, & D. Thoma deprompta diluit, tradita doctrina ipſius Doct. Angelici, & B. Alberti Magni; conficiturque ſophiſma Anaximandri objectionem recidire.

1 HAud magis præmit quod eàdem *ſect.* 67. adducitur ex Ariſtotel. *lib. 2. de cœlo. tex.* 94. nam præter dicta à nobis *ſect. 45. num.* 15. & 17. reſpondetur, quod verba illa Philoſophi excerpta à P. Elizalde, nimirum, *ſe unum accidens tamen hoc verum, quia neceſſarium manere in medio omne, cui nihil magis hùc, quam illùc moveri convenit*: hæc in-

quam retorqueri poſſant in objicientem, quòniam juxta ipſum Ariſtotelem, & D. Thomam ibidem *lec.* 25. *litera F.* per ſe, & univerſaliter falſum eſt, quòd neceſſarium ſit manere in medio omne, cui nihil magis hùc, quàm illùc moveri convenit: patet ex verbis Philoſophi immediatè præcedentibus, quæ objiciens immeritò prætermiſit: *Sed adhuc* (inquit Ariſtoteles) *neque verum quod dicitur, ſecundum accidens tamen hoc verum, quia neceſſarium manere in medio omne, &c.* quæ D. Thom. *dict. lecti. lit. F.* in hunc modum elucidat. *Improbat prædictam rationem ex eo, quod ſupponit falſum, & dicit, quod id quod dicitur in prædicta ratione non eſt verum per ſe, & univerſaliter: eſt enim hoc verum per accidens: quia omne id eſt, totum, neceſſe eſt manere in medio, ad quod nihil magis pertinet, quod movetur hùc, quam illùc. Sed ſi habeat inclinationem, ut moveatur ad aliquam partem propter hanc rationem, quia ſcilicet eſt in medio, non ex neceſſitate quieſceret, ſed movebitur, non tamen ſecundum totum, ſed diviſim in partes, ſicut patet de igne. Si enim verum eſt, quod dicunt, neceſſe eſt, quod ſi poneretur ignis in medio mundi, quod quieſceret ibi ſicut terra quieſcit, eo quod ſimiliter ſe haberet ad quodlibet punctum in cœlo ſignatum, & tamen ignis in medio poſitus movetur à medio uſque ad extremum, ſi nihil prohiberet, ſicut & nunc videtur moveri, ſed tamen non totum movetur ad unum, & hoc ſolum removebatur in prædicta ratione, ut ſcilicet tum moveretur ad unam partem. Sed movebitur unaquæque pars ignis ad partem cœli ſibi proportionatam, puta quarta pars ignis ad quartam partem continentis, ſcilicet cœli. Corpus enim non eſt aliquod punctum indiviſibile. Sic autem partes terræ, ſi eſſent diſperſæ circa extremum cœli, & condenſarentur ad hoc, quod venirent in minorem locum, ſcilicet in medium, ſic oporteret è converſo, quia ſi ignis moveretur in medio uſque ad extremum, oporteret, quod per rareſactionem ex parvo loco moveretur ad locum majorem.... Et ex hoc concludit, quod ſi locus medius non eſſet naturalis terræ, niſi propter rationem ſimilitudinis, hoc modo etiam moveretur à medio uſque ad extremum, quod ſingulæ partes ejus moverentur ad ſingulas partes extremi, ſicut de igne dictum eſt.* Hæc Angelicus Doctor.

2 In objectione autem nobis propoſita aſſumitur, ut vera, univerſalis aſſertio iſta, *Neceſſarium eſt manere in medio omne, cui nihil magis hùc, quam illùc moveri convenit*, quæ tamen propoſitio per ſe, & univerſaliter eſt falſa, ut inquit S. Thomas, cum ipſo Ariſtotele per illa verba, *ſed adhuc nec verum*, quæ prætermittit objiciens, ſicut & ſubſequentia ad eam rationem, qua propoſita ſubjungit Philoſophus. *Sed propter hanc rationem non manet* (ſcilicet terra) *ſed movebitur, non tamen totum, ſed divulſum.* Ex quo iterum patet, prædictam aſſumptionem arguentis ab Ariſtotele reici. Tum quia Philoſophus palam inquit ſolum *ſecundum accidens* verum eſſe quòd *aliquid maneat in medio, cui nihil magis hùc quàm illùc moveri convenit*, quia nempè aliundè naturalis eſt ipſi locus ille medius, ut in terra evenit: igitur ut probetur, quòd aliquid manere debeat in medio, non ſufficit, quòd illi non magis hùc quam illùc moveri conveniat, ſed oportet aliam aſſignare rationem, qualis eſſet, connaturalem eſſe locum medii, vel non adeſſe principium à quo dimoveri poſsit à medio: id quod ab Authoribus, qui nobis obſiſtunt, nõ oſtenditur.

Idem

3 Idem inclateſcet ex tranſlatione Argiropoli apud Jacobum Fabrum Stapletonium, & apud D. Thomam, quæ ſic habet. *Sunt autem qui manere ipſam* (ſcilicet terram) *ob ſimilitudinem dicunt, ut ex veteribus Anaximander dicebat. Id enim inquiunt, quod eſt in medio collocatum, & æquè ad extrema ſe habet, non ad ſupera magis, quam ad infera, aut verſus latera ferri oportere; & ſimul ad contraria moveri non poſſe. Quarè neceſſariò illud manere dicunt. Hoc autem eleganter quidem, non verè tamen eſt dictum:* ubi Jacobus Faber inquit: *Duodecima* (opinio) *eſt Anaximandri terram quieſcere prohibentis. Quia æqualiter ſecundum ſui ambitum ſe ad extrema habeat: quarè ut æquè librata non plus ad hanc: potius quam ad illam eam ferri contigit. Unde hac de cauſa quieſcit, ſed quod id non verum ſit* (quamvis ſubtilitatem aliquam habeat) *deprehenditur. Primò quia ſua ratione quidquid in medio locaretur quieſceret. Ignis igitur in medio quieſceret, quod falſum eſt, quarè, & id ex quo ſequitur.*

4 Sed dilucidius miraque ſapientia B. Albert. Magnus *tom. 2. lib. 2. de Cœlo, & mundo. tract. 4. cap. 6.* ubi dictum Ariſtotelis locum verſans Anaximandri, quem Balſamidum quidam Arabes corrupta voce nuncupant, ſententia præmiſſa, de conſiſtentia terræ in medio propter æqualitatem ab horizonte per circuitum, eo quod non magis habet moveri unam partem, quàm ad aliam, inquit Magnus hic Doctor: *Sermo autem hujus oppoſitionis, & ſophiſticus eſt, & non verus. Sophiſticus quidem: quia hoc quod accidit terræ, ponit pro cauſa eſſentiali: accidit enim terræ, æqualiter diſtare ab horizonte per circuitum, per quem hoc quod eſt in medio, non cauſatur ab æqualiter diſtare ab horizonte: & ideò etiam æqualis diſtantia non eſt cauſa quietis ejus in centro. Et etiam locus ſophiſticus ſecundum quid, & ſimpliciter ut dicit Themiſtius.*

5 *Paralogiſmus autem* (pergit Magnus Albertus) *ſic formatur: terra quieſcit in medio: ſecundum eſſe illud in medio habet æqualitatem diſtantiæ ab horizonte per circuitum: ergò terra quieſcere habet in medio ab æqualitate diſtantiæ per circuitum. Et arguebat ac ſi idem cauſa ejus quod eſt quieſcere in medio, & eſſe in medio ejus quod eſt eſſe in medio. Falſus eſt ſermo iſte: quòniam ſi vera eſt cauſa, quam induxit, quod ſcilicet per hoc quod eſt aliquod verè in medio, non magis inclinatur ad partem unam, quam ad aliam, & ideò quieſcit, cum non poſſit ad omnem partem moveri: tunc ſi ignis poneretur in medio, ſtaret, & quieſceret in medio. Cauſam igitur quam induxit Anaximander, ſivè Balſamidus, non eſt propriè terræ, ſed omnis cujuſque corporis poſiti in medio.* Hæc præſtantiſsimus B. Albertus, luculenter oſtendens ſophiſticam, & falſam eſſe ratione diſtantiæ æqualis ad conſiſtentiam terræ ſeu cujuſpiam alterius corporis in medio ſtabiliendam.

6 Et ut fixum maneat, hunc arguendi modum ab æqualitate inclinationis, ſeu impulſus ineſficacem eſſe ad evincendam neceſſariam in medio conſiſtentiam, & indeterminationem aliam ipſius Beati, Magnique Alberti periodum annectere libet: *Et ergò dict. lib. 2. de Cœlo, & mundo tract. 4. cap. 6.* ut prælibatam Anaximandri opinionem ejuſque confirmationes disjiciat, juxta literam, & mentem Ariſtotelis in hunc modum diſſerit: *Et dicit ſimilem in fruſtro ferri, quod in centrum ponitur ſphæræ de mag-*

net: factæ, quod propter æqualitatem attractionis undique factæ stat in medio immobile: sic si imaginaremur tensa, quam quidem sophocram vocant, hoc est pellere æqualiter undique per circuitum, tensam aliquibus æqualiter attrahentibus cujus vis non invitat potentiam attracti magis in parte una, quàm in parte alia: tensa enim illa stat æqualiter attracta, & non scinditur, ut propter proportionem, quæ est inter virtutem trahentis horizontis, & virtutem terræ attractæ, ita quod neuter nec vincit, nec vincitur. En Anaximandri fundamentum, ipsum quod nobis opponitur, de quo tamen Magnus Albertus sic inquit: *Et hoc est derisibile, sicut si dicamus, quod famelicus, & sitiens distet æqualiter undique à cibo, & potu per circuitum, & non moveatur ad cibum, & potum, eo quod non invenit victum sic magis in uno loco, quàm in alio, cum ex desiderio cibi, & potus æqualiter moveatur ad omnem locum, in quo est cibus, & potus.* Et post pauca: *Mirum est ergò de talibus viris, quod per tales causas quærunt conservare stationes, & quietem corporum, per quas non possunt investigare rationes motuum eorum.* Hactenùs ille: cujus doctrina in rem nostram mirificè quadrat.

7 Conficitur ergò primò, propositionem illam, *necessarium manere in medio omne, cui nihil magis huc, quàm illuc moveri, convenit*, esse falsam juxta Aristotelem, eodem loco allegato ab objiciente, scilicet *lib. 2. de Cœlo. tex. 94.* ubi Philosophus inquit: *Sed adhuc neque verum quod dicitur, secundum accidens tamen hoc verum, quia necessarium manere in medio omne, cui nihil magis, &c.* Quapropter licet intellectus in medio, sive dubitans manere debeat inter contradictionis extrema æqualiter verisimila, ex accidenti, nempè nisi à voluntate determinetur; tamen sic dubitantem hærere intellectum, necessarium non est: & contrarium quidem eleganter non verè tamen est dictum, ut ex translatione Argiropoli notat Jacobus Faber, edocentque D. Thom. & Mag. Alber. Colligitur secundo, quòd sicut ignis constitutus in centro terræ, juxta Div. Thomam, moveretur secundum diversas sui partes ad partes Cœli sibi correspondentes, quia ignis divisibilis est: intellectus tamen, quia in assentiendo est indivisibilis, seù non potest contrariis assentiri, ex determinatione voluntatis ferri poterit penes assensam, versus objectum verisimile ad quod propendet, & à voluntate determinatur.

8 Colligitur tertiò, & notandum juxta doctrinam B. Alberti Magni, quòd sicut accidit terræ æqualiter distare ab Orizonte per circuitum, adeóque ea distantiæ æqualitas non est causa quietis terræ in centro; ita licèt intellectus cognoscens rationis momenta æqualia, & oppositæ possit anceps consistere, tamen id dubitationis necessarium non est, nec causatur ab ea æqualitate contrariarum rationum; quòniam licet sibi contradicentes positiones inequaliter essent verisimiles, posset adhuc intellectus dubitare; ut cernere est in dubitante de fidei mysterio sibi sufficienter proposito, cujus credibilitas longè excedit verisimilitudinem contrariam: argumentum ergò ab æqualitate rationum contrariarum depromptum nullum est ad dubitationem necessariam evincendam; æqualitas enim, aut inæqualitas rationum sibi obsistentium per accidens se habent ad dubitandum; formaliter autem dubitatio provenit ab obscuritate objecti, & à voluntate ad dubitandum determinante. Unde objectio in Anaximandri sophisma relabi videtur:

Ana-

Anaximander quippè seù Balsamidus pro stabilitate terræ ostendenda sophisticè ratiocinabatur, quia id quod accidit terræ, nempè æqualiter distare ab horizonte, assumebat pro causa essentiali seù necessaria præfatæ stabilitatis; cum tamen æqualis illa distantia ab horizonte, per accidens ad id consistentiæ se habeat; consimiliter autem ex æqualitate verisimilitudinis partium contradictionis, inter quas constitutus intellectus aliquando dubitat, nituntur adversæ sententiæ Authores evincere, necessarium esse id dubitationis, quotiescumque intellectus inter extrema oppositа æqualiter verisimilia constituatur; cum tamen intellectus absque ea æqualitate possit, dubitare, ut fit indubitante pertinaciter de rebus fidei; & cum æquali verisimilitudine extremorum possit non dubitare, ut contingit in eo, qui dubia circa proximum in meliorem partem interpretatur.

9 Deindè ea objicientis seù potius Anaximandri ab Aristotele, & optimæ notæ Philosophis rejecti, permissa assumptione, illa quidem nihil nostræ officit sententiæ; quòniam licet fateamur intellectum necessariò dubitare, & veluti in æquilibrio manere, dum versatur inter motiva oppositа, & æqualiter verisimilia; id intelligendum, quando non determinatur à voluntate, quia posita, & superveniente affectione, & determinatione voluntatis, quæ ut dictum est, pondus conferre valet ipsis intellectualibus motivis, præponderabit ea contradictionis pars, cui adhæserit voluntas: & consequenter deficiet æqualitatis inclinationis suppositio, in qua prædicta ratio fundatur: fateor igitur quod immobilis manebit intellectus constitutus inter oppositа æqualia motiva, donec à voluntate determinetur, secus ea adhibita determinatione; si enim intellectus immobilitas ad assensum vinci non posset à voluntatis libera determinatione, eũ nec à magis verisimili sufficienter moveatur ad assensum, & cõsequenter adhuc immotus intellectus maneat, utique non posset tunc voluntas impulsum intellectui conferre ad assentiendum: quòd cum falsum sit apud omnes, consequenter etiam affirmandum erit, quòd licet intellectus anceps maneat propter oppositа rationis momenta, tamen ad assentiendum flecti possit à voluntate.

10 Quòd autem dicebatur *dict. sect. 67. num. 7.* juxta D. Thomam voluntatem nec se ipsam quidem movere posse ad eligendum inter bona æqualia omninò similia, falsum est, quia contrarium docet satis apertè Doctor Angelicus ut evicimus *sect. 45. num. 13. & seqq. & sect. 46. num. 2. & sequentibus*, alias nec Deus posset eligere inter creaturas omninò æquales, & similes, quod est absurdum, sicut & quod ob eam æqualitatem, & similitudinem ciborum famelicus non possit eorum aliquem eligere, sed potius fame periret.

11 Nec propterea deesset voluntati *cur* objectivam, ut in prædicta hypothesi fiat libera electio, quia ratio formalis objectiva voluntatis est bonum, sicut ratio objectiva intellectus est verum: de quo supra *sect. 51. num. 2. & sequentibus*, & infra rursus exponetur: bonum autem non desinit esse tale eò, quod æquale alteri proponatur, hoc verò suppositio, volũtatis libertas sufficit ad eligẽdũ inter bona nõ necessaria. Quod autem adducitur ex D. Th. 1. 2. *quæst. 13. art. 6. ad 3.* non urget; quòniam ut in Commentario notat Cardinalis Cajetanus Sanctus Doctor in id collineat, ut objectionem sibi oppositam elevet, & libertatem voluntatis quoad specificationem propugnet, quod differtè præstitit, dicendo, quòd licet æqualia sint bona, potest unum eminere supra aliud penès aliquod

prædicatum: ex hoc autem perperam infertur, quod S. Doctor existimaverit, aut docuerit, quòd inter bona omninò similia, & æqualia voluntas non possit aliquod eorum eligere: nullam quippe inter se habent oppositionem propositiones istæ: *Voluntas gaudet specificationis libertate ad eligendum inter bona æqualia dissimilia*: *voluntas ea specificationis libertate gaudet ad eligendum inter bona æqualia similia*: ergò ex eo quod D. Thomas primam harum propositionum docuerit eo loci, malè infertur, quòd negaverit secundam, præsertim cum pluribus in locis illam tradiderit, ut cernere est *dict. sect.* 45. & 46. præcipuè in Comment. *lib.* 2. *de Cœlo. lectione* 25. *lit. D. fine*, hisce verbis: *Quia si æqualiter distarent duo cibi, vel duo potus, æqualiter desiderabiles, curreret ad alterum quodcumque contingeret.*

12 Nec aliud docuit Doctor Angelicus *lib.* 1. *Perhyermen. lec.* 15. *circa finem*; ubi hæc habet. *Sed particularia bona in quibus humani actus consistunt, non sunt talia, nec sub ea ratione comprehenduntur, ut sine quibus fœlicitas esse non possit, puta comedere hunc cibum, vel illum, aut abstinere ab eo: habent tamen in se unde moveant appetitum, secundum aliquod bonum consideratum in eis*: & *ideò voluntas non ex necessitate inducitur ad hæc eligenda*: quibus conspicuè sententiam nostram fulcit D. Thom. asserens quod solum fœlicitas, quę habet rationem ultimi finis, & bona illa, sine quibus fœlicitas esse non potest, necessariò amantur à voluntate, in aliis verò bonis particularibus prosequendis, omittendis, aut eligendis nullam esse in voluntate nostra necessitatem, at manifestè id falleret, si ad majus bonum prosequendum voluntas adigeretur: hujuscemodi ergò necessitatem Div. Thomas nec asseruit, nec agnovit: ex eademque doctrina, & ratione fit, quòd nec ex æqualitate, & similitudine objectorum præpeditur ullo modò voluntas ad quodlibet ex illis eligendum.

13 Et cum de intellectu ratiocinandum in præsens sit, sicut de voluntate ut eo loci 1. *Perhiermen. lec.* 14. adnotat D. Thomas, dicendum venit, quòd in his, quæ necessariò non consequuntur ex principiis, nulla est necessitas ut intellectus huic potius, quàm oppositò extremo assentiatur, sed ex determinatione voluntatis potest cuilibet eorum divisivè assentiri, ut optimè edocet Doct. Angelicus *dict. lect.* 14. *Sed dicendum est* (inquit) *quod similis differentia attendenda est circa bonum, sicut circa verum*, (inter objecta scilicet, quæ necessitant, & non necessitant voluntatem, & intellectum.) *Est autem quoddam verum, quod est per se notum, sicut prima principia demonstrabilia, quibus ex necessitate intellectus assentit: sunt autem quædam vera non per se nota, sed per alia.... quædam autem, quæ non ex necessitate consequuntur ex principiis, ita scilicet, quod possent esse falsa, principiis existentibus veris, sicut sunt opinabilia, quibus non ex necessitate assentit intellectus, quamvis ex aliquo motivo, magis inclinetur in unam partem, quam in aliam.* Hæc ille.

14 Et profectò in hoc loco tantum abest, ut Præceptor Angelicus in adversam propendeat sententiam, ut eam potius cæsim feriat, nam primò ut ex illius textu liquet, nullo modo requirit S. Doctor, quod intellectus magis inclinetur in aliquam partem ut illi opinativè assentiat: secundò expressè ait, quòd in opinabilibus non ex necessitate assentit intellectus: quod simpliciter stare nequit, si quoad speciem necessitatur ad assentiendum verisimiliori: & tamen D. Thomas simpliciter negat intellectum necessitari in opinabilibus. Tertiò, & magis luculenter ait, quod licet ex aliquo motivo magis inclinetur intellectus in unam partem, quàm in aliam, tamen non necessitatur

tur per id inclinationis, ad assentiendum parti verisimiliori; cum tamen adversæ sententiæ patroni omninò asserant, ex tali majori inclinatione necessitari intellectum, ne assentiat parti minus verisimili, ut qui præcisè assensum præstare queat parti verisimiliori. Per omnia igitur doctrina S. Thomæ in sententiam nostram quadrat, & adversæ obsistit.

SECTIO LXXI.

Suscepta refutatio continuatur.

1 AD primam Julii Mercori confirmationem relatam *sect. 67. num. 8.* respondetur, illam instari posse in voluntate: quippè voluntas proposito duplici bono æquali, vel etiam inæquali, pro priori ad sui determinationem libertam, necessariò indifferens est, & æqualiter, vel inæqualiter trahitur à quovis eorum objectorum: ergò quia necessariò, & sine aliqua sui libertate quandoque incidit in hanc indifferentiam, ita nec liberè tunc se determinare potest: quod ingens esset absurdum: igitur consimiliter ex eo, quòd intellectus non liberè incidat in dubium, ægrè colligitur, ex libertate aliqua determinari non posse: aliqua inquam, quòniam si arguens præcisè intendat denegare libertatem ipsi intellectui ad se determinandum, nihil obtinet, cum libenter id ubique fateamur: si autem velit, nec ex libertate voluntatis eam intellectus indifferentiam, & dubietatem posse determinari, inficias eo, nec ob allatam rationem sententiam mutare cogor: quod verò de statera addit abundè convulsum est *sect. præcedenti.*

2 Ad secundam ex Aristotele 3. *Metaph. cap.* 1. ubi comparat intellectum dubium homini vinculis mancipato, patet ex fusè traditis *sect. 60. & 61. & seqq.* nec nimis præmunt additæ à Mercoro assumpti artificiosæ expolitiones: fateor enim, quòd pura voluntas sufficiens non est, ut intellectus præstet assensum; & ea propter in dubio penitus negativo de pari, aut impari numero stellarum, intellectus nequit ad assensum determinari à voluntate; cæterum præsuppositâ verisimilitudine positiva utriusque contradictionis partis, sola voluntas intellectum queit determinare, ut huic potius, quàm illi parti æqualiter, aut inæqualiter verisimili assentiatur: vel etiam dicimus à veritate noviter affulgente ex voluntatis affectione simul cum ipsius voluntatis imperio, intellectum determinari, vel denique intellectum licet modò ancipitem posse per inquisitionem pervenire ad veritatem demonstrativè cognoscendam, & tunc verum erit, quòd inventio veritatis est dubitatorum solutio: id quod Philosophus edocet.

3 Ad secundam ejusdem Aristotelis asserti considerationem respondeo, nimis ex illa probari, videlicet nec posse intellectum assentiri extremo rationabiliori, quia licet urgentiora notabiliter sint rationis momenta pro aliqua parte, si ad vim demonstrationis non pertingant, utique veritas ignoratur, & licet magis in illam partem intellectus propendeat; adhuc tamen fluctuat quando non assentitur, & quodam modò dubitat, & ignorat; sed juxta Mercorum non est ignorantis solvere vinculum: ergò qui illo modo dubitat impotens erit assentire extremo etiam verisimiliori: quod nimis difficile est, & plusquam quòd intendit Mercorus in hoc suo argumento, quidquid ipse alibi sentiat. Directè dicendum, ignorantis omninò per carentiam omnis verisimilitudinis non esse solvere dubitationis vinculum; at ignorantis præcisè ex contrarietate motiva

tiorum esse vinculum dubitationis elevare, si determinetur à voluntate, secus relicto intellectu cum solis suæ potentiæ viribus.

4 Ad tertium, & quartum, negandum venit assumptum, ut ab exemplo ipso corporalis vinculi constat; siquidem strictè ligatus, si agnoverit modū ligaminis, potest se à vinculo expedire, ut inquit D. Thom. loco citato *sect.* 61. ergo intellectus, & si ligatus vinculo stricto difficilis argumenti, si modum probabilem illud solvendi cognoscat, & voluntas determinatione sua applicet intellectum ad præeligendam eam solutionem, poterit quidem à dubitationis vinculo expediri. Quartum labascit ex dictis; nequit enim se solo intellectus dubitatione ligatus ad anteriora procedere, secus verò adjunctis viribus voluntatis, ejusque determinatione, dummodò verisimilitudine gaudeat objectum: unde fit, notationem accuratè à Mercoro adhibitam de eo, quòd Aristoteles, & D. Thomas loquuntur de dubitatione ex oppositis motivis oriundam, nihil officere sententiæ, & solutioni nostræ: cæterum sine sufficienti fundamento asseritur, quod differant de dubitatione orta præcisè à motivis oppositis æqualibus, cum solum dicant, oportere priùs audire, seù perpendere rationes utrinque militantes: quæ possunt esse quandoque inequales.

5 Ad quintum. Nego majorem: quia etiam quandò voluntas determinat intellectum ad assensum partis probabilioris antecedenter ad determinationem, affectionemque voluntatis, opinatur intellectus cum formidine non solum orta ab inefficacia motivorum, quibus innititur, sed etiam à motivis contrariæ sententiæ, aliquandò gravibus, & magni momenti: ut evidens est. Præterea inefficacia motivi opinionis constituitur etiam à contrario pondere motivi, aut motivorum sententiæ contrariæ: ergò si opinans formidabat ob inefficaciam motivi, cui inhæret, necessario etiam formidare debet propter pondus contrariarum rationum: quin, & ipsa formido ex proprii motivi inefficacia enascens est illa, quam rationes contrariæ producunt. Et consequenter ex hoc capite non repugnat, quòd intellectus assentiatur parti æquè, aut minus verisimili: tum quia opinari evenit non solum ex efficacia motivi intellectus, sed etiam ex pia, aut prava affectione voluntatis, ut constat in eo qui dubia de proximo in meliorem partem interpretatur, & in alio qui in deteriorem partem eadem dubia inflectit, & in hæretica pertinacia multò magis efficacia voluntatis ad flectendum intellectum dignoscitur.

6 Sextum ruit primò, præ oculis habita distinctione duplicis apparentiæ, videlicet antecedentis, & consequentis voluntatis determinationem: hac enim supposita propendet magis intellectus erga extremum à voluntate electum: & consequenter falsum erit, quod extremum illud æquè appareat verum, ac falsum: prævalet enim jam veritatis apparentia consequenter ad voluntatis affectionem, ut in temerè judicante liquet: magisque fit perspicuum in hæretica pertinacia: secundò licet opinari sit, judicare propositionem veram cum sola formidine, quòd sit falsa: non inde conficitur, quòd non possimus opinari æquè verisimilia, & probabilia; quòniam formido opinantis, ut dictum est, fluit tum ab inefficacia proprii motivi, tum à gravitate motivi contrarii: & consequenter opinionis naturæ non est essentialiter repugnans cognitio de gravitate oppositæ rationis ad opinandum ex illa: sed ita sæpè contingit, ut opinetur quispiam præsertim temerè, cognoscendo, urgentiora adesse momenta rationis ad oppositum judicandum.

7 Tertiò: verum quidem est,

est, quòd de propositione, pro qua nulla adest ratio, determinatè probans, saltem verisimiliter, quòd sit vera, non possumus opinari, veluti de numero pari, vel impari stellarum: unde dum dicitur, quòd non possumus assentiri positioni, quæ æquè apparet vera, ac falsa, si sermo sit de apparentia prædicta, quæ potest negativa, & indeterminata nuncupari, verum assumitur; cæterum si loquamur de æqualitate apparentiæ positivæ, ac determinatæ in utroque contradictionis extremo, falsum est, quòd in ea hypothesi opinari non possimus de quolibet ex his extremis, æquè verisimilibus; quia eorum unumquodque pollet ratione formali, sub qua intellectus tendit, quæ est apparens veritas: & indifferentia intellectus, ex æqualitate motivorum sibi obsistentium prodiens, determinabilis est à voluntate.

SECTIO LXXII.

Reliquas ejusdem objectionis confirmationes infringit.

1 SEptima objectionis prælibatæ confirmatio exarmatur instantiis iisdem ferè, quibus *sect. 63. per totam* eversum fuit simile argumentum procedens in hypothesi motivorum sibi obsistentium, & pondere inæqualium; quòniam majoris difficultatis est, censere falsum, quod magis verisimile apprehenditur, quàm quod solùm æqualiter verisimile cognoscitur: & ideò instantiæ, quæ elevant repugnantiam judicandi verum, quod minus verisimile apparet, disjiciunt etiam contradictionem judicandi verum in aliquo instanti reali id, quod in eodem instanti apparet æquè verisimile, ac oppositum.

2 Directè verò respondetur per distinctionem duplicis apparentiæ antecedentis, & consequentis, dicendo, quam optimè fieri posse; quòd intellectus consequenter ad affectum, & imperium voluntatis censeat magis verisimile, & absolutè verum, id quod pro priori ejusdem instantis æquè verisimile, ac oppositum proponebatur. Aliter dici potest pro priori ad assensum opinativum nihil directè decernere intellectum de veritate objecti; sed solum posse apprehendere seù judicio modali judicare objecti verisimilitudinem; cæterum cum simul cognoscat motiva illa licet potiora, vel æquè urgentia inefficacia esse, & cum fallaci deceptione posse conjungi, ideò esse liberæ voluntatis, hæc aut illa respuere, & intellectum quoad speciem actus immediatè determinare ad assentiendum huic, vel oppositæ parti æquè verisimili; præsertim cum duo illa judicia hoc existimo verisimilius, at oppositum opinor esse verum, contradictionem non involvant, ex dictis *sect. 66. num. 14. & sequentibus*, quemadmodum nec ullam dicit repugnantiam hic actus: hoc volo facere, tametsi videam oppositum esse melius.

3 Octavum laborat amphibologia; quòniam non esse potiorem rationem ad affirmandum aliquid, quàm ad idem negandum, ita accipi potest, ut omnem affirmandi, & negãdi ratione excludat, & tũc fatebimur absque incommodò, quòd nulla est potior ratio assentiendi, quàm dissentiendi. Cæterum si non esse potiorem rationem affirmandi, quàm negandi, solùm excludat excessum, prævalentiamque motivi ex se sufficientis ad affirmandum, supra motivum pariter ex se ad negandum sufficientis, falsa erit assumptio, & subinde inficiabimur, quòd in ea hypothesi, assensum vel dissensum intellectui imperare voluntas non possit; nec timor aut contingentia deceptionis impedimento invincibili esse potest ad assensum imperandum; alias

nec

nec erga partem manifestè probabiliorē, sed incertā, posset assensum imperare: voluntas; quod ferè apud omnes est falsum.; sequela tamen liquet, quia etiam in tali assensu decipi potest intellectus.

4 Nec per nonam replicam hujusce nostræ solutionis robur excinditur; quòniam, ut in *sect.* 69. compertum fuit, pondera æqualia in distantia æquali constituta sic æquilibrium faciunt, ut verè gravitent, & in centrum suum tendere nitantur: rursus quamvis pondera sint æqualia, si inæqualiter ab axe, seù centro stateræ distent, quod magis distat, præponderat ex dictis *cit. sect.* igitur motiva æqualia in intellectu, eam æqualitatem cognoscente, gravitatem suam retinent, & ponderant: ergò & fieri poterit, quòd in eodem intellectu ex æqualibus ponderibus unum præponderet; nam quod in materiali statera contingit ex ponderis majori distantia ab axe, sivè ex velocitate majori, in intellectus statera obtinere poterit major voluntatis inclinatio, & ipsius imperium: quamobrem falsum est, quòd ex præcisa circunstantia concursus duplicis motivi æqualis contrarii, careat quodlibet ex illis vi sufficienter motiva ad assensum, addita quippè voluntatis determinatione, quam optimè poterit intellectus objecto illi à voluntate amato, seù electo assentiri: ut ex ipsius materialis stateræ paritate conficitur.

5 Aliter autem evenit quando cum motivo apparenter verò concurrit motivum oppositum evidens, & demonstrativum. Nec profectò capere valeo, qua ratione dici queat, quòd motivum ex se sufficiens ad conciliandum assensum alicujus objecti non amittat vim intrinsecam movendi ad assensum, si concurrat cum cognitione evidenti de falsitate illius objecti; id inquam percipere nequeo, quod enim dignoscitur intrinsecè esse evidenter fallax, necessum est, cognosci, ut intrinsecè certò, & evidenter carens vi sufficienti ad assensum movendi, sed in datâ hypothesi evidenter cognoscitur, intrinsecè esse fallax motivum suadens objecti ejusdem veritatem: igitur tale motivum intrinsecam amittit vim alliciendi. Ex hoc tamen consequens non est, quòd motivum æquale omnem amittat vim movendi ad assensum in conspectu æqualis motivi: imò oppositum inferre possumus; ideò enim primum est verum, quia impossibile est, fallax non esse argumentum, nitens contra id, quod evidenter verum cognoscitur; at impossibile non est, quod roboris aliquid, & quidem non exiguì ad conciliandum assensum habeat id, quod nullo peremptorio infringitur argumento, nec fallacię potest manifestè convinci.

6 Exemplum verò duorum hominum æqualium virium, quorum alter pondus aliquod versus Orientem trahere conetur, alter vero æquali impulsu versus Occidentem idem pondus velit movere, solùm probat, quòd intellectus inter æqualia opposita rationis momēta constitutus à se ipso nequit determinari ad assentiendum uni præ alio: cæterū nō evincit, nec suadet, quòd à voluntate, quæ impulsum addere potest & objecto, & intellectui, determinatio oriri non valeat; præterquamquod ex dictis *sect.* 69. *num.* 21. & *sequentibus* patet, æqualia pondera facili negotio ita posse in statera, utique recta, collocari, ut unum vincatur ab alio. Ex rationibus ergò non demonstrativis utrinque militantibus intellectus ad dubitandum ducitur, dummodò propriis tantum viribus relinquatur, cæterum addita affectione, & determinatione voluntatis dubitatio dirimi valet; quemadmodum licet dubitandi motiva sint inæqualia nequit intellectus à se ipso, nec ab objecto determinari ad assensum partis verisimilioris,

id

id tamen poteſt, ſi à voluntate determinetur.

7 Haud ergò diffiteor, quòd rationale dubium diſſolvi non poteſt niſi per rationem: cæterum diverſimodè id ſolutionis fieri queit; nam ex viribus ſolius intellectus, & objecti, non niſi adepta evidentia, ſeù demonſtrativa ratione deciſsio obtineri poteſt; ſolutione tamen probabili, vel etiam imprudenti, & temeraria dirimi poteſt dubitatio, antecedente vi, & efficacia voluntatis, ſecùs ſine illa: nec ideò tamen ſine ratione procedit intellectus, aut voluntas; quia intellectus ratio formalis eſt verum apparens, quæ ratio in motivo æquè veriſimili proculdubio invenitur: quamobrem licet quiſpiam, doctus etiam, judicet opiniones aliquas eſſe æquè veriſimiles, & probabiles non adigitur abſtinere ab omni electione, & aſſenſu; & non ſemel evenit, ut ex affectione ad ſuum Magiſtrum ipſius opinionem præferat diſcipulus: unde Silveſt. *in Sum. v. opinio num.* 2. cum ex D. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 10. *corp.* & ex pluribus aliis docuiſſet, quòd in his, quæ non ſunt contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, nec contra illud, quod publicè tenetur ſecundum authoritatem Eccleſiæ, excuſatur quis ſequendo opinionem ſui Magiſtri, ait inſuper, id verum eſſe non ſolum, quando quis facit, quod in ſe eſt, ut intelligat veritatem; quia talis etiam in manifeſtè determinatis excuſaretur, cum laboret ignorantia pro tunc invincibili, ſed etiam cum quis ex affectione ad ſuum Doctorem judicat probabiliter, ut ſibi videtur, eſſe verum, quod eſt falſum. Ergò ex prudenti affectione poſſumus opinionem aliàs æquè probabilem, præferre, & veram judicare: quod vero ab experientia adducitur in oppoſitum, haud difficulter elevabitur ex dictis *ſect.* 66. *num.* 19. ubi de oppoſita experientia teſtantur Doctores præclari.

8 Decima confirmatio nihil Adverſariorum cauſam promovet: quòniam idem dicendum venit in judicio de coloribus, ac in judicio de aliis rerum naturis, ac proprietatibus: videlicet, ſi nulla ſit ratio determinatè ſuadens veritatem objecti, neutiquam poſſe intellectum objecto illi aſſentiri; cæterum ſi talis ratio adſit, licèt pro falſitate ejuſdem objecti ſimilis, & æqualis ratio militet, poterit intellectus à voluntate ad aſſentiendum determinari: falſumque in ea hypotheſi erit, quòd etiam ante aſſenſum intellectus, imò & ante imperium voluntatis, objectum non magis verum, quàm falſum appareat; quia ex ratione determinatè ſuadente veritatem illius, magis appareret verum, quàm falſum: & conſequenter ſub ea ratione poteſt intellectus tendere, & aſſentiri.

9 Undecima confirmatio, licet apodixis à ſuo Authore cenſeatur, facilè revincitur; concedimus ergò, nullam potentiam operari poſſe extra objectum ſuum proprium, & ſpecificativum, & conſequenter nec intellectum tendere poſſe per aſſenſum in objectum, quod ſibi non repræſentetur ut verum, nec per diſſenſum in id quod non proponatur ut falſum; inficiamur tamen, quòd in hypotheſi motivorum æquali pondere ſibi obſiſtentium, non repræſentetur intellectui ut verum objectū diſceptationis, ſub motivis nempè, illius veritatem ſuadentibus, licèt ſub oppoſitis motivis appareat falſum: & propterea ſub his poteſt diſſentiri, ſi-cut & aſſentiri ſub illis.

10 Nec refert quod ad veritatem repræſentandam, debeat ſimul proponi connexio, ſeù convenientia prædicati cum ſubjecto: id quippè convenientiæ, & identitatis poteſt diverſimodè intellectui proponi, nimirum certò, & evidenter, aut obſcurè, vel etiam contingenter, & probabiliter, aut veriſimiliter: ut autem intellectus aſſenſum

ſum præbeat etiam abſolutum, non opus eſt, quòd identitas ſubjecti cum prædicato certò, & evidenter apprehendatur, ſed ſufficit, quòd obſcurè, probabiliter, aut veriſimiliter repræſentetur, ut patet in aſſenſu fidei divinæ, in judicio temerario, & in hæretico, & pertinaci aſſenſu contra id, quod docet Eccleſia: veriſimilis itaque extremorum identitas non deſinit proponi intellectui, ex eo quòd æquè veriſimiliter ex aliis motivis identitatis carentia eorumdem extremorum proponatur: ut ex ſæpè dictis colligitur, & vel eo cõficitur, quòd ſi ingens veriſimilitudinis exceſſus in motivis rerum fidei repertus non perimit, nec omninò extinguit veriſimilitudinem contrariam in ſectarum erroribus, ut liquidum ſit ex ſupra traditis de hæreticorum pertinacia, quamvis non niſi imprudenter, & temerario auſu præſtari queat aſſenſus dictis erroribus, multò minus per motivum æqualis ponderis enervari poterit oppoſita æqualis veritatis apparentia, ſeù veriſimilis prædicati cum ſubjecto convenientia.

11 Tandem animadvertere oportet, falſum eſſe, quòd intellectus non poſsit aſſentiri objecto, quod ſibi pro priori ad aſſenſum non repræſentetur ut abſolutè verum. Id quod enixè contendit objiciens: cæterum, ut dixi, id falſum eſt, nam repræſentari ut *abſolutè* verum, eſt repræſentari ut perfectè, & omninò, hoc eſt certò, & evidenter tale: To enim *abſolutè* eam habet ſignificantiam: quod ſi ab ea perfectionis ſignificatione alienetur, in repræſentationem inevidentem, & ſolum veriſimilem etiam quadrat; omniſque objectionis difficultas corruit.

12 Duodecimæ confirmationis ſcopus, in quem collineat Illuſtr. Palancus, nimirum, voluntatem non poſſe intellectui imperare, ut hanc potius partem, quàm oppoſitam, aſſenſu ſuo amplectatur, manifeſtè pugnat cum Doctoris Angelici ſententia, quam exaratam nobis reliquit *quæſt.* 14. *de veritate*, ubi de fide diſſerens *art.* 1. *corp.* ſic habet: *Quandoque vero intellectus, non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis* (en loquitur de determinatione quoad ſpeciem) *neque ſtatim per ipſas definitiones terminorum, ſicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, ſicut in concluſionibus demonſtrativis eſt; determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentire uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpotè, quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire*: igitur ex D. Thoma falſum eſt, quòd voluntas immediatè imperare non poſsit aſſenſum partis affirmativæ prę negativa, in dubia quæſtione, id quod Palanco enixè contendit.

13 Unde reſpondemus diſtinguendo objectionis aſſumptionem primam: voluntas in quæſtione dubia non poteſt per ſe, & immediatè determinare, quænam pars ſit vera, quęnam falſa, eliciendo aſſenſum erga unam partem, & diſſenſum erga aliam, concedo, imperando aſſenſum, & diſſenſum intellectui, ſubdiſtinguo: ſi nulla ſufficiens veriſimilitudo, ſeù nullum adſit, nec præſupponatur aſſentiendi, & diſſentiendi motivum ſufficiens intellectui propoſitum, concedo, ſi tale fundamentum adſit, nego majorem; & conſequenter diſtincta minori, ſeù aſſumptione ſecunda, nego conſequentiam; quia licèt potentiæ voluntatis non ſit judicare inter extrema ſub ratione veri, pertinet tamen ad illam diſcernere electivè ſub ratione boni: cumque extrema contradictionis ſupponantur intellectui propoſita, ſub motivis obſcurè veriſimiliter tamen veritatem, & falſitatem extremi uniuſcujuſque ſuadentibus, & potentibus obtinere, ac terminare intellectus aſſenſum, & diſſenſum, poteſt voluntas eligere, ſeù ama-

amare potius hujus partis assensum, quàm alterius propter aliquid, quod est sufficiens movere voluntatem, quamvis id non moveat intellectum: ut ex Doct. Angelico liquet : & proinde potest voluntas immediatè imperare assensum partis affirmativæ, præ negativa in prædictis terminis.

14 Nec officit, quod voluntas sit cœca potentia, & ignorans, solvere autem dubitationis vinculum, non esse ignorantis, juxta Aristotelem; quòniam lux, qua ex se caret voluntas, illi obvenit ab intellectu, à quo illustratur, ut in positivis dubiis, seù rebus utrinque probabilibus, aut verisimilibus possit illum à dubitationis vinculo expedire, non quidem eliciendo assensum, sed illum imperando, & determinando intellectus indifferentiam: alias nec amare posset voluntas bonum aliquod etsi optimum; si enim quia non est ignorantis solvere dubitationis vinculum, & voluntas cœca, & ignorans potentia est, ideò nequit illa intellectum determinare, nec ipsi imperare assensum erga partem aliquam, ex æquo cum amare non sit ignorantis, & cœci, seù lumine cognitionis carentis, & voluntas sit cœca, & ignorans potentia, profectò nihil amare posset: igitur quemadmodum à cognitionis luce irradiatur voluntas, ut bonum cognitum ab intellectu, ab ipsa possit amari: sic à cognitione verisimilis solutionis, qua potest dubium elevari, illustratur voluntas sufficienter, ut allecta à bonitate, quæ in eodem objecto, assensuque illius relucet, possit intellectum determinare, imperando assensum objecti ejusdem. Unde conficitur, quod voluntas potest intellectualia dubia decidere, non quidem eliciendo assensum, aut dissensum intellectualem, nec sub ratione veri, sed determinando intellectum, & illi assensum imperando sub ratione boni: alias nec fidei divinæ libertas, nec hæreseos pertinacia congruè exponi valent.

15 Ad confirmationem decimam tertiam dicimus, voluntatem præcipere posse intellectui, quòd assentiatur parti alicui, non ita ut voluntas adhæreat illi ut veræ reduplicativè, sed specificativè; vel etiam reduplicativè ut veræ, To *ut* dicente rationem objecti materialis, necessariò prærequisitam, ut illius partis assensus à voluntate queat imperari, secus dicente rationem formalem *sub qua* voluntatis; & quemadmodum intellectus est, qui detegit veritatem apparentem in objecto, ita & ostendit illius bonitatem, ut possit præeligi à voluntate: quamobrem præcipit voluntas intellectui assentire parti verisimili, ut veræ, veritate se habente ut ratione formali respectu intellectus, ut bonæ autem, bonitate se habente ut ratione formali ex parte imperii, ac determinationis voluntatis.

16 Rursus etsi voluntas præcipiat intellectui assentire parti veræ specificativè, non opus est, quòd ea veritas intelligatur præjudicata, judicio directo, & absoluto, imò nec judicio modali, & reflexo, quo scilicet judicetur, objectum esse verisimile: sed sat est, quòd veritas præsupponatur apprehensivè cognita: & similiter asserendum est de bonitate, ut ea possit à voluntate amari. De judicio directo quòd non prærequiratur ad assensum imperandum, patet; quia abiretur in infinitum; tum quia, si præsupponeretur judicium ad imperium, frustrà iterum assensus, seù judicium imperaretur: unde nec ad judicium modale reflexum prærequiritur aliud antecedens simile judicium, sed sufficit apprehensio: igitur nec ad judicium directum requiritur, quod præcedat reflexum, & modale de objecti verisimilitudine, sed sufficit

apprehenſio eam veriſimilitudinem repræſentans : quemadmodum ad amandum ſufficit apprehenſio bonitatis, ut docet communis ſententia cum P.Vazq.1.2.*diſp.* 44.*cap.*2. P.Hurtado *diſp.*14.*de Anima.ſect.*7.*num.*53.& aliis. Hinc tandem non poteſt colligi,quòd voluntas ſit,quæ dijudicat primò,&per ſe inter partem veram, & partem falſam, & quæ ſolvit per ſe dubium intellectus: nec quod ſit, quæ per ſe ipſam attribuit veritatem potius parti affirmativæ,quàm negativæ: quòniam ſuppoſita apprehenſione veritatis in utroque contradictionis extremo, ex bonitate etiam ſimul in eis relucente quàm optimè poteſt voluntas moveri ad imperandum intellectui,ut ipſe dijudicet, & aſſenſum præbeat uni parti, potius quàm alteri,propter aliquid, quod poteſt voluntatem movere, licet intellectum movere nequeat, ut apertè inquit Doctor Angelicus in verbis ſuprà adductis *ex quæſt.*14.*de verit.art.*1. *corpore.*

17 Decimæ quartæ confirmationi ejuſdem Palanco fit ſatis dicendo, intellectus non eſſe velle, aut nolle, & ideò nunquam ille poterit ſui aſſenſus rationem reddere iſtam, *quia volo*: ſi autem non præcisè de intellectu, ſed de homine loquamur, diſtinguenda erit ratio formalis intrinſeca intellectus,&ejus aſſẽſus,&ratio determinativa extrinſeca:verumque eſſe poterit, quod in obſcuris intellectus ſeù homo aſſentit huic parti affirmativæ, potius quàm negativę,quia homo vult: To *quia* ſignificante rationem extrinſecam imperativam , & determinativam ex parte voluntatis : falſum verò erit, ſi ſignificet rationem intrinſecam , & formalem ſub qua tendit intellectus, quia hæc ratio ſolum reperitur in veriſimilitudine, ſeù in motivis objecti veritatem ſuadentibus.

18 Decima quinta confirmatio disjicitur multifariè: nam primò ex diſtinctione duplicis apparentiæ , antecedentis , & ſubſequentis imperium voluntatis ruit argumentum ab objiciente confectum: cuncta itaque ſupra allata pro ſtabilienda , elucidandaque præfata diſtinctione huc etiam conferunt. Secundò negari poteſt major ſyllogiſmi à Palanco confecti ; quia ex ſententia Patris Sparça, & juxta ipſius hypotheſim , antecedenter ad imperium voluntatis aliquomodò eſt excedens motivum diſsimile : nec ſupponitur præjudicata motivorum ęqualitas , ſed ſolum apprehenſa, nec ut certò talis, ſed obſcurè, aut incertè : quamobrem qui theſim propugnandam ſuſcipit, ſupponitur aſſenſum præbere ipſi , ut rationabiliori; & inter pugnantia motiva, mutuò ſe, & ſecundum quid excedentia , candidum calculum dediſſe iis, quæ propugnandam aſſertionem ſtabiliunt.

19 Tertiò eadem prima aſſumptio negari valet: quia licet motiva, quæ pro utraque contradictionis parte militant, æqualia aſſerantur; tamen diviſivè accepta motiva partis affirmativæ, potiora dici poſſunt , & ſunt ad affirmandum,quàm ad negandum : ſeù magis ſuadere partem affirmativam , quam negativam, quia comparativũ,& dictio magis ſumuntur ſæpè , non comparativè ſed poſitivè, Gloſſ. 4. *in leg. pen. Cod. Si quis alteri, vel ſibi*: & Gloſſ. major. & ibi add. *in §. fin. Inſtit.de jure perſon.*ſic etiam electivè uſurpatur ex prefatis Gloſsis, maximè quando ponitur inter incompatibilia, & contraria, ut adnotat Gloſſ. *in leg. incommodato. §. Sicut. v. Magis. ff. commodati.* Auguſt. Barboſa, *dicti.*193.*num.*5. & 6. unde ſuſtinens partem affirmativam, licèt æquè veriſimilem præſuppoſitam , opponenti quòd nulla ſit

sit ratio potior seù magis illam suadens,quàm negativam, potest inficiari assumptum:& ita evenit in Theorematibus, quæ problematicè propugnantur.

20 Quartò, quia quælibet ratio tantum probabilis, in stricto sensu,potest dici potior ad id,quod positivè,seù directè suadet,quàm ad oppositum: quia motivum fallibile, & continet in se perfectionem aliquam, qua fundat spem attingendæ veritatis, si ipsi præbeatur assensus,seù qua allicit intellectum, ut ipsi assentiendo adhæreat,& simul subest alicui imperfectioni, qua fundat periculum, & incutit timorem incidendi in falsitatem, si ipsi assensus præbeatur; at quia major est vis,qua intellectum allicit, & ad assentiendum inclinat, quàm illa, qua ad non assentiendum movet,ideò dicitur, & est argumentum, seù motivum assentiendi, licet fallibile: facta igitur comparatione inter vim, qua motivum fallibile suadet,& qua retrahit intellectum,potest de tali motivo asseri, quòd sit potior ratio affirmandi, quàm negandi: unde fit, quòd propugnanti aliquam ex contrariis,aut contradictoriis sententiis æquè probabilibus, si objiciatur, nullam esse majorem rationem,ut sit vera pars asserta,quàm ut sit vera contraria, aut contradictoria,poterit ille jure optimo hanc negare assumptionem: ruit proinde Palanci replica: videsis supra dicta *hac ead. sect. num.*3.

21 Quod si Palanco velit, comparationem fieri, non præcisè inter ejusdem motivi diversos respectus, sed inter motiva, & rationes contradicentium sententiarum, licèt concedatur,quòd in eo sensu non est major ratio affirmandi, quàm ratio alia negandi, nullo modò falsitatis argui potest affirmativam partem propugnans; patet,quia aliter, contradictoria possent esse simul falsa, cum de qualibet ex ipsis in hypothesi argumenti verificetur, non esse pro illa majorem rationem affirmandi, quàm negandi; vel negandi, quam affirmandi. Unde sophisma esse argumentum conficitur: utque illud excindatur,concessa majori,distinguenda est minor,sub hac forma: pars negativa non est vera probabiliter, concedo: non est vera certò, & evidenter,nego minorem: & similiter distinguendum consequens: ergò nec affirmativa est vera certò, & evidenter concedo: non est vera probabiliter, nego consequentiam: quia supponitur utramque dissertationis partem probabili fulciri argumento: nec tandem propugnans impeti poterit ex eo,quòd absque sufficienti ratione illam tueatur sententiam; majoris quippè fundamenti exclusio non est sufficientis fundamenti negatio; quamobrem etsi fateatur non esse potiora argumenta pro affirmativa parte quam defendit, poterit tamen propugnare ea esse sufficientia.

22 Ad decimum sextum ejusdem Authoris, respondeo, verum quidem esse, quòd intellectus caret libertate se ipsum determinandi; cæterum falsum est, quòd voluntas non possit aliter intellectum flectere, nisi aplicando illum ad quærendas novas rationes; vel faciendo quòd pro una parte consideret rationes magis graves,& pro alia minus urgentes: nec ab stateræ exemplo quidquam concluditis, ut constat ex dictis. Præterea si pro priori ad affectionem voluntatis, motiva supponantur æqualia, potest voluntas flectere, & determinare intellectum: nec id inclinationis intellectui violentiam infert; quia in incertis, & utrinque verisimilibus subest imperio voluntatis: tum quia ex voluntatis affectione motiva partis prælectæ induunt majorem verisimilitudinem, ratione cujus ipse intellectus pro-

pendet jam magis in illam partem, quàm in oppoſitam; & licèt aliquandò vitioſè id fiat, poteſt tamen non nunquam licitè, & honeſtè effici, veluti cum in dubio de probitate proximi, voluntas intellectui imperat, ut probum, & juſtum illum judicet: & conſequenter id imperii, in hypotheſi æqualitatis motivorum contranitentium, præſcindit ex ſe ab omni defectu, & quamvis illum concederemus debere intervenire, nihil officeret noſtro aſſumpto, ſcilicet oſtendendi immediatam libertatem fidei; quòniam in diſſenſu fidei contrario, certum eſt defectum, & quidem graviſsimum intervenire: & tamen poteſt voluntas eum peccaminoſum, ſeù hæreticum aſſenſum imperare, cum proxima poteſtate, & libertate immediata imperandi aſſenſum fidei ſupernaturalem.

23 Quamobrem ab exemplo ſtateræ materialis, nihil adverſum nos confici poteſt, quia non ſic naturali coordinatione ſtatera ſubjicitur libripendi, quemadmodum intellectus in obſcuris ſubeſt voluntati: & propterea licet ob extrinſecum impulſum alicui ex bilancibus advenientem, à munere ſuo deficeret ſtatera; ob impulſum tamen, & determinationem voluntatis intellectus ab officio ſuo non deſciſceret; præterquamquod *ſect. 69. num. 21. & ſequentibus*, oſtenſum fuit, in ſtatera materiali, optimè conſtituta poſſe fieri, quòd gravia æqualia non ſint æquilibria. Nec propterea colligere liceat, quòd voluntas ſibi uſurpet munus dijudicandi inter verum, & falſum; quia dum in prædictis terminis intellectum determinat, id utique præſtat, præcisè eligendo inter bonum, & bonum, quę in contrariis ſententiis, apparenter veris, ipſi voluntati proponuntur ab intellectu: ſeù determinat tendendo ſub ratione boni, quod eſt ſpecificativum, ſeù formale objectum voluntatis, ſecus autem ſub ratione veri, quod eſt intellectus formale objectum, & ſpecificativum.

SECTIO LXXIII.

Quando motiva pro utraque contradictionis parte ante omnem voluntatis peculiarem affectum ſunt æqualia in quæſtione facti, vel ſimilia in qualibet diſceptatione, intellectus flecti poteſt ad aſſenſum cujuſvis partis: idque ex Jure Canonico, ac Civili probatur.

1 HAud parum intereſt propoſitam verſare aſſertionem, ut perfectam voluntatis libertatem, & dominium ſupra intellectum, hujuſque potentiam aſſentiendi in rebus obſcuris habeamus perſpectam; præſertim cum ab impotentia aſſentiendi in hypotheſi motivorum æqualium, & ſimilium ſibi obſiſtentium, maximè in quæſtione facti, fieri ſoleat argumentum ad evertendam omnem poteſtatem aſſentiendi, etiam ſi motiva contraria, & æqualia ſint diſsimilia: & hinc præterea oppugnatur potentia aſſentiendi motivo, aut parti minus veriſimili, in conſpectu veriſimilioris, ex quo tandem omnis immediata fidei noſtræ libertas convelli videtur.

2 Prima ergò ſententia eſſe poteſt eorum, qui cum univerſim rejiciant omnem intellectus indifferentiam, ac poteſtatem aſſentiendi objecto æquè, & minus veriſimili, conſequenter inficiantur potiori ratione id poteſtatis in præfixa hypotheſi, & eorum præcipui ſunt Julius Mercorus, P. Elizalde, R. A. P. Thyrſus, qui *diſſert. 7. ferè per totam*, ſed maximè §. 6. & 7. id potentiæ infitetur. Illuſtriſs. Palanco *tract. de fide, diſp. 5. quæſt. 8. & de conſci. quæſt. 20.*

Se-

3 Secunda ſententia aſſerit, quòd probationes, & argumenta partium invicem adverſantium elidunt ſe, ſi ſint omninò ſimilia, & æqualia inter ſe, & conſequenter ait, quòd quando intellectus prævenitur motivis omninò ſimilibus, & æqualibus, impoſsibile omninò eſt, ut opinetur in alterutram partem, utque vel aſſentiat, vel diſſentiat; ac proinde docet, motiva talia conſtituere intellectum in eodem indeterminabilis ſuſpenſionis ſtatu, in quo foret, ſi nullum prorſus in alterutram partem appareret motivum: ſic docet P. Martinus Sparça *in Appendi. ad quæſt. de uſu licito opin. prob. art.* 123. & 129.

4 Tertia ſententia docet, etiam ſi motiva oppoſita ſint omninò æqualia, & ſimilia, ſivè in quæſtione juris, ſivè in quæſtione facti, poſſe intellectum ex imperio voluntatis determinari ad aſſentiendum cuilibet ex ſententiis, ſeù aſſertionibus ita oppoſitis. Ab hoc placito ſtant proculdubio Doctor Angelicus, & quotquot communiter docent in dubio circa perſonam, debere nos judicare, bonum eſſe proximum: cum enim evenire poſsit, quòd circa proximi probitatem, & malitiam teſtes reperiantur oppoſiti, & numero, ac dignitate pares, ſi tunc poſſumus, ac debemus illum judicare probum, liquet profectò, quòd in dubio circa factum, ubi motiva oppoſita ſunt ſimilia, & æqualia, poteſt intellectus ad aſſentiendum cuilibet parti determinari à voluntate.

5 Porrò ſic eſſe judicandum de proximo in prælibata hypotheſi, tradit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. & ipſi ſubſcribunt præclari Doctores, non ſolum Theologi, verumetiam juris utriuſque periti, præſertim Canonici Interpretes, quos dedimus *ſect.* 53. *à num.* 5. 14. 15. & 16. & fulcitur mihi evidenter ex *cap. Eſtòte. de reg. jur.*

6 Dilucidè etiam ut certa, & ab experientia innoteſcens traditur hæc ſententia à Joanne Majore *in* 4. *ſent. quæſt.* 2. *prolog. in ſolut. ad* 3. *argum. contra* 4. *concluſionem* in hunc modum ſcribente: *Reſpondetur, teſte experientia, licet non poſsimus aſſentire propoſitioni inevidenti ſine ratione, tamen cum motivis æqualibus quantum eſt de ſe, poſſumus ex paſsione animi uni parti aſſentire. Patet exemplariter. Nunc Pariſiis dicitur, quod exercitus Regis eſt victor in Italia. Duo æquè præſentes ſunt: quorum alter, Gallos diligens, aſſentit: alter non aſſentit; ſed diſſentit: ſic in propoſito, poteſt quis aſſentire huic, hoc eſt mihi licitum, & licèt neſciat quæ illarum viarum ſit verior: ſcit quòd ſecundum unam facere ei licet.* Hæc ille: ex quo patet, quòd intellectus inter æqualia, & omninò ſimilia motiva conſtitutus propter affectionem, & imperium voluntatis poteſt uni eorum aſſentiri, & oppoſito impertiri diſſenſum: reorque, ab eadem ſtetiſſe ſententia quot quot ſupra laudavimus pro poteſtate aſſentiendi objecto minus veriſimili, & eligendi minus, & æquale bonum.

7 Ex Scriptoribus verò Recentioribus huic opinioni adſtipulantur P. Antonius Terillus *tract. de conſcien. probab. quæſt.* 7. *num.* 13. & 14. & *quæſt.* 8. *num.* 22. & *ſeqq.* & *tract. de regul. morum. part.* 1. *quæſt.* 30. *ferè per totam.* P. Tamburinus *lib.* 1. *in Decalogum. cap.* 3. §. 3. *num.* 11. P. Fabri, *variar. tract. part.* 1. *Dialog. primo de opinion. probab. pag. mihi* 24. & *dialog.* 2. *pag.* 38. & 39. P. Joannes de Cardenas *part.* 3. *criſ. tract.* 1. *de prob. opin. diſp.* 56. *cap.* 16. *art.* 1. *num.* 813. & 814. ubi animadvertit, quòd licet in *prima part. criſ. Theol. diſp.* 6. *cap.* 6. dixerit, intellectum in quæſtione facti inter duo teſtimonia affirmativa æqualis fidei neceſſario hærere dubium, nec poſſe uni earum parti aſſentiri, id tamen eſſe intelligendum ſic, quòd tunc intellectus inter duo teſtimonia æqualis fidei conſtitutus poteſt aſſentiri uni ex imperio voluntatis: is

tamen assensus erit temerè elicitus, juxta Cardenas: cæterùm licet nonnumquam id imprudentiæ in assensu ea in hypothesi præstito reperiatur; existimo prudenter etiam aliquando elici posse, idque esse ex mente plurium graviumque Doctorum, quos supra memoravimus: nec capio cur imprudentiæ argui debeat, qui adstantibus numero, & dignitate æqualibus testibus circa proximi probitatem contrariis, ex pia affectione bonum esse proximum credat, & directè judicet: at in præsens à prudentia, vel imprudentia assensus præscindimus, differimus quippè tantùm de hujusce assensus possibilitate.

8 Præferendaque venit hæc tertia, & communis opinio, & probatur primo ex Jure Canonico, & Civili, juribus ex utroque fonte adductis *sect. 53. num. 8. 10. 11. & 13.* ex quibus liquidum fit, quòd ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debemus; nec quidem impossibile aliquid nobis præcipi, dicere fas est: ergò in dubio facti, quod sæpè ex æqualitate testium, sibi obsistentium, dimanat, præsertim circa proximi probitatem, aut malitiam, potest intellectus ex imperio voluntatis meliori parti assentiri: cui placito veneranda D. Augustini, & aliorum Patrum authoritas suffragatur, ut in *præcit. sect. 53.* cernere est.

9 Et præter textus, quos citato loco dedimus, idem probat *tex. in cap. Cum sunt partium. de reg. jur. in 6.* ubi edicitur, quòd *cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Quæ verba elucidat Glossa in hunc modum: *Casus in hac regula sic figuratur per capitulum, In nostra. de testi. & attesta. in antiq. Tu actor, & ego reus habeamus litem inter nos coram judice competente: proposuimus facta contraria: & fuimus admissi ad illa probanda: tu actor ad probandum tuam intentionem produxisti quatuor testes: Ego autem reus ad probandum meum factum contrarium produxi alios quatuor testes: Isti nostri testes sunt pares in dignitate, & in cæteris: & deponunt æquè verisimilia: & in effectu sunt omninò æquales, & sic jura nostra videntur esse dubia; quæritur quorum testium dicta debeat judex insequi: & pro qua parte debet ferre sententiam?* (profectò in hac hypothesi, & dubitatione, Authores primæ, & secundæ sententiæ responderēt, judicem nec pro aliqua parte sententiam ferre, nec hujuscemodi testium dicta insequi posse, sed non ita in tex. nec in Glossa, quę sic pergit) *Respondetur, quod sententia est ferenda pro me reo contra te actorem, quia cum partium jura sunt obscura reo favendum est potius, quàm actori.* Hactenùs Glossa, & si non nullas adhibeat limitationes, quæ nihil assumpto nostro officiunt, cum solùm intentionis propositæ sit, ostendere, aliquando in dubio facti, ex æqualitate testium proveniente, judicandum esse, vel posse judicari pro alterutra parte.

10 Illustratur secundo *ex cap. Duobus. judicibus. finali de sent. & re judicata*, in quo Sum. Pontifex Gregorius Nonus ita decernit. *Duobus judicibus ut accepimus diversas sententias proferentibus: si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia: nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seù testamento pro ipso fuerit promulgata.* En tibi eventum multiplicem in quo intercedente æquali motivorum pondere, sivè juris, sivè facti, & pro reo, & pro actore potest, debetque proferri sententia, tum pro reo, tum pro favorabili causa libertatis, dotis, seù testamenti: igitur in dubio non solum juris, sed etiam facti potest intellectus assensu suo sententiam ferre: ex libera voluntatis determinatione: consimiliter decernitur in *cap. Ex litteris. 3. de Probation. §. Quod si ambarum. cap. Inter dilectos. in fin. de fide instrum. leg. Arrianus. ff. de action. & obligat.*

At

11 At respondebit quispiam ex subtili admodùm P. Elizalde *de recta doctri. mor. par. 1. lib. 2. quæst.* 19. §. 1. quòd quando partium testes æquè idonei sunt, præferuntur possessoris testes præsertim *in dict. cap. Ex litteris*; quia ipsi favet præscriptio, ut inquit Sum. Pontifex in eodem textu.

12 Sed enim inefficacem, & incongruam esse solutionem, expositionemque dicti textus, manifestè constat, quòniã ut in dubio pro possessore judicandum sit, minimè opus est intercedere præscriptionem, eamvè probare, aut allegare, sed sufficit probatam esse possessionem: patet ex regula *In pari. de regul. jur. in 6. cap. Si à sede.* 31. *de præben. in 6* §. *retinendæ.* §. *commodum. Instit. de interdic. leg. in pari. ff. de reg. jur.* & in proximè citato *cap. Ex litteris.* §. *quod si.* ubi Summus Pontifex Lucius Tertius in hunc modum Cistrensi Episcopo rescripsit: *Quod si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferuntur: cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum.*

13 Possessionis quippè tanta est vis, ut vel ipsemet possessor, etsi de jure suo, ac de dominio rei, quam possidet, dubius existat, si ab initio cœperit bona fide, & non dubia, possidere, præmissa debita diligentia, possit talem rem licitè, & justè retinere, ut receptissima fert sententia, quam illustrat P. Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disp.* 41. *num.* 13. ex pluribus, & præcipuis Theologiæ, & utriusque Juris Doctoribus, maximè ex Illustrissimo Domino Covarrub. *in Reg. Possessor. 2. par.* §. 7. *num.* 4. & *Regula Peccatum. 3. par. initio. num.* 4.

14 Et præter laudatos à Sanchez, edocent idem Gloss. *in cap. fin. de præscription. verb. Nulla temporis*, & ibidem Panormitan. *num.* 40. dicens esse communem sententiam. Innocentius *in dict. cap. finali de Præscription.* Bartol. *in leg. naturaliter. ff. de usucapionib.* Augustinus Barbos. *collec. ad cap. Ex litteris. de Probationib. num.* 5. Parisius *ad cap. fin. de præscription. à num.* 48. Jason *in leg.* 3. §. *genera. num.* 17. *ff. de acquir. poss.* Bald. *de præscrip. 2. part. 3. q. 2.* Navar. *cap. Si quis autem. num.* 89. *de pœnit. dist.* 7. Sarmient. *selectar. cap.* 10. *à num.* 5. Menoch. *de Arbitr. casu* 225. *num.* 17. Vazquez Menchacha. *de præscrip. num.* 15. ubi alios congerit, necnon Dominus Gonçalez *Comment. ad cap. Ex litteris. de probation. num.* 8. & 16. Alciatus *de præsump. reg. 3. præsump.* 44. & alios eruditè dilaudans Angelus Bossius. *par. 1. num.* 957. & 1180.

15 Secundò infringitur adversariorum solutio; quòniam, licet sine possessione præscriptio non procedat *cap. Sine possessione. de Reg. Jur. in 6. leg. fin. ff. de eod. tit.* plurimum est discriminis possessionem inter, & præscriptionem; quia possessio etsi sit bonæ fidei, solum favere potest in dubiis, at præscriptione completa, quamvis dignosceretur certò, re sua dominum esse spoliatum, præscriptio prævalebit. *cap. de quarta. cap. vigilanti. de præscript. cap. Quòniam omne. eod. tit. leg. Lucius, ff. de evict. leg. benè à Cenone. Cod. de quadrien. præscrip.* Gloss. *in dict. cap. Vigilanti.* Panormitan. Hostiensis, Innocenti. Joan. Andr. & alii repetentes *dict. cap. Vigilanti.* Et ex Theologis Doct. Angelicus D. Thomas. *Quodlibet. 12. art.* 25. dicens: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiam si sciat alienum fuisse post præscriptionem: quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare, & concedere.* Concinit Subtilis Doct. Scotus *in 4. distinct.* 15. & idem dicet omnis bonus Theologus, ut inquit Silvest. *v. Præscriptio. num.* 13. Igitur in hypothesi, quam versamus, nimirum dubii exorti ab æqualitate testium obsistentium sibi, non propter præscriptionem, sed ob possessionem

præ-

præcisè decrevit Sum. Pontifex in *dic. cap. Ex litteris.* fundum, ejusve partem adjudicandã ei, qui possideat: ut patet ex ipsius textus verbis, ibi: *Quod si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferentur.*

16 Tertiò; quia licet Summus Pontifex Lucius Tertius *in dict. cap. Ex litteris.* præscriptionis memor extiterit in calce textus, id non in eum finem retulit, ut ex præscriptione sententia diceretur, sed in scopum longè diversum collineavit: videlicet, quòd cum Archidiaconus, (adversus quem Episcopus agebat, circa partem fundi,) etsi possessor extaret, objecisset Episcopo, se præscriptione annorum quadraginta munitum esse, onus id præscriptionis probandi subire debuit; licet possessori alias id oneris non incumbat: sic animadvertunt communiter cuncti qui hunc textum illustrant cum Glossa ibidem, *verbo Nam possessori.* sic ajente: *Responsio ad tantam quæstionem, si quæreret aliquis, quare debet probare Archidiaconus, cum sit in possessione? Respondeo quia qui excipit, de præscriptionibus, ipse probare debet. ff. de probat. in exceptionib. sim. c. de præscrip. xxx. vel xL. annorum. male agitur.* 16. *q.* 4. *volumus.* Hactenùs Glossa. Cæterum si in hujusmodi probatione testes ambarum partium æqualis idoneitatis, & fidei sint, pro possessore sententia dicenda venit ex dictis: & propterea non rectè dixit P. Elizalde *part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 19. §. 1. *pag. mihi* 319. quòd in præscriptione, & usucapione fundatur privilegium totum possessionis: cum non in præscriptione, nec in usucapione fundetur possessio, sed è converso usucapio, & præscriptio in possessione longæva fundentur, ut in Jurisprudentiæ principiis per se notum est: & proinde nec verum est, quod idem Author ajebat scilicet, quando res pares sunt utrinque, ideò possessoris testes præferri, quia possessori favet præscriptio; cum pro possessore sententia proferenda veniat absque præscriptione: igitur falsum quoque est, quod in quæstione facti motiva opposita, & similia mutuò se elidunt, & pares testes esse quasi nullos in tali dubio: cum ex testium æqualitate, etiam quando de dominio rei lis agitur, pro possessore dicenda sit sententia; cum tamen possessio præcisè sumpta nihil præstet dominii.

SECTIO LXXIV.

Alia adversariorum evasio refellitur, elucidaturque usucapionis definitio.

1 CArdinalis Palavicinus in 1. 2. *disp.* 9. *quæst.* 4. *art.* 3. *num. præsertim* 3. & P. Elizalde *part.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 12. §. 4. differentes præcipuè de dubio conscientiæ, inquiunt, possessoris conditionem potiorem esse in jure, quia expedit Reipublicæ, ut res maneant, eo modo, quo manent; nam omnis mutatio affert aliquid turbationis, & periculi: uti etiam attigeret Bresserus *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 22. nec unquam in illa mutatio fit, nisi in aliquid, quod existimatur melius. Hac de causa inductæ sunt præscriptiones, & usucapiones in materia justitiæ; & similiter consuetudine præscribitur contra ipsas etiam leges. Interest autem omnium, id ita esse. Ergò ex convenientia nec non voluntate, tàm Reipublicæ, quàm singulorum, possessio aliquid ponit conferens ad suitatem rei possessæ, & consequenter ponit aliquid conferens ad veritatem de qua dubitatur: tum quia turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

2 Possessio itaque multipliciter confert ad veritatem, primò quia per se ipsam aliquid ponit, ut nunc est dictum, & sic acutè usucapio definitur *adjectio dominii, &c.* licet ab aliis definia-

niatur *adeptio*; nam diuturna possessio adjectionem quandam facit præcedenti quali quali dominio, qua facta adjectione, efficitur dominium perfectum. Secundò arguitivè: nam, ut ait Sanchez, affert præsumptionem; nam præsumitur aliquam rationem adfuisse, cum quis bona fidè, & pacificè, ac nullo repugnante cœpit possidere. Tertiò, quia aliquando conjungitur cum præscriptione; quia longum tempus elapsum est, vel longissimum pro diversitate materiæ: ac tic semper in pari causa reddit partem suam, vel certam, vel saltem positivè probabilem, & opinabilem, atque contrariam non talem: nisi adsit ex alia parte titulus alius. Quod si dixeris, homines sæpè possidere non sua; *Negatur* (inquit P. Elizalde) *in possessionibus pacificè, & bona fide inceptis.* Hactenùs illi.

3 Verum tamen vis nostræ probationis neutiquam propterea elliditur: primò, quia licet infiteri nemo debeat, justas esse leges, quę in dubio, seù in pari causa, possidentis conditionem potiorem esse decernunt; possessio tamen præcisè sumpta etiam justo titulo munita dominium non tribuit, quamvis enim à possessione dominium incipere dicatur à J. C. Nerva filio, laudato à J. C. Paulo in *leg.* 1. §. 1. *ff. de acquiren. possess.* tamen adeò diversæ, ac separatæ sunt naturæ, ut dicat Jurisconsultus Ulpianus *in leg. Naturaliter.* 12. §. 1. *ff. de acquir. possess. proprietatem seù dominium nihil habere commune cum possessione.*

4 Et ut ex multis differentiis paucas delibemus, nihil vetat, eum esse possessorem, & quidem bonæ fidei, qui dominus non sit, & è contra eum dominum esse, qui non possideat, *leg. Exitus.* 35. *ff. eod. tit. de acquir. possess.* Nudo etiam animo interdum acquiritur proprietas. *leg. cum hæredes.* 23. *ff. dic. tit.* possessio nunquam acquiritur solo animo, *leg.* 3. *in princip. ff. eod.* Et contra solo animo amittitur possessio, *dict. leg.* 3. §. *in amittenda*, non etiam dominium: *leg. si quis vi.* 17. §. 1. *ff. eod.* Denique ut alias differentias omittam, ex discrimine possessionis à proprietate fluit illa causarum diversitas possessionis, scilicet, & proprietatis, seù judicii possessorii, & petitorii, de quibus latè differunt Doctores in *leg. Naturaliter.* §. *Nihil. ff. de acquir. possess.* & in Jure Canonico integro *tit.* 12. *lib.* 2. *decretalium*, inscripto, *de causa possessionis, & propriet.* Liquidum ergò fit, quòd possessio nihil in re, seù realiter ponit conferens ad suitatem, seù ad veritatem dominii, de qua dubitatur: ideòque sententia lata in possessorio, non præjudicat petitorio judicio, *leg. Et eadem causa.* §. *Si quis interdicto: ff. de exceptio. rei judic. ubi DD.*

5 Nec oppositum evincunt rationes adductæ, non prima, quia usucapio dicitur adjectio dominii à Jurisconsulto Modestino *in leg.* 3. *ff. de usurp. & usucap.* non quidem quia per usucapionem fiat adjectio aliqua præcedenti dominio imperfecto, qua facta adjectione, perfectum evadat dominium ejus, qui possidet; id enim interpretationis nō rectè asseritur, sed contra cōmunem utriusque Juris Doctorum receptam intelligentiam; nā ideò usucapio dicitur adjectio dominii, quia dominium non acquiritur per eam à domino tradente, & suum jus transferente; sed adjicitur possessori à lege; non ergò quispiam possidens ex proprio facto, aut jure, nec ex voluntate domini rem usucapit, seù rei dominium adipiscitur, sed legis potestate, ut ipse Jurisconsultus Modestinus notat in *dict. leg.* 3. *ff. de usurp. & usucap.* inquiens: *Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Et hujuscemodi expositio prędictæ vocis *adjectio* traditur à Matheo Uvesembechio *in Paratit. ad Pandect. Juris Civil. tit. ff. de usurp. & usucap. num.* 3. tutum

tum à Revardo *ad leg.* 12. *Tabul. cap.* 17. Contio *lib.* 1. *disp.* 10. Donel. *lib.* 5. *Comment. cap.* 6. & Asin *ad Rubric. de usuc. num.* 5.

6 Sivè etiam, quod in idem recidit, ideò usucapio dominii adjectio est, quia possessioni, quâ habet jam usucapiens, adjicitur etiam dominium à lege, ita Andreas Valensi *in Paratit. Canonicis ad tit. de Præscrip.* §. 1. *num.* 6. *circa finem*, ubi consimiliter notat, usucapionem dici esse dominii adeptionem, quatenùs illa mediante usucapiens dominium adipiscitur, & propterea usucapionem non minus rectè dici adjectionem, seú modum acquirendi dominium, quàm adeptionem seú modum dominium adipiscendi: & per *adjectionem* dominii definivit usucapionem Modestinus *in dict. leg.* 3. per adeptionem verò Ulpianus *in fragment. tit.* 19. Imò Cujacius, & Duarenus *in dict. leg.* 3. adjectionis loco legunt adeptionem; concinitque Bachovius in notis ad Uvesembech. *dict. tit. de usucapion.* Nonnulli etiam dixere, usucapionem dici adjectionem, quia dominio juris gentium, quod olim tantum traditione acquirebatur, adjiciat dominium Juris Civilis, quod usucapione habetur; sed id expositionis displicet Valensi, & meritò: liquidum ergò conficitur ante perfectam usucapionem, vel præscriptionem, dominii nihil esse penès possessorem, novumque, & juri haud consonum esse, si oppositum asseratur.

7 Liquet pariter immeritò negari, quòd sæpè homines bona fide, & pacificè non sua possideant: cum plerumque interpellatio fiat contra bona fide possidentem, & in causa proprietatis, non semel vincat actor, & succumbat possessor bonæ fidei; id quod in jure certò certius est. Nec rursus confert quidquam, quod quis jam usucœperit, vel legitima præscriptione munitus existat, ad hoc ut, in dubiis, seù in pari causa melior sit conditio possidentis: quòniam ubi usucapio, vel præscriptio legitima intervenit, neutiquam est jus dubium, sed apertum, & perspicuum.

8 Solum igitur præsumptio, quæ possidenti favet, & quòd Reipublicæ expediat, res immutatas servari, momenti esse potest, ut in dubiis pro possessore judicandum, standumvè sit. Cæterum ex eadem juris præsumptione descendit assumptionis nostræ instauratio; siquidem stantibus æqualibus rationis momentis pro reo, & contra ipsum, lex pro reo, & pro possessore judicat, seù præsumit: igitur, & homines possunt judicare ex ratione æquali, obnitente alteri æquali fundamento. Antecedens perspicuum est ex *leg.* 2. *Cod. de Probatio.* ubi Doctores frequenter notant. Consecutio bona, & liquida etiam est, quippè præsumptio dicitur legis opinio, seù anticipata de re dubia opinio, seù rationabilis conjectura, aut ratiocinatio de re verisimili, ut edocent Baldus *in Rubric. Cod. de probati. & in leg. Ea quidem. in princip. Cod. de Accusatio.* Alciatus *tract. de præsumpt. in princip. part.* 3. *num.* 1. Menochius *de præsumption. lib.* 1. *quæst.* 7. *num.* 4.

9 Nec probationis nostræ efficaciam infringit quod Reipublicæ expediat, unumquemque in præfato dubio in rei possessæ detentione, ac possessione protegi; id enim utilitatis, & boni publici potius est voluntatis motivum ad imperandum assensum, seù præsumptionem de eo, quòd dominus sit is, qui possidet, quàm intellectus, ut illi jus possessoris directum, & speculativum de dominio talis rei præponderans appareat: sententia autem, quam modò tuemur, asserens in dubio æquali, & ex similibus, & æqualibus motivis prodeunte, tàm in quæstione facti, quàm juris posse intellectum assentiri cuilibet parti contradictionis, haud quidem infitetur, id assensus impe-

perari à voluntate allecta motivo majoris alicujus boni, quod in eo assensu consequi intendit, aut cupit, aut prædiligit.

10 Id quod cohæret optimè doctrinæ Doctoris Angelici *in disp. quæst.* 14. *de verit. art.* 2. *corpore*, ubi ait: *Quando intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, nec statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est: determinatur autem per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum; utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentire. Et ista est dispositio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens, & utile.* Hæc D. Thom. in cujus doctrina perpendo maximè illa ultima verba: *quia videtur decens, & utile*: unde mirificè nostrũ illustratur assumptũ videlicet, quia Reipublicæ interest, eique utile est, unumquemque in sua possessione, in causa dubia, protegi, ideò ex voluntatis determinatione, præsumi, aut judicari posse dominum esse possidentem, stabilitumque manet, quòd in dubio facti, ex æqualibus, & similibus motivis oppositis prodeunte, ut quando numero, & idoneitate æquales sunt testes sibi contradicentes, potest intellectus à voluntate determinari, ut assentiatur parti, cui voluntas magis afficitur. Nempè in dubio æquali de rei dominio, possessorem esse dominum lex præsumit, quia bonum, & conveniens id præsumere videtur: adeòque, & quivis in simili dubio physicè opinari potest pro parte, cui assentiri ipsi expediat, aut bonum videatur: præscindimus verò ab honestate, aut licitudine hujuscemodi opinionis, quia licet in hypothesi probata à jure, & similibus prudens sit præsumptio, & assensus, in aliis potest esse imprudens.

11 Illustratur præcipuum nostrum assumptum; quòniam licet universim, seù ut in plurimùm pro possessore præsumendum sit, & Reipublicæ interest, possessorem re possessa non privare: tamen si favorabilior alia reperiatur causa, in dubio juris, & facti, contra, possidentem sententia ferri debet. Constat *ex cap. Ex litteris.* 3. *de probationibus.* Ubi postquam Lucius III. edixerit, quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferendi sunt, exceptionem adhibet Summus Pontifex in hunc modum: *Præter quam in liberali causa, in qua si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur*: quæ exceptio firmatur *cap. Cum redemptor.* 12. *q.* 2. *leg. antepen. ff. de manumiss. leg. inter pares. leg. libertas. ff. de reg. jur.*

12 Nec tantum in liberali causa id exceptionis in jure præscribitur, verum etiam in aliis, quæ simili gaudent favore, ut cernere est *in cap. Duobus judicibus. fin. de senten. & re judic.* ubi Gregorius Nonus ita decernit: *Duobus judicibus, ut accepimus, diversas sententias proferentibus: si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia: nisi in causa favorabili, puta matrimonio libertate, dote, seù testamento, pro ipso fuerit promulgata.* Unde compositi versus illi, quos supra retulimus *sect.* 69. *num.* 11.

13 Probatque Glossa *dic. cap. Ex litteris. verb. in liberali. de probation. & cap. Duobus judicibus. verb. diversas sententias, in additione. de sent. & re judic.* firmaturque insuper *ex cap. Si quis acceperit.* 33. *quæst.* 1. *cap. continebatur, de desponsa. impuber. leg. si pars judicantium. ff. de inoffic. testam. cap. Nuper. de dote post divort. restit. cap. Ex litteris. de pignor. leg.* 1. *ff. solut. matr. leg. in ambiguis. ff. de jure doti.* Sic edocent Abbas, Innocentius, Collector Zabarella, Bellamera. Joan. Andreas, Imola, Ananias, Hostiensis, Henric. Ancharanus, Butrius,

trius, Baldus, Panormit, Felinus, Alexand. de Nevo, Vivianus *in Rationali ſecundi lib. Juris Pontif.* Auguſt. Barboſ. *Collec. ad cap. fin. de ſent. & re judicata.* Maſcard. *de Prob. concluſ.* 1023. *à princ.* Menoch. *de Præſumpt. lib.* 2. *præſ.* 71. *num.* 30. Franciſcus Molin. *de Ritu Nuptiar. lib.* 1. *compar.* 16. *à num.* 7. Graña *ad dict. cap. Duobus judicibus.* & ibidem Dominus Gonçalez, qui *num.* 2. optimè animadvertit, idem juris eſſe in omni favorabili cauſa, & probatur ex eodem textu ibi: *Maximè in cauſa favorabili*: quod ſignificat præſentem Gregorii IX. deciſionem procedere generaliter in quacumque cauſa favorabili, cujus velut præcipua exempla referuntur à Sum. Pontifice, per quæ generalis doctrina non reſtringitur, ſed explicatur, argumento legis *penultimæ. §. ult. ff. de jur. & facti ignor. cap.* 1. ubi Gloſſ. *ne Clerici, vel Monachi.*

14 Idem juris principium exornant Balboa, & Fermoſinus *in dict. cap. Duobus.* Cujac. *lib.* 12. *Obſerv. cap.* 16. *& lib.* 10. *Reſponſ. Papiniani, in leg.* 38. *ff. de pac. & leg.* 30. *de liber. cau.* Antonius Faber *in Ration. ad textum in leg. Diem.* 27. *§. ſi plures. ff. de recep.* Pacian. *de Probation.* 2. *part. cap.* 43. *à num.* 69. Valaſcus *de partit. cap.* 9. Dom. Melchior de Valentia *Illuſtr. lib.* 2. *trac.* 2. *cap.* 11. *num.* 12. Dominus Covarrub. *Variar. lib.* 1. *cap.* 2. Anton. Gomez *in leg.* 38. *Tauri.*

15 Tum ſic: æqualibus exiſtentibus hinc inde motivis, in dubio facti, ſententia juridicè proferri debet, modò pro poſſeſſore, modò adverſus illum, juxta majorem, minoremvè cauſæ favorem, quem leges conſiderant; at favor voluntatem dicit, eſtque ipſius voluntatis ſtudium, majorque propenſio: favere enim eſt, alicui benè cupere: unde Cicero *pro Roſe. Comædo. Quam expectationem, quod ſtudium, quem favorem ſecum in ſcenam attulit Panurgus?* Igitur ex voluntatis propenſione, & determinatione iiſdem exiſtentibus dubitandi æqualibus momentis, etiam in dubio facti, poſsibile eſt, huic vel illi oppoſito extremo aſſentiri; nam quod lex præſumit, etiam privati homines judicio privato reſpectivè præſumere, judicare, & opinari ſub ſimilibus terminis utique valebunt.

SECTIO LXXV.

Aliis argumentis idem placitum fulcitur.

1 EX utroque jure pro aſſertione noſtra diſſeruimus; alia nunc annecto argumenta: primum: voluntas ex æqualibus, & ſimilibus bonis poteſt aliud eligere, & negligere aliud: ergò & intellectus in dubio juris, aut facti poterit ex imperio voluntatis alterutri ex æqualibus, ſimilibuſque motivis oppoſitis aſſentiri. Antecedens manet ſtabilitum. *ſect.* 45. *& ſequen. uſque ad* 50. conſecutio etiam ex *ſect.* 51. probatur; nihil enim diſcrepantiæ in præſenti elucet hypotheſi, præſertim ſi recolantur, quæ tradidimus *ſect.* 69. *& ſequentibus.*

2 Secundum argumentum: in hypotheſi quam verſamus, ſi accederet juſsus, conſiliumvè ſuperioris poſſet ſubditus perfectè obedire: igitur & poſſet directè verum opinari, id quod ſibi à ſuperiore injungitur. Antecedens, & conſequentia firmantur *ſect.* 55. *uſque ad* 69.

3 Tertium, quia intellectus poteſt objecto minus veriſimili aſſentiri: ergò & æqualiter ponderanti, ratione, aut motivo etiam ſimili obnitente: Antecedens liquet, ni fallor, ex ſupra traditis, conſecutionem reor eſſe bonam: quòniam aſſenſui majus impedimentum eſt, motivum urgentius, quàm æquale; ſi igitur voluntas poteſt imperio ſuo ſubjicere ſibi intellectum, ut par-

parti minus verisimili antecedenter assentiatur: valebit utique potiori vi eundem intellectum flectere, ut æquè verisimili, licet simili, opposito objecto, assensum præbeat: & quidem aliter fidei libertas congruè explicari non potest.

4 Urgetur quòniam intellectus non similitudine, aut dissimilitudine trahitur, movetur, aut allicitur, sed verisimilitudinis, & rationis pondere; igitur, si in hypothesi motivorum dissimilium æqualium, ad assensum potest à voluntate intellectus determinari, utique existentibus etiam similibus oppositis momentis, ex eadem voluntatis efficacia, poterit alterutri assentiri.

5 Quartum: & si gravia æqualia, & similia ex æqualibus distantiis æquiponderent; tamen ex inæqualibus distantiis non æquiponderant, sed præponderat id, quod ex majori distantia pendet, ut ex statica suppono, & prælibavi *sect. 69. num. 21.* id quod ex eo procedit, quod ex majori illa distantia ponderis à centro, seù puncto suspensionis libræ inæqualium brachiorum, majorem velocitatem, & majorem potentiam, seù majus momentum suscipit pondus alias æquale, & simile; sed ex determinatione, & affectione voluntatis, motivum intellectus, licèt simile, & æquale præsupponatur, accipit quoque majorem vim movendi intellectum, ut ex traditis *sect. 69. num. 14.* apparet: igitur ex hacce voluntatis affectione, seù determinatione libera poterit præponderare intellectus motivum alias æquale, & simile: & consequenter ex eadem determinatione poterit intellectus assentiri.

6 Quintum: motivum æquale, & simile, non ita eliditur ab alio simili, & æquali, ut verisimilitudinem amittat; ergò adhuc retinet objecti intellectus rationem formalem *sub qua*: igitur quamvis non sufficienter moveat, ita ut se solo rapiat intellectum ad assentiendum illi, ut in evidentibus, & per se notis; tamen ex determinatione voluntatis poterit intellectus illi motivo per assensum adhærere: videsis ea, quæ exarata sunt *sect. 69. à num. 1.*

7 Sextum: quæ respectu ad intellectum motiva sunt æqualia, & similia in ordine ad voluntatem possunt esse dissimilia, & inæqualia: nihil ergò prohibet, quòd prædiligens voluntas aliquod ex præfatis motivis determinet intellectum ad assentiendum illi motivo. Hoc ratiocinium nititur doctrina D. Thomæ *in disp. quæst. 14. de verit. art. 2. corp.* non semel à nobis adducta, & *sect. proximè præcedenti. num. 10.* ad rem tradita.

SECTIO LXXVI.

Superiori assertо contraria elevat.

1 OPpones primò ex R. A. P. Tyrso *dissert. 7. §. 7. num. 42.* sententia, quam propugnamus, pugnat cum utroque Jure, tàm Civili, quàm Canonico, & cum manifesta experientia, & cum ratione: de ratione constat ex dictis, quia implicat, me credere alicui, ubi ejus testimonium æqualiter mihi apparet falsum, ac verum; ut contingit, quando concurrit in meo intellectu cum testimonio oppositо alterius viri paris authoritatis. Nam testimonium affirmantis apparet verisimiliter verum propter sapientiam, & virtutem affirmantis: & apparet æquè verisimiliter falsum propter

ſapientiam, & virtutem æqualem negantis.

2 Pugnat cum jure, ut conſtat ex ſecundo libro Decretalium *toto titulo de probationibus*, & ex textibus citatis ex Jure Civili §. 5. ſcilicet *ex Curtio Senonenſi conſ.* 24. & Bartolo *in leg.* 1. *ff. uti poſſid.* apud Tuſcum *conc.* 798. ajentibus, quòd quando probationes ſunt pares, favetur reo, quia in dubio pro reo pronuntiandum: faciunt ergò probationes pares dubium ex Juriſ-Conſultorum conſenſu. Unde idem Tuſchus *lit. P. concl.* 766. *num.* 33. tanquam principium juris ponit quòd probatio dicitur dubia, quando ſunt teſtes contrarii pro actore, & reo æquales numero, & qualitate.

3 Ut enim inquit P. Sparça in *Appendice. artic.* 124. noti juris eſt, probationes ejuſdem hinc inde rationis, atque inter ſe prorſus æquales pro nihilo reputari, nullamque ex vi illarum ſententiam proferri poſſe. Ponamus in quæſtione facti examinari ut teſtes duos viros maximæ authoritatis, v.g. duos graviſsimos Senatores, & alterum affirmare, alterum verò negare exiſtentiam facti. Hoc in caſu non minus judex debet manere dubius, quàm ubi examinatis teſtibus è plebe, quatuor affirmant, & totidem paris authoritatis negant. Cum ergò manifeſtum ſit in jure, probationes omninò pares pro utraque parte rem relinquere dubiam, negari non poteſt, manere dubiam, quando viri graviſsimi in teſtificando opponuntur. Quamvis enim quilibet ſit digniſsimus fide, quandò ſeorſim à contradictione alterius rem affirmat, non tamen eſt dignus fide, quandò oppoſitum teſtatur vir alius æqualis authoritatis: quia ſicut dignus non eſt, ut ego credam, alterum virum æqualis authoritatis errare, ita dignus non eſt, ut ego illi fidem præſtem in illis circunſtantiis, nam illi fidem præſtare, eſt credere alterum errare vel ignorantia, vel malitia.

4 Confirmatur primò: quamvis is, qui mihi rem teſtatur, ſit vir maximis prerogativis ſapientię, ac ſanctitatis inſignitus, ſi tamen evidenter ego cognoſco illum decipi, non eſt dignus fide apud me quoad rem hanc, non obſtantibus illis prærogativis: hæc enim ut moveant, exigunt tanquam conditionem, quòd in intellectu audientis non adſit notitia evidens de eo, quòd ille in hoc dicto decipiatur. Ergò quamvis viri illi duo ſint maximæ authoritatis, nihilominus non eſt uterque dignus fide apud me, quoad dictum illud, in quo ſibi invicem contradicunt, non obſtantibus prerogativis ſcientiæ, & ſanctitatis: iſta enim, ut reddant hominem dignum fide quoad aliquod dictum, exigunt tanquam conditionem, quod vir alius ejuſdem authoritatis non dicat oppoſitum. Probo conſequentiam: nam ego evidenter cognoſco alterum ex illis duobus viris errare, & falſum dicere, ſivè ex ignorantia, ſivè ex malitia: ergò apud me non eſt uterque ſimul dignus fide quoad illud dictum, in quo ſibi contradicunt, aliàs æquè fide digni. Sicut enim Petrus non eſt apud me fide dignus in eo dicto, in quo ego evidenter cognoſco, eum aut fallere, aut falli; ita non ſunt apud me digni fide ſimul Petrus, & Paulus in eo dicto, in quo evidenter ego ſcio, alterum ex illis fallere, aut falli: quale eſt dictum, in quo ſibi invicem contrariantur.

5 Confirmatur ſecundo. Hæc propoſitio eſt evidens: ex his duobus, qui mihi contradictoria affirmant, evidens eſt, aliquem fallere, aut falli: ergò non eſt apud me uterque ſimul dignus fide (ſimultate dig-

dignitatum, non dignitate simultatis assensus,& dissensus) ergò non est in mea potestate eligere inter utrumque,ut huic vel illi credam prudenter: hæc enim electio supponit unum,& alterum dignum esse fide simul, simultate dignitatum in actu primo. Probo primam consequentiam: nam si evidens est mihi alterum ex illis fallere, aut falli,non possum ego dicere:Petrus in hoc dicto est dignus fide, & etiam Paulus est dignus fide in eodem dicto. Dum enim judico, Petrum esse dignum fide in aliquo dicto, judico Petrum in eo dicto nec fallere nec falli; dignitas enim fidei consistit in sanctitate,qua non decipiat,& in scientia, qua non decipiatur, & in eo casu non possum ego sic pronuntiare: in hoc dicto nec Petrus fallit, aut fallitur, nec Paulus fallit,aut fallitur. Nam est mihi evidens alterum è duobus fallere, aut falli.Ergò in eo casu non possum ego sic pronuntiare Petrus in hoc dicto est dignus fide,& Paulus etiam est dignus fide.Ergò non est in mea potestate eligere quem maluero, ut ei prudenter credam: nam qui prudenter eligit,credere Petro, supponit Petrum, nec fallere, nec falli in eo dicto. Et quia ipsa electio libera supponit potestatem eligendi Paulum, supponit quoque, nec Paulum fallere,aut falli in eo dicto.Sed impossibile est hoc utrumque supponere: siquidem evidens est alterum ex illis in eo dicto fallere, aut falli. Sunt enim contradictoriæ istæ duæ propositiones: *Nec Petrus nec Paulus fallit, aut fallitur. Petrus, vel Paulus fallit, aut fallitur.*

6 Et ne quispiam obtendere possit, fallacem esse hunc arguendi modum; advertendum est, hanc propositionem: aliquis è duobus, vel alter è duobus narrantibus contradictoria fallit, aut fallitur, non facere supposition confusam, & vagam, sicut facit ista. Aliquis è duobus oculis requiritur ad videndum; sed facere suppositionem determinatam, sicut facit ista: aliqua ex propositionibus contradictoriis est determinatè falsa. Etenim in suppositione confusa non valet consequentia à negatione unius extremi ad affirmationem alterius; & ideò non valet: *Sed non requiritur oculus sinister: ergò requiritur dexter.* At in suppositione determinata rectè valet.

7 Quare concesso semel, quòd Petrus, vel Paulus, qui narrant contradictoria fallit, aut fallitur, optimè valet: sed Petrus nec fallit, nec fallitur; ergò Paulus vel fallitur, vel fallit. Hinc autem deducitur, quòd sicut dum ego cognosco, Petrum fallere, aut falli in eo, quod narrat, non est Petrus dignus fide apud me: ita dum ego cognosco Petrum, vel Paulum, qui mihi narrant contradictoria, fallere aut falli, non est uterque dignus fide apud me. Et cum ille solus sit mihi dignus fide, qui apud me nec fallit, nec fallitur, seù quem judico nec fallere, nec falli, cumque ignorem, quisnam ex illis duobus, contradictoria testantibus, nec fallat, nec fallatur, neuter ex illis est apud me dignus fide. Unde assensum seù judicium suspendere debeo,neutri fidem præstando.

8 Quod sic denuò explicatur, & confirmatur tertio. Ut ego sim proximè expeditus ad credendum prudenter viro gravi aliquid narranti, non sufficit me scire, illum esse virum gravem, sed insuper requiritur, ut ego non cognoscam certò, illum decipi: ergò ut ego sim expeditus ad credendum Petro, vel Paulo, non sufficit, me scire, utrumque esse virum gravem; sed insuper necesse est, ut ego certò non cog-

noſcam, alterum ex illis decipi. At ubi contraria mihi narrant, certus ſum alterum illorum decipi. Ergò tunc non ſum expeditus ad credendum uni, vel alteri: ergò neutri tunc poſſum credere, ſed debeo judicium ſuſpendere. Hæc præcitatus, ac perdoctus Pater.

9 Qui conſequenter colligit, in hypotheſi, qua D. Auguſtinus opponatur ſententiæ D. Hieronymi, opinionem D. Auguſtini non eſſe aſſenſu dignam apud eum, qui hoc ſciat horum Patrum diſsidium, & utriuſque authoritatem, & ſententiam æqualis ponderis eſſe ducat: ita ut nec imprudenter adhuc poſsit alteri eorum aſſenſum ſub ea hypotheſi præbere: præterea ait, idem eſſe dicendum in eventu quolibet, in quo opiniones contrariæ æquè probabiles cenſeantur; id quod etiam fusè edocet P. Elizalde *de rect. doctr. morum. part.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 18. & 19. præcipuè §. 2. in cujus fine, prælibata objectio ſtabilitur: & §. 1. *dict. quæſt.* 19. inquit, quod cauſæ privilegiatæ, favorabiles (intelligit) non præferuntur in cauſa æqualitatis teſtium propter probabile, ſed propter privilegium in dubio, ſupponitur enim tunc res eſſe in dubio.

10 Reſpondeo, protectam à nobis hucuſque doctrinam nec juri, nec experientiæ, nec rationi eſſe contrariam, & quidem Juri Civili, & Canonico eſſe conſonam, liquet ſatis ex proximè dictis *ſect. præcedenti*, ferè per totam, & ex pluribus ſectionibus, quæ argumenta ex Jure Canonico deſumpta continent, quæ ab adductis in objectione neutiquam infringuntur: id quod haud leviter colligitur ex generali illa appellatione totius tituli, quàm multis juribus intexti, ſcilicet *de probationibus, in ſecundo lib. Decretalium*; præſtaret enim aliquem ſpecialem, aut determinatum textum expendere, vel citare, quàm compellare omnes, cum certum ſit plures eſſe in eo titulo textus, qui de noſtra hypotheſi nihil decernant, nec loquantur, cujuſcemodi ſunt textus, qui ſolùm ſtabiliunt, cui onus probandi incumbat, ut cernere eſt *in cap.* 1. & *cap.* 2. *cap. Ad audientiam.* 12. *dict. tit. de Prob.* Et quidem textum *in cap. Ex litteris* 3. *ejuſdem tituli*, quem P. Elizalde ad ſuam mentem trahere conatus eſt, necnon R. A. P. Tyrſus, evicimus ſupra *ſect.* 73. *num.* 11. & *ſeqq.* noſtram potius illuſtrare ſententiam.

11 Nec ex Jure Civili quidquam nos præmit; certum quippè eſſe fatemur, quòd probatio non eſt certa, ſed dubia, quando teſtes contrarii pro actore, & reo ſunt æquales numero, & qualitate; inficiamur tamen, eas probationes pro nihilo in jure reputari, & nullam iis ſuppoſitis, vel ex eis ſententiam poſſe proferri; cum potius in Jure tàm Civili, quàm Canonico compertum habeatur, ſententiam in ea hypotheſi, vel pro reo, vel pro poſſeſſore, aut pro aliis favorabilibus cauſis, eſſe dicendam, *dict. cap. Ex litteris.* 3. *de probation.* cum aliis adductis *ſect.* 73. *num.* 10. & *ſeqq.* Unde ſubducimus, quòd cum æquales hinc inde probationes rem faciant dubiam, & tamen jus præſumat pro poſſeſſore, ſeù pro alia favorabili, & pia cauſa, negare non poſſumus, quòd in aliis etiam æqualibus dubiis, ſeù dubitandi rationibus, ex motivo, cui voluntas favere cupit, ſeù liberè determinat, poteſt intellectus ab eadem voluntate flecti, ut alterutri ex prædictis extremis aſſentiatur.

12 Quod verò in dubia cauſa, quando non diſputatur principaliter de dominio, ſicuti in judicio rei vindicationis, juxta *textum in leg. ſi in rem. ff. de rei vendicatio.* cum

ſi-

ſimilibus,ſed ſolum incidenter, & allegatur poſſeſsio de præſenti, & de ipſa ſatis conſtat , ex poſſeſsione præſumi dominium,præter dicta ſuperius, probant Bart. *in leg. Quidam in ſuo.num.* 4. *verſu ſecundo caſu.ff.de condit.inſtitu. & in leg.ſicuti.* §. *Si quæratur.ff.de ſervitus vendi.* Bald. *in leg. cum res.Cod.de Prob. & ibidem* Salicetus *colum.penult.in prin.* Abbas *in cap. cum ad ſedem. num.*20. *de reſtit. ſpoliat.* Aretin. *in Conſil.* 15.*num.* 4. Jaſon *in* §.*Sic itaque.num.*52.*Inſtit.de action.*Ripa *in leg.rem quæ nobis* 52.*ff.de acquirend.poſſeſſ.*Boerius,*quæſt.*42.*num.* 8.Menochius *tom.* 2. *de Præſump.lib.*6. *præſump.* 63.*num.*11.

13 Prætereà actus in dubio debet præſumi Validus,*leg. quoties.ff.de reb. dubiis.* ubi J.C. Julianus ſic habet. *Quoties in actionibus,aut in exceptionibus ambigua oratio eſt : commodiſsimum eſt id accipi,quo res de qua agitur, magis valeat, quàm pereat,*ubi reflexione dignum eſt, quòd ait , *Commodiſsimum eſt id accipi;* quòd enim ſatis perſpicuè explicat, motivum cenſendi validum eſſe actum,cujus valor eſt dubius,ad voluntatem prudenter eligentem attinere potius,quàm ad intellectum , quia ſcilicet expedit facta obſervare potius , quàm perturbare; peritos etiam , & probos, non ignorantes, & improbos facti Authores judicare : igitur quia ex libera prudenti voluntatis electione in re dubia poteſt intellectus determinari ad aſſentiendum actus validitati ; nec minus liberè , imprudenter tamen,poſſet voluntas determinare intellectum in eadem hypotheſi ut invalidum actum cenſeret.

14 Idem comprobant textus *in leg.*21.*ff.eod.tit.de reb.dub.leg.*16. *in fin. prin. ff.ad Sen. Conſ. Trebell. leg.* 109.*ff.de legat.*1.*leg. quotiens.ff.de verb. oblig.* illuſtrant Abbas *Conſil.* 62.*in controverſia,col.*1.*num.*7. *lib.*2. Rolandus à Valle *Conſil.* 61. *num.*23. *& ſeqq. verſ. quinto conſiderandum.lib.* 3. ubi extendit ad omnem actum , latè Romanus *Conſil.* 180. *ſi admittimus num.* 4. *cum ſeqq.* ubi extendit ad omnem diſpoſitionem. Card.Tuſchus *tom.*1.*lit.A. concluſ.*136. Cardinalis Mantica *de conjec. ultim.volunt.lib.*12.*tit.*17.*num.* 13. Alciatus *de Præſumpt.Reg.*3.*præſump.*34.*num.*1. & fusè,&doctè Menoch.*de Præſump.tom.* 2.*lib.*6.*tota præſumpt.* 4. Thomas Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſput.* 35.*num.* 19.Auguſt. Barboſa *Axiomate* 12.*num.* 19. Sacra Rota *deciſ.* 643.*num.*4.*part.* 2. *in poſthum.Farinacii*, alias *part.*4.*Recentior.* Liquidum ergò fit,quòd in dubia cauſa , quàm ſæpè poteſt ſententia proferri ex præſumptione,ſeù juris,aut legis opinione.

15 Inclareſcit inſuper ex ſuperioris doctrinæ limitatione quadam, quia licet univerſim in dubio pro validitate actus ſit præſumendum, cæterum in odioſis non fit præſumptio, nec ſumitur interpretatio, ut in dubio actus odioſus ſuſtineatur. Ita declarat Alciatus *in dict.Reg.*3.*præſump.*34.*in fine*,ex ſententia Aretini *in leg.continuus.* §. *Cum quis. col.* 3. *de verb. oblig. ex illo textu.* Et præter Alciatum hanc declarationem probavit apertius idem Aretinus *in leg.*2.*in* 2.*notab. ff. de liberis, & poſthum.*idem tradiderunt ibidemImola, Alexander, & Jaſon in fin.& Ferdinandus Loazes *in repetitione leg. filius familias.* §. *Divi. num.* 13.*ff.de legat.*1. Rui.*in leg.* 4. §. *Cato. in prima lectura, num.* 91.*ff.de verb.oblig.*Nevizanus *lib.* 6.*Sylvæ nuptia.num.*47.*verſ. Item in dubio.* Menochius *de Præſumpt. lib.*1.*præſump.*10. *& tom.*2.*lib.*6.*præſ.*4.*num.*53. ubi elevat quod objicit Craveta in *Conſil.*52.*num.*6.*& conſil.* 278.*colum.*4. *verſ.* 7. Ex motivo igitur quod recta voluntas reſpicit, & amplecti debet, odia ſcilicet reſtringendi, *leg. cum quidam.ff.de lib.& poſthum.cap.Renovantes.* 22.*diſtinc. cap. odia de reg. jur. in* 6. ipſa voluntas imperare poteſt intellectui,ut in dubio de validitate odioſi actus, in-

terpretetur intellectus, actum illum esse nullum. Et consequenter in dubiis potest etiam aliquando justa voluntate determinari intellectus ad assentiendum alicui ex dubitationis extremis.

16 Unde quamvis fateamur, quòd præscindendo à favore, seù odio causæ, vel partium judicio contendentium, res est dubia, tamen ratione favoris, quo recta voluntas moveri potest in supradictis casibus, jus, lex, & judicis mens præsumit, opinatur, seù interpretatur, causam esse huic, aut illi parti adjudicandam; & consimiliter ex libera voluntatis determinatione propendente affectivè in unam partem potius, quàm in aliam oppositam, poterit intellectus assentiri parti à voluntate prælectæ: & hæc quidem satis ostendunt sententiam nostram juri haud contrariam, sed omninò consonam esse.

17 Quod attinet ad experientiam minus urget, cum ab illa stabilimentum summat sententia nostra juxta ea, quæ excerpsi ex Joanne Majore *sect.* 12. *num.* 3. Confert etiam, quod ex P. Gregorio Valentia adnotatum fuit *sect.* 66. *num.* 12. *& ex aliis num.* 19. nimirum experientia ipsa constare, quòd pro libito suo possit voluntas, relicta opinione probabiliori, imperare assensum erga partem minus probabilem; si enim voluntas eis gaudet libertatis viribus, ut intellectum determinare queat ad assensum partis minus verisimilis, facilius poterit determinare ad assensum partis æquè verisimilis. Et quidem experientiam docere, quod possit illud primum voluntas, mihi liquidum etiam fit, ex hæreticorum formalium pertinacia, cum sæpissimè propositis fidei mysteriis sufficienter, & gratia Dei eos abundè auxiliante, ita ut appareant evidenter credibilia, & teneantur ipsis assensum præstare, dissentiant tamen illis ex libera, & prava voluntate.

18 Nec ab opposita ratione infringitur nostrum assumptum; in hypothesi enim æqualium probationum in facti disceptatione, potest & debet non semel judex dubiam quæstionem resolvere, & proferre sententiam vel pro reo, vel pro possessore, vel pro libertate, aut testamento, aut alia favorabili causa, ut liquet ex dictis: & consequenter quando viri authoritate præditi in alia disputatione extra rem judiciariam invicem opponuntur, poterit intellectus ex determinatione voluntatis alicui ex præfatis sententiis assentiri, vel ex consimili motivo favoris in ea parte reperti, vel ex alio motivo, quod potest allicere voluntatem, præscindendo ab eo, quod talis voluntas sit, aut non sit rectæ rationi conformis: utrumque enim pro rerum diversitate poterit evenire.

19 Ad primam confirmationem, respondeo, quòd licet quando ego evidenter cognosco, decipi virum aliquem, etsi eximiæ authoritatis, non possim illi assentiri in eo dicto, in quo scio decipi; tamen possum assentiri cuilibet ex viris prudentibus sibi invicem contradicentibus, quando incertum est, quemnam ex illis in eo dicto decipi, & si necessarium sit alterum ex eis falli: equidem in hac hypothesi non est uterque dignus ut utrique simul assentiar; cæterum uterque dignus est simul, ut divisivè, seù alterutri eorum assensus præbeatur.

SECTIO LXXVII.

Fit satis aliis superioris objectionis confirmationibus.

1 AD secundam confirmationem, concedo istius evidentiam propositionis, nempè: *Ex his duobus, qui mihi contradictoria affirmant, evidens est, aliquem fallere, aut falli*: nego tamen consequen-

quentiam, nimirum, ideò non eſſe utrumque dignum fide, ſimultate dignitatis, id enim falſum eſt; quòniam licèt ex contradictoria aſſertione alterius, quilibet ex præfatis viris aliquid dignitatis fidei amittat, tamen eorum dignitas non omninò eliditur, ſed manet ſufficiens ad conſtituendam veriſimilitudinem in unoquoque ex prædictis contradictionis extremis, & aliquando hujuſcemodi veriſimilitudo tanta eſſe queit, ut prudenter poſsit aſſenſus præſtari extremo cuilibet ex determinatione voluntatis: at in præſentiarum non diſquirimus de prudentia, aut imprudentia, ſed de poſsibilitate aſſenſus, & de voluntatis libertate ad ejuſmodi aſſenſum imperandum.

2 Et profectò ſi ex eo, quòd ſit evidens, aliquam ex contradictoriis eſſe falſam, vel aliquem aut aliquos ex iis, qui contradictoria proferunt, fallere, aut falli, ſequeretur non poſſe manere fidei dignitatem, aut veriſimilitudinem ſimultate dignitatis, & veriſimilitudinis in prædictis Authoribus, vel in eorum ſententiis, fieret, ut nec pars veriſimilior, ſeù illa pro qua ſtant Authores, ſeù teſtes plures, in concurſu alterius partis contrariæ, pro qua ſtant pauciores, eſſet aſſenſu digna; quia etiam ſub his terminis, certum, & evidens eſt aliquos ex affirmantibus, aut ex negantibus falli aut fallere: incertumque eſt, qui nam fallant, aut decipiantur.

3 Quod ſi dixeris illum veriſimilitudinis exceſſum, ſeù majorem teſtium, aut Authorum numerum ſufficere, ut erga illam præponderantem partem eliciatur aſſenſus: contra inſurgam, illa præponderantia poteſt conjungi cum eo, quòd Authores, ſeù teſtes pro ea parte adducti vel ex malitia, vel ex ignorantia fallant, decipiantur vè: id quod ex aſſertis, & depoſitionibus contrariis non leviter arguitur; tum quia ſupponimus rem diſceptatam adhuc inevidentem incertamque manere, ut fieri poteſt: igitur teſtes, & Authores licet numero pauciores non eliduntur omninò à contrario majori numero Authorum, & teſtium: ergò prædicti teſtes, & Authores numerò pauciores retinent veriſimilitudinem aliquam in concurſu etiam plurium contrariorum: ergò potiori jure eam veriſimilitudinem retinebunt in concurſu teſtium numero, & dignitate æqualium: igitur quemadmodum parti aſſertæ à pluribus teſtibus, & Authoribus fidem poſſum præſtare, quia licèt falſa eſſe queat, tamen veriſimilis eſt, & fide, fallibili tamen, digna: ita equidem parti æquali numero teſtium, ſeù æquali dignitate munitæ poſſum aſſentiri: quòniam ſicut in phyſicis, æquale pondus non amittit gravitatem ſuam, & potentiam, ut oſtendi *ſect. 69. præcipuè à num. 18. uſque ad 27.* idque ex matheſi probatum eſt, ita in intentionalibus æquale motivum voluntatis, aut intellectus ab æquali oppoſito non omninò eliditur.

4 Unde licet in eo dicto, in quo ego ſcio aliquem fallere, aut falli, non poſsim illum dignum fide cenſere; tamen quando incertum eſt an fallatur aut fallat is, qui aliquid enunciat, & aliundè authoritate, & fidei argumentis gaudet, poſſum illi aſſentiri: nec recta eſt oppoſita conſecutio in objectione poſita, quòniam ex eo quòd non poſsim aſſentiri ei, quem evidenter ſcio fallere, aut falli, ſolum conficitur, me non poſſe ſimul aſſentiri teſtibus enunciantibus contraria, quia tunc ſcio evidenter, aliquem ex illis falli, aut fallere: cæterum cum de nullo diviſivè, aut determinatè ſciam decipere aut decipi, ea evidentiæ falſitatis ratio, quæ ſolùm militat indeterminatè, & diviſivè in alterutro, impedimento eſſe non poteſt ad aſſentiendum extremo, in quo talis evidentia falſitatis non reperitur: quamobrem in objectione arguitur ab evidentia determinata

ta ad indeterminatam, à certa ad incertam; seù aliter arguitur ab evidentia ad incertitudinem: qui fallax est arguendi modus:& consequenter dicendum,viros alioqui præclaræ authoritatis contraria, aut contradictoria proferentes manere fide dignos, simultate dignitatis,non quidem ut digni sint, ut utrisque simul fidem adhibeam, sed præcisè ut eorum alterutri; & propterea quamvis objectio concludat non manere in ipsis simultatem dignitatis ad fidem simul illis præstãdam,minimè evincit, eam dignitatis simultatem non adesse, ut alterutri eorum,seù in sensu diviso fidem adhibeam.

5 Nec urget probatio contraria, quòniam in hypothesi testium eximiæ authoritatis, sibi contradicentium, ita quoque dicendum,quemlibet esse fide dignum, ut dignitas unius ad assensum in actu primo non destruat, nec tollat dignitatem alterius, quia non assentior dignitati fidei certæ, nec dignitati assensus evidentis, sed dignitati assensus,& fidei humanæ, incertæ, seú opinionis formidolosæ; dignitas autem hujusmodi quàm optimè reperiri potest in subjectis seù Authoribus contraria asserentibus, quamvis dignitas alia certæ fidei,assensusque certi in illis simul adesse nequiret: unde verum est, quòd eligens assentiri uni parti, in eventu præfato ex conceptu libertatis electionis,supponit,alterum,cui dissentit, esse dignum fide, dignitate in actu primo accepta, seù tali, ut etiam posset illi præstitus esse formidolosus assensus, si non esset huic parti exhibitus.

6 Animadvertendum præterea,quòd dicere, Petrũ esse dignum fide in aliquo asserto,dum sermo est de dignitate in actu primo ad fidem formidolosam,seù quæ cum opinione coincidit, non est absolutè asserere, Petrum nec fallere,nec falli; sed solùm est dicere, verisimile, aut probabile esse, Petrum nec fallere, nec falli; hæc autem cognitio, sivè sit apprehensiva,sivè etiam judicativa, non opponitur alteri cognitioni apprehensivæ, aut judicativę,dicenti Paulum in dicto contrario, aut contradictorio, verisimiliter, aut probabiliter nec falli, nec fallere: unde assentiri, & multò minus apprehensivè adhærere dignitati in actu primo verisimili, aut probabili Petri in suo asserto, non est negare consimilem fidei dignitatem in actu primo Pauli in dicto contradictorio; & ideò quàm optimè dicere possum: in hoc dicto seù puncto,verisimile mihi est,necPetrum, nec Paulum contraria enunciantes fallere aut falli:non quia credam,credere vè posim,verisimile esse, quòd contradictoria, aut contraria simul vera esse queant; sed quia credo in re incerta, veritatis speciem, aut probabilitatem habere non solùm dictum Petri, sed etiam dictum Pauli.

7 Hinc fit,quòd quando directè, & in actu secundo assentior Petro, utique reor simul Paulum fallere, aut falli; sed quòniam id judico assensu opinativo, & formidoloso, possum simul judicare, oppositum dictum Pauli esse verisimile aut probabile, seù dignum assensu formidoloso. Nullam quippè contradictionem involvit judicium istud: Petrum quidem verum asserere,opinor, sed itidem agnosco, aut reor Paulum contradictorium enuntiantem, verisimile, aut probabile esse, nec falli,nec fallere: id quod probant quot quot gravissimi Authores passim scribunt, ipsos existimare veram aliquam opinionem, & nihilominus addunt, oppositam ab illis censeri probabilem. Quàm libenter ergò concedimus, quod si sermo sit de assensu evidenti, aut certò, Petrum, & Paulum contradictoria,aut contraria proferentes non posse esse simul fide dignos: id quod solùm obtinet objectio;cæterum de tali assensu non procedit quæstio, sed præcisè de assensu opinativo, & formidoloso.

Ad

8 Ad id autem, quod in objectione expendebatur *ſect. 76. n. 6. & 7.* reſpondetur, verum quidem eſſe, quòd illa propoſitio, *Aliquis è duobus, vel alter è duobus narrantibus contradictoria fallit, aut fallitur*, non facit ſuppoſitionem confuſam, nec vagam, ſicut iſta *alter è duobus oculis requiritur ad videndum*, & propterea rectè colligi, quòd ſi Petrus non fallit, nec fallitur, Paulus qui narrat contradictoria fallitur, aut fallit; adeóque fateor determinatè eſſe verum, vel Petrum vel Paulum in data hypotheſi falli, aut fallere: nihilominus argumentum non concludit, quòd ex determinatione voluntatis non poſsit intellectus aſſentiri Petro, vel Paulo; nec etiam probat Petrum, & Paulum non eſſe fide probabili, & opinativa dignos.

9 Argumenti autem fallacia in eo conſiſtet, quòd confundit falſitatem incertam cum certa, inevidentem cum evidenti: verum itaque eſt, quod ex contradictoriis propoſitionibus, alia eſt determinatè vera, & alia determinatè falſa, hujuſce tamen propoſitionum veritas, & falſitas nos latet, quando verſamur in opinabilibus, vel in incertis factis, aut aliis juris dubiis: in qua hypotheſi veriſimilitudo poteſt, ac ſolet in utroque contradictionis extremo reperiri, & nobis innoteſcit: propterea ex eo, quòd concedatur veriſimilitudo uni extremo, non rectè infertur negandam eſſe oppoſito extremo alteri ſimilem veriſimilitudinem. Et quamvis præſtito ſemel aſſenſu directo, & formidoloſo erga partem affirmativam, rectè inferatur, negativam eſſe falſam; tamen non poteſt inferri certò eſſe falſam, ſed falſitate tantum opinata, ſeù opinativo judicio enunciata: id verò judicii opinativi non opponitur veriſimilitudini contrariæ: unde ſic poſſum in incertis uni extremo aſſentiri, ut liberè queam illi diſſentiri, & aſſenſum præbere alteri extremo contradictorio: quod fieri non poſſet, ſi veritas eſſet nobis certò cognita.

10 Rurſus fallax eſt argumentatio: dum ex eo quòd Petrus apud me non ſit fide dignus, quia certò cognoſco, eum fallere, aut falli in eo, quod narrat, ex eo, inquam, ab objiciente deducitur, quòd dum agnoſco, aliquem è duobus, Petrum ſcilicet vel Paulum contraria aſſerentes fallere, aut falli, ignoro tamen quiſnam illorum falſum dicat, non poſſum alteri eorum fidem præbere: hic enim arguitur à certa, & determinata cognitione, quam habeo de falſitate aſſertionis Petri, ad cognitionem indeterminatam falſitatis Petri, vel Pauli, ſeù ad eventum, in quo de nullo eorum ſcio fallere, aut falli, quin potius animadverto, quemlibet eorum in dicto ſuo probabili veriſimilitudine gaudere. Præterea licet ſemper verum ſit, aliquem è duobus aſſerentibus contradictoria, fallere, aut falli; tamen plerumque evenit, ut incertum ſit nobis, & neſciamus, apud quem illorum ſit veritas, aut falſitas: quo in eventu, licet veriſimiliter, aut ratione aliqua, vel authoritate teſtis, vel Doctoris permotus aſſentiar illi; non ideò benè colligitur, ergò apud me contrarium dicens non eſt fide dignus, loquendo, ut dixi de incerta, & fallibili fide; ſed ſolum ſubduci poterit, ergò oppoſitum dicens apud me fallitur, aut fallit, ideòque illi non aſſentior; ſed cum hoc conſequenti, & judicio, ſtare poteſt aliud, quo dicam: at quia meus aſſenſus non eſt ſcientificus, & oppoſitum aſſerens veriſimili fundamento nititur, vel vir eſt authoritatis eximiæ, fateor, illum eſſe etiam fide dignum in actu primò, & me illi poſſe aſſentiri, ſi vellem.

11 Ad tertiam confirmationem: concedo, non ſufficere gravem viri authoritatem, ut illi aſſentiri poſſim, ſed requiri præterea, ut ego non cognoſcam, certò, aut evidenter illum decipi: inſuper concedo, opus eſſe, quòd

quòd ego non cognoſcam determinatè, nec evidenter Petrum falli, aut determinatè falli Paulum, ut poſsim cuilibet ex illis præbere fidem: cæterum licet ſciam re ipſa certum eſſe falli Petrum, aut Paulum; ſi tamen certò ac determinatè de nullo eorum ſcio fallere, aut falli, & alias cognoſco, eſſe viros authoritate eximia præditos, nihil erit impedimento, ut liberè poſsim illi, aut illi aſſenſum præſtare: unde ſi in re quapiam ab Eccleſia non definita, ſed adhuc undecumque incerta, invenero contraria doceri hinc à D. Hieronymo, & inde à D. Auguſtino, phyſicè, ac prudenter ut reor, cuilibet horum Patrum aſſentiri poſſem.

12 Ad id quod tandem P. Elizalde ait, cauſas favorabiles in jure præferri non propter probabile, ſed propter privilegium, reſpondeo, hujuſce prælationis motivum non eſſe privilegium aliquod propriè acceptum, quòniam privilegium propriè ſumptum eſt conceſsio contra jus, ut notat Silveſter. *verb. Privilegium. quæſt.* 3. P. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 1. *num.* 1. & quod de ratione privilegii ſit, ut illud, quod privilegium concedit, ſit aliquid contra commune jus, ſentit Panormitanus *in cap. olim. de verb. ſigni. num.* 7. ubi ait, quod ſi ſolùm concedat ſp ecialem gratiam, quæ juri communi c ontraria non ſit, quamvis per illud non detur, non eſt propriè privilegium, ſed beneficium Principis.

13 Quæ fuit etiam doctrina Bartol. *in leg. ſi finit a. §. ex hoc edicto. ff. de dam. infecto. num.* 5. & ſequitur Sebaſtianus Medicis *in tract. de definitionibus.* 2. *part.* §. 17. Quod verò præter jus conceditur, latè ſolum dicitur privilegium, adnotante Silveſtro, & Thomas Sanchez locis ſupra citatis: nec ab hoc placito diſcedit Doct. Exim. *lib.* 8. *de Legib. cap.* 1. *num.* 5. *fine.* ubi in lata privilegii acceptione admittit comprehendi conceſsionem præter jus.

14 Tum ſic: privilegium propriè ſignificat conceſsionem contra jus: ſed quod in dubiis ſit melior poſsidentis conditio, non eſt conceſsio contra jus, ut patet ex terminis: igitur quod in dubiis, & pari in cauſa poſſeſſor ſit præferendus, non ex privilegio deſcendit. Idem patet ex eo, quòd in dubio ſtandum ſit pro actus valore, pro libertate, & ſimilibus ſupra adductis. Quinimò & ſi concedamus privilegium eſſe id, quod præter jus conceditur, incongruè privilegium nuncupabitur, ſi propriè loquamur, quod in dubio, & pari cauſa præferantur poſſeſſor, libertas, & cauſa pia, hæc enim non ſunt præter jus conſtituta; ſed potius ex æquitate, tum ex eo quod publicè intereſt, & ad rectam Reipublicæ gubernationem pertinet, ſic ſtatuuntur: ipſaque naturalis ratio idem præſcribit: ſumma quippè ratio eſt, quæ pro religione facit. *leg. ſunt perſonæ. ff. de Relig. & ſumptib. fun. leg. fin. Cod. de iis qui veni. ætat. imp.* docetque Bartolus *in leg. omnes populi. num.* 60. *ff. de juſt. & jur. leg. & leg. ſi conſtante. ff. ſoluto matrim.*

15 Tum quia promptiora ſunt jura ad abſolvendum, quàm ad condemnandum. *leg. Arrianus. ff. de Action. & oblig. leg. Reſpiciendum. ff. de pœnis. cap. Ponderet, in fin. diſt.* 50. *cap. Tempora pœnitudinis.* 26. *quæſt.* 7. *cap. Ex litteris.* §. *ult. de Præſumpt. cap. Cum ſunt partium. de Reg. in* 6. *lege favorabiliores. ff. de reg. jur.* §. *Retinendæ. Inſtitu. de interdic.* Ex quibus conſtat, juris utriuſque regulam eſſe, quòd in æqualitate probationum, pro reo ferenda ſit ſententia: id ergò juris non eſt conceſsio aliqua facta contra, aut præter jus, ſed jus ipſum. Idem cernere eſt in ea juris præſumptione ac regula, qua in dubio quilibet bonus præſumitur, *leg. Merito. ff. pro ſocio. leg. Quoties.* §. *qui dolo. ff. de probati. cap. unic. de ſcruti. in ordin. faci. cap. Dudum. cap. ultim. de præſumpt.* Et ut firmam juris regulam id tradunt, & il-

luſ-

luſtrant Bernard. *Reg.* 65. Petrus à Dueñas *regula* 75. Socin. *reg.* 39. Brunor. à Sole, *in locis comm. verbo Bonus.* Cardinalis Tuſch. *tom.* 1. *lit. B. concl.* 123. Farinaci. *in praxi crimi. par.* 1. *quæſt.* 47. *num.* 282. Barboſa *vari. jur. tract. Axiom.* 37. *num.* 4. *& alii apud ipſum.*

16 Et tantum abeſt, ut hæc præſumptio ex privilegio deſcendat, ut potius ſit præſumptio naturæ, quia naturaliter quilibet eſt bonus, ſcilicet peccatum non eſt à natura, nec ſecundum illam, ſed contra rationem naturalem: Gloſſa *in leg. fin. Cod. Quod met. cau.* itaque tenet Jacob de Bellovis. *per tex. in leg. omnimodò. Cod. de inoffic. teſtam.* Angel. *in leg. ſciendum. in fin. ff. de verb. oblig.* Hippo. *in leg.* 1. *num.* 67. *Cod. de ſicariis.* Hanc eandem regulam ponit Socinus cum *unica ampliat. regul.* 39. Bernardus de Luco *in reg.* 64. Et ex naturæ ductu procedere probat Dueñas *in ſelectis utriuſque jur. regulis. regul.* 75. Perperam igitur dicitur, ex privilegio haſce favorabiles cauſas eſſe præferendas.

17 Sed quamvis ſic evenire, concedamus; cum privilegium non ſit de impoſsibili aliqua re perficienda, fit, quod ſi ex privilegio judicandum eſt in dubio pro reo, pro cauſa pia, & ſimilibus cauſis, non poſsit dici impoſſibile, judicare in dubio pro aliquo dubitationis extremo: & conſequenter licet pro priori ad liberam voluntatis determinationē, imperiumvè, neceſsū ſit dubitare intellectū cognoſcēte probationes contrarias, & æquales, ſivè juris, ſivè facti: tamen voluntatis adveniente determinatione libera, poterit dirimi dubitatio, aſſentiendo parti, quæ à voluntate præfertur.

18 Illuſtratur ex Doct. Angelic. 2. 2. *quæſt.* 58. *art.* 4. corp. ubi edocet, juſtitiam non in intellectu, ſed in voluntate eſſe, tanquam in proprio ſubjecto: *Dicendum* (inquit) *quòd illa potentia eſt ſubjectum virtutis ad cujus potentiæ actum rectificandum virtus ordinatur. Juſtitia autem non ordinatur ad dirigendum aliquem actum cognoſcitivum. Non enim dicimur juſti ex hoc, quòd rectè aliquid cognoſcimus; & ideò ſubjectum juſtitiæ non eſt intellectus, vel ratio quæ eſt potentia cognoſcitiva: ſed quia juſti in hoc dicimur, quòd aliquid rectè agimus, proximum autem principium actus eſt vis appetitiva, ſicut in ſubjecto*: & quòniam reddere unicuique, quod ſuum eſt non poteſt procedere ex appetitu ſenſitivo, quia id eſt proprium rationis concludit D. Thomas, *quod juſtitia ſolùm eſt in voluntate.* Ideòque juſtitia definitur *conſtans, ac perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi. leg.* 10. *ff. de juſt. & jure.* exponiturque ab Angelico Doct. *dict. quæſt.* 58. *art.* 1. Tum ſic voluntas ſemper ſub ratione boni tendit: igitur cum juris, juſtitiæque regulæ à recta imperentur voluntate, equidem fit, ex motivo boni communis, quod juſtitia legalis reſpicit, vel ob ſingularis perſonæ bonum, quod reſpicit particularis juſtitia ex Ariſt. *lib.* 5. *Ethic. & ibidem* Div. Thom. *lec.* 1. 2. & 3. & 2. 2. *q.* 58. *art.* 7. poſſe voluntatem dirigere, & determinare intellectum, ut præſumat, opinetur, & judicet plurimis in rebus, præſertim in ſupra recenſitis: in quibus facti quæſtiones inveniuntur, æqualibuſque hinc inde probationibus cauſa inſtructa adeſſe ſolet: conſequenterque in dubio facti, ex teſtium aut probationum æqualitate prodeunte haud ita ad dubitandum adigitur intellectus, ut non poſsit phyſicè, quin & moraliter, ac prudenter à voluntate, ad aſſenſum vel diſſenſum determinari. Cui placito præter ſupra laudatos Authores adſtipulantur P. Matthæus de Moya, *ſelect tom.* 2. *in Appendice ad tract.* 1. *quæſt.* 7. §. 4. *num.* 38. & §. 4. *per totum.* Bernardu. Stubrochius *in Diſſert. probabilit. fol.* 75 & 78. Thomas Hurtado *tom.* 1. *Reſol. mor. tract.* 3. *cap.* 3. *v.* 19. *fol.* 109. (Unde. (inquit) fit, quod ſi tres viri graves mihi dicant conceſſum eſſe privilegium

ad

ad aliquid faciendum, & alii tres vel plures affirmant, tale privilegium non fuiſſe conceſſum, quæ opiniones ſunt circa factum, poſsim eligere quamvis partem.) Et infrà: (Hæc ſit regula generalis, quotieſcumque opinio facti ſequitur ex diverſa opinione juris, aut principiorum alicujus ſcientiæ, aut artis licitum eſt, quamcumque opinionem facti ſequi.) Sic ille ſcopum figens magis in licito, aut illicito, quàm in phyſica aſſenſus poſsibilitate, ſatis tamen exprimit, id aſſenſus eſſe poſsibile.

SECTIO LXXVIII.

Ex quodam Aſsyſtati genere præclarè à D. Auguſtino propoſito deſumpta objectio effringitur, juxta ipſius Mag. Par. doctrinam.

1 P. Elizalde *de rect. doctr. mor. par. 1. lib. quæſt. 4. §. 5.* ait, totam intentionem ſuam, & doctrinam videri demonſtraſſe ſolitò acumine D. Auguſtinum *lib. de Principiis Rethoricis*, nam *cap. 8.* exponit modos controverſiarum, & dicit eſſe controverſias quaſdam, quæ ſtatum non habent, quæ Græcè *plegmata* vocantur, ſeù ut ipſe vertit irrationabilia, ideſt *Aloga*: quas nec dici quidem vellit controverſias: ratio Auguſtini eſt: *Nam cum eadem utrinque dicuntur, & nulla re, nec parva quidem, diſcernuntur, tamen hujuſmodi plegma propter æqualitatem utriuſque partis ſtatum implicat.*

2 Exemplo mox rem declarat accutiſsimè, veriſsimè: *Ut vicini adoleſcentuli, qui ſpecioſas uxores habeant, noctu alter alterum obviam habuerunt; accuſant invicem adulterii: nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat neceſſe eſt. Veriſimile eſt te adulterium voluiſſe committere, quia adoleſcens eſt. Te quoque veriſimile eſt voluiſſe committere, quia adoleſcens es. Veriſimile eſt; quia ſpecioſam uxorem habeo, facultatem tibi vicinitas præbuit: & tibi eadem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidiſti? Nihil eſt quod diſtinguatur: & idcircò uter eorum, ſivè accuſat alterum, ſe criminatur; ſivè ſe purgat, defendit eum, quem criminari videtur.* Hæc D. Auguſtinus, cujus verbis à P. Elizalde propoſitis, quaſi de victoria ſibi plaudens, ſubjungit: *Parcant, precor, quòd antea, & nunc, & ſemper ſuper cœlos efferam Auguſtini ingenium.* At enim penitus me latet, à quibus veniam efflagitet ipſe, cum nemo ſit qui, ut par eſt, Auguſtini ſapientiam ne dicam ingenium ſummis cumulet laudibus. Pergit autem idem qui Celladeus, & ait.

3 Hic autem idem eſt caſus noſter de decem Authoribus contra decem; vel de centum contra centum, & univerſim de omni æqualitate authoritatis, & rationis. Habes itaque pro te decem Authores, vel graves vel graviſsimos, ut placet, qui aſſerunt, legem non eſſe, vel non obligare contra totidem alios æquales quoad te, qui affirmant obligationem. Ecce quidquid pro te allegas cõtra te ſimiliter afferas, neceſſe eſt, & dum te defendis, te accuſas: dicis: decem ſatis multi ſunt: & hoc æqualiter eſt contra te; ſunt enim decem ex adverſo: ſapientiſsimi ſunt, ais, & graviſsimi; & hoc quoque tui accuſatio eſt æqualiter, ſunt enim ſimiles tot contra te: veriſimile, inquis, eſt, tot Doctores non errare: veriſimile eſt, eos, ut in rebus aliis, in hac etiam rectè opinari. Sed ecce: hæc ipſa contra te, & pro Authoribus contradicentibus urgent, & dicuntur eodem modo, ut patet. Prudens eſt ais, his credere graviſsimis quippè, & pluribus. Te hoc quoque accuſat: prudens ſcilicet erit credere aſſerentibus obligationem, graviſsimis quippè, & pluribus. Idem clarius adhuc cernitur, cum caſus eſt inter duos, v. g. caſus reſtitutionis. Concludat ergò Auguſtinus, nihil ſtatui poſſe

prop-

propter æqualitatem utriusque partis; nam nihil est, quod distinguatur; & idcircò quisque se purgando, se accusat; contra partem contrariam allegando contra suam dicit simul, & allegat: resultatque propriissimum, & irresolubile, & injudicabile dubium, quandiù inæqualitas non adinvenietur.

4 Hoc eodem genere argumentationis dixi pridem (insistit P. Elizalde) Lutherum, & Calvinum, & alios sub idem tempus exortos sectarios, esse alterum alterius impugnationem, & destructionem, adeò ut Luthero sit Calvinus solutio, & destructio, & vicissim, nec alia sit necessaria impugnatio.

5 Respondeo, quòd si verum esset objectionis assumptum, stantibus scilicet testibus numero, & dignitate paribus, contraria deponentibus, vel quibusvis aliis æqualibus rationibus, aut motivis oppositis, nihil statui posse propter æqualitatem utriusque partis, profectò in ea hypothesi, sententia proferri non posset pro reo, nec pro possessore, aut pro libertate, pro dote, pro testamento, pro causa pia, nec pro actus validitate; at enim cum pro omnibus his causis in dubio veniat ferenda sententia, ut liquidum est ex fusè suprà traditis conficitur, falsum esse, quod assumitur in objectione.

6 Tum quia, deficiente favoris causæ motivo, ut quia neuter litigantium possideret, sed uterque petit rem ab alio, scilicet à tertio, si probationes sint hinc inde omninò pares, res dividenda erit, ut docet Gloss. *in cap. In nostra. 33. de testib. & attesta. argum. cap. Afferte. de Præsump.* Salonius *de just. & jur. controv. 4. conclus. 2.* Sayrus *lib. 1.* Clavis, *cap. 10. num. 12.* P. Salas *1. 2. trac. 8. disp. unica. num. 118. & num. 240.* P. Thom. Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 9. num. 45. & lib. 2. de matrim. disput. 41. num. 16.* Coninch. *de Sacram. disp. 34. num. 94.* Laiman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 16. versic. quæres,* Filiucius, *tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 144.* Fragosus *de Republ. Christiana. part. 2. lib. 4. disp. 10. num. 200.* Castropalaus *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punc. 10. num. 2. & 3.* Bannes, *2. 2. quæst. 63. art. 4. dub. 1. circa solution. ad 2.* Exim. Doct. P. Suarez *de charit. disp. 13. de Bello. sect. 6. num. 4.* Bosius *de consicien. part. 1. tit. 1. §. 27. num. 493. & 494.* ad idque faciunt Doctores, quos allegat Menochius *de retinenda possess. remedio 3. num. 755.* falsum ergò est, quod propter æqualitatem utriusque partis oppositæ nihil statui possit à judice: vel probationes, & testes numero, & qualitate pares mutuò, & omninò elidi, etsi opponantur.

7 Secundò respondet P. Sparça in Append. *ad quæst. de usu licito, &c. art. 125.* verum quidem esse, suspendi necessariò intellectum ex specie probationum hinc, & inde productarum omnimodis similium, & æqualium: & hujuscemodi esse propositiones, seù plegmata aloga de quibus in loco allegato differit D. August. Cæterum in alia specie probationum æqualium, sed dissimilium nullam controversiæ partem esse inopinabilem: id quod adnotante eodem Sparça in *cit. art.* firmatur à D. Augustino in eo *lib. de Rethor. princip. cap. 8.* ubi agens S. Doct. de tertia Asystati specie, nempè cum probatio unius partis ita obruit probationem alterius ut excessus sit manifestus, ac indubitatus, ideòque sententia non nisi pro parte potiori concipi potest, inquit: *Tertium est Asystati genus, quod Græci Cata heteromeriam, appellant, id est, secundum alteram partem, cum reo nulla defensio est, & aut color in facto non invenitur, aut parum probabilis color invenitur.* Subdit verò paucis interjectis Magnus Parens, quod expedit animadvertere in rem nostram, *Nos si afferatur aliquid ad defensionem, vel mediocriter probabile, admittimus. Sed si evidenter confessa*

cauſa eſt, ut oportet ſecundum heteromeriam, explodemus. Igitur juxta D. Auguſtini præclaram ſententiam, quamvis contra reum urgens valdè probatio afferatur, ſi tamen reus pro ſe vel mediocriter probabilem rationem, aut defenſionem produxerit, pro illo ſententia ferri poteſt: ergò potiori jure quando probatio favens reo æqualis ponderis eſt cum probatione actoris, poterit pro reo judicari.

8 Verum enim verò ex præallegata D. Auguſtini doctrina aliter tertiò reſpondeo, quòd licèt probationes hinc, & inde ſint ſimiles, & æquales, intellectus ex libera voluntatis determinatione poteſt alterutri parti aſſentiri; quòniam dum P. Auguſtinus aſſerit, ſe admittere, vel mediocriter probabilem defenſionem, non diſtinguit inter ſimilem, aut diſſimilem probabilitatis modum: quamobrem ſi reus pro ſe habeat teſtes æqualis dignitatis, & numero pares cum teſtibus contra ipſum productis, cum tres, quatuorvè teſtes probæ exiſtimationis, aliarumque qualitatum, quæ in jure requiruntur, conſtituant utique probabilitatem cauſæ, juxta D. Auguſtinum pro reo ſententia dicenda erit, etiam in quæſtione facti.

9 At in facti contingentia propoſita à D. Auguſtino, juvenes illi nullum teſtem, nullamque ſufficientem probationem, ſolaſque leves quaſdam conjecturas producebant: diſsidet ergò valdè illa hypotheſis ab ea, quam verſamus æqualitatis nempè probationum, & teſtium numero, & qualitate parium: nec uſpiam fatebor rationum momenta, obſervandamque D. Auguſtini, D. Hieronymi, aliorumque Patrum, Sapientiſsimorumque Scriptorum authoritatem, quando in re qualibet invicè illi diſsidèt, utrinque numero, & dignitate æquali, in plegmata irrationabilia, ſeù aloga, ſivè in truſtratorium, & cavillatoriũ ratiocinium recidere, referrique debere, prout ex objectione fieri oportet, dicendumque videtur.

10 Reſpondeo quartò, locum à P. Elizalde adductum ex D. Auguſtino nihil contra ſententiam noſtram evincere; quòniam D. Auguſtinus loquitur de judicio probabiliter, & prudenter ferendo: patet, primò quòniam ſi de judicio temerario ſermo eſſet, poſſet aliquis ex majori erga aliquem ex illis adoleſcentibus diſplicentia judicare, illum præ alio eſſe adulterii reum: ſecundò ex majori affectione poſſet alius judicare hunc eſſe inſontem: tertiò quiſpiam alius utrumque illum adoleſcentem poſſet adulterum cenſere. Unde poſſet alius etiam piè, & honeſtè probum judicare, & ab adulterii crimine alienum quemlibet, & utrumque ex adoleſcentibus iis: ergò ſivè de temerario judicio, ſivè de piè concepto ſermo ſit, nihil probat objectio, quia D. Auguſtinus loquitur de judicio non quidem temerario, nec ex motivo præponderanti ſolum ex pia affectione, ſed pro priori ad illam urgentiori, ac ſufficienti ad condemnandum: differit quippè S. Doctor de quæſtione apud judicem propoſita, & quidem criminali, qualis eſt adulterii cauſa: in hujuſcemodi autem cauſis, & in quacumque alia judex fori externi non debet ex affectione ſententiam condemnatoriam dicere, ſed ex motivis præponderantibus, & concludentibus; cujus energiæ nullum in plegmate adducto reperitur motivum.

11 Quintò elevatur objectio, quia aſſumpto noſtro neceſſarium non eſt, quòd in omni eventu, & dubitatione quavis flecti poſſit intellectus ad aſſentiendum ex voluntatis imperio: ut patet in dubitatione vulgari de ſtellarum pari, aut impari numero, in qua intellectus nulli contradictionis extremo aſſentiri poteſt: ſed ſuf-

ſufficit, ſi aliquando; & ſæpè in obſcuris, & utrinque probabilibus, ſeù ratione aliqua, etiam improbabili fulcitis aſſertis, quorum nullum demonſtrativè, nec evidenter cognoſcitur, poſsit intellectus aſſentiri eorum cuilibet ex voluntatis affectione, & imperio, licet temerè, & imprudenter, ut contingit in aſſenſu hæretico, & formaliter pertinaci. Quare licet in hypotheſi objectionis, ex tenuitate, & qualitate rationum, quæ mutuò eliduntur, neceſſariò ſuſpendatur aſſenſus: ideò non conficitur in omni alio rationum, ſeù motivorum conflictu, ſic dubium manere debere intellectum, ut à voluntate determinari non poſsit, ad aſſentiendum alicui extremo.

11 Septimò, & præcedentem elucidando ſolutionem, reſpondetur, D. Auguſtinum non in omni controverſia, & utrinque diſceptabili re eam agnoviſſe dubitandi neceſsitatem, ſed in illis tantum controverſiis, in quibus *eadem utrinque dicuntur, & nulla re, ne parva quidem, diſcernuntur*, ſic docet S. Doctor loco citato; cæterum animadvertere oportet, hiſce verbis nolle D. Auguſtinum omnem ſimilitudinem, & æqualitatem motivorum comprehendere, ſed illam ex qua controverſia *Aſyſtatos* fiat, patet ex *eod. cap.* 8. *Rhetoricæ*; cujus initium ſic habet: *Subinde dicendum puto, quemadmodum, & quot modis controverſia Aſyſtatos fiat. Tametſi ne dici quidem controverſias oportet, quæ ſtatum non habent, ſed plegmata irrationabilia, id eſt, aloga. Fiunt autem aſyſtata modis quatuor.* Et ſub ſecundo Aſyſtati modo illud de duobus prælibatis adoleſcentulis, invicem adulterii ſe accuſantibus, collocat.

12 Aſyſtatos autem, vel Aſyſtaton eſt dubitatico quædam, quæ ſtatum non habet, ſeù quædam argumentatio ſibi repugnans, vel adeò perplexa, ut nihil concludi valeat ex ea; ideòque S. Doctor ea argumenta appellat *plegmata irrationabilia, quæ ſtatum non habent.* Idemque confulcit J. C. Africanus *in leg. Qui quadringenta.* 88. *ff. ad leg. falcid.* & Andreas Alciatus *tom.* 4. *lib.* 1. *Parerg. cap.* 8. hunc textum exponit utens eodem exemplo duplicis adoleſcentis adducto à D. Auguſtino: & adnotat in Africani textu, ubi dicitur: *Qui tractatus apud Dialecticos Tu pſeudomenu* dicitur, pleroſque legere, *qui tractatus apud Dialecticos dicitur aſyſtatos*, ſubditque Alciatus, *nobis utraque lectio videtur poſſe defendi, niſi quod alterum ad Rhetores, alterum ad Dialecticos pertinet. Dicit Rhetoribus Aſyſtatos, id eſt non conſiſtens ſtatus. Arbitror autem Juriſconſultum de ea Aſyſtati ſpecie intelligendum, quæ Ϛaſuſa appellatur: ut duo adoleſcentes vicini ſpecioſas uxores habebant, nocte invicem ſe convenerunt, accuſant ſe adulterii: quidquid enim altera pars dixerit, idem & altera dictura eſt. Poteſt & ea quæ Antiſtrephuſa, dicitur intelligi, cum actionem ſuam convertunt litigantes, & neuter ſua priori ſententia utitur, ſed adverſarii ſui.* Hæc Alciatus in hac ultima controverſiæ ratione commemorans quartum Aſyſtati genus adductum à D. Auguſtino loco ſuprà citato.

13 Sed prætermittenda non ſunt Africani verba in *dict. leg.* 88. *ad leg. falcidi. Qui quadringenta* (inquit) *habebat, trecenta legavit: deinde fundum tibi dignum centum aureis ſub hac conditione legavit, ſi legi falcidiæ in teſtamento ſuo locus non eſſet. Quæritur quid juris eſt, dixi Ton aporon, id eſt ex perplexis, hanc quæſtionem eſſe: qui tractatus apud Dialecticos Tu pſeudomenu dicitur, id eſt fruſtratorii, cavillotoriique. Etenim quid conſtituerimus verum eſſe, falſum reperietur. Namque ſi legatum tibi datum*

valere dicamus, legi falcidiæ locus erit: ideòque deficiente conditione non debebitur. Rursus, ſi, quia conditio deficiat, legatum valiturum non ſit: legi falcidiæ locus non erit. Porrò ſi legi locus non ſit, exiſtente conditione, legatum tibi debebitur. Hæc Africanus: ex cujus hypotheſi, & dubitandi ratione, tum ex notatis ab Andrea Alciato, nec minus perſpicuè ex S. Auguſtini ſententia colligitur ſanè, emergere non numquam poſſe quædam dubia, adeò diſputatu difficilia, ut judex ferendæ ſententiæ rationem explorare vix poſsit, aut omninò non valeat: nituntur ſiquidem quibuſdam cavillatoriis, & fruſtratoriis ſyllogiſmis: verum tamen nemo ex prælaudatis Authoribus, nec quiſpiam alius ex Interpretibus Juris, ideò infert, quamlibet aliam quæſtionem utrinque pari ac ſimili fundamento fulcitam eſſe *Ton aporon*, ſeù præ perplexitate inſolubilem.

14 Imò J. C. Africanus in *dict. leg. Qui quadringenta*, docet, prælibatam quæſtionem, & Aſyſtaton poſſe rectè dirimi: poſt adducta enim verba ſubdit. *Cum autem voluntatem teſtatoris eam fuiſſe appareat, ut propter tuum legatum, cæterorum legata minui nollet, magis eſt, ut ſtatuere debeamus tui legati conditionem defeciſſe.* Luce ergò meridiana clarius eſt, quòd, licèt ſint captiones multæ, maximè apud Stoicos hi enim ſunt dialectici, quos Africanus memorat in *dict. leg.* 88. notante Gothofr. *ibidem. lit. Q.* Cujacio, *ibidem*, Antonio Fabro *lib.* 1. *conject. cap.* 10. quæ vel exitum non habent, aut non niſi difficilem valdè: id tamen non evenit in quolibet ſimilium, & æqualium rationum conflictu, ſed in prælibatis ſpeciebus Aſyſtati, fruſtratorii, & cavillatorii: de quo Gellius *lib.* 3. *Noct. Athic. cap.* 10. & *lib.* 9. *cap.* 15. & 16.

15 Quod verò tandem de contradictione, qua ſibi obſiſtunt hæretici, dicebatur, fateor ex eo ſufficienter colligi aliquam ex illis ſectis hæreticam eſſe, ut verò earum quælibet determinatè hæretica oſtendatur aliis eſt utendum Catholicis, & Theologicis fundamentis, quibus ita evidenter incredibilis quælibet illarum evincitur, ut non niſi temerè poſsit aſſenſum intellectus obtinere: Aſt tamen à multis, quod dolendum maximè eſt, perfido auſu aſſenſus illis erroribus exibetur: ergò quia illi non manent omninò extra intellectus ſphæram; aliàs nullus formalis hæreticus reperiretur.

SECTIO LXXIX.

Alia excindit contraria argumenta: & dubitationis naturam expendit; utque dubius in fide ſit infidelis, & hæreticus probatur.

1 OPpones ex Illuſtriſsimo Palanco *tract. de conſcien. quæſt.* 26. §. 1. *num.* 3. Intellectus dubitans de utraque parte contradictionis in ſenſu compoſito dubitationis, non poteſt aſſentiri determinatè uni parti: ſed quando intellectus actu conſiderat rationes æquales pro utraque parte contradictionis, dubitat inter utramque: ergò dum actu conſiderat tales rationes in ſenſu compoſito non poteſt aſſentire determinatè uni. Minor probatur ex Divo Thoma *quæſt.* 14. *de verit. art.* 1. ajente: *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, qui fluctuat in.*

inter duas partes contradictionis: ergò cum intellectus actu considerat rationes æquales pro utraque parte contradictionis, actu dubitat inter utramque.

2 Confirmatur primò ex eodem Doct. Angelico *in* 3. *Met. cap.* 1. Dubitatio de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonstrat: sicut enim ille qui habet pedes ligatos non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest in anteriora procedere secundum viam speculationis.

3 Secundò, quia dum intellectus actu considerat rationes æquales pro utraque parte, æquali vi trahitur, & movetur ad utramque partem; sed implicat intellectum æquali vi trahi in utramque partem, & determinatè assentiri uni, alia relicta: ergò implicat intellectum actu considerantem rationes æquales pro utraque parte assentiri determinatè uni parti, relicta alia. Minor probatur, quia quotiescumque mobile movetur in partes oppositas à moventibus æqualis activitatis, & virtutis, in neutram partem declinare potest, sed immobile persistit anceps inter utramque. Hoc enim evidentibus exemplis demonstratur; tum in lapide qui trahitur à diversis agentibus æqualis virtutis, & activitatis, quorum unum traheret versus Orientem, & aliud versus Occidentem: tunc enim lapis minimè moveretur, sed in medio maneret immotus; tum in statera actu ponderante æqualia; tunc enim quia æquali gravitate trahitur in partes oppositas, in neutrum actu inclinat, sed manet in æquilibrio. Sed dum intellectus actu considerat rationes, & motiva æqualia pro utraque parte contradictionis, æquali activitate, & virtute trahitur in partes oppositas: ergò implicat quòd declinet in unam potius, quàm in aliam.

4 Respondeo instantiam pati argumentum in voluntate, respectu cujus sub eadem forma illud instituo: voluntas anceps, aut indeterminata ad eligendum inter duo bona oppositа, in sensu composito hujus indeterminationis, nō potest eligere determinatè aliquod ex illis extremis, indeterminatio quippè voluntatis est incompossibilis cum simultanea ipsius determinatione, & electione alicujus extremi: sed quando voluntati ab intellectu proponuntur duo æqualia bona, anceps est, & dubia seù indeterminata: ergò dum actu allicitur voluntas ab illis æqualibus bonis in sensu composito non potest eligere aliquod ex eis.

5 Minor probatur, ex D. Thoma, eadem ratione, qua adversus nostram sententiam adducitur S. Doctor, maximè cum juxta Thomistas, quorum vestigia Palancus premit, voluntas ad operandum, & eligendum, debeat ab intellectu determinari ex dictis *sect.* 63. *num.* 5. 6. *& seqq.* Si ergò intellectus inter æqualia extrema dubitat necessariò, pariter voluntas indeterminata manebit, constituta inter extrema oppositа, quorum bonitas æqualis ab intellectu undequaque repræsentatur; consimiliterque aliæ objectionis confirmationes instari queunt. Voluntatem verò posse eligere inter æqualia similia aut dissimilia, supra ostensum manet.

6 Secundò, æqualia gravia æquiponderantia, in sensu composito æquiponderantiæ, & æquilibrii, non possunt in bilancibus æqualiter non ponderare, & ex se constituunt æquilibrium: ergò æqualia pondera non possunt inæqualiter ponderare; id quod falsum esse ex Statica patet, ostensumque fuit *sect.* 69. *num.* 22. *& seqq.* quòniam æqualia pondera possunt non esse æquilibria, & ponderare inæqualiter.

7 Directè respondeo tertiò, negando objectionis minorem, vel distinguendo illam: quando intellectus actu considerat rationes æquales pro utraque parte contradictionis, dubitat inter utramque, semper ac necessariò, nego: aliquandò, concedo minorem, & nego consequentiam. Utque inclarescat veritas solutionis, animadvertere oportet cum Doct. Eximio *tract. de fide, disp. 19. num. 13.* ad dubium intellectuale, & formale, non sufficere in primis suspendere assensum utriusque partis: quia quotiescumque intellectus non necessitatur ad assensum, potest homo pro sua libertate illum suspendere; non quia dubitet, sed quia vult fortassè de aliis rebus dubitare, aut cogitare, aut pro tunc omninò ab actu cessare; aliàs qui non eliceret actum fidei, quotiescumque aliqua propositio fidei méti occurrit, utique dubitaret, & actu peccaret, quod est absurdū. Ita Sapientissimus Suarez, cujus doctrinam amplectuntur communiter Doctores, quos refert, & prosequitur Bossius *de conscientia, part. 2. tit. 1. num.* 1135. & 1136. Patet igitur, quòd non ex eo præcisè quòd quis consideret, & apprehendat rationes æquales pro utraque parte, necessariò dubitat: & consequenter, verum est quod in distinctione prælibata diximus, nempè non semper, ac æqules rationes considerantur, dubitare intellectum, sed posse eas cōsiderari quin dubitemus.

8 Secundò animadvertendum, ad dubium necessarium esse, ut intellectus suspensio oriatur ex aliquo judicio formali, aut virtuali, quo existimetur, proposita motiva esse ad assensum insufficientia, sic docet Exim. Doc. P. Suar. *tract. de fide. disput. 19. sect. 4. num. 12. & seqq.* P. Ægid. Coninch. *disp. 18. de infidelitate. dub. 3. num. 23. & dub. 7. num.* 85. & 87. Bossius *de consci. dub. part. 2. tit. 1. num.* 1136.

9 Ex qua doctrina colligunt communiter Doctores dubitantem in re sacræ fidei esse propriè hæreticum; quia hujuscemodi dubitatio non contingit sine errore in fide, quo scilicet vel judicatur, articulum fidei esse dubium, vel non esse sufficientia motiva ad certum fidei assensum illi præstandum, & consequenter, si accedat pertinacia esse hæreticum. Sumiturque receptissima hæc sententia ex D. Thoma 1 *part. quæst. 32. art. 4.* & 2. 2. *q. 11. art. 1.* & 2. ubi Expositores consentiunt, præcipuè Cajetanus, Aragon, Valentia. Idem tenet Gabriel *in 4. dist. 13. art. 1. versus finem.* Adrian. *quodlib. 2. q. 2. circa principium.* Castro *lib. 1. de just. hæret. puni. quæst. 17. lib. 1. §. 7.* Torres *in 1. p. D. Thom. q. 32. art. 4. in 3. part. Commentarii.* Exim. Doct. & Coninch. locis supra notatis. Consentiunt passim Juris Canonici Interpretes *in cap. 1. de Hæreticis*, quos refert, & sequitur Peña *in direct. secun. par. Commentarii 1. conc. 5.* Cardin. Turrecremata *in lib. 4. Sum. 2. part. cap. 12.* Prosper Farinacius *de hæresi, quæst. 178. §. 4. num. 90.* Illustrissimus dignitate, ac sapientia Dominus Simancas *de Cathol. Institut. tit. 31. num. 4.* Augustinus Barbosa *in collec. ad dic. cap. 1. de Hæretic. & de Potes. Episcop. Allegat. 40. num. 16.* Dominus D. Emmanuel Gonçalez Tellez. *in dict. cap. 1. de Hæreticis.*

10 Probaturque ex *eod. cap.* ubi asseritur, quod *dubius in fide infidelis est.* tum ex Concili. Vienen. relato in *Clement. 1. de Sum. Trinit. & fide Catholi. §. Porrò.* Concil. Lateran. *sub* Leone X. *Sess. 8.* quas sacras sanctiones expendunt, & illustrant supra laudati Scriptores.

11 Tum sic: dubius in fide est hæreticus; at ideò hæreticus censetur præcipuè ex sententia Eximii Suarezii, Koninc, & Castropalao, quia dubitans judicat insufficientia motiva ad credendum fide divina: quemadmodum, & dubitans circa naturalia, & discep-

ceptabilia, ac incerta judicat, non adeſſe ſufficientia motiva ad opinandum: ergò non ſufficit ad dubitandum, quòd intellectus conſideret rationes æquales pro utraque parte contradictionis, niſi ſimul exiſtimet rationes eaſdem non ſufficere ad aſſenſum opinativum, nec ad fidem ſacram in rebus, quæ ex fide credendæ ſunt.

12 Tertiò animadvertendum, quod Doctores alii ad dubium proprium doceant, non requiri illud judicium de inſufficientia motivorum ad aſſenſum, ſed ſufficere, quòd voluntatis imperio ſuſpendatur aſſenſus intellectus erga utramque contradictionis partem, non utcumque, ſed obvitandum falſitatis periculum in aſſenſu eliciendo; ſic enim docet Cardin. de Lugo *tract. de fide. diſp.* 17. *ſect.* 5. *num.* 90. & 91. Et ex eo inquit eſſe formalem hæreticum, qui dubitat de fidei articulo ſufficienter propoſito, abſque eo quod reperiatur judicium aliquod erroneum. Qui verò (ait ille) ob difficultates contra fidei veritatem propoſitas cohibet aſſenſum, eo ipſo voluntate videtur approbare tacitè difficultates, & rationes illas, illiſque cedere, & in actu exercito ſaltem interpretativè ſignificat, eſſe periculum deceptionis, & falſitatis in aſſenſu fidei, ob idque periculum fugiendum imperat ſibi ſuſpenſionem aſſenſus: in qua voluntate apparet clarè irreverentia gravis contra fidem, à cujus falſitatis periculo deterrita voluntas cohibet intellectum ab aſſenſu. Quapropter ſuſpenſio illa etiam ſine judicio formali erroneo antecedenti, vel ſubſequenti appellari poterit propriè dubitatio in fide.

13 Pergit idem præclarus Scriptor, diſcrimen notans inter eum, qui ob erroris periculum ſuſpendit aſſenſum, & illum, qui aliam ob cauſam, v.g. ne fatigetur eam imperat, & vult ſuſpenſionem: nam dubius, ut notatur ex Latinis Auctoribus apud Calepinum, eſt qui hæret inter duas vias, anceps, & neſciens, quam poſsit tutus capere: qui autem ob defatigationem ſiſtit in via, non dicitur dubius, ſed qui ſiſtit ob periculum errandi. Unde ille ſolus dubitat in fide, qui ſiſtit, & ſuſpendit aſſenſum ob difficultates, quæ contra ejus ſecuritatem occurrunt: imò in rigore hic etiam ſolus dicitur ſuſpendere aſſenſum, & judicium: ille enim, qui ob defatigationem abſtinet ab actu fidei, non dicitur ſuſpendere aſſenſum, aut judicium: nam ſuſpendere eſt ſuſtinere quaſi pendentem, & indifferentem intellectum, ne inclinet ad hanc vel illam partem, aut in earum altera quieſcat: quam indifferentiam habet, qui ob rationes utrinque apparentes manet pendulus, non qui ob alias occupationes abſtinet ab exercitio actus fidei.

14 Hæc autem indifferentia, & ſuſpenſio continet clarè irreverentiam gravem contra fidem, & divinam authoritatem; nam etiam inter homines, ſi viro gravi ſeriò, & fortaſsè cum juramento aliquid aſſerenti reſpondeas, ego ſuſpendo judicium; ipſe meritò hoc ſibi ad injuriam, & contumeliam imputabit: quantò magis Deo affirmanti, & teſtificanti, & ſuam teſtificationem ſufficienter proponenti. Hactenùs Lugo. Qui *diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 17. & 18. *ac* 19. ex prælibata ratione tuetur dubitantem circa fidem eſſe formaliter hæreticum, quamvis dubium ſit merè ſuſpenſivum, ortum tamen ex motivis contrariis fidei myſterio, quibus deterrita voluntas imperat illam judicii ſuſpenſionem: quia hujuſcemodi ſuſpenſio eſt judicium virtuale, & æquivalens errori phyſico, & poſitivo, ac hæretico: quemadmodum pura omiſsio libera à ſuis Authoribus dicitur æquivalere poſitivæ voluntati. Favet eidem placito, & explicationi P. Antonius Terillus *de Reg. mor. part.* 2. *queſt.* 50. *num.* 6. & *ſeqq.* Boſsius *de conſc.*

conſc.part 2.*tit.*1.*num.* 1139. & *de Tripl.Jub.privileg.ſect.*1.*caſu.* 10.*num.*80. & 81.

15 Ex qua doctrina etiam evincitur, quod ad dubitandum non ſufficit, apprehendere motiva aliqua, vel conſiderare rationes equalis ponderis, ſed inſuper opus eſſe, quòd ex illa motivorum apprehenſione moveatur voluntas ad imperandam judicii ſuſpenſionem: quamobrem falſum eſt, quòd ſemper ac intellectus apprehendit, aut conſiderat rationes æquales, dubitat inter utramque, ut Palancus aſſerere videtur.

16 Dubium ergò propriè acceptum eſt diſpoſitio, qua animus ita fertur in quæſtionem propoſitam, aut in terminos oppoſitos apprehenſos, ut in neutram aſſenſum flectat, ſed aut explicitè, & phyſicè judicet, aut virtualiter, & æquivalenter reputet, neutram partem eſſe ſufficienter manifeſtam ad ferendum judicium, vel ad debitum aſſenſum juxta objecti qualitatem: ſubducitur hæc dubitationis deſcriptio ex ſuperioribus animadverſionibus, & traditur à P. Terillo *dict. quæſt.* 50. *Aſſert.* 1. *num.* 2. & *ſeqq.* rem iſtam apprimè diſcutiente: alias tamen particulas placuit addere, majoris claritatis ergò: præſertim illud, *vel ad debitum aſſenſum juxta objecti qualitatem*, ut dubitationem in fide expreſsius comprehenderem.

17 Licet enim quiſpiam, myſterio fidei ſufficienter ſibi propoſito, cenſeret ſufficere cognita motiva ad eliciendum aſſenſum, & ferendum judicium opinativum circa illud, voluntaſque territa motivis hæreſeos imperaret ſuſpenſionem aſſenſus certi, qualis Deo loquenti, & Eccleſiæ proponenti debetur, imò quamvis eliceret intellectus aſſenſum opinativum præcisè erga tale myſterium, adhuc homo iſte dubius eſſet in fide, & hæreſim incurreret juxta communem ſententiam traditam à P. Azorio *tom.* 2. *Inſtit.mor.* *lib.*8.*cap.*9.*quæſt.*6. Caſtro *lib.* 1. *adverſ.* *Hæret.cap.*10.*initio.* Aragon 2. 2.*quæſt.* 11.*art.*2.*dub.* 2. Lorca *ibidem. diſp.* 42. *num.*7. Coninch. *diſp.* 18. *dub.*7. *num.* 105. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 4.*diſp.* 3.*punc.* 2. *num.* 12. Lugo *tract. de fide.* *diſp.*17.*ſect.*5.*num.* 96. ubi optimè docet, quòd formidare circa veritatem in re fidei, ſemper eſt hæreticum: intellige cum pertinacia.

18 Idem firmat Exim. Doc. P. Suarez, *de fide. diſp.* 19.*ſect.*4.*num.* 16. quòniam licet hi duo præclari Scriptores, Suarez nempè, & Lugo aſſerant, ſine errore in fide poſſe elici aſſenſum opinativum de fidei myſterio, ex motivo ſcilicet humano, tamen docent, id aſſenſus tunc ab hæreſi eſſe alienum, quando habetur abſque formidine de veritate ejuſdem objecti, excludente talem formidinem aſſenſu certo, & ſupernaturali circa idem objectum, elicito ex motivis fidei; quòniam opinari cum formidine circa veritatem rerum fidei ab omnibus hæreticum cenſetur, & videtur aperta ſententia D. Thomæ, 1.*part.* *quæſt.*32.*art.* 4. & D. Auguſtini *lib.* 8. *de Trinit.cap.*5. ubi loquens de Beatiſsima Virgine inquit: *Itaque ſalva fide licet dicere, talem fortè habebat faciem, fortè non talem; fortè autem de Virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſalva fide chriſtiana dixerit*: quando igitur aſſenſus opinativus cum ea formidine conjungitur in re fidei hæreticus eſſet: ſecus autem ſi conjungatur cum aſſenſu certò, & ſupernaturali, ratione cujus excludatur opinativi aſſenſus actualis formido, prout fieri poſſe in Philoſophia diximus.

19 Ea igitur de cauſa in explicatione dubii, addidimus clauſulam illam, *ad debitum aſſenſum juxta objecti qualitatem.* Et in hunc modum declarata dubii natura, & fulcita diſtinctione aſſumptionis minoris propoſitæ ab Illuſtriſs. Palanco, disjicitur reliquum ob-

objectionis ipsius, negando primam consequentiam ; quòniam in sensu composito considerationis utriusque partis oppositæ,& earum æqualis verisimilitudinis, potest voluntas imperare assensum unius determinatè. Quamvis similem assensum non possit imperare voluntas in sensu composito dubitationis: non enim quævis consideratio æqualis verisimilitudinis partis utriusque oppositæ sufficit ad constituendum dubium formale. Nec authoritas Angelici Doctoris oppositum evincit, sed nostram potius confirmat sententiam: quia D. Thomas expressè ait, quòd intellectus dubitans *fluctuat inter duas partes contradictionis* : ergò ad dubitandum censet, non sufficere quamlibet assensus suspensionem,sed requiri quandam inter erroris pericula fluctuationem, consistentem vel in positivo actu intellectus, quo ipse judicat, nullam contradictionis partem sufficienti verisimilitudine præditam esse, ad assentiendum illi absolutè,vel ut par est: aut in suspensione omnis assensus orta ex omnimoda carentia rationis, vel ex voluntate imperante assensum suspendi propter erroris periculum, quo terretur voluntas. Et quidem intercedente dubitatione formali aliquo ex modis prædictis, ultrò fatebimur, quòd intellectus, in sensu composito talis dubitationis, assentiri nequeat alicui ex extremis dubitationis hujusce;at poterit in sensu diviso id præstare non semel,ut mox dicam.

20 Quod igitur Angelicus Præceptor docet, propter apparentem rationum æqualitatem fluctuare intellectum, verum quidem est, de fluctuatione,& dubitatione voluntaria, & sæpè ita contingenti; cæterum id dubitationis necessariò ex æqualitate rationum descendere, non docuit D. Thomas, nec in præsenti textu, nec in aliis; quin & nos ex eodem S. Doctore oppositum communivimus *sec.*70. & aliis in locis;& vel ex eo apertè conficitur, quòd pertinaciter dubitans de fidei rebus, non ex æqualitate rationum contrariarum dubitat, sed ex libera prava determinatione,cum sufficienti cognitione credibilitatis rerum fidei. Ergò dum Doctor Angelicus *in* 3. *Met. cap.* 1.ait,dubitationem de aliqua re se habere ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & propterea mentem dubitationis vinculo ligatam non posse in anteriora procedere secundum viam speculationis; id inquam ex eadem paritate vinculi corporalis intelligendum venit,manente dubitationis vinculo, sivè in illius sensu composito , secus in sensu diviso , quem sæpè voluntas facere potest, nulla etiam superaddita ratione.

21 Idque expositionis esse juxta mentem Doctoris Angelici colligunt P.Honoratus Fabri, & P. Terillus *tract.de consci. probab. quæst.* 8. *num.* 37.ex particula *Quandoque* , qua utitur S. Thomas in loco præ allegato , dicēs: *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud , &c.* Hic enim verborum tenor non significat universalitatem , nec necessitatem; & consequenter fieri optimè potest , ut propter æqualitatem rationum dubitet intellectus aliquando, nec tamen hujuscemodi dubitatio sit necessaria. Tum quia D. Thomas non intendebat numerare omnes causas,aut eventuum species inductivas dubii; quòniam etiam si rationes sint inæquales inter utramque partem contradictionis,potest intellectus dubitare, & elicere hoc judicium,hæc res est incerta, nollo alicui ex his partibus assentiri. Solum ergò intendebat aliquas causas assignare,ex quibus dubium formale oriri potest.

22 Hoc autem præstitit duobus exemplis, quorum prius , scilicet defectus rationum , necessariò infert dubium, quale est de pari, aut im-

pa-

pari ſtellarum numero; poſterius verò, nempè rationum æqualitas, ſufficit ad illud inducendum; etſi non inducat illud neceſſariò. Et ſanè licèt in priori exemplo ratione materiæ neceſſariò ſequatur dubium formale; in ſecundo tamen exemplo, cum materia capax ſit diſtinctionis, & phraſis ac doctrina Doctoris Angelici ſit indifferens, & commodè accipiat noſtram expoſitionem, nihil inde adverſum noſtram ſententiam conficitur. Tandem S. Thomas intelligi poteſt de dubio neceſſario ex vi præcisè intellectus, niſi enim voluntatis determinatio libera accedat, dubius manebit intellectus in omni conflictu rationum æqualium.

23 Nec urgentior eſt ratio, quam adducit Palancus, disjicitur enim ex traditis *ſect.* 51. quòniam ſi motivorum æqualitas, & intellectus æqualis propenſio in partes oppoſitas impoſsibilem redderet ipſius intellectus aſſenſum, etiam æqualitas objectorum in ratione boni indeterminabilem conſtitueret voluntatem, quod falſum eſſe evicimus *ſect.* 45. *& pluribus ſequent.* ex his igitur reſpondeo, quod dum intellectus actu conſiderat rationes æquales pro utraque parte, æqualiter trahitur ad utramque pro priori ad determinationem voluntatis, ſeù antecedenter ad aſſenſum intellectus, ſecus verò concomitanter, aut conſequenter ad prædictam determinationem, & aſſenſum: non enim implicat contradictionem, quòd pro ſigno priori, æquali vi propendeat intellectus in oppoſita extrema, & quod pro poſteriori magis inhæreat, & abſolutè aſſentiatur eorum alicui, ut in voluntate cernere eſt, pro priori namque ſigno indifferentiæ inter bona æqualia, non magis allicitur voluntas ab uno extremo, quàm ab alio, at conſequenter, aut concomitanter ad ipſius voluntatis liberam determinationem, magis, & determinatè propendet in illud, quod ut finem, vel ut medium eligit, & amat.

24 Mobile igitur quod in partes oppoſitas inclinat, & ab ipſis allicitur, trahiturvè utrinque æqualiter, in neutram partem declinare poteſt, ſed immobile, aut immotum perſiſtet, ſi nihil virium aut ponderis, momentivè erga aliquod addatur extremum; verumtamen, ſi ab extrinſeco aliquid motionis adveniat, in eam partem movebitur, cui additur id determinationis, & momenti: id quod contingere valet tum arte, tum natura: primum patet ex Statica, & Machinaria, ut prælibavimus *ſect.* 69. *num.* 21. *& ſeqq.* ſecundum evenit in voluntate, & in intellectu ex determinatione voluntatis, cujus dominativa libera poteſtas vim habet flectendi intellectum in partem quamcumque, in qua ratio formalis, ſub qua tendit intellectus, reperiatur, nempè verum apparens: plura in eundem ſcopum congeſta manent *ſect.* 70. *& ſeqq.*

SECTIO LXXX.

Superioris objectionis inſtauratio refellitur.

1 AT urgebis ex P. Camargo *part.* 1. *lib.* 1. *controv.* 5. *artic.* 5. *num.* 51. Dum intellectus invenit pro parte contraria rationes æquè aut minus urgentes, nequit objectum ipſi apparere abſolutè verum: ergò nequit illi aſſentiri, adhuc ex libero voluntatis imperio. Conſequentia eſt legitima: antecedens probatur. Objectum apparere abſolutè verum in ordine ad aſſenſum præſtandum, eſt prædicatum repræſentari ut conveniens abſolutè ſubjecto, ſeù (quod in idem recidit) eſt ſubjectum enuntiationis apparere intellectui connexum abſolutè cum prædicato, ut eſt ex ipſis terminis manifeſtum, & vel tyronibus in Dialectica notum. At, in eventu poſito, nequit ſubjectum enuntiationis apparere intellectui connexum

xum absolutè cum prædicato, cum nullum majus, sed potius minus, vel ad summum æquale fundamentum repręsentetur ipsi pro connexione, quàm pro connexionis carentia: ergò impossibile prorsus est, ut intellectui actu consideranti utriusque partis motiva, pars affirmativa quæstionis, ea in hypothesi, appareat absolutè vera: ergò non potest illam absolutè opinari. Confirmatur, & declaratur: vel subjectum enuntiationis apparet intellectui, primò absolutè solùm connexum cum prædicato quæstionis institutæ; vel secundò absolutè inconnexum tantum; vel tertiò connexum, & inconnexum simul; vel demum quartò nec connexum, nec inconnexum, sed tàm à connexione, quàm in connexione pręscindens intentionaliter, & ex vi apparentiæ? Primum atque secundum falsum est in casu æqualitatis motivorum; sic enim intellectus indifferens non esset immediatè ad assentiendum, vel dissentiendum.

2 Tertium est evidenter falsum; quia nunquam duo contradictoria possunt apparere intellectui ut actu, & simul enuntiabilia, cum sit contra principium ipso naturæ lumine notum. Et quidem alioqui, posset actu intellectus affirmare, & negare simul idem omninò objectum, quod nemo dixerit. Denique si quartum dicatur, intellectus non potest immediatè nec assentiri, nec dissentiri alicui parti contradictionis; adhuc ex libero voluntatis imperio, sed dubitare necessariò debet. Ergò in quacumque hypothesi cogitabili intellectus, ut motus à voluntate, unicè potest, vel assentiri tantùm, si objectum ipsi verum appareat, hoc est, subjectum enuntiationis absolutè connexum cum prædicato: vel dissentiri solùm, si appareat falsum, ideſt subjectum enuntiationis absolutè connexum cum prædicato: vel dissentiri solum, si appareat falsum, ideſt subjectum absolutè inconnexum; vel tandem dubitare, & hærere, si nec appareat verum, nec falsum, ideſt subjectum neque connexum, neque inconnexum cum prædicato: quæ est in terminis nostra sententia: sic præcitatus Recentior noster quondam Primarius, addens rationem censeri debere demonstrativam, si rectè termini penetrantur.

3 Cęterum existimo, quòd si ipsos objectionis terminos, ac nostrę sententiæ fundamenta supra tradita examinatè ipse perdoctus equidem P. perpędisset, non adeò doctrina nostra ei displiceret. In primis enim fidei libertatem, ac meritum, necnon hęreseos pertinaciam formalem diruit objectio, ut colligitur ex dictis: & consequenter ex eodem argumento fit, quòd hæreticus pertinax, dum formaliter desserit fidem, non habet, nec habere potest apprehensam, & cognitam, evidentem credibilitatem mysteriorum fidei; id quod communitèr à Theologis, & Juris Canonici Interpretibus falsum ducitur: falsumque esse ex Sacra Scriptura, Conciliis, & Patribus confectũ est.

4 Secundò supponit objectio, quòd ut extremo alicui quispiam assentiatur, debet tale objectum, pro priori ad assensum, intellectui proponi ut verum absolutè, quod falsum est, nam *To absolutè* idem importat, ac *perfectè*, seù Græcè *Teleos*, *Aplos*: & perfectè doctus dicitur absolutè doctus à Cicerone *lib.* 4. *Acade. quæst.* & absolutam eloquentiam idem Cicero dicit eam, quæ est perfecta: & nostro idiomate absolutè idem significat, ac *Acabadamente*; proponi ergò aliquid ut absolutè verum, est proponi ut verum perfectè, seú omninò, hoc est evidenter, aut certò; id autem minimè opus est, ut intellectus objecto assentiri valeat, ut ab ipso objiciente concedendum est, aliàs nec probabiliori, aut verosimiliori extremo intellectus assentiri posset; quòniam id, quod solum proponi-

nitur ut magis veriſimile, non repræſentatur ut abſolutè, ſeù perfectè verum.

5 Si autem proponi *ut abſolutè verum*, non ſignificet proponi ut verum evidenter, nec certò, ſed præcisè ſub alia minus perfecta veri ſignificantia; quæ quidem non excludat intrinſecam inefficaciam rationis ad concludendum evidenter, & certò, nec obſcuritatem, nec incertitudinem objecti, ſed quæ conjungi poſsit cum oppoſita inevidenti apparentia falſitatis; penitùs labaſcit objectio, verum enim eſt tertium antecedentis extremum in illa propoſitum, nempè poſſe ex quodam motivo proponi intellectui ſubjectum aliquod ut connexum apparenter, & inevidenter cum prædicato, & ex motivo alio ut inevidenter inconnexum cum prædicato eodem: idque crebrò contingit, ſcilicet quoties res utrinque opinabiles, & in Scholis exagitatas verſamus.

6 Nec quòd extrema aliqua ſint contradictoria impedimento eſt; ut poſsint apparere, & proponi ſimul ut inevidenter vera, & apparenter enunciabilia; eſtò enim non poſsint ſic proponi, potentia ſimultatis, ita nimirum ut in ſenſu compoſito veritatis unius extremi, & aſſenſus præſtiti extremo illi, poſsit intellectus aſſentiri oppoſito contradictorio; id quippè repugnat; tamen ſimultate potentiæ poſſunt extrema contradictoria proponi ut vera inevidenter, & cum incertitudine medii, ſeù abſque principiis demonſtrativis: ita ut intellectus ex determinatione voluntatis cuilibet ex illis in ſenſu diviſo aſſentiri valeat; in quo nihil naturæ lumini repugnans invenitur, imò concinit cum recta Dialectica, & Philoſophia, cum Theologia, & utriuſque Juris principiis, & Theorematibus, ut ex dictis innoteſcit.

7 Sed quòniam prælaudatus P. Camargo prælibatam objectionem inſtituens toties repetit illam particulam *abſolutè verum*, placet adnotare iterum *To abſolutè verum* non dici propriè id, quod apprehenſivè tantum, & inevidenter, ac incertò tale proponitur intellectui: quòniam ut docet Angelicus Doctor 1.2. *quæſt.* 6. *art.* 6. *corp. Unumquodque ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu: ſecundum autem quod eſt in ſola apprehenſione, non eſt ſimpliciter.* Et *quæſt.* 1. *de verit. art.* 3. *ad prim.* ait idem D. Thom. *Dicendum quod quamvis formatio quidditatis ſit prima operatio intellectus, tamen per eam non habet intellectus aliquid aliud proprium, quod poſsit rei adæquari, & ideò non eſt ibi propriè veritas.* Et 1. *part. quæſt.* 16. *art.* 2. *corp. in fine: Et ideò propriè loquendo veritas eſt in intellectu componente, & dividente, non autem in ſenſu neque in intellectu cognoſcente quidquid eſt.* Similia habet 1. *contra Gen. cap.* 59.

8 Deſumiturque eadem doctrina ex Ariſt. 1. *de Interpret. cap.* 1. & 3. ubi ait: *Verum, & falſum in compoſitione, & diviſione conſiſtit.* Et *lib.* 3. *de Anima. cap.* 6. ubi inquit. *In indiviſibili mentis conceptione falſitatem non eſſe.* Ubi autem falſitas eſſe non poteſt, nec veritas eſſe poteſt: nam oppoſita circa idem nata ſunt eſſe: unde ibidem concludit Ariſt. *At in quibus, & falſitas jam, & veritas ineſt; in hiſce compoſitio quædam jam eſt conceptuum intellectus.* Et *lib.* 6. *Metaphyſ. cap.* 2. *dicit veritatem ſolum eſſe in intellectu, quia tantum in illo eſt compoſitio, & diviſio.* Eſtque communis Theologorum, & Philoſophorum ſententia præcipuè Cajetani 1. *part. quæſt.* 16. *art.* 2. & ibi aliorum Thomiſtarum Hervæi, *Quodlib.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 2. & 3. Durandi *in* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 5. *num.* 14. eamque illuſtrat P. Vazquez *in* 1. *part. diſp.* 75. *cap.* 2. & *ſeqq.* Exim. Doct. P. Suar. *tom.* 1. *Meth. diſp.* 8. P. Ruiz *tom. de Scientia Dei, diſp.* 87. *ſect.* 2.

Et

9 Et quamvis P. Suarez, Ruiz, & Recentiores alii aliquid veritatis apprehensioni concedant, censent tamen omnes communiter, ut notat P. Izquierdo in dilaudanda valdè *Pharo scienti. disp. 3. q. 2. n. 49. & 50.* veritatem in quavis simplici seù complexa apprehensione repertam non esse talem *absolutè*, & *simpliciter*, sicut quæ convenit judicio, sed tantùm veluti *secundum quid, inchoativè, aut imperfectè*. Cum igitur pro priori ad judicium, seù compositionem, & divisionem, solum per apprehensionem percipiatur objectum, perperam ait objiciens, vel supponit, & contendit, debere objectum repræsentari ut *absolutè verum*, ut illi possit intellectus præbere assensum: quia solum per judicium cognoscitur objectum ut verum absolutè, vel ut absolutè connexum subjectum cum prædicato.

10 Hinc detegitur, quantum deceptionis incurrit perdoctus Author dum *dict. lib. 1. controv. 5. art. 5. num. 53.* contradictionem esse putat, vel hallucinationem, quòd idem objectum possit intellectui proponi ut verum, & falsum: ut connexum cum prædicato, & ut inconnexum cum illo; si enim loquitur de veritate, aut connexione evidenti extra orbitam excurrit; quòniam sub his terminis perspicuum cunctis est, non posse immediatè, imò nec mediatè intellectum assentiri objecto evidenter falso; si autem illi sermo sit de veritate apprehensa, non quidem cognitione evidenti, seù non per media demonstrativa, vel apprehensione, quæ non percipiat evidentem subjecti cum prædicato connexionem, sed loquatur de veritate obscurè apprehensa, & de connexione inevidenti, & indemonstrata, nihil hallucinationis, nec contradictionis involvit, quòd per diversa media idem objectum ut verum, & ut falsum apprehensivè proponatur pro priori aut assensum.

11 Dices ex eodem lumine naturæ noscimus, impossibile esse, idem simul esse, & non esse: sicut ergò non potest aliquando contingere, ut duo extrema contradictoria existant simul à parte rei, exempli gratia ludus, & ipsius carentia; ita nec potest contingere, ut in uno, & eodem intellecta aliquando simul existant, ut vera sivè proximè enuntiabilia, ita ut proximè possit utrumlibet affirmare: aliàs memoratum principium apparere posset illi intellectui non solùm incertum, aut dubium, sed etiam simpliciter falsum; quod tamen meritò repugnare supponitur, nec referre potest ad amovendam eam repugnantiam diversitas motivorum, quia repugnantia illa consistit adæquatè in intrinseca, ac immediata extremorum oppositione, quæ oritur ex ipsa contradictionis lege imbibita in dicto principio, cujus veritas omni intellectui est evidens.

12 Neque item refert apparentiam objecti, de qua loquimur, esse obscuram, & in ordine tantum ad producendum assensum, vel dissensum opinativos, obscuros, aut etiam fidei, non vero evidentes; neque enim ideò minus sibi repugnant eæ apparentiæ. Ratio autem ex dictis evidens est: quia intellectus dum opinatur alteram partem contradictionis, absolutè enuntiat, & judicat, quamvis formidolosè, aut obscurè, illam esse re ipsa veram. At implicat omninò, intellectum, dum judicat, absolutè aliquid esse verum,

Habere ſimul indifferentiam, aut proximam potentiam ad judicandum, etiam opinativè, id ipſum eſſe falſum, aut oppoſitum eſſe verum, alioquin opinari, & judicare abſolutè poſſet contra memoratum principium, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.* Ergò non minus implicat, utrumque extremum contradictionis apparere intellectui verum, per apparentiam ſolùm obſcuram, & inevidentem, & in ordine ad producendum aſſenſum, vel diſſenſum opinativos, quam per claram, & natam generare aſſenſum, aut diſſenſum evidentes. Sanè Dialectica nunquam diſtinxit inter propoſitiones contradictorias opinativas, aut evidentes, neque majorem docet in his, aut magis notam eſſe oppoſitionem, quàm in illis. Hactenùs præcitatus Magiſter.

13 Verumenimverò hujuſce objectionis aſſumptum quaſi paradoxon mihi apparet, videlicet objectum ſolùm opinabile, aut obſcurum, & inevidens ab intellectu, à quo ſic cognoſcitur, non minus excludere veriſimilem oppoſitam falſitatis apparentiam, quàm eam poſsit excludere objectum evidenter verum apprehenſivè repræſentatum: id enim perinde eſt, ac affirmare, tantæ eſſe vis, & efficaciæ ad ſuadendum objectum, vel ſolum opinabile, quantæ poſsit eſſe demonſtrabile, aut evidens: quo nihil falſius.

14 Neque ſequelæ iſtius diſſonantiam elevat, quòd objectio loquatur de proxima enuntiabilitate connexionis ſubjecti cum prædicato; nemo quippè infiteri valet, ſubjecti cum prædicato proximam enuntiabilem connexionem evidentem ſuperioris longè eſſe efficaciæ, præ enuntiabili proxima opinabili tantum, & obſcura connexione: id verò præſtantiæ in eo maximè elucet, quòd evidens ſubjecti cum prædicato connexio non ſinit proponi ut credibilem, nec ut opinabilem, ſeù veriſimilem eorumdem extremorum inconnexionem, ſed neceſsitat penitus intellectum quoad ſpeciem, in omnium ſententia: at verò opinabilis tantùm, & obſcura extremorum connexio, ſeù identitas, ſtare optimè queit cum apparenti obſcura opinabili, aut veriſimili propoſitione inconnexionis, diſtinctionisque extremorum eorumdem, neque de hoc quæſtio eſt, aut eſſe valet, ſed unicè, utrum obſcura illa diſtinctionis extremorum propoſitio, æquè aut minus veriſimilis, quàm oppoſita eorumdem extremorum identitas repræſentata, ſufficiens ſit, ut ex determinatione voluntatis aſſentiatur ei intellectus?

15 Quamobrem dubitare non licet, quòd etiam dum proxiè enuntiabilis proponitur inevidens, & obſcura extremorum identitas, proponi valet, & crebrò ita repræſentatur, eorumdem extremorum diſtinctio obſcura, & inevidens, ſaltem minus veriſimilis, quàm oppoſita identitas. Nimis ergò intendit evincere objiciens, dum vult, non minus implicare utrumque extremum contradictionis apparere intellectui verum per apparentiam ſolùm obſcuram, & inevidentem, & in ordine ad producendum aſſenſum, vel diſſenſum opinativos, quàm per claram, & natam generare aſſenſum, & diſſenſum evidentes.

16 Tum quia quando identitas extremorum apprehenditur ut evidens, diſtinctio eorumdem extremorum proponitur ut evidenter falſa: quapropter extrema illa identitatis, & diſtinctionis erga intellectum non differunt penès majorem, & minorem veriſimilitudinem, ſed omninò penès evidentem veritatem, & fal-

falsitatem apprehensam: at extrema, etiam contradictoriè oppositа, quæ evidentia veritatis, & falsitatis carent, inevidentique, & obscura tantùm apprehensione cognoscuntur, differre possunt, ac sæpè differunt penes majorem, minoremque verisimilitudinem, ut omnibus in confesso est: & consequenter, est falsum apud omnes, uno excepto objiciente, quòd sicut objectum evidenter verum apprehensum, excludit ejusdem objecti apprehensionem falsitatis credibilis, & enuntiabilis, ita objectum inevidens, & obscurè repræsentatum ut verum, aut verisimile, excludat ipsius objecti falsitatis enuntiabilis cognitionem, obscurè repræsentativam.

17 Nec refert si dixeris, quòd juxta sententiam objicientis, objectum æquè, & minus verisimile non est proximè enuntiabile: id inquam nihil suffragatur objicientis assumpto, quod ex hoc ipso, quod reponitur, falsitatis convincitur; nam si inevidens objectum sinit, quòd contrarium, aut contradictorium repræsentetur ut æquè, aut minus verisimile, fieri jam potest, quòd duo objecta contradictoria eidem intellectui ut verisimilia, id est, ut inevidenter vera simul proponantur: prætereà objectum evidens, per apprehensionem perceptum, excludit omnem apprehensionem verisimilitudinis objecti contradictorii, aut contrarii: quòniam contra evidentiam nulla est verisimilitudo: igitur omninò falsum est, quòd non minus implicat, utrumque extremum contradictionis apparere intellectui verum per apparentiam solum obscuram, & in ordine ad producendum assensum, vel dissensum opinativum, quàm per claram, & natam generare assensum, aut dissensum evidentem.

18 Et ratio quidem demonstrativa hujusce discriminis est, quia objectum inevidens, & non demonstrabile licèt aliqua, aut pluribus rationibus verum esse probetur, cum non convincant intellectum probationes hujusmodi, vel ex ipsa probationum solutione, quæ menti occurrit, vel insuper aliis positivis fundamentis proponi potest intellectui, id non esse verum, & consequenter simul apparere potest intellectui esse, & non esse, quamvis inefficaciter, & obscurè: econtrà evenit in objecto demonstrato, aut demonstrabili, & evidenter vero, cujus evidentia, etiam apprehensivè solùm cognita, excludit omnem verisimilitudinem contrariam enunciabilẽ.

19 Unde ad fundamentum oppositum evertendum dico, principium illud, *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, lumine naturæ esse quàm notum; verumtamen eodem naturæ lumine perspicuum est, & ex ipsis terminis patet, procedere quidem de *esse*, & *non esse realiter*, tum insuper *de esse*, & *non esse* intentionaliter per assensum intellectus, ejusque judicium: & propterèa libenter concedo eundem intellectum non posse simul assentiri, & dissentiri eidem objecto, assensu etiam opinativo, vel obscuro. Cæterum de esse, & non esse apprehensivè, obscurè, & inevidenter nullo modo loquitur, aut intelligitur axioma præfatum, ut ex dictis evidens est. Quamobrem dum dicitur repugnare, quòd in intellectu existant duo contradictoria ut vera, distinguendum est, & concedendum de existentia per assensum, & dissensũ, vel etiã in apprehẽsione suadẽte, si veritas alicujus contradictorii sit evidens; negandum verò, quando sermo sit de existentia absque assensu, & dissensu, & solum in apprehensione, & quando neutrum ex contradictoriis est

evidenter verum: quia ſub his terminis utrumque contradictorium eſſe poteſt ut verum in intellectu, ſcilicet apprehendente inevidenter, & obſcurè. Haud tamen id intelligas vellim de veritate utriuſque contradictorii ſimul componenda, aut enuntianda, ſed diviſivè, ad aſſentiendū uni ex cōtradictoriis, & ad diſſentiēdū alteri; quod ni ita contingeret, nec ingens, & immediatum fidei meritum, nec hæreſeos formalis pertinacia ſtare poſſent ex dictis.

20 Inſiſtit tamen præfatus Scriptor: ex nulla ratione fieri poteſt, ut intellectus dubitet de veritate illius principii: *impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Si verò dubitare non poteſt, quomodò poterit judicare, aut apprehendere ut ſimul vera, vel ſimul proximè affirmabilia duo extrema contradictionis, cum ſic apprehendere, nihil aliud ſit, quàm apprehendere illa ut ſibi à parte rei coexiſtentia?

21 Reſpondeo, inefficacem eſſe replicam: quia à conjunctis ad diviſa argumentatio procedit: propoſitum namque principium ſenſum habet compoſitum, conjunctionemque in eſſendo contradictorii duplicis poſſibilem negat. Nos autem eidem principio adhærentes aſſerimus duplex contradictorium poſſe repræſentari cognitione apprehenſiva, ut diviſivè verum, & ſic diviſivè enuntiabile: quod nullam contradictionem involvit: non enim eſt apprehendere illa contradictoria ut ſibi à parte rei coexiſtentia, ſed ut exiſtentia diviſivè, non exiſtentia aſſerta, ſed apprehenſa, & conſequenter, non affirmata, ſed affirmabili de unoquoque diviſivè, & judicio inevidenti, & non demonſtrato, nec demonſtrante.

22 Et quidem mirum eſſe debet, quòd prælaudatus Author aſſerat, & perſuadere conetur, quòd contradictoria, quorum nulla eſt evidentia, ſed cognitio tantum obſcura, non poſſunt apprehendi ſimul ut vera; id enim in ingens recidit abſurdum, nempè, poſitivè dubitare neminem poſſe ob æqualitatem adhuc motivorum, quod evidenter eſt falſum; contrariumque, ut evidenter verum tradidit Angelicus Doctor, *quæſt. 14. de verit. art. in corp.* ubi de intellectu noſtro ait: *Quandoque non magis inclinatur in unam partem, quam in aliam, vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent, ad utramque partem, & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Hæc S. Doctor: tum ſic nulla ratio, aut motivum movere poteſt intellectum, niſi ſub ratione veri, ergò ut æqualiter moveant fundamenta aliqua pro utraque parte contradictionis, neceſſum eſt, quòd ut æqualiter vera repræſententur ſimul: igitur luce, & aêre iſto liquidius eſt, quòd contradictoria poſſunt ſimul repræſentari ut vera, non quidem ſimultate coexiſtentiæ, ſeù veritatis utriuſque ſimul affirmabilis; ſed ſimultate repræſentationis, & veritatis diviſivè enuntiabilis: quod à nemine negari valet.

SECTIO LXXXI.

Proponit objectionem ex eo petitam, quòd dubitare liberum nobis non ſit, ſed potius neceſſarium.

1 OBjectio præſens non procedit de dubio negativo, ut in repetito exemplo de pari, aut impari ſtellarum numero, ſed de dubio poſitivo, ſtantibus videlicet motivis

tivis, propter quæ positivè dubitamus; & intendit evincere, positum non esse in arbitrio voluntatis dubitare, aut non dubitare, seù flectere intellectum in assensum rei dubiæ, seù extremi dubitationis prædictæ, & positivæ, quando nulla suppetit nova ratio, nec rationes priores melius percipiuntur, quam anteà.

2 Sic igitur, & quidem ingeniosè arguit P. Elizalde *de rect. doctr. mor. part. 1. lib. 4. quæst. 3. ferè per totam.* Primùm, quia Philosophus 7. *Ethic. cap. 2.* & aliàs, ut proverbium commune ponit, *dubitationis solutionem esse inventionem veritatis*, quod constat etiam ex 3. *Metaph. cap. 1.* & D. Thoma, ibi, *lec. 1.* igitur non aliter dubitatio solvitur, quàm vel per veram, vel existimatam saltem veritatis inventionem. Ideòque ad veritatis inventionem primò benè dubitandum, asserebat Philosophus, ac D. Thomas observat, eam fuisse Aristotelis consuetudinem in omnibus libris suis: quamque prosequutus est Angelicus Doctor in suis.

3 Secundò, videtur hoc constare ex naturali omnium sensu, & ex consensu ex ipso naturæ ductu. Ex quo enim in mundo cœptum fuit dubitare in libris, in Scholis, in foro rationibus, & authoritatibus positis hinc, & inde innodantibus, facientibusque dubitare, ratio aliqua vel authoritas affertur pro solutione: nec per quæ rectè dubitatum fuit, per eadem eodem modo censetur remota dubitatio, & altera pars rectè jam decisa. Si quando verò aliquis rationibus utrinque propositis, nihil amplius enuntiavit, censetur vel nihil resolvisse; vel ut quidam interpretantur, præhabuisse rationes ultimò allegatas.

4 Tertiò ex regulis juris in re dubia; quæ semper procedunt ex ratione particulari pro ea parte, cui favent, & pro qua solvunt; non autem ex libito, alioqui regulæ contradictoriæ essent æqualiter rationabiles, & cum partium jura sunt obscura, reo favendum pronuntiatur, & similiter pro possidente, &c. æqualiter, æquè rationabiliter statui potuit, in dubiis deterior est conditio possidentis; in dubiis favendum actori; in dubiis determinandum contra pupillum, contra Ecclesiam, & sic de cæteris regulis; quoties hinc, & hinc sunt rationes pares, jura æqualia, &c. Nam in paris causæ dubitatione nulla specialis ratio requireretur ad bonam solutionem, sed solum arbitrium voluntatis: hoc autem falsum est evidenter, & contra omnes.

5 Quartò, nam constat ex objecto æqualiter se habente ad verum, & falsum, non esse quidquam enuntiare mentaliter. At omnis dubitans propter rationes, vel authoritates hinc, & hinc habet objectum indifferens ad verum, & ad falsum, & sic ex D. Thoma, & aliis definita est natura dubitationis, motus super utraque parte contradictionis: ergò. Quintò: si quod sufficit ad dubitandum sufficeret ad solvendum, & sic ad affirmandum unam partem, non ad plus obligaretur enuntians, quàm dubitans: at dubitans non obligatur has rationes bonas facere, contrarias solvere, &c. ergò nec enuntians obligaretur. Hoc autem contra leges Scholarum, fori, librorum, & omnium contentionum, & controversiarum est. Ergò, & illud. Atque hæc sufficiant per deductionem ad inconveniens.

6 Nunc sextò per rationem ostensivam, nimirum ut ex Philosopho posuimus dubitationis solutio, inventio veritatis est: nam omnis solutio est per affirmationem, & negationem. Et omnis negatio unius partis est saltem virtualis affirmatio oppositæ, & è contra. Est autem invenire intellectualiter veritatem, (ut prætereamus, quæ ex sensu, vel experientia constant) vel per intellectum principiorum, vel per

ſcientiam, vel per fidem divinam, vel humanam, vel per opinionem, vel per ſuſpicionem; & omnis affirmatio, vel negatio ad aliquid horum revocatur, aut deducitur ex 6. *Ethic. cap.* 3. licèt enim ibi omnia, quibus anima verum affirmando vel negando dicit, ad pauciora revocet, ibi ſermo eſt de his ſolùm affirmationibus, & negationibus, quæ ex virtute intellectuali ſunt, vel virtutem faciunt, nos vero de omni genere aſſertionum loquimur.

7 Patet jam, omnem ſolutionem dubii per intellectum principiorum, per ſcientiam, per fidem divinam non eſſe per rationem, vel per cauſam dubitandi: ſimiliter ſi per opinionem, vel fidem humanam fiat, jam ea pars opinanti, vel credenti videtur vera, & oppoſita falſa: quod ſi per ſuſpicionem ſolvatur, quod vix eſt ſolvere, ſuſpicatur eam veram, & contrariam falſam.

8 Hinc ſeptimò: ergò omnis dubitans, nec intelligit, nec ſcit, nec credit hanc partem veram, hanc falſam, nec ei hæc vera, hæc falſa videtur; imò dubitat, quænam vera, quænam falſa; & ideò dubitat: at omnis ſolvens dubium affirmat, vel negat: omnis autem affirmans vel negans intelligit, vel ſcit, vel credit hoc verum, hoc falſum, vel ſaltem ei ita videtur: ergò dubitans, & ſolvens non habet eaſdem rationes; & de cæteris, quæ clara ſunt nihil loquar, & de opinione ſolum dicam, implicat omninò, eiſdem omninò ſtantibus rationibus, & eodem modo ſe habentibus, nunc quidem hanc partem mihi non videri nec veram, nec falſam, & ideò me dubitare, & mox jam eam videri veram, & ſic deſinere dubitare.

9 Octavò nam ſicut dictum eſt, in omni dubitare, eſſe *Cur*, in omni ſolvere eſt ſimiliter *Cur*: ponere autem per idem *Cur* dubitare, & ſolvere, perinde eſſe videtur, atque dicere, nodum per idem implicare, & expediri: idem eſſe ligare, & ſolvere; atque omnia illa, quæ Philoſophus pro dubio tradidit, ceſſant, niſi quæ diximus vera ſint. Tenetur ergò omnis ſolvens dubium rationem habere cur pro hac parte ſolvat, & non pro contraria: in rationibus autem dubitandi hoc non habet. Hactenùs P. Elizalde.

10 Qui præterea notat ad bonam vel malam ſolutionem dubii ſufficere rationem bonam, vel malam; at in mentali ſolutione: ſemper ea bona videtur ſolventi: & ſic pertinaces per fictam ſcientiam deſinunt dubitare: hæretici, & Pagani per fictas revelationes; & ſimiliter mali opinantes, & malè credentes. Sic ille cui adſentiuntur Recentiores alii in ſuperioribus ſectionibus adducti.

SECTIO LXXXI.

Stantibus iiſdem rationibus dubitandi, eodem modo intellectis, poteſt intellectus aliquando dubitare, & flecti à voluntate ne dubitet, ſed quæſtionem potius dirimat: illuſtratur text. in cap. 1. de hæret.

1 IGitur aſſerendum venit, quòd quando intellectui proponuntur veriſimilia fundamenta, ſivè æqualia, ſivè inæqualia, pro utraque parte contradictionis, immediatè liberum eſt, dubitare, vel alterutri parti aſſentiri. Sic tenendum cenſeo, ut fidei libertas ſalva, illibataque conſiſtat.

2 Probo igitur aſſertum ex *cap.* 1. *de Hæreticis*: in quo Stephanus Summus Pontifex omnibus Epiſcopis reſcribens in hunc modum decernit: *Dubius in fide infidelis eſt. Nec eis omninò credendum eſt, qui fidei veritatem ignorant.* Neque intelligi poteſt Summus Pontifex de infidelitate præcisè, ac purè negativa, quia hæc ſolum cadit in

eum

eum qui nihil de fide audivit, ut cum D.Thoma 2.2.*quæſt.* 10. *art.*1.*corp.* adnotant Theologi: qui autem de fide dubitat, ſupponitur cognitionem aliquam de fidei rebus habere: tum quia textus iſte cum ſub titulo *de Hæreticis* collocatus ſit, intelligi haud poteſt de infidelitate negativa, ſed potius venit exponendus de ea infidelitate, quæ fidem Catholicam ablegat, ut in homine Chriſtiano, & adulto dubitante de fide evenit: iſtaque eſt communis Canonici Juris Interpretum, & Theologorum intelligentia.

3 Idem evincitur ex Concilio Vienenſi relato in *Clement.* 1. *de Sum. Trinit. & fide Catholica.* §. *Porrò.* Ubi vertens in dubium an anima rationalis ſit forma humani corporis, & in eo pertinaciter hærens, hæreticus cenſetur, ejuſque doctrina inimica Catholicæ fidei, & Religionis declaratur: eadem autem ratio eſt de quacumque alia Catholica veritate, fulcitur quoque ex Concilio Lateran. ſub Leone X.*Seſſ.*8. Nec valet dicere hæc decreta loqui de præſumptione fori externi, quia ut notat P. Caſtropalaus infra referendus, non ſolum de dubitante, ſed etiam de ipſa doctrina loquuntur Summi Pontifice, & Sacra Concilia, & dicunt eſſe contrariam Catholicæ fidei; at in doctrina non poteſt admitti præſumptio: tum quia Stephanus Papa, abſolutè aſſerit infidelem eſſe eum, qui in fide dubius eſt. Quæ Summi Pontificis verba, adnotante pererudito D.D.Emmanuele Gonçalez ad *dict.cap.*1.*de hæret.lit.A.* relata reperiuntur in *Can.* 45. Synodi Nicæni, & *in Can.* 4. collectionis Adriani Papæ, & in *Epiſt.* 1. Sixti primi ubi ait: *De cætero placuit propter malorũ hominũ infeſtationes, ut in accuſatione domini, Miniſtrorũ primo perſona fides, vita, & converſatio blaſphemantium enucleatim perſcrutetur; nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis eſt, nec eis omninò credendum eſt, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ converſationis fidem ducunt.*

4 Eadem ſententia habetur apud Julium I. *Epiſt.* 1. *cap.*11.& primum dicitur illa fuiſſe Evariſti Papæ *Epiſt.* 2. ut tranſcribitur à Carnotenſi *part.*7. *Decreti. cap.*7. Gratiano *in cap.* 17.2. *q.* 7. Mox Sixti *in Epiſt.*1. deinde Pii Papæ, ut refert Gratianus in *cap.* 3. 3. *q.* 4. poſtea Calixti *Epiſt.* 2. relata *in cap.*18. 2. *quæſt.* 7. deinceps Fabiani in Synodo Romana relata in *cap.* 7. 3. *q.* 4. Stephani *in Epiſt.*2. tandem Marcelli *Epiſt.*2. relata *in cap. finali.*96.*diſt.*

5 Nec diſsimilis ſententia reperitur in Concilio.CP. relato à Gratiano *in cap.*4. *q.*5. Chalcedonenſi *Can.* 21. apud Gratian. *in cap.*49. 2. *quæſt.* 7. Carthag. 4. *Can.* 11. Tolet. 6.*Can.*11. tranſcripto à Gratiano *in cap.*9. 3. *quæſt.* 9. Tandem *in Capitularibus* Caroli *lib.* 5.*capitul.*183.*& lib.*7.*cap.*147. & apud alios Eccleſiæ Patres, quos congerit Sapientiſsimus Præſul, Antonius Auguſtin. in *notis ad dict. Can.*4.*collectionis Adriani.*

6 Concinunt D.Auguſtinus *in Enchirid.cap.*7. & 19. ubi aſſerit, ſalva fide non poſſe uſurpari particulam *fortè* in rebus fidei, quia ſignificat dubitationem. Et D. Hieronymus *in Abacuch. cap.* 2. ibi: *Si autem dubitaverit fides tua: & putaveris non venire, quod ſpondeo, habebis pro grandi pœna.*

7 In terminis, dubitantem in fide hæreticum eſſe, edocent Joan. Andreas *dict.cap.*1. *num.*1. Abbas *num.* 1. atque communiter Juris Canonici Interpretes congeſti, & laudati ab Auguſtino Barboſa *in dict. cap.*1. necnon *tom.*6.*in ſelectis ad hunc textum*, & *prætereà* Petrus Gregorius *lib.* 2.*partit.tit.* 6.*cap.* 1. Robertus *lib.* 1. *rerum judicat. cap.*12.*fin.* Peña *in Director. Inquiſit. in præſenti.* Duardus *ad Bullam Cœnæ Domini.lib.*2.*Can.*1.*quæſt.*23. Ricciolus *lib.* 5.*de jure perſ.cap.* 4. Azebedo in *leg.* 1. *tit.*3.*lib.*8. *Recopil.* Carena *de offic. Inquiſ.*

*quiſ.part.*2.*tit.*1.§.3.Albergrinus *de hæreſi.cap.*5. Thomas Bennus *de offic. Inquiſ.part.*1.*dub.*5. *per totum*, ac tandem D. D. Emmanuel Gonçalez Tellez *in Comment.ad dict. cap.*1. *num.*3.

8 Ex Theologis eandem ſuſtinent, ac illuſtrant concluſionem Doct. Angelicus D. Thomas 2.2.*q.*10. *art.* 5. ubi,manifeſtata fidei veritate, unam tantùm infidelitatis ſpeciem cognoſcit,ad quam hæreſes omnes reducuntur, & conſequenter cum dubitans in fide ſit infidelis, habeatque ſufficienter ſibi propoſitam veritatem fidei,optima illatione,hæreticus eſt ipſe cenſendus:Exim.Doct.P. Suarez *tract. de fide. diſp.* 19.*ſect.* 4.P. Valentia 2.2. *diſp.*1.*quæſt.*11. *punc.*1. *difficul.*2. Cardin.Toletus *in Summa lib.*4. *cap.*4. *fine*, & *in Bulla Cœnæ. Excommun.* 1.*num.*6. P.Azor *Inſtit. mor. tom.* 1.*lib.*8.Murga *tom.*2.*diſquiſ.mor. tract.* 1.*dub.*1. Tapia *tom.* 2. *lib.* 1.*quæſt.*6. Macedo *tract. de clavib.Petri,in quæſt. prævia. art.*2. tum alii,quos laudavi *ſect.*79.*num.*9.& *ſeqq.*

9 Et quidem licet Canus *lib.*12.*de locis.cap.*9.P. Sal.*in Sum. verb. Hæreſis. num.* 1. & alii relati à Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 51. exiſtiment, dubium in fide infidelem hæreticum non eſſe, tamen notandum eſt cum P. Thoma Sanchez. *lib.*2.*in decalog.cap.*7. *num.*12.*verſ. Et hæc ſententia*, quòd hi Authores loquuntur de ea imperfecta dubitatione, in qua intellectus utriuſque partis rationibus perpenſis pendulus eſt, nullumque judicium format. Nam ſi ſupra ſuum dubitandi actum reflectitur, judicans illam fidei rem,eſſe dubiam,aut ſub opinione eſſe: nemo negare poteſt, eſſe hunc taliter dubitantem, aut opinantem perfectè hæreticum. Quòd tunc ultra dubium adſit conſenſus,& judicium intellectus affirmantis, rem fidei non eſſe certam, quod eſt aperta hæreſis. Et ita hoc explicat idem Canus *dict.cap.* 9.*colum.*12. *verſ.Errare autem.*Bañez 2. 2.*q.*11.*art.* 2.*colum.* 2. *verſ. Reſpondetur,quòd ſicut.* P.Vazquez 1.2.*q.*19.*art.*6.*diſp.*65.*cap.* 1. *num.* 4. Unde moraliter loquendo cum dubitatione intellectus circa res fidei ſolet eſſe conjunctus hic actualis error,quo illas non omninò certas eſſe judicat. Atque ita hæreſis communiter adeſt.Sic Canus *eo cap.*9.*colum.*15.*verſ. Quid ergò.* P. Valentia, numero præcedenti relatus, & Thomas Sanchez: & quidem Authores iſti magis à ſententia communi in modo loquendi, quàm in re diſcedunt: vel quia aliter intelligunt, & explicant dubitationis naturam. Vide *ſect.* 31.*num.*12.

10 Nos igitur conſequenter ad ea, quæ de ratione, & formali dubitationis eſſentia tradidimus ſupra *ſect.* 79.*num.*1.& *ſeqq.* præcipuè *num.* 8. communem ſententiam,cui libenter aſſentimur, ex eo probamus, quòd dubium tunc invenitur, quandò intellectus ita aſſenſum ſuſpendit,ut vel explicitè, & phyſicè judicet, aut virtualiter,aut æquivalenter reputet, neutram partem eſſe ſufficienter manifeſtam ad ferendum judicium, vel ad præſtandum aſſenſum debitum juxta objecti qualitatem;quæ explicatio conſona eſt menti Angelici Doctoris *in* 3.*ſent.diſt.* 17.*quæſt.*1.*art.*4.ubi dubium inquit eſſe, *motum rationis ſupra utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram.* Tum ſic, ſed hujuſce aſſenſus certi ſuſpenſio in rebus fidei ſufficienter propoſitis,continet irreverentiam gravem contra fidem, & divinam authoritatem: imò involvit etiam pertinax virtuale judicium contra fidem: quemadmodum pura omiſsio libera dicitur æquivalere poſitivæ voluntati: igitur dubius in fide pertinax formalis hæreticus eſt: videſis Cardin. de Lugo, *tract. de fide. diſp.* 20.*ſect.*1. *num.* 17.& *ſeqq.*

11 Illuſtratur: in fide, firma certitudo,& nulla dubietas,aut hæſitatio eſſe debet.*cap.*1. ubi Gloſſa *de Sum. Tri-*

Trinit. D. Jacob. *in Epist. Canonica. cap.* 1. ibi: *In fide nihil hæsitans*: & juxta illud Simboli Athanasii, *fideliter firmiterque crediderit*, unum enim ex articulis nostræ fidei est, eam esse firmissimam: *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, ait Christus Dominus apud *Math. cap.* 24. ℣. 35. Concinit D. Paulus *ad Hebræos cap.* 6. ℣. 18. Merito ergo ille, qui dubitat, nollens captivare intellectum in obsequium fidei hæreticus judicatur: errat enim contra fidem Catholicam, dum pro incertis habet formaliter, aut æquivalenter ea, quæ certissima sunt, & à Deo existunt revelata.

12 Hinc profluit solutio fundamenti, quo Mag. Canus, & alii moventur, ad negandum, dubitantem in fide esse formalem hæreticum: Quòniam dubius in fide non dicitur præcisè ille, qui actum fidei suspendit: omnes enim fideles certi dicuntur in fide, & nullo modo dubitantes, etiam quando actum credendi non eliciunt, sivè quia non advertunt, ut in somno, amentia, & animi diversione; sivè etiam quia advertentes, cum videant se non obligari ad actum credendum, quippè fidei præceptum non obligat semper, & pro semper, eum actum tunc omittunt: quin propterea sic suspendentes assensum dicatur dubii in fide: ideò dubius in fide aliquem actum positivum elicit sivè directum, sivè reflexum, physicè talem aut æquivalenter, quo dicit Mysterium fidei esse dubium, & sic pertinaciter opponitur veritati fidei; fides enim Catholica docet, Mysteria revelata non esse dubia, sed certa.

13 Cæterum animadvertere oportet, contingere posse suspensionem culpabilem actus fidei sine hæresi; nam qui in aliquo casu, in quo ex præcepto fidei tenetur actum fidei positivè elicere, & fidei assensum præstare, & non assentitur, peccat, etiam si nihil contrarium fidei ponat; præcisè tamen ex eo non fit homo dubius in fide: nam benè stat talis suspensio actus fidei præcepti, cum eo quòd quis apud se simul statuat: si elicerem assensum exempli gratia de Trinitate infallibilem elicerem, seù certum, ac firmum ut Ecclesia Catholica præscribit: quemadmodum rectè stat: me judicare, alium actum præceptum esse justum, & sanctum, & adhuc à me suspendi. Sic notat Dominus D. Emmanuel Gonçalez Tellez *Comment. ad dic. cap.* 10. *de Hæreticis, n.* 11. ex Thoma Beno *de offic. Inquis. part.* 1. *dubit.* 13.

14 Ejusdem doctrinæ assertor est P. Antonius Terillus *tract. de Regula morum part.* 2. *quæst.* 51. *n.* 5. ubi inquit, quod dubitatio in materia fidei non solum tollitur per ipsum actum fidei, quo intellectus quæstionem directè solvit, sed etiam per quamvis aliam intellectus aut voluntatis dispositionem, quæ actui fidei æquivalet in ordine ad figendum animum in quadam mysterii certitudine; stante enim tali dispositione homo non dubitat, cum vel expressè, & formaliter, vel saltem æquivalenter, seù virtualiter respiciat rem, ut certam. At hæc dispositio dupliciter haberi potest, quamvis actus fidei de mysterii veritate formaliter non eliciatur; primò si intellectus judicet, motiva esse sufficientissima ad certissimè credendum, quamvis intellectus actu non credat: secundò si voluntas affectivè respiciat illa motiva ut certa, & oppositа ut nullius momenti contemnat, & aversetur. Jam quævis ex istis duabus dispositionibus expresso fidei actui æquivalet: in ordine ad animum in quadam mysterii certitudine figendum: & consequenter tollitur dubitatio: ita P. Terillus. Verumtamen primam dispositionem reor non sufficere, ad dubitationem, & hæresim excludendam, quòniam illo judicio stan-

ſtante, in intellectu poteſt voluntas ex paſsione aliqua vitioſa moveri ad imperandum aſſenſum hæreticum, quemadmodum, ſtante judicio de certa honeſtate objecti, poteſt imperare aſſenſum turpem erga objectum contrarium, & turpe; quapropter ut aſſenſus fidei præcepti ſuſpenſio non ſit ejuſdem fidei dubitatio, nec hæreſis, debet ſaltem talis ſuſpenſio actus fidei imperari à voluntate ex motivo non contrario certitudini fidei, nec formaliter nec æquivalenter.

15 E regione autem quando voluntas argumentis contra fidem propoſitis ita deterretur, ut quodam modo deſperet homo, ſe de veritate rei propoſitæ certificandum, & formidans de veritate, ac vacillans de certitudine myſterii, ita reſpicit argumenta contraria, atque ita ad illa afficitur, ac ſi eſſent magni momenti, tunc hæreticus aſſenſus æquivalenter elicitur; hac enim ratione voluntas ita afficitur ad motiva fidei ſufficienter propoſita, ut illa affectivè minoris æſtimet, quàm ſi magno animo in illa tanquam certa, & ſumma fide digniſſima ferretur: quod eſt affectivè facere Deum mendacem, non minus quàm ſi intellectualiter negaretur inſufficientia motivi ad firmiter credendum. Fit ergò perſpicuum abſque judicio formali de incertitudine myſterii, poſſe quempiam eſſe in fide dubium, & hæreticum.

16 Ex qua ſtabilita doctrina, & ſuppoſita hæreſi formali, in eo qui dubitat de myſterio fidei ſufficienter propoſito, ſivè formaliter eliciatur actus, quo enuncietur dubiam eſſe myſterii veritatem, ſivè ſolum æquivalenter id ipſum aſſeratur, ex hoc, inquam, evidenter colligitur talem dubitationem eſſe liberam, cum ſit tam graviter peccaminoſa: ergò poterat non elici: ergò dubius in fide, & propterea in hæreſim incidens formalem, liber eſt ad dubitandum, & non dubitandum in eo inſtanti, in quo dubitat, æquè ac liber eſt formalis hæreticus eliciens judicium formale, & poſitivum contrarium fidei, ſufficienter propoſitæ.

17 Confirmatur: fides eſt poſsibilis quando myſterium eſt ſufficienter propoſitum: ſed quando quis eſt infidelis, & hæreticus, quia dubius eſt in fide, myſterium eſt illi ſufficienter propoſitum, alias hæreticus non foret: ergò tunc illi fides eſt poſsibilis: ergò aliquando liberum eſt non dubitare, quando dubitamus, & è contra, quando non dubitamus, liberum eſt dubitare. Eadem ratio locum habet in aliis, quæ in actu primo multò probabilius repreſentantur pro una parte, quàm pro altera. Cum enim motiva fidei ſint longè majoris roboris ac momenti, quàm alia quævis, quæ res humanas probabiliores ſuis contrariis conſtituunt, ſi propoſito fidei myſterio cum ſufficienti credibilitate poteſt intellectus de illo dubitare, & non dubitare, idem à fortiori valebit in aliis rebus obſcuris, quippè quæ minus validis motivis fulciuntur: cum ergò hujuſcemodi res ſæpè contingat nobis proponi, fit ſæpè liberum nobis eſſe dubitare, aut non dubitare, etiam quando actu dubitamus, vel actu aſſentimur; non quidem in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo, ſicut liberum nobis eſt abſtinere ab opere, quando illud liberè exercemus.

18 Confirmatur ſecundo: dubitatio in materia fidei non ſolum tollitur per ipſum actum fidei, quo intellectus directè aſſentitur, & credit, verum etiam per actum reflexum, quo intellectus judicat motiva fidei eſſe ſufficientiſsima ad certiſsimè credendum, & contraria hæreſeos motiva nullius eſſe ponderis, ſed levia, & indigna aſſenſu: quamvis intellectus actu non credat: dummodo voluntas aſſenſum

ſum non ſuſpendat ex affectione ad hæreſim, ſed quia applicat intellectum ad alia, cum non urgeat pro tunc credendi præceptum, ut ex ſuprà traditis ſubducitur; atqui quando homo dubitat actu in materia fidei, ſufficienter ad credendum, ut oportet, propoſita, poteſt proximè illam diſpoſitionem habere: poteſt enim proximè non peccare, id eſt non dubitare, ſed aſſentiri myſterio ſufficienter propoſito: ergò multo magis poteſt eam diſpoſitionem habere, illa enim aut fidem præcedit, aut comitatur, & haud dubiè haberi poteſt antè fidem: Similiter ſeparari poteſt ab actuali fide; cum ſæpè illam habeamus quando, non urgente præcepto, actum fidei non elicimus. Ergò hæc diſpoſitio haberi poteſt, quando homo actu dubitat. At per illarũ tollitur dubitatio, licet formalis actus fidei nõ imperetur. Ergò homo poteſt non dubitare, quãdo actu dubitat, & ſi judicium directum, & formale quæſtionis propoſitæ formaliter non eliciat.

19 Hinc colliges, ſolas rationes, quibus ſtantibus mens verè, & propriè dubitat, etſi imprudenter, & hæreticè ſæpè, ſufficere ad dubium deponendum. Patet: quòniam motiva fidei debitè propoſita ſufficiunt ad dubium deponendum, quia ſufficiunt ad prædictã diſpoſitionẽ, imò ad actualẽ directam fidem ipſam; neque enim aliæ rationes neceſſario requiruntur ex parte intellectus ad aſſenſum fidei, alioquin fides non eſſet ſufficienter propoſita. At rationes ſeù motiva fidei ſufficienter propoſita exiſtunt in mente, quando homo peccaminosè, & pertinaciter dubitat, in materia fidei, ideoque hæreticus pertinax efficitur: ergò ſolæ rationes ac motiva, quæ ſtante dum mens dubitat, ſufficere poſſunt, ad dubium deponendum, & ad quæſtionem ſolvendam. Imò & in aliis materiis extra rem fidei, idem dicendum venit, ut ex dictis patet: Quæ omnia validiſsimè comprobantur ex dictis *ſect.* 68. & *ſequen.* ubi oſtendimus, intellectum à libertate voluntatis liberum aut indifferentem eſſe, indifferentia contrarietatis, ad opinandum inter motiva æqualia oppoſita. Illa enim fundamenta ex æquo probant veritatem præſentis aſſertionis.

20 Sed animadvertas quæſo, me non aſſerere eas ſolas rationes quæ ſufficiunt ad dubitandum, aut ſolas dubitandi rationes ſufficere ad dubii ſolutionem: ſed tantùm ajo, quòd ſtantibus iiſdem rationibus, aut motivis, quibus homo dubitat, aliquando & ſæpè poteſt ille non dubitare, & quæſtionem decidere. Diſcrimen inter utrumque hoc aſſertum in eo conſiſtit, quod ratio, etſi levis poteſt ſufficere ad dubitandum, quando nullum ex extremis ratione gravi fulcitur: at leviſsima ratio vel ad aſſenſum non ſufficit, vel ſaltem ut prudenter eliciatur aſſenſus, ſufficere nequit: ergo ſola dubitandi ratio non ſufficit ad quæſtionis deciſionem: At verò quod ſtantibus iiſdem rationibus, quibus ſufficienter perſpectis homo dubitat, poſsit aliquando non dubitare, ſed quæſtionem decidere, & aſſenſum elicere, liquidum fit in eo, qui de myſterio fidei ſufficienter propoſito dubitat pertinaciter: ut ex dictis patet.

SECTIO LXXXIII.

Objectiones elevat.

1 EXaravimus *ſect.* 81. rationes, quibus conſtabiliri poſſet; non eſſe nobis liberum dubitare, ſed potius neceſſarium, ſtantibus eiſdem rationum momentis ex quibus dubitatio elicita fuit. Nunc igitur prælibatis argumentis obviam ire aggredimur. Ad primum ex Philoſopho deſumptum liquet ſolutio ex dictis *ſect.* 61. *per totam,*

tam, nec non *sect.* 70. ubi oſtenſum eſt, Ariſtotelem ſolùm docuiſſe, quòd intellectus *in quantum dubitat in tantum* ſimilis eſt ligatis: & conſequenter, præcisè dicit, quòd in ſenſu compoſito dubitationis explicatæ *ſect. præcedenti n.* 14. *& ſect.* 79. *num.* 7. *& ſeqq.* non poteſt intellectus determinatè uni extremo aſſentiri, at verò in ſenſu diviſo, quem valet efficere voluntas, poteſt ab ipſa voluntate determinari intellectus ad aſſentiendum cuilibet ex oppoſitis extremis: conſimiliter fateor, quòd dubitationis ſolutio eſt inventio veritatis; cæterum neceſſe non eſt, quòd demonſtrativè veritas inveniatur, ſed ſufficit, ſi probabiliter tantum ſit cognita, imò ad qualemcumque aſſenſum, puta improbabilem ac temerarium, ſufficit ratio exigui momenti, ut patet; cum ergò ſermo ſit nobis de hypotheſi, in qua dubitat poſitivè intellectus, quia utrinque argumenta occurrunt, & oſtenſum jam ſit, hujuſcemodi dubitationem ſæpè eſſe voluntariam, ac liberam, ut in dubitante de fide, conficitur equidem, quòd dubitans ſæpè poteſt invenire veritatem, iiſdem perſeverantibus motivis, inter quæ dubitatio verſabatur, & nulla nova addita ratione, ſed tantùm mutata voluntatis affectione, ac determinatione libera ipſius.

2 Ad ſecundum reſpondeo in primis illud retorquendo, juxta id quod in fine ipſius objectionis dicitur, nempè, quòd quando aliquis rationibus utrinque propoſitis nihil amplius enunciavit, cenſetur, vel nihil reſolviſſe, vel, ut quidam interpretantur, præhabuiſſe rationes ultimò allegatas: Tum ſic: ergò eædem rationes, quæ ad dubitandum fuerunt allatæ, poſſunt ad derimendam quæſtionem ſufficere, ſi illæ præferantur, ut præ haberi poſſe admittit in ipſa objectione P. Elizalde, qui licet nullum expreſsè laudaverit Authorem pro ſententia aſſerente, quòd quando aliquis Scriptor ſententiis propoſitis nihil amplius enunciavit, cenſetur præhabuiſſe ultimò traditam opinionem: non ſolùm unus vel alter, ſed plures, & graviſsimi Doctores ſic cenſent videlicet Nevizanus *lib.* 5. *Sylvæ. num.* 32. Azoguius *lib.* 3. *de com. opin. c.* 13. Joannes Maria Carotius *lib.* 1. *de communi opin. tit.* 6. *inſpect.* 6. *n.* 99. Farinacius *in Repert. Judic. quæſt.* 14. *n.* 39. Et innumeri alii, quos Nevizanus, & Carotius congerunt, & ex Theologis Paſqualigus *deciſ.* 6. *num.* 1. Joan. Angelus Boſsius *Moral. vari. part.* 1. *tit.* 1. §. 27. *n.* 639. *& ſeqq.* ubi pluribus limitationibus, ac ſublimitationibus hanc illuſtrat doctrinam, quæ ut generalis regula à præfatis Scriptoribus traditur, & ſtabilitur: igitur ex ipſorum mente eædem rationes, quæ ad dubitandum proponuntur, ſufficere poſſunt ad aſſentiendum, vel ad alteram partem præhabendam, ex eo quòd ipſę potiores ab Authore cenſentur, vel ex aliquo motivo ad rectam voluntatem pertinente, eadem ſententia eligenda, ſeù præ habita præſumatur.

4 Secundò reſpondendum venit; quòd ea doctrinæ tradendæ methodus, videlicet, proponendi rationes, & authoritates hinc & inde, ac poſtmodū ex ratione alia vel authoritate reſolvendi quæſtionem, non eſt adeó firma, & naturæ ductu ab omnibus probata, ut in objectione aſſeritur, dum inquit arguens quòd ex quo in mundo cœptum fuit dubitare in libris, in Scholis in foro, rationibus, & authoritatibus poſitis hinc, & inde innodantibus facientibuſque dubitare, ratio aliqua, vel authoritas affertur pro ſolutione: non inquam per æquê ab omnibus vel ſemper hic doctrinæ ordo obſervatur; quòniam Ariſtoteles *lib.* 3. *Phyſic. cap.* 1. in natura motus exponenda, id quod verum eſſe exiſtimavit, prius ſtatuit, & confirmat: deinde ex veritate comprobata refutat aliorum dic-

ta,& quid veri contineat exponit, idque multis aliis in locis fecit Philosophus ut notat P. Fonseca *tom. 1. met. Instit.dialect.lib.7.cap.41.*

4 Imò idem Philosophus *lib. 1. Physic. cap.2.& sequentibus usque ad finem primi libri, & initio secundi*, in exquirendis principiis rerum naturalium,& in libris de Anima,cum animæ naturam investigat, *& in lib. 1. Ethic. cap. 4.& deinceps*, cum docet, quanam maximè in re posita sit fœlicitas, & aliis plerisque locis, prius aliorum opiniones,ac rationes proponit,facto initio ab iis, quæ à vero magis videntur aberrare, easdemque mox refellit: deinde ad id quod sentit statuendum ingreditur.Demum quatenùs refutatæ opiniones veritatem attingant, ex sua sententia paucis perstringit.

5 Porrò autem licet methodus dubitandi, & solvendi quæstiones,quę in objectione præscribitur, servetur à multis, utpote quam laudavit Aristoteles initio *lib. 3. Metaphysic.* & pulcherrimis suadet rationibus: ac statim in reliquo opere latè exequitur, tum *4.Physic.lib.in tractationibus de loco, vacuo, & tempore*, nihilominus P. Fonseca loco præcitato inquit, non semper eam dispositionem, & si optimam amplectendam esse in scribendo. Nec Angelicus Doctor D.Thomas eam examussim prosequutus est, sed proposita opinione, aut parte contraria menti suæ,& adhibitis argumentis,quæ illam stabilire possunt, oppositam sententiam significat unico tantum argumento, *in §. Sed contra*, & in corpore. Articuli distinguit,exponit,resolvit, & comprobat, deinde objectionibus occurrit; quamobrem non ita dubitat in suis aureis scriptis ut plures rationes, & authoritates hinc, & inde innodantes, facientesque dubitare proponat,ut fieri vult objiciens, sivè ut ab omnibus factum esse inquit.

6 Tertiò respondeo: aliud esse doctrinam tradere in prælectionibus,aut in libris, aliud verò dubitare temerè, & imprudenter: ad primum illud haud diffiteor, congruam esse, præsertim perspicuitatis gratia, methodum illam dubitandi, & solvendi quæstionem in objectione assignatam; cæterum ex hoc egrè colligitur, eum ordinem necessarium ad dubitandum imprudenter, ac temerè, vel etiam ad temerè judicandum; hæreticus autem, qui de Mysterio fidei pertinaciter dubitat, temerè admodum anceps est,ac dubitat: ergò licèt ad ordinatè discendum, ac docendum, vel voce in Cathedra, vel scripto in editione librorum, oporteat ex nova aliqua ratione, aut authoritate quæstionem solvere, nec iisdem præcisè rationibus uti ad dubitādum, quàm ad dirimendam difficultatem;tamen in temerè dubitante, ut in eo, qui de fide dubitat,possunt reperiri rationes eædem, quæ sufficiunt ad dubium illud solvendum,& ad assensum fidei præstandum, idque de facto evenit in ea hypothesi dubitantis scilicet de catholica fide.

7 Ad tertium respondeo ex dictis præcipuè *sect. 74.fine, & sect. 77. num. 18.* Regulas juris de dubio esse axiomata, aut jussa seù leges, quæ reflexè in illis hypothesibus decernunt quid sit judicandum, adeòque non conferunt ad directè discernendum,seù dirimendum, quisnam exempli gratia sit Dominus rei, circa quam lis versatur: quia fortè possessor non est reapse Dominus, & tamen juris regulæ ibent, quòd in dubio possessori res adjudicetur. Præterea hæc juris axiomata cum ex virtute justitiæ profluant, justum, id est bonum, tum commune, tum etiam particulare respiciunt: & consequenter ex motivo ad voluntatem rectam atti-

nente procedunt: unde noſtra communitur ſententia, videlicet, ſtantibus iiſdem motivis ad intellectum pertinentibus, poſſe voluntatem ex alio ad ipſam pertinente motivo liberè imperare aſſenſum, vel etiam illius ſuſpenſionem.

9 Nihilominus ſi loquamur de formali dubii reſolutione concomitanter, & ut in actu ſecundo, fatemur illam conſtitui per apparentiam majorem pro una parte, quàm pro alia; ſed illa majoritas ut inducatur non requirit prævalentiam in actu primo, ſed haberi poteſt, quamvis ratio parti illi ſingulariter favens in actu primo non ſit major, quàm ratio, quę alteri parti favet; hæc enim eſt vis tum determinationis voluntatis, & aſſenſus imperati, ut efficiant videri potiorem, & abſolutè veram partem, cui adhærent. Sed inde non ſequitur duo contradictoria eſſe poſſe regulas æquè rationabiles, ac ſunt illæ regulæ juris, quia nihil meretur nomen regulæ in illo ſenſu, niſi quod eſt notius, quam ejus oppoſitum, imò niſi ſit certò juſtum, & æquum. Unde non benè colligitur, æquè rationabiliter dici poſſe, non eſſe favendum reo in dubio, ac eidem in dubio eſſe favendum, quia dictum illud eſt axioma certum reflexum, quod proinde habet objectum certum, non dubium, nec anceps, & conſequenter axioma non nititur præcisè fundamentis, quæ rei innocentiam non certam ſed dubiam conſtituunt, ſed aliis univerſalibus æquitati, & juſtitiæ conſonis liquidò, ac certè, præcipuè poſtquam prædicta axiomata reperiuntur à Jure poſitivo Civili, ac Canonico probata.

10 Tandem reſpondeo, ut ſuprà, minimè eſſe confundendum dubium imprudens, & temerarium cum prudenti, & juſto: ſicut nec judicium prudens, & cum certitudine elicitum, cum judicio imprudenti ac temerario: regulæ igitur juris dirimunt quàm plures cauſas dubias, prudenter utique tales, cæterum prudenter etiam, & ex motivis certò juſtis, & æquitati, ac rationi inhærentibus: At verò dubius in fide, non dubitat prudenter, ſed temerè, & imprudentiſsima pertinacia, ideòque abſque nova ratione poteſt non dubitare, ſed aſſentiri directè, ac formaliter fidei rectæ: imò & poſſet ſi vellet, & fidei diſſentire, quamvis non niſi auſu temerario, & hæretica pravitate: Igitur quamvis aliquando ad ſolvendam prudentem dubitationem, opus ſit nova, & ſupperaddita ratione, non inde ſequitur quòd ad quodlibet aliud ſolvendum dubium nova ratio requiratur.

11 Ad quartum, dicendum venit, nullam profectò dari poſſe enuntiationem de objecto, quod tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo, quoad exiſtimationem æqualiter ſe habet ad verum, & falſum. Cæterum, etſi in actu primo par ſit apparentia pro utraque parte, in conſequenti tamen, ſeù in actu ſecundo diſpar eſſe poteſt apparentia ex vi determinationis, & aſſenſus intellectus. Secundò reſpondetur in ſenſu compoſito dubitationis neminem quidem poſſe quidquam de objecto definitè enuntiare, ſed hoc nihil probat contra noſtram ſententiam.

12 Tertiò reſpondendum videtur: objectum æqualiter ſe habere ad verum, & ad falſum, dupliciter poſſe intelligi, primò in ſenſu negativo, quia videlicet nulla adeſt ratio ſuadens, objectum illud eſſe verum, & nulla ſuadens eſſe falſum: ſecundò, in ſenſu poſitivo, quia rationes quæ ſuadent objecti veritatem æqualis ſunt ponderis, ac rationes, quę probant falſitatem illius: in primo ſenſu verum eſt, quòd nihil poſſumus enuntiare de objecto ita æqualiter ſe habente

te ad verum, & ad falsum, quia intellectus, ut potè rationalis potentia, absque ratione aliqua assentiri non potest: in secundo autem sensu potest intellectus ex voluntatis determinatione enunciare quamlibet ex oppositis partibus, quia earum quælibet supponitur ratione aliqua munita.

13 Quartò respondetur, falsam esse objectionis minorem, videlicet quòd omnis dubitans, propter rationes, vel authoritates, hinc & hinc, habet objectum indifferens ad verum & ad *falsum*, id inquam falsum est, si intelligatur de indifferentia æqualitatis, prout arguens intelligit, quoniam dubius in fide proculdubio habet objectum longè plus ex vi motivorum verius & credibilius ex parte fidei, quàm ex opposita parte; & tamen ex prava voluntatis affectione determinatur intellectus ad dubitandum de mysterio, cui, ut potè sufficienter proposito, firmiter posset assentiri. Quòd verò asseritur in eadem objectione de natura dubitationis esse motum super utraque parte contradictionis, nihil nostra refert, nec id negatur à nobis; supraque explicuimus, qualiter is motus possit esse vel formalis, vel virtualis aut æquivalenter hujusmodi, & ex libera voluntatis determinatione.

14 Ad quintum, cum argumentum intendat, deducere ad inconveniens, arguens potius incidit in illud; si enim ex eo, quòd enuncians ad plus tenetur, quàm qui dubitat, colligeretur, quòd dubitans absque nova ratione non possit enunciare, similiter sequeretur, quòd nemo possit opinari etiam verisimiliora, quoniam qui opinatur, & asserit, ad plus tenetur, quàm qui non opinatur, nec asserit, patet ex terminis; tum apud arguentem constans id esse debet, apud illum enim & alios ipsi subscribentes, qui non opinatur, licet partem aliquam ut probabiliorem apprehendat, liber est ad inquirendas rationes, ex quibus eadem pars oppugnetur, & minus verisimilis, vel falsa ostendatur; adeòque non tenetur eam partem ut veram sustinere; qui verò opinatur, & asserit, ad id obligatur, ad plus ergo tenetur: & consequenter probabiliora, & verisimiliora in apprehensione nostra opinari non possemus ut vera absolutè; quod satis absurdum dignoscitur. Præterea ex eadem fieret objectione, quòd qui, re fidei sufficienter sibi proposita, dubitat de illa, non potest absque nova ratione non dubitare, quod omninò falsum est, cum ille possit assensum fidei elicere.

15 Alia etiam instantia utitur P. Terillus *de regul. mor. part. 2. quæst. 51. num. 15.* voluntas enim sæpè deliberat, & simul habet sufficiens fundamentum, & contrahendi & non contrahendi amicitiam cum aliquo; potest enim illam contrahere, & non contrahere, & proinde potest tunc dubitari, num contrahenda sit amicitia hujusmodi; nec tamen inde sequitur, vel quòd non possit contrahi, vel quòd contrahens illam ad aliud non obligetur, quàm si amicitiam talem non contraxisset.

16 Directè respondeo, in primis juxta rectam dicendi, ac docendi methodum, præter dubitandi rationes hinc & inde allatas aliam requiri, vel rationem, vel elucidationem alicuius ex præductis fundamentis, seu authoritatem aliquam ad quæstionis decisionem, & in hoc sensu verum erit, quòd enuntians ad plus tenetur, quàm qui dubitat: in præsentiarum tamen non differimus de recta dicendi, aut docendi methodo, sed de ratione, ac natura dubitationis & assertionis, ac de fundamentis requisitis, ac sufficientibus ad dubitandum & asserendum, &

utrum quandoque dubitanti ſit liberum enuntiare, & aſſentiri abſque nova ratione? atque liberum eſſe dicimus, ut explicemus, quo nam jure hæreticus formalis ſit ille, qui de fide ſufficienter propoſita dubitat; ideò enim hæreticus eſt, quia cum poſsit aſſentiri fidei Myſterio, id efficere non vult, ſed liberè dubitat, utique pertinaciter: id quod in oppoſita ſententia ægrè explicari poterit.

17 Prætereà qui enuntiat ad plus tenetur, quam qui dubitat, quoniam enuntians ipſa enuntiatione adhæret magis objecto, quàm ille, qui præcisè dubitat, ut evidens eſt, & conſequenter tenetur rationi alicui inniti abſolutè, quia ſine ratione nemo enuntiat, ſivè ratio ſit ab authoritate, ſivè ab alio motivo petita, ſivè prudenter præelecta, ſivè imprudenter: at verò qui dubitat, neutram contradictionis partem tenetur ut propriam ſuſtinere, nec veram eſſe probare; ideòque ad minus tenetur, quàm qui enuntiat.

18 Tertiò: aliud eſt dubitare prudenter, ita ut ex nulla contradictionis parte adſit ſufficiens motivum ad prudens aſſenſum; aliud verò dubitare imprudenter, quando adeſt ſufficiens & maximè prudens motivum aſſentiendi alicui extremo: in primo caſu equidem nova ratione, aut novo motivo opus eſt ad aſſenſum prudentem eliciendum, licet ad imprudentem aſſenſum tale motivum novum non requiratur: in ſecundo autem eventu, qualis eſt ejus, qui in fide Catholica dubitat, cum dubitatio tunc ſit valdè imprudens, & temeraria, non opus eſt novo motivo ad illam deponendam, & ad aſſenſum fidei præſtandum.

19 Ad ſextum, reſpondeo, ſolutionem dubii per intellectum principiorum, & per ſcientiam non eſſe, nec haberi poſſe per cauſam, vel rationem dubitandi, quia & in intellectu principiorum, & in ſcientia neceſſum eſt evidentiam reperiri: de evidentibus autem rectè penetratis dubitare nequimus, etiam phyſicè loquendo. Non rectè tamen in eadem linea cum intellectu principiorum, & ſcientia collocatur fides in objectione; quoniam fides evidentia non gaudet; ſed potius obſcuritate, quamvis certitudine ſit prædita: unde diſtinguendum venit quod dicitur, ſcilicet ſolutionem dubii per fidem non eſſe per rationem, & cauſam dubitandi; nam ſi loquamur de dubitatione prudenti, negandum eſt ſuppoſitum; quia circa res fidei ab Eccleſia definitas, & fide credendas prudens dubitatio reperiri non valet. Si verò loquamur de imprudenti dubitatione, & de non juſta cauſa dubitandi, nec de ratione tantùm ad dubitādum ſufficienti, falſa eſt objectionis aſſumptio: ut ex dictis patet, nam hæreticus quia in fide dubius, imprudenter, temerè, ac pertinaciter dubitat ex levibus utique, innanibuſque inotivis, quæ motiva potius contemni deberent, quàm inducere ad dubitandum, imò illa non ſunt propriè cauſa dubitandi, ſed cauſa dubitandi vera eſt prava hæretici voluntas, & impietas; hæreſeos autem motiva cum levis ſint armaturæ, præſertim in conſpectu motivorum fidei, non poſſunt eſſe cauſa, ſed levis ocaſio in fide dubitandi; quapropter in rebus fidei non rectè confunditur ratio dubitandi cũ cauſa ejuſdem dubitationis: & potiori ratione nos dicemus, quòd cum voluntas creata ſit vera cauſa pravæ affectionis dubitandi pertinaciter in fide, ipſa voluntas poteſt eſſe cauſa, & de facto talis eſt, piæ affectionis determinantis ad fidem in eo, qui de dubitatione prava ad veram fidem convertitur, præſuppoſita Dei gratia auxiliante, & cooperante.

20 Ad ſeptimum, conceſſo antecedenti, nempè quòd qui dubitat, nec intelligit, nec ſcit,

ſcit, nec credit, nec opinatur hanc partem veram, & alteram falſam nego conſequentiam, ſcilicet: ergo dubitans & ſolvens non habet eaſdem rationes: ſeù diſtinguo hoc conſequens, ex dictis; quia licet dubitans ſemper non habeat eaſdem rationes, ac habet ſolvēs, ſæpè tamen poteſt illas habere: ad probationem verò aſſumpti dicimus eiſdem omninò ſtantibus rationibus, & eodem modo ſe habentibus ex parte objecti, ſeu in actu primo, poſſe quidem nunc hanc partem mihi non videri aſſertivè veram, nec falſam, & ideò me dubitare, & mox iam eam videri veram & ſic deſinere dubitare: id quod in hypotheſi dubitantis de fide & mox pie credentis, liquet ex cumulatè congeſtis in ſuperioribus.

21 Ad octavum, congruam adhibet ſolutionem P. Terillus, *part. 2. queſt. 51. num. 17.* concedendo, abſurdum eſſe, quòd ratio dubitandi propriè ſumpta afferatur pro ſolutione dubii; propria enim ratio poſitivè dubitandi de aliqua parte contradictionis eſt motivum ſuadens illam eſſe falſam, non autem ratio urgens illam eſſe veram. At ratio ob quam dubium ſolvitur, eſt motivum ſuadens partem illam eſſe veram, & illa ratio tantùm & non oppoſita affertur pro ſolutione dubii: unde non ponimus per idem *cur* dubitare, & ſolvere, nec dicimus, nodum per idem implicari, & expediri.

22 Deinde, ſi ratio dubitandi completè accipiatur, ſcilicet prout includit motiva utrique contradictionis parti faventia; neque ſic verum eſt, eandem reddi rationem pro ſolutione dubii, quæ affertur pro dubitatione: nam unum ſolum motivum, ſuadens nempè veritatem illius partis, affertur pro ſolutione dubii; at non illud ſolùm, ſed illud & ſimul oppoſitum redditur pro dubio: evidens autem eſt, quòd pars non eſt idem, ac totum.

23 Exiſtimo etiam obiicientem ex eo incurriſſe deceptionem, quòd plerumque in doctrina, & in libris editis, aliiſvè relectionibus morem illum ſolvendi dubium, nova adhibita ratione vel authoritate, obſervatum vidit, id quod fieri ſolet propter appoſitam docendi, ac dicendi methodum, concinnitatis ergo; tū quia à facilioribus expedit incipere, minus efficacia motiva pro ratione dubitandi afferri ſolent pro parte, quam illuſtrandam & propugnandam ſuſcipiunt Doctores, & Magiſtri, & mox in ſtabilienda ſua ſententia firmiora tum authoritatis, tum rationis momenta ſubiiciunt: quam methodum Angelicus Doctor D. Thomas identidem ſervavit, quia in argumento *ſed contra*, à quo nunquam recedit, non adæquatam, nec potiorem ſuæ ſententiæ rationem aperit, id enim præſtat in corpore articuli. Verum enim verò ex hac praxi minus rectè colligitur metaphyſica, vel phyſica impoſsibilitas aliter dubia reſolvendi; maximè cum experientia ipſa inſpecta, eorum ſcilicet, qui in fide dubitant, omnino concedendum veniat, poſſe abſque nova ratione, & ſine novo motivo deponi dubium, & unam dubitationis partem enuntiari ut veram.

24 Ex dictis colliges, noſtræ doctrinæ non eſſe contrarias quaſdam Theologiæ regulas communiter receptas, nempè quòd peccet, qui in caſu dubii, temerè, & ſine ratione ſpeciali dubium deponit; ſecundò, ſpeculativè dubitantem peccaturum, ſi practicè non deponat dubium ex motivo ſupperadito. Tertiò, dubium conſiſtere in æqualitate rationum pro utraque parte; hæc inquam rectè intellecta nihil aſſertis officiunt. Non primum, quia ex illo potius infertur poſſe dubium & ſi temerè deponi abſque nova ratione: ataliter prudenter idem fieri poſſe, iam ſupra conſtitit,

nempè quando dubium temerè concipitur ; deinde moralis illa gnome ſupponit hypotheſim dubii talem, in qua prudens motivum pro libertate non adſit, quoniam ſi hujuſcemodi prudens ratio faveat libertati, plerumque licita erit operatio : & ex eadem explicatione inclareſcit regula ſecunda.

23 Tertia verò accipienda venit, ſuppoſito, quòd intellectus in neutram partem aſſenſu formali, vel æquivalenti trahatur: præterea dubium non ſolùm contingere poteſt, ſtante æqualitate rationum pro utraque parte, verùm etiam & longè ſuperantibus motivis unius partis, ut oſtenſum eſt in eo, qui de fide dubitat, nemo quippè rectè ſentiendo inficiari valet, quòd ſufficienter fide propoſita, quiſpiam poſsit ex prava affectione de fide dubitare ; rurſus dici nequit, quòd in ea hypotheſi motiva aſſentiendi fidei non ſint longè præponderantia motivis contrariis : ergò dubium non præcisè ſtare poteſt cum æqualitate rationum pro utraque parte, ſed etiam cum ingenti in æqualitate earum.

24 Unde hoc deduces conſectarium, nimirùm prudens ſtrictum dubiũ non deponitur prudenter abſque ſupperadito motivo, imprudenter verò abſque ea additione motivi deponi valet. E regione : dubium imprudens ac temerarium, ſcilicet in fide, abſque novo motivo deponi poteſt, ac debet, maxima cum pietate, ac prudentia: quæ ſi attentè perpendas, & præ oculis habeas haud difficulter ſophiſmata plura, & objectiones confriges.

SECTIO LXXXIV.

Alia objectio Illuſtriſsimi Palanco diluitur, & ejuſdem quoddam aſſertum refellitur.

1 ILluſtriſsimus Jaccenſis Præſul D. Palanco, *tract. de conſcien. q.* 19. §. 2. tuetur ad ſolvẽdum dubium, neceſſariam eſſe novam rationem, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum; & licet non ſatis explicet, loquatur ne de ſolutione prudenter, an etiam de imprudenter ac temerè elicita? Tamen ipſius fundamentum omnimodam impoſsibilitatem ſolvendi dubium evincere videtur, quoniam in hunc modum differit, *num.* 5. Implicat, quòd eadem ratio omninò invariata inclinet & ſuadeat intellectum prudenter ad oppoſita, ſed dubitare de parte contradictionis affirmativa, v. g. & ſolvere dubitationem de illa, determinatè judicando, ſunt actus oppoſiti intellectus, quorum primus, ſcilicet dubitare importat ſuſpenſionem judicii, ſecundus importat ipſum judicium exercitum : ergò implicat quòd eadem ratio omninò invariata, quæ movet intellectum ad dubitandum, ſit ratio ſufficiens ſolvendi dubium, & judicandi pro parte affirmativa determinatè.

2 Confirmatur : nam ſi rationes dubitandi ſunt rationes ſufficientes aſſentiendi, cur igitur ſtatim ac dubitamus, non aſſentimur? Quid detinet intellectum? Certè intellectus ad aſſenſum & judicium tendit, & quanto magis dubitat, magis conatur ad judicandum; ſi ergò habet motivum ſufficiens aſſentiendi, & judicandi, certè non ſatis capio, curſit prudentia intellectum ſuſpenſum retinere? Nec ſatis capio cur SS. PP. & plerique ſapientes in magnis dubiis, ſolent judicium ſuſpendere, & ſententiam proferre non audent? Sanè ſi dubitant prudenter, rationem veram habent dubitandi; cum igitur per te ratio dubitandi eadem, & invariata omninò ſit ratio ſufficiens prudenter aſſentiendi, cur non aſſentiuntur, cum habeant rationem ſufficientem ad prudenter aſſentiendum.

3 Quòd ſi dixeris ideò ſapientes, & prudentes dubitare, quia carent ratione probabili ad aſſentiendum,

dum, insurgit idem Palancus *num.* 6. Quia maximum dubium ab ingenti ratione procedit, ut enim ait Philosophus in 2. *Elench. cap.* 7. Est autem acuta ratio, quæ dubitare maximè facit, mordet *hæc maximè*; sed ratio acuta, quæ maximè mordet, non potest non esse verisimilis,& probabilis: ergo dum prudentes maximè dubitant, sivè in dubiis maximis, semper habent rationes probabiles, & tamen plerumque suspendunt prudenter assensum: ergo non omnes rationes probabiles, quæ sunt rationes dubitandi, sunt sufficientes ad prudenter assentiendum, alioquin ex illis prudenter assentirent.

4 Secundò: (Pergit idem Author) Nam vel rationes probabiles dum sunt verè probabiles, sunt rationes prudenter dubitandi, vel non? si non: ergò quamvis illæ sint rationes sufficientes prudenter assentiendi,non salvatur quod rationes prudenter dubitandi omninò invariatæ sint rationes sufficientes ad prudentem assensum. Si è contra sunt rationes prudenter dubitandi: ergò non erunt rationes prudenter assentiendi: alioquin cur sapientes, & prudentes habentes tales rationes: prudenter suspendunt assensum, & non audent proferre judicium. Hæc ad litteram prælaudatus Jaccensis Præsul: cujus præcipuum fundamentum, nempè eandem invariatam rationem, quæ movit intellectum ad dubitandum, non posse esse sufficientem rationem solvendi dubium, & judicandi pro parte affirmativa determinatè, non solum probare videtur repugnantiam prudentis assensus in ea hypothesi, verum etiam & cujuscumque alterius, & consequenter absolutè impossibilem esse assensum, vel dissensum erga quamlibet partem, si nulla addatur decidendi ratio.

5 Quidquid verò sit vel circa hunc scopum, vel quoad prudentem dubitationem, & modum illam exolvendi prudenter. Respondetur primò, concedendo eandem invariatam rationem, adæquatè sumptam, quæ movet ad dubitandum,non posse esse sufficientem ad solvendum dubium:quoniam ut sect. præcedenti n. 21. diximus, ratio, quæ movet ad dubitandum de parte contradictionis affirmativa,exempli gratia,non est ratio præcisè suadens veram esse partem illam, sed potius ratio contraria, & probans eam esse falsam, hujuscemodi autem ratio non potest inducere intellectum ut judicet eandem affirmativam partem esse veram: Quod si adæquata ratio dubitandi accipiatur pro complexo rationum contrariarum suadentium veritatem utriusque partis contradictionis, neque id complexi erit, aut esse poterit ratio decidendi; & propterea conficitur verum esse, quòd ratio dubitandi invariata, non potest esse ratio decidendi, in quo ostendendo laborat valdè ingeniosus Palancus, verum tamen id nostram haud percutit doctrinam, dum asserimus, quòd stantibus eisdem motivis,& rationibus invariatis ex parte actus primi, potest intellectus ex libera immediatè determinatione voluntatis vel dubitare, vel assentiri huic, aut illi parti contradictionis: prout evenit in eo, qui de fide Catholica dubitat: tum in eo qui de proximi dubitat probitate, cum dubia sint in meliorem partem interpretanda: tum in eo qui de licitudine rei præceptæ dubitat, cum possit judicii obedientiam exercere.

6 Respondetur secundò, distinguendo majorem,quæ totius objectionis fundamentum continet; implicat, quòd eadem ratio omninò invariata inclinet, & suadeat intellectum ad oppositа, tanquam ratio efficax & necessitans, concedendo majorem; tanquam ratio inefficax, & non necessitans, nec positivè adæquatè, sed par-

partim negativè ad oppoſita inclinans, nego majorem; & conſimiliter diſtinctis aliis aſſumptionibus, negandum venit aſſumptum præcipuum. Explicatur, quoniam ratio etiam illa ſuadens veritatem extremi unius contradictionis, inefficaciter tamen, ſeu inevidenter, & abſque demonſtratione, qua ſtante ratione intellectus dubitat, non eſt ratio neceſsitans intellectum ad dubitandum, nec eſt dubitationis cauſa adæquata, non ſolùm, quia ad dubitandum movetur intellectus etiam à ratione contraria, ſed quoniam cauſa determinans dubitationem eſt voluntas libera, quæ cum poſſet determinare aliquando ad aſſenſum imprudentem unius partis, & ad prudentem valde alterius, ut in hypotheſi propoſitionis ſufficientis motivorum fidei Catholicæ, & hæreſeos: aliquando ad imprudentem aſſenſum, vel diſſenſum utriuſque partis, quando ſcilicet pro nullo contradictionis extremo adeſt prudens, aſſentiendi aut diſſentiendi motivum; & aliquando ad prudentem aſſenſum vel diſſenſum, quia aſſentiendi, & diſſentiendi ratio vel authoritas prudens, & ſufficiens reperitur; voluntas tamen pro ſua libertate eligit omnem aſſenſum, & diſſenſum ſuſpendere, & formaliter dubitare.

7 Præterea dixi eandem invariatam rationem, inevidenter ſuadentem unum extremum contradictionis, poſſe inclinare partim poſitivè, partim negativè ad oppoſita, videlicet ad dubitandum, & ad aſſentiendum: Nam quatenùs eſt ratio poſitiva ſuadens illius extremi veritatem, manifeſtè inclinat ad aſſentiendum illi; quatenùs verò eſt ratio inevidens, & obſcura inclinat ad dubitandum, ſeù ad non aſſentiendum illi extremo, non quidem poſitiva ſuaſione ſed negativa; ex eo ſcilicet, quòd non convincit intellectum, & liberum ſeù potentem illi diſſentiri relinquit, ſivè prudenter, ſivè imprudenter, juxta diverſas rerum hypotheſes.

8 Reſpondetur tertiò, & elevatur confirmatio objectionis prima: dicendo, poſſe quàm optimè fieri, ut adſint rationes dubitandi, ſufficientes ad aſſenſum præſtandum, & quòd nullatenùs eliciatur aſſenſus, & quidem valde, prudenter, quòniam non quævis ratio ſufficiens ad judicandum, eſt ratio aut motivum judicandi prudens, ut patet in eo, qui temerè de proximo judicat, in quo ratio phyſicè ſufficiens ad ſic judicandum reperitur, deeſt tamen illi ratio ſufficiens ut prudens ſit tale judicium; & cum ad dubitandum minus grave motivum requiratur, quàm ad præſtandum aſſenſum, poteſt quiſpiam prudenter dubitare, & tamen cohibere aſſenſum prudenter, quia caret prudenti aſſentiendi motivo, eſtò non careat motivo ſufficienti phyſicè ad præſtandum aſſenſum.

9 Rurſus evenire poteſt, quòd adſit motivum maximè prudens ad aſſentiendum, & quod aſſenſus non eliciatur, ſed dubitet intellectus, ut perſpicuum eſt in eo, qui de fide ſufficienter illi propoſita ad debitum præſtandum aſſenſum, eum cohibet, & dubitat: in hoc ergo eventu, poſsibile eſt dubitare, ſed imprudenter aſſenſus fidei non exhibetur: in ſuperiori autem hypotheſi poſsibile eſt judicare, ſed imprudenter, ac temerè; at quandoque prudenter dubitatur, ſi adſit ratio ſufficiens, & prudens dubitandi, ut in pluribus hypotheſibus facti, & juris reconditi, nec ſatis enucleati: & in his eventibus PP. & ſapientes ac prudentes dubitant, nec judicium proferre audent: At Illuſtriſsimus Palancus, cum non diſtinguat ſatis inter motiva prudenter dubitandi, & prudenter aſſentiendi, ideò non capit, cur Sancti PP. & ſapientes, ac prudentes in magnis du-

dubiis, prudenter dubitent, nec tamen judicium proferre audeant.

10 Porrò autem id distinctionis esse ab omnibus agnoscendum, pluribus liquet exempli: sit primum & quam notum ex *cap. ad Audientiam. cap. significasti, el segundo. De Homicidio*, in quibus Sacris Juribus cavetur, quòd in dubio facti de homicidio, censendus est quilibet irregularis: quæ doctrina evidens est, quod intelligi non debeat de dubio imprudenti, sed præcisè de illo quòd prudenti nititur dubitandi ratione; id quod signanter adnotant Medina *in sum. lib. 1. cap. 10. §. 11.* P. Avila, *de censur. septima part. disp. 2. dubio 5. vers. circa id autem.* Et patet, nam si non adsit dubitandi motivum prudens, scrupulus erit contemnendus, & juxta regulas, & statum moralis certitudinis judicandum erit.

11 Præterea si quis probabiliter opinatur alteram partem, licet minus tutam, tunc potest eam complecti, & consilij tantùm tunc erit, operari quod tutius est, ut docent D. Antoninus *part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. colum. 7. vers. pro cujus enodatione.* Angelus *verb. opinio. num. 2.* ubi Sylvest. *quæst. 1. fine* Martinus Azpilcueta *cap. cap. consideret. in princ. de Pœnit. dist. 5. num. 38.* Gutierrez, *quæst. canonic. lib. 1. cap. 31. n. 41.* P. Enriquez alios referens *lib. 14. de irregular. cap. 3. num. 4. fine.* Quos laudat, eisque astipulatur P. Thomas Sanchez, *lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 9.* ubi ait conferre ad hoc opinionem probabilissimam multorum asserentium ex duabus opinionibus probabilibus fas esse minus probabilem eligere.

12 Secundò exemplo sit communis sententia docens, peccata dubia esse in confessione Sacramentali aperienda, quæ intelligenda venit quando quis rationabiliter dubitat an fecerit actionem mortaliter culpabilem, vel quod fecit sit ne lethale, vel veniale: eo quòd homo, licet habeat probabiles rationes dubitandi pro utraque contradictionis parte, tamen illæ sunt insufficientes, ut ex ijs possit determinari ad formandum judicium probabile pro altera parte, ut adnotant Exim. D. P. Suarez, *tom. 4. in 3. part. disput. 22. sect. 9. num. 7.* P. Thomas Sanch. *lib. 1. sum. cap. 10. num. 86. vers. nec hoc contradicit.* P. Laiman, *lib. 1. tract. 1. cap. 4. n. 37. vers. sed nota hic primo* Fagundez *de Præcep. Eccles. 2. lib. 3. cap. 4. n. 2.* Henriq. *lib. 5. sum. cap. 4. n. 5.* Bressers, *lib. 4. de consi. cap. 18. num. 186. & 187.* Joan. Angel. Bosius *moral. var. part. 2. tit. 1. num. 1741. & 1760.* P. Mendo, in *statera benig. opin. differt. 10. quæst. 1. num. 6.* Georgius Gobat *tract. 7. num. 212.* & plures alii.

13 Conspicuum ergò fit, ad esse posse probabiles dubitandi rationes, quæ tamen insufficientes sint ad probabile, & prudens eliciendum judicium, quamvis ad judicium imprudens sufficere possint. Quod ex terminis ipsis liquet; quoniam cum dubitatio ex genere suo sit actus minus perfectus quàm judicium, consequenter ad prudentem dubitandum, minus requiritur fundamenti, quàm ad eliciendum judicium circa objectum idem; quòd autem prudens dubitandi ratio sit insufficiens ad prudenter judicandum, non probat impossibile esse ex vi ejusdem rationis judicare, accedente scilicet voluntatis determinatione.

14 Unde fluit solutio quæstionis ab Illustris. Palanco propositæ, scilicet: si rationes dubitandi sunt rationes sufficientes assentiendi, cur statim, ac dubitamus non assentimur? Quid detinet intellectum? Dicimus quippè ideò intellectum sæpè non assentiri statim, ac dubitat, quia prudenti animadversione regulata voluntas cohibet assensum, eo quòd licèt physicè posset illum imperare, tamen cum prudenti

assen-

assentiendi motivo intellectus careat, honestum non proponitur voluntati imperium talis assensus. Præterea, cum in rebus obscuris intellectus assentiri non possit, nisi à voluntate determinatus; ut non assentiatur, licet ingens adsit ad assensum ratio, sufficit quòd voluntas nolit talem imperare assensum, quod in libera esse voluntatis potestate, saltem quoad exercitium, in his rebus inevidentibus, nemo est qui inficietur. Verum tamen ut prudenter suspendatur assensus, aliàs imprudenter possibilis, sufficiens admodùm fundamentum adesse plerumque solet in sapientibus, ob carentiam prudentis rationis ad judicandum absolutè, & directè, licèt prudens dubitandi ratio non desit.

15 Tertiò contingit suspendere judicium, & dubitare, utique imprudenter, stante maximè prudenti assensus motivo, ex pertinacia, & prava voluntatis affectione, ut in iis qui de fide dubitant, cum sufficienter ejus evidens credibilitas proponitur. Quartò stante prudenti admodum assentiendi motivo, potest assensus suspendi absque dubitatione, & sine noxa, quia scilicet pro eo instanti, ac tempore non urget obligatio assentiendi, adeòque laudabiliter ad alia animus converti valet.

SECTIO LXXXV.

Eximii Doctoris doctrina assumptum fulciens expenditur.

1 COnstabilita doctrina novam lucem, ac munimen accipiet ex observanda valde, haud vulgari equidem eruditione Doctoris Eximii P. Suarez, *tom.* 2. *in* 3. *part. quæst.* 37. *art.* 4. *sect.* 6. ubi inquirit, utrum in Beata Virgine aliqua fuerit ignorantia? Et relata duplici sententia, prima asserente Beatam Virginem interdum habuisse in intellectu errorem, & in phantasia falsas imaginationes, quam tradit Gerson. *Alphabet.* 15. *lit. S.* qui tamen solùm loquitur de eo tempore, quo Virgo Beatissima dormiebat, in quo dicit, potuisse habere falsa somnia; at generalius etiam de tempore vigiliæ, & de proprio judicio erroneo hoc docuit Corduba *lib.* 1. *Theologic. quæstionum, quæst.* 16. fundatus in illis verbis Lucæ cap. 2. v. 44. *Existimantes autẽ illum esse in comitatu.*

2 Secunda verò dicente, potuisse esse in Virgine ignorantiam privativam, quæ consistit in carentia scientię; quia ut constat ex Evangelio Lucæ *cap.* 1. & 2. multa non intelligebat, & ideò interdum admirabatur, & conservabat verba, quæ audiebat, eaque in corde suo conferebat, interdum interrogabat *Quomodo fiet istud?* Denique de illa, & de Joseph expressè dicitur. *Et ipsi non intellexerunt*, nimirum Christi Domini responsionem.

3 His inquam præmissis sententiis, suam promit, & illustrat Marianus Doct. in hunc modum: dicendũ verò est primò, in intellectu Beatę Virginis nunquam fuisse errorem, neque ignorantiam pravæ dispositionis. Hæc conclusio apud me, inquit P. Suarez, certa est, & contraria pias aures offendere videtur, eamque supponere videntur omnes Authores, qui tribuunt Virgini donum justitiæ originalis ab initio sanctificationis suæ: expressè verò id docuit ex præclaro PP. Prædicat. Ordine sanctitudine, & sublimi sapientia semper collucẽti Bartholomæus Medina, Primarius quondã Salmãticẽsis hujusce Academiæ Theol. perdoctus Mag. *sup. quæst.* 30. *art.* 1. Probatur autem primò, quia in statu innocentiæ non fuisset illa imperfectio erroris. Beatæ autem Virgini communicata est omnis perfectio illius status, iis exceptis, quæ corpori mortali, & pas-

passibili repugnant: omnis enim hujuscemodi perfectio, statum ac dignitatem Virginis decebat. Secundò, quia error, vel deceptio pœna est per peccatum introducta, ut ex prima ratione constat, & ex D. Thoma 1. 2. *q.* 85. *art.* 3. Ergò sicut Beata Virgo non contraxit culpam; ita neque hanc pœnam. Tum quia, sicut Beata Virgo fuit præservata à culpa, ita fuit præservata ab illis pœnis, quæ magnam aliquam indecentiam, & spiritualem imperfectionem continent, inter quas sine dubio annumeranda est pœna erroris, & deceptionis, non minus quàm quælibet alia inordinatio virium animæ. Unde oritur tertia ratio, quia Beata Virgo habuit plenum dominium suarum potentiarum, summamque prudentiam absque ullo inordinato motu; ergò poterat facilè nunquam definitè judicare de rebus incertis: sed vel suspendere judicium, vel judicare, hoc esse probabile, aut verisimile, vel apparens, vel aliquid hujusmodi. Hæc enim existimatio sufficit ad operandum prudenter, & qui non vult se exponere periculo errandi, si perfectè dominatur suis actibus, cum hac moderatione judicat, adeò ut ipsi etiam Beati de his rebus, quas certò non norunt, non aliter judicium ferant, nisi divina revelatione instruantur: quos in hac perfectione imitatam esse Beatam Virginem credibile est, cum & facilè potuerit, & melius, ac perfectius hoc sit.

4 Et hinc facilè exponi possunt verba illa, *existimantes illum esse in comitatu.* Primò per Synedochen, ut scilicet pluraliter dicatur de multis, quòd in aliquo tantum accidit, sicut dicuntur latrones blasphemasse Christum, quamvis alter tantum blasphemaret. Sic enim dici potuerunt parentes Christi existimasse illum esse in comitatu, quia Joseph ita existimabat. Unde Rupertus *libro primo in cantica* docet, Virginem optimè tunc temporis cognovisse, ubi filius esset: sed quia erat tempus tacendi, dissimulasse, atque ita se gessisse, ac si id ignorasset, & existimasset, filium esse in comitatu. Quòd tamen absolutè, & simpliciter non placet. Patres enim simpliciter intelligunt Evangelicam historiam, prout sonat, atque sentiunt, Beatam Virginem ignorasse, ubi Christus tunc esset, quia hoc nullam imperfectionem importat, quæ Virginem non deceat, & propter mysterium expedire potuit, ut tunc se Christus matri occultaret, quod etiam illi ad meritum, & nobis ad exemplum esse poterat. Secundò ergò exponi possunt illa verba, parentes Christi existimasse, eum esse in comitatu non simpliciter judicando ita esse, judicio falso, & erroneo, sed solùm judicando, id accidere potuisse, & ex signis, & circunstantiis occurrentibus id fuisse verisimilius, quod judicium verum erat, & sufficiens ad illa omnia, quæ ab Evangelista narrantur. Et eodem sensu piè exponendos censeo Expositores Sacros, si alicubi falsam existimationem Virgini tribuere videantur, ut circa eandem historiam, quòd perdiderit filium existimando rediisse cum Joseph, & si quæ sunt similia. Hactenus Exim. Doct. *disp.* 19. *sec.* 6. qui tãdem edocet Beatam Virginem non omnia semper sciviſſe, sed pro tẽporum varietate nonnulla ignorasse negativè; nihilominus tamen nunquam habuisse propriè ignorantiam privativam: quòniam Beata Virgo omni tempore vitæ suæ eam omnium rerum cognitionem habuit, quæ pro ratione sui status illi maximè expediebat, hoc enim illius dignitatem, & perfectionem decebat: ergò non habuit propriè ignorantiam privatam, quæ huic cognitioni opponitur, ut in principio sectionis idem Sapientissimus Pater explicat.

5 Porrò autem ex eleganti

hac

hac inſtructione cernere eſt, cur ſit prudentia, & perfectio laudabilis, aſſenſum directum ſuſpendere, ſtantibus etiam ſufficientibus ac prudentibus ad aſſentiendum motivis : ne videlicet quis ſe exponat periculo errandi, utque ſuis actibus perfectè dominetur, Beatorum, ac Deiparæ Virginis exempla, pro viribus noſtris ac Dei gratia imitando.

6 Nec oppoſitum evincit objectionis inſtauratio ſupra allata ex *ſecundo Elench. li cap. 7.* ubi ait Philoſophus, eſt autem *acuta oratio* (non *ratio*, ut habet objiciens *quæ dubitare maximè facit, mordet enim hæc maximè.* Nam in primis negatur, quòd ratio, aut oratio acuta neceſſario debeat eſſe probabilis; ſophiſmata enim, & captioſa argumenta acuminis haud parum involvunt, & tamen non ſunt probabilia licèt talia appareant: planum verò eſt, Ariſtotelem in prælibatis Elenchorum libris de ſophiſmatibus, & fallaciis dignoſcendis, & elevandis differere, & ſignanter in præcitato *cap. 7.* agit de ſophiſticis difficilioribus, & acribus orationibus: unde verba illa ab objiciente adducta, *eſt autem acuta* (*acris* legitur etiam) *oratio, &c.* Beatus Albertus Magnus in hunc modum exponit *lib. 2. Elench. tract. 5. cap. 2. Eadem autem oratio* (inquit) *quæ difficilis eſt in ſe, acris dicitur in comparatione ad reſpondentem: quia acrem facit eum, & morſum ſua difficultate: unde acris oratio eſt, quę maximè facit dubitare reſpondentem, eo quòd hæc maximè mordet, & tenet, & impedit reſpondentem, qualiter ſolvenda ſit. Et hæc ſubdividitur, quia duobus acris eſt duplex: hæc enim una ſcilicet eſt in orationibus ſyllogizatis, quæ non peccant in forma ſed in materia* (en ſophiſmatis vitium) *ſcilicet illa de qua dubium eſt, quam interrogationum, ſeu præmiſſarum eligat quis reſpondentium ad interimendum, utrum ſcilicet majorem, vel minorem: & ita mordet reſpondentem. Illa autem alia dubitatio acris eſt in orationibus litigioſis, ſivè non ſyllogizatis, niſi apparenter, ſicut in his quæ peccant in forma ſyllogiſmi: in illis enim dubitatur quomodo aliquis dicat reſpondendo, & ſolvendo propoſitum, ſivè de propoſito, quod vera ſolutione volunt ſolvere. Eſt autem ſyllogiſtica, ſivè ſyllogizata quidem, ſed peccans in materia accerrima hoc eſt valdè acris, ſed ex qua maximè apparentibus præmiſſis, ſivè probabilibus, & falſis, quàm maximè probabile interimitur. Et hæc quidem eſt cauſa, & ratio, quare cum una eſt oratio* (*hoc eſt ſyllogiſmus oſtenſivus ex probabilibus concludens probabile*) *tranſpoſita in duobus converſivis ſyllogiſmis contradictione, hoc eſt, ſumpto contradictorio concluſionis cum altera præmiſſarum omnes probabiles habet paralogiſmos*: Et hiſce expoſitis paralogiſmis in fine periodi hæc habet Beatus Albertus: *Quoniam affirmativa, & negativa in talibus æqualiter ſunt probabiles: propter quod neceſſarium eſt, dubitare reſpondentem, quid eligat ad reſpondendum.* Hactenus ille.

7 Igitur ex Ariſtotele, & illius elucidatione à B. Alberto Magno adhibita conficitur acrem ſeù acutam orationem, ſeù ſyllogiſmum, de quo Ariſtoteles differit, eſſe ſophiſma, peccans vel in materia, vel in forma : probabilia autem, propriè talia, non ſunt ſophiſmata, nec in materia, nec in forma peccare debent : ſed gravi ac prudenti fundamento innituntur : ergò non rectè Illuſtriſ. Palancus ait acutam rationem, ſeù orationem debere eſſe probabilem.

8 Deinde fatemur, quòd ubi affirmativa, & negativa propoſitio proponuntur ut æquè probabiles, ſivè vera, ſivè falſa probabilitate, neceſſarium eſt dubitare reſpondentem ſeù intellectum, donec voluntas determinet, & eligat, cui nam earum propoſitionum ſit aſſentiendum: voluntatem verò id eligere non poſſe, nec dubitatio-

tionem intellectus auferre, minimè dixit Philosophus, nec ipsius illustrator Magnus Albertus, sed potius contrarium docet, dum inquit, electionis esse, hanc vel oppositam assumere partem, ad respondendum. Præterea supra ostensum est, sapientes non semper ac prudenter dubitant, habere rationes probabiles assentiendi, quia plus ponderis requiritur in motivo prudentis assensus, quàm in motivo prudentis dubitationis.

9 Secundæ confirmationi sit satis dicendo, rationes probabiles alias esse tales respectu assensus prudentis, alias respectu dubitationis: deinde aliud esse dubium proprium, aliud improprium: primum contingit, quando desunt rationes probabiles, & sufficientes ad prudentem assensum, sufficientes tamen adsunt ad dubitandum: secundum, & improprium dubium evenit, quando stantibus etiam motivis sufficientibus ad assentiendum cuilibet ex oppositis extremis, intellectus adhuc non assentitur alicui eorum, ex defectu imperii voluntatis, quæ, ex dictis cum Eximio Doctore aliquandò prudenter in ea hypothesi potest suspendere omnem directum assensum: cæterum quia reflexè intellectus certò cognoscit probabilitatem utriusque partis, non dicitur dubitare, nisi impropriè, & lata quadam acceptione: unde rationes probabiles præcisè ad dubitandum strictè, & propriè, non sunt sufficientes ad prudenter assentiendum; probabiles verò rationes sufficientes ad dubitandum impropriè, quia videlicet continent motiva prudenter assentiendi cuilibet ex oppositis extremis, sunt consequenter sufficientes ad assensum prudentem. Quandò verò dicimus quod stantibus eisdem motivis invariatis, potest intellectus non semel vel dubitare strictè, vel assentiri, non dicimus, & assensum, & strictam dubitationem posse simul esse prudentem; patet, nam, fidei motivis sufficienter propositis, potest intellectus propriè, & strictè de fide dubitare, sed non nisi imprudenter, temerè, ac pertinaciter: at verò eisdem motivis persistentibus, prudenter valdè, & piè fidei assensus præstatur: unde potissimum Illustris. Palanco fundamentum labascit, nempè eandem invariatam rationem, quæ movet intellectum ad dubitandum, non posse esse sufficientem rationem solvendi dubium, & judicandi pro parte affirmativa determinatè.

SECTIO LXXXVI.

Singularis quædam sententia de natura, & necessitate, ac libertate dubitationis proponitur.

1 PErdoctus P. Camargo *lib. 1. contr. 9. art. 1. §. 1. & 2.* proposita definitione dubitationis, quam ex D. Thoma *in 3. sent. dist. 17. quæst. unic. art. 4.* dicit esse, *motum rationis supra utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram*, nonnulla infert corollaria; primum motum rationis, quem dubitatio importat, esse intellectus actum, qui attingit, pariter, & immediatè utrumque extremum contradictionis, ut propositum per motiva diversa, & se se invicem oppugnantia, quorum quodlibet intellectum solicitat, & trahere conatur in suam partem per determinatum assensum; viribus tamen paribus, & ancipiti pugna, ut neutrum alteri sibi contrario notabiliter saltem prævaleat. Hinc fit, ut intellectus veritatem, quam quærit, invenire demum non possit, indeque hærere violenter cogatur, haud secus, quàm si vinculo quodam implicaretur; contra quod dū annititur, atque conatur, ut veritatem assequatur, cum illud solvere non possit, impeditur ultra pro-

cedere: hoc enim exemplo utitur Aristoteles 3. *Met. cap.* 1. & 7. *Ethic. cap.* 2.

2 Secundum: intellectum, dum dubitat vel per actum ipsum, quo dubitat, vel per alium priorem, qui sit illius causa, attingere aliquomodò, saltem confusè, ac indeterminatè, ut assequibilem, & invenibilem veritatem ipsam, quam quærit, cujus scilicet amore movetur ad ipsam inquirendam, & inveniendam: & ex hoc amore, & desiderio veritatis, oritur vis illa, quam intellectus patitur, dum dubitatione impeditur.

3 Tertium: dubitationem partim ex ignorantia, partim ex scientia procedere: & ideò verba illa Doctoris Angelici præcitato loco, *Dubitatio contingit ex defectu scientiæ*, intelligenda sunt de defectu scientiæ perfectæ, non vero de defectu omnis scientiæ etiam in fieri, aut inchoatę. Enim verò, qui rem vel prorsus novit, vel prorsus ignorat, nihil de illa dubitat. Hinc Deus de re nulla dubitare unquam potest, Christum etiam ut hominem nunquam dubitavisse, rectè Magister docuit superiori loco. Unde relinquitur, dubitare imperfectorum esse, at minimè ineptorum, sed benè proficientium in aliqua scientia, vel arte, siquidem benè, & cum ratione dubitent.

4 Quartum: dubitare non esse sine ratione, quæ prout fuerit levis, aut gravis dubitationem causat, aut prudentem, aut imprudentem; ratio patet ex dictis; quia dubitatio gignitur, ex eo, quod intellectui veritatem quærenti utrinque occurrant fundamenta, aut motiva se se invicem oppugnantia, & quæ cursum ipsius in veritatem recta tendentis utrinque impediant: atque concludant, ut neutra via possit procedere, & dum ipse conatur expedire se à vinculo sibi opposito, resultat motus ille contentiosus, & pugnax, quo intellectus huc, illuc agitatur, ac vertitur. Hinc ergò fit, ut hærere cogatur, & utriusque partis assensum cohibere, non tamen sine quadam violentia, quia semper urget veritatis amor, qui si omninò cessaret, cessaret etiam motus, & conatus in ipsam veritatem, in quo formaliter dubitatio consistit, indeque, & ipsa actualis dubitatio cessaret.

5 Quintum: dubium, quod negativum vulgariter appellant, ut circa siderum imparitatem, vel paritatem, non esse verè dubium, sed impropriè dumtaxat, & abusivè, quodque ignorantia potius, vel nescientia dici mereatur: quia ubi nulla proponitur ratio, veritas non cognoscitur ut assequibilis, & ideò nec intellectus potest dubitare de ipsa: id quod patet ex dubii definitione, tũ ex Ang. Mag. ubi supra *ad* 2. dicẽte: *Nõ omnis nescientia dubitationem causat, sed quando aliquis rationem ejus, quod quærit, & de quo contraria apparent, videre non potest.* Insuper Aristoteles ubique id ipsum supponit, ac docet, nempè *Elench.* 2. *cap.* 7. de difficili oratione sic inquiens: *Est autem acuta oratio, quæ dubitare maximè facit, mordet enim hæc maximè.* Et rursus. *Quapropter in syllogisticis, quanto acutior oratio est, tanto magis inquirentem exercet*: è contra vero faciles orationes contemnendas esse pronuntiat, vel quia inopinabilia, aut valdè falsa assumunt, vel quia non habent de qua, nec rationem, propter quam dubitetur. Non est igitur dubitare sine ratione aliqua monstrante utrinque veritatem objecti. Qui enim diceret se ob nullam rationem dubitare, non dubitare re vera, sed delirare potius, aut somniare censeretur.

6 Præterea docet idem Author §. 3. *num.* 19. motum rationis, quem dubitatio importat esse apprehensionem quandam specialis modi tendendi, quæ fertur in utramque contradic-

dictionis partem, quaſi per modum inquiſitionis, aut interrogationis cujuſdam, hoc vel ſimili modo, utra ex his vera? Num hæc? num illa? cur hæc? cur non oppoſita? quod ſi quis velit ſimilem actum dubitationis non eſſe apprehenſionem, nec judicium, quemadmodùm de imperio dicitur in Philoſophia, permittit ita ſentire.

7 His prælibatis, ad neceſſitatem, & libertatem dubitandi edocendam pergit, & *dict.* §. 3. *num.* 22. aſſerit, quòd diſtingui debet triplex objecti ſtatus, ſeù propoſitio: nam vel primò proponitur rationibus utrinque paribus, ita ut neutra præmineat alteri perceptibiliter, aut notabiliter: vel ſecundò, ita ut altera notabiliter alteri præmineat: vel demum tertiò, ita ut ex una parte adſit ratio ſufficiens ad aſſenſum, ex oppoſita verò nulla ſufficiens. In hypotheſi prima ait, dubitare non eſſe nobis liberum, ſed neceſſarium potius utrinque, ut ſe demonſtraſſe dicit, tota *controv.* 5. In ſecunda verò hypotheſi, liberum eſſe nobis dubitare, ex altera parte dumtaxat, ex parte ſcilicet præminenti, quia ex illa parte liberè poteſt dubium reſolvi per determinatum aſſenſum; ex parte verò oppoſita neceſſarium omninò ob contrariam rationem: quod à fortiori, inquit ille, patet ex concluſione præcedenti.

8 Denique in tertia hypotheſi docet, dubitare liberum eſſe ex illa tantum parte, pro qua eſt ratio ſufficiens ad aſſenſum: ex parte vero altera, non modò dubium liberum non eſt, ſed neque dubium eſt, niſi ut ſummum impropriè, ac negativè tantum: quia intellectus non poteſt moveri in illam partem, cum de ſit omne principium motus, nimirum omnis ratio oſtendens veritatem objecti. Sic opinatur ſupra citatus Primarius quondam Theologiæ Salmantinus Magiſter.

SECTIO LXXXVII.

Prælibata ſententia rejicitur multiplici ex capite, ſed maximè quia fidei libertati, ac merito contraria.

1 IN ſuperiori ſententia, ac doctrina plura ſunt, quæ mihi haud placere poſſunt: & quidem quod in primo Corollario dicitur ſcilicet, dubitationem debere eſſe inter extrema ſibi invicem oppugnantia *viribus paribus, ita ut neutrum alteri ſibi contrario notabiliter ſaltem prævaleat*, nec colligitur ex definitione dubitationis tradita à D. Thoma, & ab eodem Recentiore probata: nec verum eſſe poteſt: primum patet, quòniam Angelicus Doctor ſolùm docet, *dubium eſſe, motum rationis ſupra utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram*: ubi de æqualitate aut inæqualitate rationum dubitandi nihil fatur, ſed ab ea præſcindit Sanctus Doctor, quemadmodum, & in ſequentibus verbis, quæ dubitationis cauſam, ſeù originem objectivam exponunt, hæc enim dubitatio, ſubdit poſt pauca S. Thomas, *contingit ex defectu medii ſufficientis ad veritatem inveniendam, & ideò contingit ex defectu ſcientiæ*: liquidum ergò eſt ex mente D. Thomæ, ad rationem dubitationis non exigi motivorum ſibi oppugnantium æqualitatem.

2 Porrò autem id æqualitatis dubium reapſe non poſtulare, conficitur ex dictis: quòniam ſi id eſſet neceſſarium, homo cui ſufficienter proponuntur fidei catholicæ motiva, non poſſet de fide dubitare; at hoc eſt falſum: ergò, quia ad dubitationem non requiritur, quòd neutrum motivorum pro contradictionis extremis militantium alteri contrario notabiliter prævaleat: major ſeù prima

aſſumptio patet ex eo, quòd fidei motiva ſufficienter propoſita prævalent notabiliter, ingentique præponderantia, motivis hæreſeos cujuſcumque, ut planum eſt, & à nobis ſæpè adnotatum. Secunda aſſumptio non minus explorata eſt ex traditis *ſect.* 79. *num.* 9. *& ſequentibus*, ubi ex *cap.* 1. *de Hæret.* & *ſect.* 81. *per totam*, ex aliis juribus conſtitit, dubium in fide eſſe hæreticum, & conſequenter ex pertinacia damnabilem; pertinacia autem ſine ſufficienti motivorum fidei notitia, ſeù abſque propoſitione doctrinæ Eccleſiæ eſſe non poteſt, ut ex ſe patet, & fundamentaliter explicatum fuit *ſect.* 38. *& ſequentibus uſque ad* 44. Igitur ad dubitandum, neceſſarium non eſt, quòd fundamenta pro utraque parte contradictionis æquiponderent.

3 Hinc etiam fluit, quòd licet in ſenſu compoſito dubitationis non poſsit intellectus aſſequi veritatem elicito aſſenſu, aut judicio circa aliquod ex quæſtionis extremis: tamen in ſenſu diviſo, & prætermiſſa dubitatione, eiſdemque perſtantibus motivis, poteſt intellectus ex libera voluntatis determinatione aſſentiri alicui ex extremis oppoſitis: id quod eſt conſpicuum, in eo qui de fide pertinaciter dubitat, ut oſtenditur *ſect.* 79. & 81. *per totam.*

4 Secundum Corollarium, ab eodem Sapienti Magiſtro adductum, diſplicet etiam mihi, primò, quia nulla ratione colligitur ex doctrina D. Thomæ, nam Doctor Angelicus ſolùm dicit, dubitationem eſſe motum rationis ſuper utramque partem contradictionis, cum formidine determinandi alteram: ex quo nullatenùs colligitur quòd dubitans attingat ut aſſequibilem, & invenibilem veritatem, quam quærit: tum quia ipſe dubitationis actus eſt quædam negatio aſſequibilitatis veritatis quæſitæ, præſertim quandò dubitatio diligentem ſubſequitur inquiſitionem: nec impoſsibile eſt, quod hæreticus quiſpiam ſic dubitet de Trinitatis myſterio, ut ſimul exiſtimet, impoſsibile ſibi eſſe, de exiſtentia, aut non exiſtentia talis myſterii aſſenſum, aut judicium determinatum elicere: tum quia ita de numero certò ſtellarum dubitamus, ut veritatem ea in re naturaliter inaſſequibilem meritò judicemus ex illo Geneſeos 15. verſ. 5. *Numera ſtellas, ſi potes*: igitur dubitans non debet ut aſſequibilem, & invenibilem attingere veritatem, quam quærit, prout à P. Camargo aſſeritur.

5 Tertium Corollarium potius contrarium eſt doctrinæ Divi Thomæ, quàm conſectarium ex illa; quòniam cum Angelicus Magiſter doceat, ex defectu ſcientiæ oriundam eſſe dubitationem, prælaudatus Author ait, etiam ex ſcientia illam oriri, id quod nec ex parte evenire poteſt, ſi verba, & mens Sancti Doctoris obſerventur, quia ſimpliciter, & abſolutè ait, quòd dubitare contingit ex defectu medii ſufficientis ad veritatem inveniendam, ſcilicet demonſtrativè, & ideò contingit ex defectu ſcientiæ: igitur cum nullatenùs ſcientiæ memor ſit D. Thomas ad originem dubitationis explicandam, ſed omninò ſcientiæ carentiam veluti proprium dubitationis fontem aſsignet, perperam ſcientia ipſa tanquam partiale dubitationis principium ſuperadditur. Et optima quidem id fulcitur ratione, quam præſtantiſsima ſua authoritate illuſtrat, & tradit D. Thom. *lib.* 1. *Poſter. cap.* 26. *lect.* 44. ubi de entibus intentionalibus, ſeù cognitionibus inquit: *Neceſſaria non ſunt principia contingentium: neque ex neceſſariis poteſt concludi contingens*: At dubitare eſt virtualiter aſſerere, contingens eſſe, verum vel falſum eſſe, id de quo dubitatur: imò ipſa dubitatio eſt forma-

maliter quid contingens, cum poſt habitam de objecto aliquo dubitationem poſitivam, poſsit intellectus pervenire ad ejuſdem objecti ſcientiam: igitur quia ex certa cognitione, & ex ſcientia nequit dubitatio adhuc partialiter oriri.

6 Et profectò dictinctio illa ab eodem Scriptore adducta, videlicet ſcientiæ perfectæ, & ſcientiæ imperfectæ, inchoatæ, & in fieri, in uſitata eſt, & veritati parum conſona: cum enim ſcientia ſit cognitio certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita juxta Ariſt. *lib. 1. Poſter. cap. 2. & D. Thom. ibidem lect.* 4. impropriè uſurpatur ſcientia pro cognitione incerta, falſa, aut dubia; cæterùm eſtò permittamus eum loquendi modum, ex eo non fit, quòd ſcientia ſit principium dubitationis, ſed dubitationem, congruæ, & prudenti rationi innixam, eſſe viam, ad habendam ſcientiam: tum quia, ut cognitio, aut judicium probabile, & incertum poſsit eſſe ratio dubitandi, oportet conjungi cum defectu ſcientiæ, & certitudinis; aliàs non dubitationem, ſed probabilem inferet conſecutionẽ, ſi rectè illo motivo utamur: ergò relinquitur, quòd dubitatio ſolũ ex defectu ſcientiæ, ſeù certitudinis oriri queat, licet is certitudinis defectus formalis ſæpè ſit voluntarius, ut patet in illo qui de fide dubitat.

7 Quartum Corollarium ex doctrina D. Thomæ nullatenùs colligitur, quòd enim dubitatio ſit motus rationis ſuprà utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram, ut Angelicus Magiſter edocet, cohæret optimè cum eo, quòd nulla poſitiva ratio ſuadeat contradictionis extrema, ut evenit in dubitatione de numero pari, aut impari ſtellarum: de quo nemo ibit inficias prudenter dubitari: igitur abſque poſitiva prudente ratione, quæ determinatè militet pro aliquo contradictionis extremo, prudens poteſt eſſe dubius: quòd autem ex contrarietate motivorum, quæ pro qualibet contradictionis parte aliquando reperiuntur, dubitet intellectus, donec à voluntate determinetur, & in aliquam partem flectatur, minimè convincit, abſque ea rationum cõtrariarum pugna dubitationẽ non poſſe cõtingere, ut per ſe patet.

8 Unde quintum infringitur Corollarium, dicendumque, dubium negativum verè, & propriè dubii rationem participare: primò ex ipſa dubitationis definitione tradita à D. Thoma, & cui in hoc ſubſcribit prædictus Author: propoſita enim apprehenſione, aut quæſtione de pari, vel impari ſtellarum numero, intellectus, ſeù ratio movetur in utramque contradictionis partem, cognoſcendo poſsibilitatem tum paris, tum imparis numeri in eo rerum aggregato, tum inſuper cognoſcit, nullam ſufficientem adeſſe rationem affirmandi, aut negandi aliquod ex quæſtionis hujuſce extremis: & conſequenter quidquam in eo decidere formidat: igitur quia dubitat verè, & propriè: & hæc eſt ſententia communis à qua immeritò quiſpiam diſsidebit.

9 Rem apprimè ſtabilit, & elucidat perdoctus P. Vazquez, *tom. 1. in 1. 2. diſp. 79. cap. 3. num. 14.* ubi expoſita judicii natura in hunc modum pergit. Quo circa, ut notavimus ſuprà *diſp. 65. cap. 1.* dubium quòd opponitur judicio, & aſſenſui, atque diſſenſui, nihil aliud erit, quàm apprehenſio duarum extremitatum, & conceptuum, in qua non apparet, necque convenientia neque diſconvenientia unius cum alio, tunc enim hæret intellectus, neque in una parte contradictionis, neque in alia cognoſcit convenientiam, aut poſitivam diſconvenientiam, ſed tantùm non cognoſcit, neque attingit convenientiam, aut diſconvenientiam, &

repugnantiam, nempè cum non apparent rationes, quæ unum aut aliud oſtendant: ut cum ignoranti numerum ſtellarum proponitur, aſtra eſſe paria, hæretque, neque cognoſcit hoc prædicatum convenire huic ſubjecto, neque repugnare. Poteſt etiam eſſe dubium per actum reflexum, ut ibidem explicuimus. Hactenus ille.

10 Concinit Exim. Doct. P. Suar. pluribus locis, ſed præcipuè *in* 1. 2. *tract.* 3. *de Bonit. & malit. diſp.* 12. *ſect.* 5. *num.* 1. ſic docens, non videtur hæc dubitatio includere ſolùm carentiam actus circa rem, de qua dubitatur, ut exiſtimavit Cano. *lib.* 12. *de locis, cap.* 10. ſed etiam cognitionem, ſeù judicium quaſi reflexum de inſufficientia medii, ſeù rationis ad aſſentiendum, & hoc modo dubium interdum includit errorem, ut in eo qui dubitat de rebus fidei deliberatè, quomodo dixit Auguſtinus *in Enchyridio cap.* 17. falli eum, qui judicat incerta eſſe, quæ certa ſunt; interdum verò poteſt eſſe hoc dubium ſine errore, ut quando reverà non ſubeſt ſufficiens ratio determinans intellectum, quòd poteſt contingere, vel propter negationem medii in utramque partem ut an aſtra ſint paria, vel propter rationes utrinque probabiles, cum tanta æqualitate, ut intellectus meritò dubitet, & ſuſpendat aſſenſum: Ita P. Suarez.

11 Et licet ex præclaris adeò Doctoribus Vazquez nempè, & Suarez luculenter dignoſcatur, perperàm contrariam doctrinam veluti exploratam à præcitato Authore ſupponi, & traddi: placuit tamen P. Salas judicium de hoc puncto ipſius verbis excerpere: is ergò conſueta ſua eruditione *tom.* 1. *in* 12. *tract.* 8. *diſp. unic. ſect.* 16. *num.* 138. inquit: dubium capi dupliciter: primò propriè; & ſtrictè, & ſic eſt quędam ambiguitas, ſeù ſuſpenſio animi, aut mentis nulli parti prębentis aſſenſum, nec diſſenſum, ut docent Sylveſ. *verb. Dubium.* §. 1. & *v. Medicus. q.* 4. Navarrus *cap.* 27. *num.* 172. 279. 280. 287. *cap. Si quis autem.* 2. *de pœnit. diſt.* 7. *n.* 9. 10. 11. 12. 13. & 48. & *conſili.* 8. *de pœnit. & remiſſ. lib.* 5. Adrianus, *quodlib.* 2. *à* 7. & *in materia de reſtitutione poſt medium.* §. *Dicendum ergò.* & §. *ſequent.* Antonin. 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. Suarez, 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 26. *ſect.* 6. Azor. *lib.* 2. *cap.* 18. *q.* 1. Medina, *quæſt.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 5. & 13. & alii. Quòd dubium aliquandò eſt cum ſuſpenſione aſſenſus, & diſſenſus circa veritatem propoſitionis, aliquando verò etiam circa probabilitatem: quia nec dicitur, aſtra v. g. eſſe paria, nec eſſe imparia, nec has propoſitiones eſſe veras, nec falſas, probabiles, nec improbabiles, & in hac ſecundo eventu dubium eſt ſtrictiſimè dictum; quia in eo nullus eſt aſſenſus de veritate, nec de probabilitate talium propoſitionum.

12 Hoc dubium propriè ſeù ſtrictè ſumptum poteſt contingere vel propter negationem medii reſpectu utriuſque partis, ut cum homo dubitat an aſtra ſint paria, vel propter rationes utrinque probabiles, ſeù apparentes, quæ ſi æquales aut ferè æquales ſint, meritò homo ſuſpendit aſſenſum, ſi verò hinc leves, inde urgentes ſint, immeritò. Porrò ſuſpenſio hæc aſſenſus aliquando habet conjunctum aſſenſum formidoloſum, (reflexum intelligo judicium) de fallibilitate propoſitionis, aut aſſenſus, ut cum homo judicat talem propoſitionem fortè eſſe falſam, quòd judicium poteſt eſſe erroneum: quomodo dixit Auguſtinus in *Encyrid. cap.* 17. falli eum qui judicat incerta ea, quæ certa ſunt. Et *cap.* 1. *de Hæret.* dicitur, dubium in fide infidelem eſſe, videlicet cum dubitat non ſine plena advertentia, & deliberatione, nec ſine pertinacia. Aliquando verò hæc ſuſpenſio non habet conjunctum tale judicium, & tunc propriè dubium

non

non est, alioqui propriè esset dubius in fide, qui nec assensum, nec dissensum habet circa propositiones fidei sibi occurrentes, quamvis non dicat, fortasse falsas esse. Hactenùs perdoctus P. Salas cujus verba excerpere non piguit, tum quia ex illis lucem accipit nostra sententia, tum quia evidenter ostendunt, quàm immeritò suprà citatus Author, non solum detrectet admittere dubium negativum esse propriè, & strictè dubium, verùm etiam fidenter adeò velit suam opinionem, veluti certam doctrinam tradere, ita ut nec memor sit cujuspiam ex tot Doctoribus contrarium docentibus.

SECTIO LXXXVIII.

Propulsata doctrina ulterius disjicitur.

1 EJusdem doctrinæ lineis insistit Illustriss. Palancus *tract. de conscientia. quæst.* 13. *num.* 6. ubi proposita assertione ista: dubitare propriè, & positivè semper est cum ratione: illam tertio loco probat, quia dubium est duplex aliud purè negativum, & improprium, & dicitur potius nescientia, & ignorantia, sicut de positione ista, *Astra sunt paria.* Cæterùm hujuscemodi dubitationem esse propriam, agnoscunt, & edocent supra relati Authores, quibus adstipulantur Cardinalis de Lugo *tract. de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 59. Pater Coninch. *disp.* 34. *de matrim. dub.* 10. *num.* 82. & alii communitèr.

2 Nec ratio cui innituntur adversarii efficax est, videlicet dubitantem dubio negativo, si interrogetur de re tali, respondere debere, *se nescire*; id enim responsionis potest exhiberi à quolibet dubitante, etiam positivè, dum enim neutri parti assentitur intellectus, non solum caret illius rei scientia propriè sumpta, verùm etiam impropriè, & latè accepta, sumpta scientia pro assensu, vel fidei, vel opinativo: & consequenter sic dubitans dicere potest, nescire, & ignorare, quid habendum sit circa tale objectum.

3 Quod rursus asseritur, dubitare debere esse cum ratione, æquivocum, seù ambiguum est; si enim accipiatur de ratione positiva, seù determinatè suadète extremum aliquod contradictionis, est falsum ex dictis; quia in dubio purè negativo, an scilicet arenæ sint pares, talis ratio dubitandi positiva, & suadens hanc, aut illam partem non reperitur: quòd si ratio dubitandi sumatur pro fundamento universaliori, propter quòd intellectus neutri contradictionis parti præbet assensum, sed dubitare cogitur, verum quidem est, quod dubitare semper contingit ex ratione aliqua, ut cernere est in eo dubio, *an astra sint paria?* Quòniam licèt nulla sit positiva ratio suadens paria esse, nec imparia, tamen intellectus tum ex eo negativo fundamento, tum ex cognitione possibilitatis extremi cujuslibet dictæ quæstionis; ac denique quia caret intellectus sua ratione formali ad assentiendum, vel dissentiendum, movetur, & cogitur ad dubitandum; eaque propter non sine ratione dubitat: unde fit, quòd licèt negativum dubium propriè, & strictè tale sit, non irrationabiliter, nec fatuè dicitur dubitare sic dubitans, seù dicens se dubitare, quamvis careat positiva ratione determinatè aliquam, seù utramque contradictionis partem verosimiliter suadente.

4 Sed jam gradum facere oportet ad discutiendam ejusdem P. Camargo, singularem doctrinam circa dubitandi libertatem, ac necessitatem; & quidem quod ajebat de objecto in primo illo statu, quando nempè proponitur rationibus utrinque paribus, liberum

non

non esse dubitare, sed potius necessarium utrinque, non miror, quia consequens est sententiæ hujus Authoris, quam nos suprà rejecimus, & nunc amplius in eadem refellenda immorari opus non est.

5 Cęterum quod idem asserit in secunda, & tertia hypothesi, mihi haud parum alio ex capite displicet: & primò, quando altera contradictionis pars alteri notabiliter præmineat, liberum esse dubitare ex parte tantum præminenti, ex parte verò oppositа necessarium, id inquam falsum reor, imò & parùm consequenter dictum: doctrinæ incohærentia consistit in eo, quòd intellectus dubitare nequit circa objectum, ad cujus assensum v. g. quoad speciem necessitatus est; sed in hypothesi facta, intellectus necessitatus est quoad speciem, juxta ipsius Authoris sententiam; ergò in illa hypothesi intellectus dubitare nequit: Prima assumptio patet; quoniam qui dubitat, vel formaliter, vel æquivalenter existimat, insufficientia esse motiva proposita ad assentiendum objecto ex vi illorum: ut ostensum fuit *sect.* 79. *numer.* 8. *& seqq. præcipuè num.* 16. *& sect.* 81. *numer.* 9. sed intellectus quoad speciem necessitatus ad assentiendum, impossibile est, quòd simul judicet, sibi non adesse sufficientia ad assensum motiva: ergò intellectus quoad speciem assensus determinatus impossibile est, quòd dubitet: secunda assumptio continet Authoris præfati doctrinam, quam latè tuetur, *part.* 1. *lib.* 1. *controv.* 5. *ferè per totam*, sed maximè, *art.* 10. §. 3. *num.* 116. consecutio autem est legitima.

6 Et urgetur, præcluditurque aditus evasioni cuidam; posset enim quispiam respondere, illum non esse sibi contrarium; quoniam *dic. controv.* 5. solùm inficiatur libertatem immediatam, & directam quoad speciem assensus, & dissensus, circa objectum inevidens; fatetur tamen remotam, & mediatam seù indirectam libertatem, eandemque reperiri posse suppositа intellectus determinatione quoad speciem respectu objecti, cujus veritatis motiva notabiliter præponderant.

7 Hæc tamen solutio infringitur, quoniam P. Camargo, ubi de libertate, ac necessitate dubitandi differit, in hunc modum instituit quæstionem. Nec quæstio est (inquit ille) de libertate indirecta; certum enim est, eum, qui dubitat posse per se loquendo, mentem alio divertere, atque adeò non dubitare, quarè in hoc sensu liberè dubitat. Quæstio ergò procedit de libertate proxima, ac directa, an scilicet possit intellectus ex libera electione voluntatis, vel suspendere omne judicium circa objectum incertum sibi utrinque propositum, vel assentiri alterutri contradictionis parti? Hæc ille: & ea facta suppositione, perspicuum fit, in secunda hypothesi, in qua altera contradictionis pars alteri notabiliter præmineat, sub quibus terminis intellectus determinatus est quoad speciem versus præeminentem partem, non posse liberam esse dubitationem erga eandem partem: ut ex dictis colligitur; & retenta ejusdem Authoris doctrina.

8 Secundo eadem assertio refellitur: quia ubi repugnat dubitare de extremo contrario aut contradictorio A. impossibile etiam est, dubitare de aliquo extremo ipsi opposito C: igitur falsum est, quòd in hypothesi, qua pars altera A, notabiliter præmineat alteri parti C. sit liberum directè, & proximè, dubitare de A, & non de parte oppositа C. exemplo id dilucidè patebit secundo: proponatur alicui SS. Trinitatis Mysterium, cum argumentis credibilitatis ad assentiendum fide divina sufficientibus, & simul dignoscantur levis armaturæ contraria hæ-

hereticorum fundamenta profectò: in hac hypothesi notabiliter præminent veritatis motiva dicti mysterii. Et consequenter juxta præfati Authoris sententiam, ex libera voluntatis electione, & determinatione, licèt prava, & temeraria, immediatè, & proximè poterit intellectus dubitare de existentia hujusce sacri mysterii: tum sic: ergò & poterit quoque cum eadem immediatione, ac proximitate dubitare de veritate, aut falsitate hæreseos contrariæ, scilicet: *Verbum Divinum est creatura* vel contradictoriæ, nimirum *Trinitatis Mysterium in Deo non reperitur*: Probatur hæc consequentia: dubitare de aliquo, est intellectum manere ancipitem de veritate, & falsitate ejusdem objecti: sed non potest unum extremum quæstionis esse falsum, quin ejus contrarium aut contradictorium sit verum: ergò idem omninò est dubitare de mysterio Catholico Trinitatis, ac dubitare de non existentia ejusdem Catholici Mysterii: ergò impossibile est, quòd quis possit dubitare de existentiæ hujusce sacri Mysterii, quando talis existentiæ fundamenta in intellectu præminent, & quòd non possit dubitare de non existentia ejus sacri objecti.

9 Tum tertiò: quia dubitatio necesse est, quòd inter extrema contradictoria aut contraria versetur: ut per se patet: At juxta citatum Authorem, proposito Sacro Mysterio Trinitatis cum sufficientibus, & valdè præminentibus ipsius credibilitatis motivis, potest intellectus dubitare de eo mysterio, ex libera, scilicet, & immediata determinatione voluntatis; igitur id dubitationis versari debet inter contradictoria, aut contraria extrema; sed extremum contradictorium hujusce mysterii est, *in Deo non datur mysterium Trinitatis*, contrarium verò esset, *Verbum, quod à Patre procedit, est factum, seù creatura*: vel alia similis hæresis: ergò intellectus dubitans de proposito sibi Trinitatis mysterio, necessariò dubitat quoque de non existentia Trinitatis, seù an verbum sit creatura, vel de simili alia hæretica propositione: falsum ergò est, quòd in hypothesi, qua altera contradictionis pars alteri notabiliter præmineat parti, liberum quidem sit immediatè, ac directè, dubitare de parte tantùm præminenti, de altera verò necessarium.

10 Quòd si fatearis, intellectum, de utraque parte posse dubitare in prælibata hypothesi, cæterùm cum hoc discrimine, ut circa præminentem partem libera sit dubitatio, de opposita autem sit necessaria; contra insurgam, quia libertas exigit extrema opposita, non secus, ac dubitatio: igitur si dubitatio est libera, exerceri debet inter extrema, quorum quodlibet liberæ dubitationi subjaceat. Quartò ad hominem refellitur idem placitum: proposita catholica assertione, cum sufficiente, ac requisita credibilitate, nequit intellectus, ex libera voluntatis determinatione, de opposita hæresi dubitare: ergò in eadem hypothesi, nec liberum erit, de veritate Catholica manere dubium: antecedens asseritur à P. Camargo: consequentia est legitima, & liquet ex dictis: consequens verò est contra eundem Scriptorem, & omninò falsum; ut patet ab auctoritate Sacrorum Canonum, quos adduximus *sect.* 79. *num.* 9. & 10. & *sect.* 81. *num.* 2. & *sequentibus*, tum ratione, & experientia, qua agnoscimus, quam facilè possimus in tentationes contra fidem, aut dubitando, aut dissentiendo induci.

11 Hinc porrò haud difficulter rejiciendum conficitur quod idem Author docet de tertia hypothesi, in qua ex una parte adest ratio sufficiens ad assensum, ex opposita verò nulla sufficiens reperitur, videli-

cet

cet liberum esse directè, & proximè de illa tantùm dubitare parte, pro qua est ratio sufficiens ad assentiendum: ex parte verò altera non modo dubium liberum non esse, sed neque dubium esse, nisi ut summum impropriè, ac negativè tantùm; quia intellectus non potest moveri in illam partem: dubium verò non est, ubi nullus est motus intellectus: id inquam refellitur primò; quia si liberum est de una quæstionis, seù contradictionis, aut contrarietatis parte dubitare, ex æquo dubitare liberum esse debet de opposita parte: secundò si ex parte pro qua non adest sufficiens ratio ad assensum, propriè dubitari non potest, nec dubium proprium aderit, nec adesse poterit de parte alia oppositа, pro qua ratio assentiendi sufficiens reperitur.

12 Tertiò quòd dicitur, dubium solum negativum esse posse de parte, pro qua non adest sufficiens ratio assentiendi, verum omninò non est: quoniam cum omne dubium tendat in oppositа extrema, & in hac hypothesi, quam versamus, supponatur adesse sufficientem rationem ad assensum pro una parte, dubium illud non potest esse simpliciter negativum, sed solùm ex parte seù inadæquatè, & inadæquatè etiam positivum; utcunque autem loqui velit quispiam; quòd dubium sit negativum, veram dubii rationem non tollit, ut ostensum est.

13 Sed dices ex eodem Authore: juxta tritam Philosophi doctrinam, quam frequenter inculcat Doctor Angelicus, sicut finis se habet in voluntariis, sivè moralibus, ita principium in speculabilibus: ergò quemadmodum deficiente omni fine, voluntas non movetur, ita nec intellectus, si deficiat omne principium: dubiũ verò negativum hũc intercedit, cum deest omne principium, nimirùm omnis ratio ostendens veritatem objecti: ergò in hac hypothesi, propriè dubium non erit, cum nullus in ea sit motus intellectus.

14 Respondeo primò: quando pro altera contradictionis parte est ratio sufficiens ad assensum, licet pro oppositа parte nulla supponatur assentiendi ratio sufficiens, non desse omne principium motus intellectus, quòniam eadem ratio, quæ pro una parte supponitur, movet intellectum, & allicit ad assensum, qua verò inevidens, & incerta ratio est, etsi negativo fundamento, movet, & inducit intellectum in partem oppositam: & consequenter intellectus non caret omni principio motus.

15 Respondeo secundò, dubium negativum verè, & propriè dubium esse: ut fusè probatum est. Tertiò responderi valet: motum intellectus duplicem esse distinguendum, sicut, & in voluntate etiam contingit: alius enim est motus adhęsionis, & aversionis alius: licèt igitur in hypothesi negativi dubii non possit intellectus adhæsivè moveri in objectum ob carentiam positivè rationis, quæ veritatem illius suadeat, movetur tamen negativè, & aversivè, ab utroque contradictionis seù contrarietatis extremo, quodammodo discedendo, id est discessu, aut motu dubitativo, quatenùs nullum quæstionis extremum positiva ratione verum determinatè proponitur: & ideò intellectus ab assensu, & dissensu eorum extremorum fugit: Tandem ipsa non apparentia repugnantiæ, unà cum carentia positivè rationis in quolibet ex dictis extremis divisivè acceptis, est sufficiens dubitandi, seù movendi intellectum principium, non utique ad assensum, vel dissensum, sed ad dubitandum.

***
***

SEC-

SECTIO LXXXIX.

Proponitur objectio qua inconſequentiæ arguitur noſtra ſententia.

1 UT immediatam fidei Divinæ libertatem quoad actus ſpeciem oppugnet P. Camargo, *controv. 5. artic. 8. à num. 79.* inchoærentiæ doctrinæ accerſit noſtram ſententiam, & præcipuè PP. Terillum, & Sparza, ille enim *quæſt. 8. de conſcient. probab. n. 24.* Ex profeſſo ponit, ac probat intellectus indifferentiam ad opinandum quamlibet contradictionis partem, etiam quando intellectus pro priori ad aſſenſum, vel diſſenſum comparat motiva inter ſe, atque ſignatè, & expreſsè credit, illa eſſe prorsùs æqualia: quòd ipſum pluries repetit, etiam quando ſunt inæqualia, nempè *quæſt. 9. n. 4. 17. & 26.* ubi aſſertionem ſuam multis probare intendit.

2 Maximè verò urget in hujus aſſertionis comprobationem argumentum petitum ex fide divina, cujus aſſenſum dicit liberum eſſe, etiam quoad ſpecificationem: & tamen myſteria fidei (verba Terilli ſunt ubi nuper *num. 4.*) ut ſufficienter proponantur, debent eſſe evidenter credibilia ſuper omnem doctrinam contrariam, ut unanimiter omnes Theologi, quaſi certum dogma tradunt: unde (inquit P. Camargo) ſequitur intellectum ſignatè poſſe, aut debere cognoſcere, myſteria noſtræ fidei evidenter excedere contrarios errores, in ordine ad merendum aſſenſum; id quòd ipſe Terillus expreſsè quoquè affirmat, *num. 10.*

3 Rursùs in opere poſteriori, quòd inſcribit, *de regula morum. 1. & 2. part. quæſ. 3. n. 3. & quæſt. 52. num. 2.* omninò ſui immemor, ut videtur, (ſic ille infit) contradictoriam concluſionem ſtatuit his formalibus verbis, intellectus nulli contradictionis parti aſſentiri poteſt, quamdiù ſignatè exiſtimat, rationes utrique parti faventes eſſe æquales: quàm concluſionem univerſalem, & nulla reſtrictione donatam, efficaci ratione probat, & deinde concludit ſic, hæc ratio à fortiori convincit, quòd nemo poſsit aſſentiri objecto, ac motivis, quæ abſolutè credit eſſe minus probabilia *oppoſitis*. Et ut mireris magis, remittit tandem ſe ad prædictas quæſtiones de conſcientia, ubi in terminis, & data opera contrariam doctrinam tradiderat. Terillo, quoad hanc ultimam aſſertionem expreſsè conſentit Eſparza *par. 2. art. 113.* Sine Terilli tamen contradictione, quæ adeò eſt evidens, & expreſſa, ut incredibilis videri poſſet.

4 Unam attamen poteſt excuſationem habere hæc contradictio; nimirum quòd legitimè, & inevitabiliter conſequatur ex ipſa, quam propugnat cum Recentioribus, intellectus indifferentia, ad opinandum æquè vel minus probabilia. Enim verò, quòd utraque contradictoria Terilli aſſertio ex hac ipſius, & Recentiorum ſententia, legitimè ſequatur, ac penitus inevitabiliter, ſuaderi poteſt facilè, & efficaciter vel ex doctrina ipſa Terilli, qua utramque ſuam aſſertionem ſuadet.

5 Suadetur igitur prima aſſertio: quia non ſemel, aut raro, imò verò plerumque intellectus ſignatè credit, motiva unius partis, vel æquari, vel ſuperari à motivis partis oppoſitæ: & ſaltem quando exceſſus, aut æqualitas ſunt evidentes, non poteſt ita non judicare. Atqui ſi ſemel intellectus poteſt proximè, & immediatè opinari quamlibet partem contradictionis ex libera motione voluntatis, nihil eſt cur ſemper non poſsit, quoties adſunt utrinque motiva ſufficientia, ut Recentiores ipſi ſupponere videntur, qui univerſaliter, ac ſine reſtrictione concluſionem ſuam ſtatuunt. Ergò ſi ſemel di-

dicitur intellectus habere indifferentiam ad opinandum, quàm Recentiores in præsenti defendunt, aliquando, imò sæpè poterit immediatè assentiri, vel dissentiri, etiam parti, cujus motiva signatè existimat superari aut saltem æquari à motivis alterius partis. Et quidem alioqui opinari, rarò erit liberum quoad speciem, cujus tamen oppositum Recentiores, ipsorumque argumenta significant.

6 Probatur itidem efficaciter assertio eadem P. Terilli: nam ut ipse arguit optimè locis suprà allegatis, quòd existens in se non impedit assensum, neutiquam illum impedire potest, eo quòd cognoscatur sicuti est, & signatè affirmetur ab intellectu; quid enim refert ita cognosci, quòd attinet ad assensum præstandum? Atqui si vera est Recentiorum sententia, rationes vel æquales, vel graviores existentes re ipsa in intellectu pro parte negativa exempli gratia, non impediunt assensum partis affirmativæ: ergò nec poterint illum impedire, etiam si ab intellectu signatè cognoscantur ut tales.

7 Ratio autem in promptu est: nam intellectus in data hypothesi per apprehensiones prævias ad assensum, vel dissensum, saltem exercitè ac experimentaliter non potest non cognoscere, & conferre inter se rationes utriusque partis, quatenùs necessario videt, aut sentit, se magis inclinari, & urgeri ad his rationibus, quàm ab aliis: ergò si nihilominùs adhuc objectum potest propter rationes partis affirmativæ apparere intellectui per apprehensionem proximè enuntiabile, poterit etiam sic apparere, etsi intellectus expressè judicet, rationes illas non magis urgere, aut fortè minus, quàm rationes contrarias; quemadmodum, quia objectum per apprehensionem non evidentem proponi potest ut proximè opinabile, potest etiam ita proponi, quamvis non evidentia, sivè obscuritas apprehensionis, signatè cognoscatur ab intellectu. Ergò quisquis affirmat absolutè proximam intellectus indifferentiam ad assentiendum parti, cujus motiva sunt æqualia, aut minora, quàm motiva partis contrariæ, nequit negare ex hac suppositione eandem intellectus indifferentiam, etiam quando motiva signatè cognoscuntur, ut talia. Vera igitur est prior Terilli assertio, & quæ ex suppositione sententiæ Recentiorum nulla ratione possit negari.

8 Jam posterior assertio in qualibet sententia non minus vera, & evidens est: nam vel ex ipsis terminis, videtur implicare contradictionem, quòd intellectus actu per determinatum judicium reputet absolutè veras, & præferat oppositis, rationes illas, quas per illud judicium in eodem instanti existimat esse prorsùs æquales, aut etiam inferiores, atque adeò nullatenùs præferendas: quænam enim potentior contradictio? Et quis precor clarissimè non videat, judicium quo intellectus judicat absolutè, rationes verbi gratia partis affirmativæ esse non magis, sivè etiam minus verosimiles, quàm oppositas, & alterum quo in eodem instanti absolutè item judicet, rationes illas esse præoppositis veras, esse judicia prorsùs secum pugnantia, & virtualiter saltem manifestè contradictoria?

9 Evidens ergò est in qualibet sententia posterior hæc assertio Terilli. Cumque prior aliundè sit etiam evidens ex ejusdem Terilli confessione, licet nobis legitimè concludere, rectè ipsum Terillum ratiocinari, dum ex sententia sua, & Recentiorum utramque infert contradictionis partem; malè verò dum antecedens, ex quo falsum legitimè concluditur, defendere persistit ut verum. En argumentum, quòd demonstrativum existimat prælaudatus P. Camargo: qui li-

licèt ſuprà à contradictionis, & incohærentiæ nota P. Sparza liberum aſſerat, tamen ejuſdem inconſequentiæ reum arguit eum *ead. contr. 5. art. 12. §. 2. num. 139.*

SECTIO NONAGESIMA.

Præcedentem elevat objectionem, ex illaque fidei libertatem, & hæreticam pertinaciam fieri impoſsibiles colligitur.

1 IN primis præexaratæ objectionis vis tota in fidei noſtræ libertatem impingit, & pertinaciæ ad formalem hæreſim requiſitę conceptũ ut videtur evertit: nã juxta objicientem, intellectus nequit diſſentiri objecto, cujus veritatis motiva judicantur ab eodem intellectu potiora, vel per præcedentem apprehenſionem ut evidenter urgentiora proponuntur; ſed dum fidei noſtræ myſteria ſufficienter proponuntur, intellectus vel judicat eorum credibilitatem longè potiorem eſſe credibilitate errorum contrariorum, vel eorum credibilitas ut evidens per apprehenſionem intellectui repręſentatur, cum ingenti quidem veriſimilitudinis exceſſu, ſuprà omnem hęreſim: ergò quando fidei myſteria ſufficienter proponuntur, ita ut ipſis aſſentiendi adſit obligatio, nequit intellectus iis myſteriis diſſentiri; ergò in hac hypotheſi pia credendi affectio non eſt libera, ſaltem quoad ſpeciem: ergò ſub eiſdem terminis nemo poteſt in formalem hæreſim incidere: ergò formalis hæretica pertinacia cum neceſſario includat ſufficientem myſteriorum fidei propoſitionẽ, impoſsibilis eſt, & ſibi repugnans: omnes hæ quatuor illationes rectè deducuntur; ſed verò earum quadruplex conſequens falſum eſſe, ut reor, conſtitit *ſect. 40. cum pluribus ſequentibus.* Ad vitanda igitur tot falſa aſſerta fateri debemus quòd etiam ſi intellectus judicet, aut ſaltem apprehendat objectum aliquod ut longè veriſimilius; poteſt tamen ex voluntatis affectione, & imperio determinari ad aſſentiendum objecto oppoſito.

2 Ut autem id ſtare queat, & qua nam ratione ab inconſequentię labe immunes ſint aſſertiones PP. Terilli, & Sparça, ex dictis præcipuè *ſect. 64. & 65.* intelligi poteſt, cæterum inclareſcet amplius ex ſequentibus. Igitur qui præfatam inſtituit objectionem, videtur ſatis non perpexiſſe Patris Terilli aſſertiones, cujus doctrinam non refert perfectè, aut adamuſsim; quippè non aſſerit Terillus, intellectum eſſe perfectè indifferentem ad opinandum quamlibet contradictionis partem, quando pro priori ad aſſenſum, vel diſſenſum comparat motiva inter ſe, atque ſignatè, & expreſsè credit, illa eſſe prorsùs æqualia, vel etiam inæqualia: id inquam licèt, ut Terilli expreſſa doctrina, referatur in objectione prælibata, neutiquam à Terillo docetur, ſed aliud quid longè diverſum; nempè, quòd licet antè aſſenſum, & pro priori ad peculiarem affectum voluntatis, comparet intellectus motiva, quæ pro utraque contradictionis parte adſunt, & credat eſſe æqualia, vel inæqualia, tamen accedente affectu peculiari, & determinatione voluntatis, erga aliquam partem, poſſe illi aſſenſum præbere intellectum: ut enim P. Terillus docet, apparentia veriſimilitudinis conſequens affectum voluntatis ſemper eſt major, quàm oppoſita.

3 Id quòd liquidum fit ex ipſis Terilli aſſertionibus *tract.* enim *de conſcien. probab. quæſt. 8.* quo loci citatur ab objiciente, *num. 4. in quæſtionis reſolutione, aſſertione prima,* ſic habet: (voluntas flectere poteſt intellectum ad aſſenſum cuilibet ex partibus

contradictionis præbendum, modò partes illæ, pro priori ad omnem affectum, & assensum, sint æquè probabiles, & motiva, in quibus earum probabilitas consistit, sint dissimilia.) Hæc ille, ubi perpēdēda verba illa *pro priori ad omnem affectum*: allatisque hujus assertionis probationibus, infractisque contrariis argumentis, *n.* 22. sequentem secundam subjungit assertionem.

4 Nempè: Quandò motiva pro utraque contradictionis parte, ante omnem assensum, & peculiarem affectum, sunt æqualia, intellectus flecti potest, ad assensum cujusvis partis, etsi motiva illa sint similia. Mox *n.* 24. quē objiciēs citat, tertiam istam ponit assertionem: (Hactenus dicta intelligi debent etiam pro casu, quo quis ante affectum ulli ex partibus oppositis præstitum, comparat motiva, & credit, illa esse æqualia.) Hic fortè illisit objiciens; quia prætermisit illud *ante affectum*, quod plurimum ad assertionis veritatem refert, ut patet ex quarta assertione, & ex ipsius declaratione ab eodem Terillo tradita dignoscitur.

5 Etenim *num.* 25. quartam hujuscemodi adhibet assertionem: (Apparentia verisimilitudinis consequens ad assensum, quem intellectus uni contradictionis parti absolutè præbuit, semper major est, quàm apparentia veritatis pro parte opposita. Atque in hoc sensu verum est, intellectum nunquam assensum præbere, nisi parti, quæ omni apparentia inspecta, tàm antecedente, quàm consequente dictum assensum, apparet probabilior.) Hæc Terillus.

6 Prælibatam verò majorem apparentiam, quæ assensum consequitur, ex triplici capite deducit, sed maximè ex voluntatis affectu, & quoniam ex hoc capite satis dignoscitur nullo jure carpi posse Terillum, quasi inconsequenter loquutum, ideò ipsius verba transcribere opere pretium erit. In primis (inquit ille) *dic. quæst.* 8. *num.* 28. contemplor amorem deliberatum uni parti alligatum, per quem assensus illi præstitus imperatur; & dico rationes priores, prout huic amori conjunctas, necessario apparere majores, quàm apparent, si absque tali conjunctione considerarentur. Ratio est, quia amor ille complacet sibi in rationum illarum apparentia, & displicet sibi in apparentia rationum oppositarum; ergò cognitio reflexa motivorum illorum, ut huic complacentiæ, & displicentiæ substans ostendit unum eorum ut congeneum, alterum ut heterogeneum cum judicantis genio. Hæc autem est apparentia magis solicitans ad assensum pro parte congenea, quàm pro opposita, ut patet. Ergò vel ex hoc solùm capite apparentia veritatis consequens ad dictum affectum est major pro illa parte, in quam affectus inclinat, quàm pro altera.

7 Et hinc sumitur ratio à priori, cur affecti vehementer passioni amoris, vel odii valdè proclives sint ad temerè judicandum, & ita fixi in suis judiciis, etsi temerè conceptis, ut nulla ratione, quatumvis efficaci, nisi valdè difficulter ab illis revocari possint. Ratio est, quia donec passio deponatur, considerant rationes illas, ut suę complacentiæ, aut displicentiæ substantes. Atque ita, etsi rationes pro altera parte sint in se majores motivis faventibus parti, cui passio inclinat, imò etsi rationes illæ etiam illorum menti repręsententur, nihilominus apparent ut contrariæ, & inconvenientes genio judicantis; adeòque relatè ad illum apparent simpliciter minores oppositis. Qui ergò mederi vult judiciis temerariis hominis sic dispositi, ante omnia conetur, ut ille passionem deponat; tunc enim facillimè efficiet, ut mutet judicium, errorem-que suum discernat, quem sicut nun-

nunquam agnoſcet, dum paſsio viget; ita omnia remedia fruſtrà applicantur, donec paſsio deponatur. Sic ille. Porrò ex hac Terilli doctrina cernitur, quòd dum ille admittit intellectus indifferentiam ad judicandum, ſeù ad aſſenſum præbendum cuilibet ex contradictionis extremis, quæ credit eſſe æquè veriſimilia, loquitur de æqualitate, & exiſtimatione, ac comparatione antecedente voluntatis affectum, ſecus de apparentia, & exiſtimatione ad dictum affectum conſequente.

8 Haud aliter loquitur *quæſt.* 9. *num.* 4. 17. & 26. quibus in locis ab ipſo objiciente citatur. Nam ea *quæſt.* 9. diſſerens ſub hypotheſi fundamentorum inæqualium, in quæſtionis reſolutione, *num.* 4. ſic mentem ſuam declarat: intellectus ex imperio voluntatis flecti poteſt ad aſſenſum præbendum illi parti contradictionis, quæ exercitè eſt, & ſignatè creditur minus probabilis, rejecta parte probabiliore, modo motiva fundantia probabilitatem ſint diſsimilia, & pro priori ad omnem affectum, & aſſenſum uni parti peculiariter affixum, ſint & credantur inæqualia. Sic ille, qui *num.* 17. licèt non exprimat, nec repetat, ſe loqui de motivis præponderantibus ante voluntatis affectum, palam eſt, ſic debere intelligi: unde *num.* 26. ab objiciente citato, cum oppoſuerit ſibi Terillus, contradictionem involvere, quòd quiſpiam aſſentiatur parti ſibi minus veriſimili, fieret enim inde, ut poſſet exiſtimare, probabiliorem, aut veriſimiliorem ſibi eſſe partem, quam reputat falſam; reſpondet, adhibita diſtinctione apparentiæ antecedentis, & conſequentis: quam identidem tradit, & nos ſupra expoſuimus *ſect.* 63. & 64.

9 In poſteriori autem *tract. de regula morum*, eandem ipſam doctrinam docet, & illuſtrat, *quæſt.* 30. & 52. ab objiciente adductis: nempè *quæſt.* 30. *num.* 2. Sic habet: in rebus incertis, & probabilibus, apparentia veritatis, quæ comitatur, & ſequitur affectum, & aſſenſum uni parti contradictionis alligatum, cæteris paribus, major eſt, quàm quæ antecedit talem affectum, & aſſenſum, aut omninò ab illa ſeparatur. Deinde *num.* 3. ſecundam adjungit aſſertionem, & ait: qui omnibus pro utraque contradictionis parte inſpectis, abſolutè exiſtimat, ea eſſe æqualia, ſtanti tali judicio, neutri parti aſſenſum præſtare poteſt. Et multò minùs aſſentire poteſt illi parti, quam abſolutè, & finaliter credit minùs validis argumentis roborari. Porrò hæc aſſertio nullo modo eſt contraria aſſertioni traditæ *tract. de opini. prob. quæſt.* 8. *num.* 4. quia in hac *quæſt.* 30. *num.* 3. loquitur de hypotheſi, in qua æqualia eſſe exiſtimentur utriuſque contradictionis partis fundamenta, omnibus inſpectis, abſolutè, & finaliter, ut cernere eſt ex terminis ipſius aſſertionis: in priori autem alia aſſertione, *quæſt.* 8. *de conſc. prob.* loquitur, inſpectis motivis non finaliter, nec abſolutè, ſed præcisè, *antè aſſenſum, & affectum voluntatis uni parti affixum*, ut in ipſa aſſertione exprimitur; quamobrem objiciens immeritò opponit, & aſſerit, Terillum docere, indifferentem eſſe intellectum ad aſſentiendum, & diſſentiendum, *etiam quando intellectus pro priori ad aſſenſum, vel diſſenſum comparat motiva inter ſe, atque ſignatè, & expreſsè credit illa eſſe prorsùs æqualia, imò & inæqualia.* Id enim non docuit Terillus *dict. tract. de conſcien. quæſt.* 8. *num.* 4. quia ibi non loquitur præcisè de apparentia antecedenti aſſenſum intellectus, ſed inſuper de præcedenti affectum voluntatis: rurſus, non loquitur de judicio, quo exiſtimetur, extrema eſſe *prorsùs æqualia, aut inæqualia*, ſed cum limitationibus prælibatis, quæ excluduntur à particula *prorsùs*, addita in objectione. Semper

quippè Terillus distinguit inter apparentiam præcedentem, & subsequentem voluntatis affectum; & licet ad assensum dicat non esse necessariam majorem veri apparentiam, quæ præcedat affectum voluntatis, docet tamen requiri posteriorem, & subsequentem voluntatis affectionem.

10 Et ne Terillus sui immemor credi, aut videri posset, *dict. tract. de reg. mor. quæst.* 30. *post num.* 4. ab objiciente citatum, tertiam hanc adhibet assertionem: intellectus ex imperio voluntatis flecti potest in assensum partis æquè, aut minus probabilis, si sermo sit de apparentia, seù probabilitate antecedente affectum, & assensum ulli contradictionis parti peculiariter alligatum: quam assertionem fulcit, & ab objectionibus expedit: eamque confirmat, quâ tradiderat in priori *tract. de consc. probab.*

11 Nec à se dictis recedit Terillus *tract. de reg. mor. quæst.* 52. *num.* 2. ubi licèt asserat, intellectum nulli contradictionis parti assentire posse, quandiù signatè existimat, rationes utrique parti faventes esse æquales. Tamen cum ibidem se referat ad ea quæ docuit *quæst.* 8. & 9. *de consc. probab.* & *quæst.* 30. hujus *posterioris tract.* quibus in locis dilucidè explicat, id esse intelligendum ex vi præcedentis apparentiæ, secus ex vi subsequentis affectum voluntatis uni parti alligatum, profectò sub eisdem terminis in hac *quæst.* 51. ipsum eloqui, conspicuum est, quòniam relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus. *leg. Asse toto. ff. de hæred. inst. leg. si ita scripsero. ff. de condi. & demonstr. leg. Ait Prætor.* §. 1. *de re iudic.* Et cum innumeris Augustin. Barbos. *axiom.* 201. *per tot.* Sebastian. de Medices. *de regul. jur. reg.* 10. *per totam.* & *præsipuè num.* 7. ubi inquit, verè, & propriè, & naturaliter, non per fictionem, relatum esse in referente: & extendit, in tantum relatum esse in referente, ut dicatur pars referentis: Cardi. Tuschus, *tom.* 6. *lit. R. concl.* 129. & ideò relatio restringitur, & limitatur ad illud, quod in relato continetur, Joseph Sesse, *Arag. decis.* 125. *n.* 41. & *decis.* 187. *n.* 110. Barbosa, ubi nuper *n.* 5.

12 Quod verò attinet ad P. Sparzam, optimè cohæret illius doctrina de libertate immediata fidei quoad speciem actus cum iis, quæ de libertate opinandi edocet, nam *par.* 2. *ar.* 112. expressè docet, tunc solùm liberum esse in utramlibet partem opinari, atque adeò convenire nobis libertatem specificam, seù contrarietatis quoad actus opinativos, quandocumque motiva utrinque apparentia ad opinandum sunt etherogenea, seù diversæ rationis, & se habent tanquam excedens, & excessum, ita ut neutra ex parte excessus simpliciter sit evidens, atque omninò manifestus: hæc verò doctrina, & alia de immediata fidei libertate contrarietatis, seù quoad speciem actus, & evidentia credibilitatis ipsius fidei, optimè sibi cohærent: ut cernere est apud ipsum Esparzam, *tom.* 1. *Curs. Theolog. lib.* 6. *de virt. Theolog. q.* 27. *de necessit. fidei. in solut. argum.*

13 Ad 1. (inquit) cum evidentia credibilitatis, excessus fundamenti, & obligationis ad credendum componitur potestas libera non credendi, & assentiendi oppositæ parti. Sicut componitur libera potestas peccandi cum evidentia majoris simpliciter bonitatis in actu præcepto, & obligationis obediendi Deo, ut apparet ex dictis *quæst.* 12. *de Actib. human.* præsertim *ad* 1. & 2. Quia videlicet allicit in partem contrariam motivum diversæ rationis habens in se aliquam bonitatẽ, aut rationem apparentem specialẽ, quæ nõ insit motivo actus honesti; atque ideò utrũque motivũ se habẽt, tã quã excedens, & excessũ cõparatione alterius: nempè in dissimili linnea, & ethe-

etherogenea unum ſcilicet in linea ſupernaturali ſeù in ordine ad illam, & aliud in linea merè naturali,& in ordine ad res tẽporales,ſeù ad naturalẽ rationem,etſi fallacem, ſequendam:quapropter licet idem P. Eſparza, dixerit in ſenſu compoſito judicii de majori veriſimilitudine ſimpliciter tali,& omnimoda unius partis,non ſtare libertatem opinandi partem oppoſitam, id non contradicit aſſertæ ab ipſo libertati fidei, & ipſius evidenti credibilitati; quia cum ea evidenti credibilitate agnita, ſtat ſimul proponi oppoſitam motivum naturale fallax,& ſecundum quid excedens.

14 Unde (pergit Eſparza) voluntas relinquitur libera ut ad utrumlibet feratur, ſub ea ratione formali ſecundum quam excedit: Quia utraque pars ſecundum conceptum excedentis retinet conceptum eligibilis,& præferibilis oppoſitæ parti. Nempè intellectum non comprehenſivum poteſt decipere quilibet exceſſus, etiam ſi ſit ſecundum quid tantùm, dum repreſentatur, ut exceſſus eſt, & aliquomodo diſſimulatur,quòd ſit exceſſus tantum ſecundum quid. Quę ratio pervertendi voluntatem facilè deprehenditur in opere credendi adverſantibus fidei motivis tantùm naturalibus, quæ conſiderata diſcurſu naturali inferunt ex ſe dictamen ultimum contradicens fidei, majori aliquatenus claritate præditum,quàm ſit motivum aſſentiendi,ut ſubeſt judicio de obligatione *credendi*: puta motivis naturalibus, fallacibuſque inſpectis, ſeu reſpectu eorum. Inſtatur præterea argumentum in peccatis quę committuntur per judicium temerarium, iniquam ſuſpicionem, & dubitationem adverſus honorem, & famam proximi, exiſtente utique majori abſolutè fundamento ad oppoſitum,ut dictum eſt ex communi *quæſt.* 39. *de Juſtit.* ſimilis etiam inſtantia ſumitur ex falſitate, quam patiuntur Dæmones præcipitando intellectum per imperium voluntatis, ut dictum eſt cum Div. Thoma *quæſt.* 15. *de Angelis. art.* 5. Hactenus P. Sparza, quæ forſitan ſi perpendiſſet objiciens, neutiquam ingenioſum, & perdoctum hunc Scriptorem, veluti non ſatis conſequenter loquutum perſtringeret *lib.* 1. *controv.* 5. *art.* 12. §. 2. *num.* 139.

SECTIO NONAGESIMA PRIMA.

Objectiones alias, qua Divinæ fidei immediatam oppugnant libertatem exarat.

1 ILluſtriſsimus Jaccenſis Præſul Dom. Palanco *tract. de fide. diſp.* 5. *quæſt.* 8. ut fidei immediatam, & quoad ſpeciem rejiciat libertatem, his præcipuè innititur fundamentis. Primum:ut doctrina Catholica appareat ſufficienter credibilis fide divina,debet actu apparere ut longè credibilior omni alia ſecta oppoſita,vel ut inter omnes ſola ipſa credibilis: & ſimiliter ut ſecta oppoſita appareat ſufficienter proximè credibilis, debet apparere ut credibilior fide Catholica, vel ſaltem ut abſolutè credibilis: ſed implicat, quòd in eodem inſtanti, & eidem intellectui ſimul appareat doctrina Catholica ut ſola ipſa inter omnes credibilis, vel longè credibilior cæteris, & contraria ſecta ſimul ut credibilior, vel abſolutè credibilis: ergò non poteſt ſimul concurrere in eodem intellectu apparentia credibilitatis proximè ſufficiens ad credendam fide divina doctrinamCatholicam, & apparentia credibilitatis proximè ſufficiens ad credendam ſectam, vel errorem oppoſitum. Igitur nec poteſt dari in eodem inſtanti, ſeù ſimul libertas proxima, & immediata, tum ad actum fidei divinæ, tum ad credendum errorem oppoſitum.

2 Confirmatur,quòniam

ad credendum fide divina requiritur, quòd omnibus pro ipsa, & contra ipsam consideratis, collatis, & pensatis, absolutè, & simpliciter nostra fides appareat, vel unicè credibilis, vel longè credibilior; sed cum hoc implicat, quod simul opposita secta adhuc ex motivis suis appareat sufficienter proximè credibilis: ergò non possunt simul stare sufficiens, & proxima credibilitas nostræ fidei, & sufficiens proxima credibilitas sectæ contrariæ. Major constat: Minor probatur, quia credibilitas Catholicæ fidei constituit incredibilem sectam oppositam, saltem illa non nisi imprudenter credibilis erit, id est per inconsiderationem, aut defectu m considerationis debitæ motivorum nostræ fidei. Sed in sensu composito collationis, & considerationis omnium motivorum non potest dari inconsideratio, seù defectus debitæ considerationis, nec apparentia credibilitatis sectæ contrariæ ex inconsideratione proveniens: ergò cum credibilitate sufficienti rerum Catholicæ fidei non potest stare sufficiens credibilitas sectæ oppositæ.

3 Confirmatur secundò; quia licet præsupposita cognitione credibilitatis rerum nostræ fidei possit sic cognoscens præcipitare judicium in oppositam sectam; non tamen id potest proximè, & immediatè, sed tantùm mediatè, & remotè, quatenùs potest avertere prædictam considerationem, seù illam prætermittere, & prætermissa debita consideratione, tunc præcipitare judicium: ergò cum debita consideratione, & sufficienti cum credibilitate nostræ fidei non stat proxima, & immediata potestas credendi oppositum errorem, adhuc imprudenter, & temerè, sed solùm cohæret potestas mediata, & remota. Antecedens probatur primò, quia si cum debita consideratione, & credibilitate nostræ fidei posset intellectus credere oppositum errorem, formaliter aut virtualiter ita tenderet intellectus in illo hæretico assensu: Quamvis omnibus inspectis, pensatis, & consideratis, mihi appareat Catholica fides credibilior longè opposita secta, vel unicè credibilis, & opposita secta incredibilis, tamen credo oppositam sectam esse veram, & Catholicam falsam: sed hic modus tendendi repugnat intellectui, cum sit prorsùs fatuus, & irrationalis: ergò. Tertiò, quia credere præcipitando judicium, est credere prætermittendo debitam considerationem motivorum: ea igitur perseverante, non potest intellectus præcipitare judicium, sed prius illa excludenda, ut possit assensus errori exiberi. Quartò, quia juxta communem Recentiorum sententiam non potest fides nostra esse proximè credibilis, nisi judicetur absolutè, ut hic, & nunc credibilior vel sola ipsa credibilis collata cum sectis contrariis, nec secta ulla opposita potest esse proximè credibilis, nisi actu judicetur etiam absolutè credibilis; sed implicant simul in eodem intellectu duo judicia, quorum unum affirmet, quòd doctrina Catholica absolutè, & omnibus inspectis est sola ipsa credibilis, & aliud, quo etiam secta contraria hic, & nunc credibilis enuntietur: ergò implicat quòd simul sint eidem intellectui proximè credibiles nostra fides, & secta contraria.

4 Quintò, ut fides sit proximè credibilis, non sufficit quòd talis censeatur relatè ad hæc, aut illa motiva, sed oportet, ut omnibus hinc inde inspectis judicetur sola illa simpliciter credibilis: cum quo judicio incompossibile est aliud, judicans oppositam sectam esse absolutè credibilem. Sextò id docet experientia, quia nullum videmus, nec videbimus, qui credat nostram fidem, qui simul affirmet, sibi esse credibilem sufficienter sectam con-

contrariam; nullumque qui credat sectam contrariam, & simul affirmet doctrinam Catholicam illi sectæ adversam esse sibi absolutè, & simpliciter credibilem, seù unicè credibilem: ergò ab experientia constat, quod credibilitas proxima nostræ fidei est incomposibilis cum proxima sectæ contrariæ credibilitate. Septimò, quia quãdo hæreticus fit Catholicus, & Catholicus hæreticus non fit hic transitus ita instantaneus, ut immediatè fiat in proximo instanti, sed semper intercedit tempus, ut varietur paulatim dispositio intellectus, & apparentia credibilitatis. Ergò nunquam actus fidei Catholicæ est immediatè liber libertate proxima contrarietatis.

5 Octavò, quando quis credit firmiter nostram fidem, pro signo actus primi repræsentatur illi ut vera, & ut omnibus inspectis illi credibilis unicè, cum incredibilitate falsitatis illius; sed cum hoc nequit componi, quòd sufficienter proponatur, & appareat falsa, ut illi dissentire possit immediatè intellectus: ergò nemo dum eam credit firmiter veram, retinet potestatem proximam dissentiendi illi ut falsæ. Nonò: respicere nostram fidem ut falsam, est judicare, illam esse falsam, & veros esse oppositos errores: sed credens firmiter nostram fidem non retinet potestatem proximam credendi veros esse oppositos errores: ergò nec retinet potestatem credendi falsam nostram fidem: ad id enim opus esset, ut proponeretur intellectui fides nostra ut magis falsa quàm vera: nemo autem nisi fatuus potest firmiter credere verum esse id, quod magis falsum, quàm verum illi proponitur.

6 Decimò, qui firmiter credit nostram fidem non retinet dispositionem proximam exactam ex parte actus primi ad dubitandum: patet quia ut inquit Angelicus Mag. *quæst. 14. de verit. art. 1.* propria dispositio dubitantis est, cum intellectus non inclinatur magis ad unum, quàm ad aliud propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Qui autem credit firmiter non retinet hanc pro utraque contradictionis parte apparentem æqualitatem, cum in ejus mente motiva fidei omninò prævaleant: unde qui credit firmiter non habet potestatem immediatam discredendi, aut dubitandi, nec qui discredit habet potestatem ad immediatè credere, aut discredere positivè, sed solùm mediatè, media nempè diversa occurrentia, consideratione, aut apparentia motivorum: propterea æque fides solum est immediatè libera quoad usum, id est quoad considerationem debitam motivorum, & quoad assensum, sivè ad eliciendum ipsum, sivè ad eundem suspendendum, & quatenùs hæc suspensio est ab actu libero voluntatis, potest dici fides immediatè libera non solum libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis, quamvis hæc contrarietatis libertas non propria, sed impropria sit censenda.

7 Utque sententiam suam Illustris. Palanco tueatur quandam tradit doctrinam, satis mihi difficilem, ait ergò *dict. disp. 5. de fide. quæst. 8. num. 49.* quòd *hæreticus dum est in suo errore contra fidem, neutiquam obligatur actualiter, seù formaliter in propria conscientia ad credendam fidem catholicam*, nam sua conscientia actualiter illi talem obligationem non dictat, imò per conscientiam erroneam judicat, nullam esse obligationem credendi doctrinam catholicam in illo articulo, sed potius esse obligationem credendi oppositum, quod ipse credit: obligatur tamen ad credendam fidem catholicam objectivè fundamentaliter, quia datur lex ipsa, & Catholica doctrina promulgata, quæ objectivè, & fundamentaliter omnes obligat, quibus intimata fuerit, ad eam credendam; &

cum

cum hæretico ſupponatur intimata, aliàs hæreticus non foret, illum pariter objectivè, & fundamentaliter obligat, hoc eſt, tanquam fundamentum objectivum ſufficiens ad ipſum formaliter, & actualiter obligandum, ſi velit attendere, & conſiderare debitè illud. Tum etiam obligatur ſubjectivè radicaliter, ſeù in radice, quia habet dictamen univerſale ſindereſis, vel etiam illuſtrationem ſupernam, quæ illi proponit Religionem in communi, ut purè propter ſe ipſam, & citra reſpectum ad temporalia quærendam, cui obligationi ſi obtemperet, abſdubio inveniet Religionem Catholicam unicè credibilem, & tunc obligabitur formaliter in conſcientia ad illam amplectendam. Sic ille, qui pergens ſuam exponere mentem inquit peccatum hæreſis ſolùm eſſe voluntarium, & liberum in cauſa indebitæ conſiderationis, non in ſe.

8 Deinde *num.* 53. aſſerit aliquos eſſe modos tentationis contra fidem, in quibus tentatio non poteſt immediatè vinci per actum fidei, ſed debet vinci pro priori ad actum fidei per debitam conſiderationem motivorum, & ita contingere, quando quis tentatur contra fidem ex nimia attentione ad motiva ſectariorum, & per inconſiderationem authoritatis Eccleſiæ Romanæ, tunc enim ea tentatio, præſertim ſi ita aggravata fuerit, quòd jam ſecta ſibi appareat verior, & credibilior, aut æquè credibilis quam noſtra fides, non poteſt immediatè vinci per actum fidei, ſed ſolum per debitam conſiderationem, & collationem motivorum, præſertim authoritatis Eccleſiæ Catholicæ cum qualibet ſecta; niſi enim hæc debita conſideratio præmittatur, non poterit intellectus immediatè elicere actum fidei Chriſtianæ, quia durante æquali, vel majori apparentia veritatis in ſecta contraria, & in ſenſu compoſito talis apparentiæ non poteſt intellectus credere ut veram noſtram fidem præ contraria ſecta. Quando verò tentatio ſolùm pulſat intellectum ſufficienter ad cauſandam formidinem de veritate noſtræ fidei, ut regulariter contingit in Catholicis vinci poteſt immediatè per actum fidei, quia dum tales apparentiæ contra fidem indeliberatè, & involuntariè occurrunt menti contra longè majorem authoritatem Eccleſiæ, melior modus vincendi eas tentationes, ſivè ſcrupulos contra fidem eſt firmiter credere authoritati Eccleſiæ, ſeù Deo per Eccleſiam revelanti; tales enim tentationes non proponunt ſectam contrariam ut ſufficienter proximè credibilem: id ipſum tradit de tentatione ex obſcuritate, & arduitate fidei aliquandò prodeunte, quia hujuſmodi tentatio ſolum conſtituit poteſtatem proximam diſſentiendi fidei negativè, per voluntariam ſuſpenſionem judicii ſeù aſſenſus fidei, quæ poteſtas proximè compatibilis eſt cum actu fidei. Sic ratiocinatur Illuſtriſsimus Palanco.

SECTIO NONAGESIMA SECUNDA.

Præcedentibus objectionibus ſe obviam, & doctrinam, cui illæ innituntur refellit.

1 PRopoſitis ne quiſpiam ſuccumbat argumentis, ſat eſſe autumo, animadvertere, ex præcipuo Illuſtriſsimi Jaccenſis aſſumpto colligi, pertinacem hæreticum neminem eſſe poſſe: quòniam ad id hæreticæ pertinaciæ, juxta receptam Theologorum, Juriſque Canonici ſententiam ex Divo Auguſtino, Doctore Maximo D. Hieronymo, & D. Thoma deſumptam, opus eſt, quòd Eccleſiæ Catholicę doctrina, & definitio ſufficienter proponatur: *Qui in Eccleſia Chriſti* (ajebat D. Auguſtinus *lib.* 18. *de Civitate Dei. cap.* 51.) *morbidum*

dum aliquid, pravumvè quid ſapiunt, ſi correcti, ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata, emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt: habeturque in Jure Canonico *cap. Qui in Eccleſia.* 24. *q.* 3. Et Gloſſa in *Extravag. Cum inter de verb. ſignif. verb. Pertinaciter. Pertinax* (inquit) *dici poteſt, ſicut & obſtinax, qui monita ſuperioris deſpicit. Extra de re judic. cap. Ad Apoſtolicæ. §. Sed licet.* Porrò autem Eccleſiæ doctrinæ propoſitionem, ſivè admonitionem talem eſſe debere, ut quis poſsit, ac teneatur non ſolùm quærere veritatem, verum etiam credere, quod illi proponitur, fide divina dictum, edocent Theologi, conſentientibus omnium calculis, *ut ſect. 39. num. 9. & ſequentibus*, præſertim *num. 16. & 17.* delibavimus: conferunt quæ de pertinaciæ conſtitutivis fusè ſupra obſervata manent: tum ſic ſufficienter propoſita fidei veritate, illa utique repræſentatur ut longè credibilior, quàm error contrarius: ſed juxta objectionem, veritati ut veriſimiliori propoſitæ, nemo diſſentiri valet, ſine diſſenſu autem intellectus, nemo eſt hæreticus pertinax: ergò juxta objicientem nullus poteſt eſſe formalis pertinax hæreticus.

2 Deinde infertur Athenienſes, quibus D. Paulus *Actor. cap. 7. v. 32.* Evangelicam annuntiavit veritatem, illique obſiſtentes, nec non Judæos, quos veritas ipſa Chriſtus Dominus alloquebatur, & poſtquam tanta ſigna feciſſet coram eis, nec tamen credentes, ſed diſſentientes potius, non habuiſſe ſatis propoſitam ipſius Chriſti Domini doctrinam, ut poſſent ei aſſentiri, id quod falſum eſſe, cumulatè, ni fallor evicimus, *ſectione 24. & ſequentibus*; quamobrem Apoſtolus *Epiſt. 2. ad Thimot. cap. 3. v. 8.* ajebat: *Quemadmodum Jannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem*, quæ verba expendimus *ſect. 27. num. 7.*

3 Directè igitur reſpondeo: Catholicæ fidei præſtantiam exigere, quòd objectum illius ita credibile proponatur, ut non ſolùm credibilius oppoſito, verum etiam unicè prudenter credibile, & evidenter tale repræſentetur; at verò hæreticorum ſecta, ut ſit imprudenter, & pertinaci auſu credibilis, non exigit, nec poſtulare poteſt, quòd ſublimi illa credibilitate repræſentetur, ſed præcisè poſtulat aliquam veriſimilitudinem, qua ſub ratione formali intellectus contineatur: quapropter nihil reperire eſt contradictionis in eo, quòd fidei myſterium evidenter credibile proponatur, & ſimul oppoſitus error ut veriſimilis ſufficienter repræſentetur intellectui, ita ut voluntas liberè immediatè poſsit, vel piè, & prudenter aſſenſum fidei imperare, vel imprudenter, & pertinaci hæretico auſu errori aſſenſum præbere. Conſtituit ergò fidei noſtræ credibilitas prorsùs incredibilem prudenter omnem contrarium errorem; cæterum non efficit, quòd hæretici errores non ſint imprudenter credibiles: idque etiam conſideratione ſufficiente præſuppoſita dignitatis, ac credibilitatis fidei, & minoris longè veriſimilitudinis erroris: quemadmodum etiam prælucente cognitione honeſtatis obſervantiæ divini præcepti, & inhoneſtatis objecti prohibiti, poteſt voluntas objectum amplecti turpe. Et quidem ſi ſola inconſideratio evidentis noſtræ fidei credibilitatis, rederet credibilem errorem hæreticum, fieret, ut facta correptione, & admonitione ſufficienti ab Epiſcopo, ſeù ab Inquiſitoribus, & Sapiētiſsimis Doctoribus, per quā ſcilicet omnis tollitur inconſideratio, nemo poſſet pertinax perſeverare hæreticus formalis; quod utinam ita contigeret, ſed proh dolor! quòd non ita, non ſemel contingere, cernitur.

Nec

4 Nec urgentior eſt ſecunda objectionis confirmatio : majoris quippè diſſonantiæ, nihil diſcernere eſt in modo tendendi in objectione oppoſito, quàm in iſto : quamvis omnibus inſpectis mihi appareat, certumque judicem, & fide credam, objectum iſtud eſſe turpe, ejuſque amorem eſſe lethalem noxam, æterno igne dignam, oppoſitum verò eſſe quid ſanctum, præceptum, ejuſque proſecutionem ex Dei gratia æterno præmio dignam, malo tamen delectabile quidpiam boni, lethale, & averno dignum eligere quàm oppoſitum bonum honeſtum: quapropter ſi hic tendendi modus non ſit impoſsibilis naturæ rationali, prout non eſſe impoſsibilem, objiciens fateri adigitur: nec contradictionem includet modus tendendi ab Illuſtriſsimo Palanco objectus. Unde directè reſpondeo, quòd ſicut in proſecutione turpis objecti, opus non eſt eo reflexo, & formali imperio: ita nec in diſſenſu à fide, ut ille ſit hæreticus, & pertinax, neceſſum eſt, intellectum ea reflexa uti cognitione, ſed ſufficit, quòd prælucente evidenti rerum fidei credibilitate, ex imperio voluntatis aſſentiatur intellectus hæretico errori.

5 Porrò autem, eam ſufficientem evidentis credibilitatis rerum fidei propoſitionem prælucere haud ſemel in pertinaci hæretico, & in idololatris, mihi compertum faciunt Sacrorum Canonum decreta, & Sacræ Paginæ oracula, quæ perpendimus *ſect.* 25. & per plures ſequentes, tum *ſect.* 30. & deinceps : & de Gentilibus in id perſpicuum videtur cœleſte oraculum, quod *Sapien. cap.* 12. *ver.* 1. & 2. Legimus : *O quàm bonus*, (inquit Sapiens) *& ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! Ideòque eos, qui exerrant partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine.* Ubi ſermo eſt de idolorum cultoribus, ut communiter adnotant Sacri Interpretes, & ex ipſo textu ſubducitur maximè ℣. 24: Qui autem allocutionibus hiſce, & increpationibus *non ſunt correcti*, *dignum Dei judiciũ experti ſunt.* Hos inſuper idololatras ſufficienti cognitione præditos fuiſſe, ut unum verum Deum collerent, & in illum crederent, ſatis perſpicuè ex eodem Sacro enitet eloquio; ideò enim Divini Spiritus magnitudo, ac ſuavitas commendatur, quòd ea pietate, ſcelaritiſsimos homines increpationibus, & inſpirationibus tum internis, tum externis, mirificis ſignis, quę per filios Iſraèl eorum Deus fecerat, admonuerit, & ad pœnitentiam expectaverit, animadvertit Nicolaus Liranus, in expoſitione *dic. cap.* 12. juxta illud *ad Roman. cap.* 1. ℣. 21. *Cum cognoviſſent Deum non ſicut Deum glorificaverunt* : unde fit, non ex cognitionis ſeù conſiderationis defectu, ſed ex prava indole, teterrimaque, & libera voluntate Deum, quem ſufficienter cognoverunt, non glorificaverunt, nec in ipſum crediderunt : & quidem licèt Pharaonis intellectus ignorantiæ tenebris obrutus fuerit, ejuſque voluntas pravis dedita affectionibus, cum tamen Deus ſua benignitate, ſalutarem opem ægritudini illius apponere voluerit, idem gratiæ medicamentum ei adhibuit, ac Nabuchodonoſori poſtmodum largitus eſt, ut ait D. Auguſtinus in *cap. Nabuchodonoſor.* 24. *quæſt.* 4. adeòque ſufficienti, imò abundanti illuſtrationis gratia, & inſpiriationum muneribus cumulatus impius Rex libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem pugnavit arbitrio, cum tamen Nabuchodonoſor manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingenuerit: vide quæ ſcripſimus *ſect. trigeſima tertia num.* 15. Idemque cernere eſt in perfidis Judæis *ſect. vigeſima ſeptima, & vigeſima octava.*

6 At dicat quiſpiam objectionis efficaciam ex ſolutione noſtra haud

haud effringi; quòniam ſtat optimè, ex inconſideratione motivorum Catholicæ fidei incidi in incredulitatem, & nihilominus id incredulitatis tribui libero arbitrio, verę fidei motiva, ut par eſt, conſiderare fuigienti: adeòque, eo opus eſſe conſiderationis defectu, ut quis valeat Catholicæ fidei diſſentire. Verum enim verò disjectam manere argumentationem, veramque eſſe conſtabilitam à nobis doctrinâ, ex eo revincitur, quòd ex præcit. Sacro Can. apparet, quòd Nabuchodonoſor cęleſtis medici manu confectum medicamentum obtinuit proximè ſufficiens, vireſque præbens ingentes ad cognoſcendum, credendumque unum ac verum Deum: quis ibit inficias? At juxta Div. Auguſtinum *eo in cap.* relatum, idem gratiæ medicamentũ collatum fuit Pharaoni; igitur, & impius Ægypti Rex Deum Optimum Maximum proximè potuit agnoſcere, credere, & humili adorare obedientia: conſequentia eſt legitima: majorem omninò veram reor; minorem autem, loquendo de gratia ex parte actus primi proximi, quæ ad ſcopum quæſtionis attinet, non mihi minus perſpicua eſt ex ipſius Divi Auguſtini, ſacrique capitis verbis hiſce: *Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam. Nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quòd perdiderat, rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & periit? Hic mihi rationem reddat, qui divinum conſilium nimiùm alto, ſapientique corde, dijudicat; cur medicamentum unius medici manu confectum, alii ad interitum, alii voluerit ad ſalutem: niſi quia Chriſti bonus odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges. Quantum ad cauſam, ambo captivum populum Dei poſsidebant. Quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergò fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quòd unus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem pugnavit arbitrio?* Hæc fulgentiſsimus Eccleſię Doctor, & Phœbus, cujus præclaram doctrinã inanẽ (ut videtur) redderet, qui gratiæ medicamentum Nabuchodonoſori collatum robuſtius diceret, quàm Pharaoni conceſſum: aliundè majorem eſſe illuſtrationis gratiã, quę proximè credibilem proponit unius veri Numinis fidem, & cultum, quàm quæ ſolum credibilem remotè hanc ſummam veritatem repręſentat, ex terminis patet: dicendum ergò, non ex diſcrimine prælucentis cognitionis, & illuſtrationis ſupernę, ſed præexiſtente hujuſcemodi gratiæ æqualitate, ſed ex diſsimilitudine præcisè, ac diſsidio voluntatum evenire poſſe, & non ſemel ita contingere, quòd alter piè, & liberè credat: alter verò perfidè divinis diſſentiat eloquiis.

7 Idem communitur ex ſequenti conſideratione; adverſariis diſſerendi gratia, largiamur, Pharaonem Dei ſupernam habuiſſe illuſtrationem, & gratiam, quæ præcisè remotè credibilem ei redderet ipſius veri Dei cultum, & adorationem, potuiſſeque majori animadverſione cognoſcere, & inquirere, ac conferre motiva veræ fidei, ac debiti cultus uni ſupremo, ac verò Numini: tum ſic, vel ergò hæc motivorum inquiſitio, collatio, majorque conſideratio propoſita fuit Pharaoni ut eligibilior, vel ut ęquè, aut minus eligibilis: ſi primum dicatur, non potuit ille, eligere, in ſua manere perfidia, & duritia cordis abſque tali diſquiſitione, juxta Illuſtriſsimi Palanco ſententiam, qui *tract. de conſcien. quæſt. 26. num. 77.* ait, quòd ex principiis Div. Thom. & omnium Thomiſtarum, conſtat, voluntatem ab æque moventibus non moveri, ſed neceſſum eſſe, quòd unum eorum emineat ſupra alterum: id quòd alii immedia-

diatè fidei libertatis oppugnatores pari conſenſu edocent; cum ergò obduratus Pharao perſtiterit, eamque preterniſſerit diſquiſitionem, dicendum erit, illam motivorum verę fidei majorem animadverſionem illi non fuiſſe propoſitam ut magis eligibilem: adiguntur ergo adverſarii aſſere id inquiſitionis ulterioris ut æquè, aut minus eligibile fuiſſe Pharaoni repræſentatum: in qua hypotheſi, caruit ipſe libertate, ut talia inquireret, conferretque motiva, ſi contrariæ nobis ſententiæ Aſſertores conſequenter ad ſua Theoremata perſtent.

8 Eoſdemque urgeo: vel Ægypti Regis intellectui ut veriſimilius fuit propoſitum, impoſsibilem eſſe illam majorem motivorum inquiſitionem, vel ut æquè, aut minus veriſimile id impoſsibilitatis cognovit: vel aliter agnovit ut veriſimilius, reperiri poſſe majorem credibilitatem veræ fidei, vel id agnovit ut minus, vel ut æquè veriſimile: & qualibet ex hiſce hypotheſibus conceſſa, in hunc modum objectionem intorqueo: ſi prima ſupponatur hypotheſis: Non potuit Pharao in ſenſu compoſito prædictę apparentiæ, & conſiderationis, immediatè aſſentiri illi inquiſitioni, & exercere illam motivorum ulteriorem inquiſitionem, majoremque eorum conſiderationem, & collationem, niſi hoc modo tendendi, vel formaliter vel virtualiter, nempè dicendo mentaliter: Quamvis omnibus inſpectis, penſatis, & conſideratis mihi appareat ut veriſimilior impoſsibilis ulterior inquiſitio motivorum fidei Numinis Hebræorum, & unicè credibilis mea ſecta, cenſeo tamen impoſsibilem non eſſe, & volo eam exequi majorem conſiderationem, & collationem: ſed hic modus tendendi repugnat intellectui, juxta objicientem: Ægypti ergò Imperator, in hac hypotheſi, majorem exequi conſiderationem, & motivorum veræ fidei non valuit: conſtat aſſumptum, quoniam nemo efficere poteſt, nec voluntariè, & liberè aggredi id, quòd ſibi eſſe impoſsibile exiſtimat. Idem verò argumentum confici valet, ſi prælibata impoſsibilitas ulterioris conſiderationis propoſita fuit ut æque, aut minus veriſimilis: ſub hiſce quippè terminis juxta Palancum, eſt omninò impoſsibile, judicare eam inquiſitionem majorem eſſe poſsibilem: nemo autem poteſt amare, & vele practicè exercere niſi id, quòd fieri poſſe judicat; vel ut tale apprehendit, quapropter Pharao ſub terminis præjactis libertate caruit inquirēdi ulteriorē credibilitatem fidei Numinis Hebręorum. Id quòd ex ſequenti magis inclareſcet ponderatione. Secundam ergò ſupponamus hypotheſim, videlicet veriſimilius apparuiſſe Pharaoni, aſſequi ſe poſſe majorem veræ fidei motivorum conſiderationem, imò & majorem credibilitatem ejuſdem fidei, quàm Moyſes cum ſuis profitebatur Hebręis: ſimulque præhabendum, Ægypti Regem hunc in ſua permanſiſſe perfidia, illamque majorem prætermiſiſſe motivorum collationem: & ut falſam deſpexiſſe veram Dei fidem, & ſic diſſero: Non potuit Pharao credere veram ſuam Idolorum fidem, nec veræ fidei motivorum conſiderationem prætermittere, niſi hoc modo tendendi vel formaliter, vel æquivalenter, nempè dicendo mentaliter: Quamvis omnibus inſpectis, penſatis, & conſideratis mihi apparet major inquiſitio, conſideratio, & collatio motivorum fidei unius Dei Hebræorum poſsibilis magis veriſimiliter, imò & veriſimilius eſſe, me poſſe cognoſcere majorem longè credibilitatem ejuſdem fidei, vel eam eſſe unicè credibilem, tamen credo eam majorem inquiſitionem non eſſe poſsibilem, ſed contemnendam, imò & meam oppoſitam ſectam quæ plures colit Deos eſſe veram, & fidem hebręorum

rum esse falsam : sed hic modus tendendi repugnat intellectui , ita ut illi sit impossibilis: igitur Pharao non potuit cognoscere ut magis verisimiliter possibilem illam ulteriorem veræ fidei motivorũ cõsiderationẽ,nec cognovit veræ ipsius fidei credibilitaté apprehendi posse ut magis verisimilem : ergò nec liberè amare potuit, seu vele practicè eam mediorum inquisitionem.Idem confici potest argumentum , si æque aut minus verisimilis proposita fuit possibilitas majoris inquisitionis motivorum veræ fidei , & majoris seù unicè ipsius credibilitatis : ut ex adversariorum doctrina , aliisque jam prænotatis colligitur.

11 Denique,post tot visa miracula, post tot perpeta flagella tum in se ipso, tum in universo populo , quot scilicet legimus in Sacro Exodi libro à cap.7. usque ad 14. nemo,ut reor,dicere poterit , Pharaonem,Ægyptiosque alios non satis propositam habuisse credibilitatem fidei Dei Optimi Maximi, quam Moyses toties ipsis prædicavit; proptereaque Dominus Exod. *cap.* 7. *vers.* 5. dixit : *Et scient Ægyptii,quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum , & eduxerim filios Israèl de medio eorum* , adeò enim perspicuis argumentis veritatis lux Ægyptiorum mentibus affulsit, ut evidens ipsis facta fuerit veri Dei sanctæque fidei credibilitas , externis quippè miraculis, & Moysis suasionibus adjungebantur ex Dei misericordia supernæ illustrationes,& gratiæ auxilia sufficientia quibus si voluissent Ægyptii possent assentiendo credere , & Divinis obtemperare præceptis,ut ostendimus *sect.vigesima octava, & vigesima nona* : quibus addere libet Div. Ambrosii aurea verba *serm.* 8. *in Psalm.* 118. ubi infit: *Docet autem Deus,& mentes illuminat singulorum,& claritatem cognitionis infundit si tu aperias ostia cordis tui,& cœlestis gratiæ recipias claritatem.* Et D. Augustinus lib. de Prædest. & Grat. cap. 14. de eodem Pharaone inquit: *Numquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere?* At Hebræos dimittere potuit immediatè , & proximè : ergò , & proximæ, & immediatæ ipsius libertatis fuit miraculis credere , & verum Deum agnoscere:in eundem sensum Sanct. Joannes Chrysost. *serm.* 16. *inter medium, & finem* , præfatam Ægyptii Regis obdurationem exponens , & carpens ajebat: *Neque enim Deus quidquam non fecit quòd ad illius correctionem conferret : neque ipse Pharao vicissim quidquam omisit, quod ad suam perditionem faceret , omnique venia privaret.* At potuit Deus illustrationis supernæ gratia illius mentem perfundere , ita , ut fieret proximè potens credere : ergò & tale beneficum Regi,etsi impio,contulit Deus. De Judæis quoque qui audiendi Christi Domini divina verba fuere gratia prædiți , nihil ipsis sufficientis cognitionis defuisse, edocet Angelicus Magister 3. *part. quæst.* 47. *artic.* 5. *ad prim.* ita scribens: *Possumus tamen dicere, quòd etiam verum Dei filium cognovisse dicuntur : quia evidentia signa hujus rei habebant , quibus tamen assentire , propter odium , & invidiam noluerunt, ut eum cognoscerent filium Dei esse*: vide *sect.* 29. *num.* 8. & 9. Sicut autem, & perfidè obsistentes Dei vocationi, & gratiæ illi proximè possunt assentire, & credere, non minus liberè Dei auxilio consentientes possunt proximè illi dissentiri, & perfidè resistere , ut ex dictis colligere proclive erit, maximè ex traditis juxta Div. Augustin. & Prosperum *sect.* 35. & ex D. Anselmo *sect.* 36. *num.* 7. *fine.*

***

*** *** *** ***
*** *** *** ***

SECTIO NONAGESIMA TERTIA.

Reliquas objectionis confirmationes dearmat.

1 TErtia objectionis confirmatio depellitur, quòniam licèt ob sui supernam dignitatem Catholica fides deposcat, objectum suum ea evidenti gaudere credibilitate, ut omnem oppositum errorem constituat incredibilem, nisi per imprudentiam; nihilominus assensus hæreticus eam sublimem in objecto suo non postulat, nec habere valet credibilitatis dignitatem; quamobrem licèt credens fide divina non possit existimare, oppositum errorem esse absolutè credibilem, *To absolutè* accepto ea sermonis proprietè, qua absolutè doctus dicitur apud Suetonium *de Clar. Gram.* & quam nos supra explicuimus *sect.* 80. *num.* 4. & 7. vel eo sensu, ut perfectè Theologicè credi valeat; tamen accepto physicè, & à prudentia actus præscindendo, potest equidem agnoscere credibilem esse sententiam fidei nostræ contrariam. Et consequenter nihil metaphysicæ, nec physicæ adest repugnantiæ in complexo judicio quo affirmetur, utramque esse divisivè credibilem oppositam sententiam, seù partem contradictionis, aut contrarietatis: & quemadmodum honestatis evidentia in bono amabili ex præcepto, non aufert amabilitatem, etsi imprudentem objecti prohibiti, ita evidens objecti fidei Divinæ credibilitas, quæ imprudentem reddit, & prohibitum assensum erga errorem, non tollit physicâ talis falsi objecti credibilitatẽ.

2 Ex quo ad quartam confirmationem haud difficulter fluit solutio: prudens enim, evidensque objecti fidei credibilitas censeri non potest, nisi omnibus hinc inde rectè perpensis; cæterum objecti hæreseos credibilitas imprudens stare valet, quãvis omnia rectè non perpendantur. Rursus etiam omnibus fidei motivis perpensis, cum ejus objectum inevidens, & obscurum permaneat, adhuc physicè credibile apparere valet error cõtrarius. Tandẽ quãvis non solùm Recentiores, sed etiam Antiqui, & Sapientissimi Theologi doceant, ad credendum fide divina requiri judicium de evidenti objecti credibilitate; tamen ad credendum erroneo, perfidoque hæretico assensu, simile judicium nullo modo necessarium præscribunt: quapropter facilius redditur, ut cum credibilitatis judicio ad veram fidem requisito adsit sufficiens hęresum credibilitas per apprehensionem proposita, ut ex tali repræsentatione possit volũtas hæreticum assensum imperare.

3 Quinta diluitur confirmatio, experientiam in objicientem contorquẽdo: ipsa quippè meridiana luce clarius est, fideles, ingentique sanctitudine præditos tentationibus contra fidem identidem oppugnari, & exerceri, tàm ingenti equidem periculo, ut nisi divina gratia opitulante constantes permanerent, in eodem ipso, quo oppugnãtur instanti, à fide caderent, & in hæresim formalem prolaberentur: tum sic, dum tentationibus hujusmodi obsistit Christianæ religionis cultor, mente retinet evidentẽ fidei credibilitatẽ, quandoquidẽ nihil fidei contrariũ admittit; sed in eodẽ instanti, & pro illius priori signo potest in hæresim incidere, idque lapsus teterrimus generis humani hostis consequi conatur; igitur in eodẽ instanti, ac signo conjungi valent prudẽs, ac evidens nostræ fidei credibilitas, & physicè imprudens, tamen hæretici erroris credibilitas sufficiẽs. Id quod illustratur maximè D. Prosperi tradita doctrina *sect.* 35. *num.* 9. qui de libertate credendi, & à fide discedendi differens *lib.* 2. *de Vocat. Gent. cap.* 28. ibi in consensum tentationum contra fidem inquit *facilis nimium, procliviſque*

que

que deſcenſio eſt, & ideò *nunquam debere in auribus fidelium vocem illam Domini non inſonare, qua Apoſtolis dicitur: Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.* Et de ipſo Apoſtolorum Principe, ait quod in ipſa palmarum omnium conſumatione hanc compugnantiam perpeſus eſt: *Verumtamen* (inſit) *ita inevitabilis erat oblectatio trepidationis, ut vir martyrii avidiſſimus, adepturus quidem denuntiaretur victoriam paſsionis, ſed non ſine tentatione formidinis.*

4 Id ipſum ſtabilit D. Anſelmus ſuper Evangelium *D. Matthæi, cap.* 6. ad illa verba: *Fiat voluntas tua*, ubi de alio Apoſtolorũ Principe D. Paulo in miraculoſa ſublimique vocatione, ut vas fieret electionis, docet potuiſſe tunc reſiſtere divinę gratię adeò efficaci: *In Paulo tamen* (verba ſunt hujuſce Sanctiſsimi Doctoris) *videtur cogens voluntas Dei; ſed non eſt, quia licet percuſsus, tamen voluntas erat libera, ut reſiſteret ſi velet.* Si ergò ita in Eccleſię gemino iſto micantiſsimo evenit Sole, quid de aliis nebuloſis ſtellulis, quę vix Eccleſię Galaxiã conſtituere poterimus, affari licebit? Unde, & ſexta infracta elucet confirmatio; imò & ſeptima; quòniam etſi ei, qui firmiter credit, ut Eccleſia proponit, pro ſigno actus primi unicè credibilia repręſententur fidei objecta, ita ut incredibilis ei ſit earum rerum falſitas, id intelligendum venit de credibilitate evidenti, & prudenti, ſecus de phyſica licèt imprudenti credibilitate; quòd ſi *To unicè* quamlibet, etſi imprudentem complectatur credibilitatem, licèt verum eſſe queat, quando nulla quiſpiam pulſatur tentatione contra fidem, falſum tamen erit quando ſecus contigerit.

5 Octava haud magis urget confirmatio, ſiquidem poteſt fides reſpici ut falſa, vel judicando ita eſſe, vel apprehenſivè tantum: ſi primum contingat, jam hæreticus adeſt aſſenſus, & cum illo fateor, non poſſe conjungi veram fidem: ſi verò ſecundum eveniat, cum illa falſitatis apprehenſione, ſic res fidei repræſentante, elici quàm optimè poteſt verus, & firmus aſſenſus fidei: ut ex dictis conficitur. In eo autem, quod dicitur ab Illuſtriſs. Palanco, quòd nemo niſi fatuus poteſt firmiter credere, verum eſſe id, quod magis falſum, quàm verum illi repræſentatur, aſſentiar quidem ſi de fatuitate loquatur, de qua crebrò in Sacra Pagina, præſertim *Proverb. cap.* 17. *v.* 12. ubi inquit Salomon: *Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in ſtultitia ſua.* tum Eccleſiaſtici *cap.* 22. *v.* 18. ibi: *Arenam, & ſalem, & maſſam ferri facilius eſt ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium*: & Matth. *cap.* 25. *v.* 2. ex decem illis virginibus quinque fatuæ nuncupantur. Porrò autem hac infectos eſſe fatuitate hæreticos, quis abnuet? Illi ergò, licèt impia fatuitate, poterunt firmiter credere, veros eſſe ſuos perfidos errores, quamvis ex noſtræ fidei credibilitatis momentis falſa ipſorum ſecta eorum intellectui ſufficienter proponatur; id namque ſufficientis propoſitionis ad hæreticam requiri pertinaciam, ſupra abundè ſtabilitum apparet. Si autem Palanco ſermo ſit de fatuitate, quæ rationis judicium, & peccandi aufert libertatem, adeò Sapientis Authoris pace, ab ipſius placito haud ſtare queo, quòniam cum ſufficienti ad peccandum judicio, ac libertate ſunt plures, qui in ſtultitia ſua confidentes firmiter temerè judicant, & cognita evidente noſtræ Catholicæ fidei credibilitate, pertinaci tamen diſſenſu à vera fide recedunt.

6 Nona excinditur

confirmatio ex dictis *sect. septuagesima nona, cum trib. sequent.* ubi cernere erit, posse esse dubium in fide, & hæreticum, illum, cui sufficienter fidei credibilitas proponitur; non enim opus est motivorum æqualitate ad dubitandum; licèt sæpè ex tali æqualitate, dubitari contingat: tum quia cum ex deceptionis formidine voluntas suspendit assensum fidei, quantumvis ipsius major longè, & evidens credibilitas repræsentetur, adest jam formale, aut virtuale judicium sufficiens ad hæresim. Videsis dicta citatis sectionibus, ubi mentem Doctoris Angelici nobis consonam invenies, præsertim *sect. 79. num. 20. & seqq.*

6 Quod verò tandem docet Illustrissimus Jaccensis Antistes, *dict. disp. 5. de fide. quæst. 8. num. 49.* videlicet, quòd *hæreticus, dum est in suo errore contra fidem, neutiquam obligatur actualiter, seù formaliter in propria conscientia ad credendam fidem Catholicam*, mihi valdè difficile apparet, primò quia præceptum fidei negativum, juxta omnes Theologos obligat semper, & pro semper; tunc verò maximè formaliter etiam obligare dicendum, quando ipsa obligatio sufficienter cognoscitur; at in instanti, quo hæreticus errori in fide pertinaciter adhæret, cognoscit sufficiēter id obligationis; igitur formali præcepto tūc obligatur credere fidei nostræ res, & mysteria: minor, quæ unicè posset probatione indigere, ostēditur; quòniā fidei veræ credibilitas formaliter explicat, & notā facit credendi obligationem; sed hæretico pertinaci proponitur sufficienter fidei Catholicè credibilitas: igitur sufficienter notam sibi habet formalem obligationem credendi res fidei.

7 Et profectò adeò cognoscibilis fit hujuscemodi obligatio, quòd Angelicus Doctor D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 1. ad primum*, dicat: *Habere fidem non est in natura humana, in natura tamen humana est, ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi.* Ratio autem est, quia suppositā sufficienti propositione fidei, naturalis ratio dictat, ut non credatur esse falsum, quod tanto Dei testimonio confirmatur, quia naturale lumen rationis ostendit, Deum non posse mentiri; ergò hoc de Deo cogitare, est injuria, quæ ipsi Deo fit contra rationem naturalem. Quapropter qui dissentiunt rebus fidei, licèt aperte non fateantur, Deum falsum dicere, moraliter non minus peccant, quàm si id dicerent, ut edocet Exim. Doct. P. Suarez, *disp. 13. de fide. sect. 1. num. 6.* præsertimque probatur, quia Deus revelando res fidei, non tantum dicit res ipsas, sed etiam dicit, se dicere, revelatio enim Dei dicentis res fidei credenda est fide divina, & infusa, ut res ipsæ revelatæ possint eadem fide credi: id quod sumitur ex Div. Thoma 2. 2. *quæst. 1. art. 1.* quatenùs docet, nihil aliud quàm testimonium primæ veritatis esse objectum formale fidei, *Non enim* (ait D. Thom.) *fides de qua loquimur assentit alicui, nisi quia est à Deo revelatum*, stantque ab eadem sententia Cajet. *dict. art. 1. dub. 4.* Magist. Cano *lib. 2. de locis. cap. 8. ad quartam solution.* P. Valentia. *tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punc. 1. assert. 2. in 8. difficult.* Exim. Doct. *tract. de fide. disp. 3. sect. 12. à num. 7.* concinunt Mag. Joannes à S. Thom. *disp. 1. art. 1.* Mag. Ferre *quæst. 2. num. 34.* & ipse Palanco *disp. 1. quæst. 2. à num. 51.*

8 Idcircò, quemadmodum si alicui sufficienter proponatur aliquid ut dictum, vel mandatum à Rege, ita ut non possit prudenter aliud existimare, injuriam faciet Regi, si illud non suscipiat, ut dictum, vel præceptum regium, multò majori ratione respectu Dei id noxæ perpetrabit, qui ita infidelis

ac

ac perfidus extiterit: igitur præter obligationem ſupernaturalem credendi, etiam ex ipſo naturæ lumine tenetur quilibet, non diſſentire rebus fidei ſufficienter propoſitis: at hæreticus formalis, & pertinax ſufficienter dignoſcit res fidei ut ab Eccleſia propoſitas: igitur formaliter obligatur in ſua conſcientia ad non diſſentiendum, & ad credendum quod Eccleſia præcipit.

9 Secundò peccatum hæreſeos eſt formale peccatum, ergò contra aliquam legem obligantem formaliter, actualiter in propria conſcientia: probatur conſequentia, quia repugnat dari formalem legis tranſgreſsionem, abſque eo quòd aliquis formaliter obligatus ſit legem obſervare: præterea in noſtra hypotheſi ea formalis obligatio deſcendit ex fidei præcepto, patet quia nulla major nec expreſsior poteſt eſſe lex prohibens hæreſim, quàm præceptum naturale ac Divinum non diſſentiendi rebus fidei, ſeu non eliciendi aſſenſus hæreticos.

10 Tertiò, ſi vera eſſet doctrina, quàm oppugnamus; fieret ut nullum eſſet præceptum fidei negativum formale, & actuale, ſeù formaliter, & actualiter obligans: conſequens autem abſurdum eſt: conſequentia autem oſtenditur. Nam in primis juxta Illuſtriſsimum, Sapientiſsimumque Palanco tale præceptum formaliter, actualiter in conſcientia non obligat, quando hæretici errores proponuntur intellectui, ut magis veriſimiles, prout ipſe Palanco docet, opus eſſe quod proponantur, ei qui in hæreſim pertinaciter incidit. Deinde quando ipſi errores proponuntur ut minus veriſimiles, & fidei res ut credibiles evidenter, impoſsibile eſt juxta ipſum Authorem, quod quis diſſentiatur fidei objecto, & quod erroribus aſſenſum præſtet: ergò præceptum fidei negativum formaliter, actualiter in conſcientia, nunquam obligat formaliter, & actualiter: conſequentia liquida mihi eſt: deinde prima aſſumptio ex traditis ab eodem Authore probatur; ideò enim ipſe inficiatur, quod formalis hæreticus actualiter, formaliter in propria conſcientia teneatur credere res fidei, quia ſua conſcientia actualiter illi talem obligationem non dictat; ſed juxta ipſum Palanco *loco cit. num.* 49. conſimiliter per conſcientiam erroneam judicat hæreticus, obligationem eſſe credendi oppoſitum, ſeù diſſentiendi doctrinæ fidei: adeòque verum eſſe quod ipſe credit: igitur ſicut ex erronea conſcientia ſic vincibili deficit obligatio formalis credendi in propria conſcientia, pariter deficiet ex erronea conſcientia obligatio formalis actualis rebus fidei non diſſentiendi. Explicatur: quia ex invincibili ignorantia alicujus veritatis fidei divinæ deeſſe poteſt obligatio formalis actualis eum articulum credendi, ex eadem invincibili ignorantia deficit in tali homine obligatio formalis actualis non diſſentiendi tali articulo, cujus definitio facta ab Eccleſia invincibiliter ignoratur: ergò, ſi ex vincibili ignorantia deficit obligatio actualis, ſeù formalis in conſcientia hæretici ad credendum, quod Eccleſia credere præcipit, ex eadem invincibili ignorantia deficiet formalis obligatio negativi præcepti fidei, videlicet non diſſentiendi rebus fidei: tum quia, ut ipſe Illuſtriſs. Jaccenſ. *num.* 50. *fine*, fatetur, peccatum hæreſis eſt ſolùm contra legem, & doctrinam Chriſti, ut fundamentaliter obligantem.

11 Aſſumptio ſecunda, nimirum quod quando fidei objectum intellectui proponitur ut credibilius, non poteſt obligare formaliter fidei negativum præceptum, perſpicua videtur; quòniam rei impoſsibilis præceptum nullum eſt, ut contra Janſenium Eccleſia definit. Imò nec Janſenius dixit Deum præcipere, ne fiat id, quod fieri, etiam metaphyſicè impoſsibile eſt. Sed juxta Illuſtriſs. Palancum, impoſsi-

le metaphyſicè eſt, quòd quis diſſenſum præbeat objecto propoſito ſibi ut longè veriſimiliori: ergò quando fides ſufficienter proponitur, ita ut quis poſſit, aut debeat credere, quæ ipſi proponuntur, non conſtringitur præcepto fidei negativo, nempe non diſſentiendi rebus fidei ab Eccleſia propoſitis. Quod ſi reſpondeatur urgere tale præceptum, ad hoc nempe, ne talis homo divertat intellectum, & conſiderationem ab ea rerum fidei credibilitate, ita ut per inconſiderationem incidat in aſſenſum hæreticum: contra inſurgo, quia ex hoc non ſalvatur tale fidei præceptum negativum, quod non pręcisè prohibet eam inconſiderationem, ſed immediatè, & formaliter, & actualiter ipſam hæreſim, & diſſenſum rebus fidei præbere interdicit.

12 Quartò, Concilium Tridentinum *Seſſ. 6.* docet, fidem non amitti per omne peccatum mortale, ſed per infidelitatem illi contrariam: inconſideratio autem motivorum fidei, quando præceptum fidei poſitivum non urget, non eſt infidelitas, nec fidei contrariatur: ergò ſub his terminis cum fidei negativum præceptum obliget, quia juxta omnes illud obligat ſemper, & pro ſemper, dicendum erit obligare immediatè, & formaliter ad hoc, ut non eliciatur tunc actus infidelitatis, ſeù diſſenſus fidei contrarius: ergò cum juxta Palancũ talis diſſenſus ſit impoſsibilis, dicendum quòd fidei negativum præceptum obligat ad hoc, ut non fiat, quod impoſsibile eſt fieri, vel quòd non datur tale pręceptum fidei negativum; quæ dici nequeunt. Urgetur, nam ſi res fidei, & errores contrarii æquè veriſimiles proponantur, juxta eundem Authorem eſt impoſsibile, & aſſentire, & diſſentire: ergò nunquam poſsibile erit fidei præceptum negativum formaliter actualiter obligans in conſcientia.

13 Quintò, Lutherus, Calvinus, & alii hujus furfuris pertinaces hæretici ſufficienter ſibi habebant propoſitam Eccleſiæ doctrinam, non enim ex ignorantia, ſed ex malitia pertinaci ſua hæretica dogmata tradebant: igitur obligabantur formaliter, ſeù actualiter in propria conſcientia credere, quod Sancta Romana, & Catholica Eccleſia credendum præcepit: falſum ergò eſt, quòd hæreticus dum eſt in errore contra fidem, neutiquam obligatur actualiter, ſeù in propria conſcientia ad credendum, quod fide Catholica præſcribitur: nec hujuſmodi obligatio poteſt pendere ex libera aliqua hominis voluntate conſiderandi debitè fidei noſtræ motiva, ſi ſemel ipſi ſufficienter proponantur, etiam invito, prout de Calvino, & Luthero dicere poſſumus.

14 Nec fundamentum contrarium efficax eſt; licèt enim voluntas non poſsit intellectum determinare, ut aſſentiatur errori, ſub ratione erroris, tamen poteſt efficere, ut aſſentiatur intellectus errori, qui ſub aliqua ratione veri proponitur, ſi extremum contrarium non ſit evidens, ſed obſcurum. Prætereà etſi aſſenſus fidei, & diſſenſus hæreticus conjungi non valeant; tamen in eo inſtanti in quo hæreſis formalis elicitur ab intellectu, pro priori ſigno, quod eſt ſignum libertatis, poteſt voluntas imperare, vel aſſenſum fidei, vel diſſenſum hæreticũ. Ex quo deducitur primò, quòd quamvis hæreticus formalis credat, veram eſſe ſuam ſectam, tamen habet ſufficientem cognitionem imprudentiæ, & temeritatis ſuæ hæreſeos, ex quo fidei motiva illi ſufficienter ſunt in eodem inſtanti propoſita. Deducitur ſecundò, quòd licet nemo velle poſsit errare ſub ratione erroris, ſicut nemo velle poteſt, eſſe injuſtum ſub ratione injuſtitiæ, tamen poteſt quis velle aſſentiri objecto, cum ſufficiens habet fundamentum ad credendum eſſe falſum, & erroneum, id quod hæreticus efficit, quando cognita Eccleſiæ definitio-

tione illi diſſentit, quemadmodum poteſt quis velle rem injuſtam, cum ſufficienti fundaméto ad cognoſcendã ejus injuſtitiam. Deducitur tertiò, peccatum hæreſis eſſe voluntarium in ſe ipſo, & non præcisè in cauſa indebitæ conſiderationis, ut docet Illuſtriſs. Palanco *dict. quæſt.* 8. *n.* 51. quia hæreticus ſufficiens, & ſuperabundans habet fundamentum ad cognoſcendum, quòd aſſenſus Eccleſiæ definitioni contrarius eſt pravus, & hæreticus, & tamen vult illum elicere. Deducitur quartò, contra eundem Authorem, hæreticum habere ſufficiens conſcientiæ dictamen dictans deponendum eſſe illum hæreticum errorem: quia conſcientia dictat deponendum judicium, quando adeſt fundamentum ad credendum, illud eſſe falſum, & contra Eccleſiæ definitionẽ: id quod in formali hæretico contingit.

15 Denique, pro eadem fidei libertate immediata ex traditis ab Illuſtriſsimo Palanco ſic arguo: quando quis tentatur ſufficienter ad cauſandam formidinem de veritate noſtræ fidei, poteſt immediatè tentatio vinci per actum fidei; ſed tunc etiam poteſt immediatè elici aſſenſus hæreticus: igitur fides immediatè libera eſt quoad ſpeciem: conſequentia eſt bona. Major traditur à prædicto Authore *dict. diſp.* 5. *q.* 8. *num.* 54. minor verò ſic oſtenditur, elicere aſſenſum formidoloſum circa res fidei, eſt peccatum hæreſis formalis: ut docent Cajet. *in* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 2. Caſtro *de juſta hæret. punit. cap.* 7. *&* 9. *& lib.* 1. *adverſ. hæreſ. cap.* 10. Aragon *in* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 1. *&* 2. Azor *tom.* 1. *Inſt. moral. lib.* 8. *cap.* 9. *quæſt.* 6. Exim. Doct. *tract. de fide, diſp.* 19. *ſect.* 4. *num.* 16. *& diſp.* 16. *ſect.* 1. *num.* 8. Thom. Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. *fine.* & omnes qui docent, fidem conjungi non poſſe cum opinione, & ſcientia; & quidem licèt huic ego placito haud aſſentiar, quòniam opinionem reor à formidine ſejungi poſſe, & propterea in Philoſophia dixi, eundem actum intellectus poſſe eſſe fidem, ſcientiam, & opinionem; tamen loquendo de opinativo, & formidoloſo aſſenſu certum exiſtimo, quòd cum fide Theologica, & divina ille conjungi non poteſt, quia opponitur certitudini fidei formido de illius falſitate; at juxta Illuſtriſs. Palanco, frequenter Catholici ita tentatione contra fidem pulſantur, ut ſufficiat ad cauſandam formidinem de veritate noſtræ fidei: ergò tunc poteſt immediatè elici aſſenſus cum formidine de veritate fidei: igitur ſimilibus in eventibus, & poteſt voluntas immediatè imperare aſſenſum formidoloſum de veritate Catholicæ fidei, id eſt poteſt imperare actum hereticum formaliter, ſeù ſuccumbere tentationi, & poteſt etiam immediatè imperare actum fidei divinæ ad vincendam tentationem, fides ergò libera eſt immediatè. Unde colliges, quòd etiam ſi tentatio ſit multò gravior, vel graviſsima, ita ut ex vi illius vera repræſentetur ſecta hæretica, & falſa noſtra fides, dummodò non deſit advertentia ſufficiens, cum divinæ gratiæ auxilio, quod ſemper nobis præſtò eſt, poteſt tẽtatio vinci eliciẽdo actũ fidei, quapropter etiã ſi tẽtatio oriatur à nimia attentione ad motiva ſectariorum, poterit immediatè fides divina elici, quia ſectariorum motiva non poſſunt eſſe urgentiora motivis noſtræ fidei. Quòd ſi illa nimia attentio ad hæreſim oriatur à formidine, aut dubitatione de veritate fidei Catholicæ, jam dubitatio hujuſmodi, vel formidoloſa opinio pertinax hæreſim includeret, ſed non abſque proxima, & immediata libertate fidem exercendi.

SECTIO NONAGESIMA QUARTA.

Circa evidentem fidei divinæ credibilitatem pernoſcendam nonnulla adnotat.

1 MYſteria noſtræ fidei eſſe evidenter credibilia, eſt ſententia certa, quam tradunt Angelicus Doctor Div. Thom. 2.2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 2. *& part.* 3. *quæſt.* 42. 43. *&* 44. agens de doctrina, & miraculis Chriſti Domini, & *lib.* 1. *cõt. Gẽt. cap.* 6. & omnes D. Thomæ Expoſitores *dict. loco.* 2.2. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. ut notat Eximius noſter Doctor P. Franciſcus Suarez *tract. de fide. diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 1. apud quem eandem edocent ſententiam reliqui Scholaſtici *in Prolog. ſent.* & ſignanter Subtil. Doct. Scotus *quæſt.* 2. Imò Eximius Pater Suarez addit, de hac aſſertione nullum Catholicum poſſe dubitare. P. Granad. 2.2. *controv.* 1. *de fide. tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 2. ait, quòd in hac concluſione non poteſt eſſe diſſenſio. Eandem illuſtrant aſſertionem Medina *lib.* 2. *de Rec. in Deũ fide.* Boſsius *in duobus tomis*, ingẽti eruditione elaboratis, *de Signis Eccleſiæ.* P. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. Cajetan. *ubi ſupra dict.* 4. Bañez *ibidem. dub.* 3. Aragon, *art.* 4. Lorca *diſp.* 16. Turrian. *diſp.* 7. Coninch. *diſp.* 13. *dubio* 1. Meracius *diſp.* 16. *ſect.* 3. Tannerus *diſp.* 1. *q.* 2. *n.* 23. Petrus Hurtado de Mendoza *diſp.* 22. *ſect.* 1. Cardinalis de Lugo *diſp.* 5. *ſect.* 1. Ripalda *diſp.* 6. *ſect.* 5. *num.* 48. *& ſeqq.* Eſparça *tom.* 1. *lib.* 6. *de virt. Theolog. quæſt.* 17. *art.* 2. *& deinceps. tum quæſt.* 18. Oviedo. *controv.* 4. *punc.* 1.

2 Ex antiquis Scriptoribus in hac veritate demonſtranda fœliciter laboraverunt Tertulianus *in Apologia*, Juſtinus Martir *in Apolog. pro Chriſtianis.* Euſebius Cæſar. *ferè toto opere de Præpar. Evangel.* & nomine D. Auguſtini *lib. de fide rerum inviſibil.* præſertim *cap.* 7. & certius idem Auguſt. *lib. contra Epiſtolam fundamenti. cap.* 4. ubi habet illa præclara verba: *Multa ſunt quæ in Eccleſia me juſtiſsimè tenent, conſenſio populorum, & gentium, authoritas miraculis inchoata, ſpe aucta, charitate firmata, & vetuſtate nutrita: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus mandavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſsio Sacerdotum: tenet denique ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tàm multas hæreſes, ſola hæc Eccleſia obtinuit.*

3 Ex Sacra Pagina probatur, ex illo *Pſalmi* 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, tum ex Apoſtolo *Ad Hebræos cap.* 2. dicente: *Quomodò nos effugiemus* (ſcilicet iram Dei) *ſi tantã neglexerimus ſalutẽ? quę cũ initiũ accepiſſet enarrari per Dominũ ab eis, qui audierũt, in nos confirmata eſt conteſtante Deo ſignis, & portentis, &c.* Et quidem, non ne ſigna mirabilia ſupra modum fuere, Solis Eclipſis in morte Chriſti Domini? Ipſius reſurectio, tot manifeſtationibus confirmata? Aliorum etiam qui ſurrexere teſtimonia? Et plura, quæ in actibus Apoſtolorum à morte Chriſti Domini uſque ad Pauli ſacra geſta narrantur? Imò & præcedentia Chriſti Domini miracula, prædicatio, & virtutum eximia exempla, tàm perſpicuum fidei chriſtianæ exhibuerunt teſtimonium, ut ipſe Chriſtus Dominus Joan. *cap.* 15. dixerit, *Si opera non feciſſem in eis, &c. nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Idemque intelligendum adverſus poſteriores hæreticos, qui in Eccleſia Catholica Romana ſigna conſpiciunt adeò manifeſta, ut non niſi pertinaci pravitate ab ejus doctrina, & fide diſcedere queant: has autem veræ fidei, & Eccleſiæ notas tradunt, & exponunt omnes Theologi *dict. tract. de fide*, præcipuè Cardinal. Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 4. *de Notis Eccleſiæ.* Boſsius duobus prędictis tomis, Exim. Doct. P. Suarez. *diſp.* 4. *ſect.*

sect. 3. per totam, & alii ſupra laudati.

4 Pro declaratione autem prædictæ communis, ac certæ ſententiæ aliqua adnotanda veniunt. Primum, infideles quoſdam, ut ait D. Baſilius in *Pſalm.* 115. reprehendere Chriſtianos, eo quòd ſine ratione, vel, ut ipſi putant, contra rationem credant; qua de cauſa dixit Apoſt. *Epiſt. 1. ad Cor. cap. 1. Verbum crucis pereuntibus videri ſtultitiam*; & ſimiliter, ait *Chriſtum Crucifixum Judæis eſſe ſcandalum*; *Gentibus autem ſtultitiam*. Porphyrius etiam, & Julianus Apoſtata, ut refert D. Hieronymus, Matthæi, *cap.* 9. irridebant ſtultitiam eorum, qui Chriſti doctrinam, & vocationem ſequuntur. Unde alii hæretici, advitandam hanc reprehenſionem, in aliud extremum inciderunt, dicentes, nihil eſſe credendum, niſi quod ratione oſtenditur, ut videri poteſt apud Div. Auguſt. *lib. de utilitate credendi*, & D. Bernard. *Epiſt.* 190.

5 Vera autem, & Catholica doctrina mediam viam tenet: nam & levitatem animi, & duritiem cordis reprehendit in credendo, docetque, quamvis non ſemper poſsimus rationem reddere propriam, ſeù intrinſecam earum rerum, quas credimus: poſſe nihilominus ſufficientem, & optimam rationem reddere cur credamus: ſic enim dixit D. Petrus *Epiſt. 1. cap. 3.* paratos nos eſſe debere ad reddendam rationem ejus, quæ in nobis eſt ſpei, ſeù fidei.

6 Unde adnotandum ſecundò: ad ſufficientem objecti fidei propoſitionem, non ſatis eſſe objectum, utcumque proponi tanquam dictum, ſeù revelatum à Deo, ſed neceſſarium ſaltèm eſſe, cum talibus circunſtantiis proponi, ut prudenter appareat credibile, eo modo, quo proponitur. Hæc aſſertio indubitata eſt apud omnes, ut inquit Eximius Doct. *diſp. 4. ſect. 2.* Quia *qui citò credit, levis eſt corde*, *Eccleſiaſt. 19.* Dicitur autem citò, & leviter credere, qui imprudenter credit: ergò qui ſic credit non poteſt credere fide divina: ergò neceſſaria eſt talis propoſitio objecti credendi per hanc fidem, ut prudenter credi poſsit. Prima conſequentia probatur, cætera enim omnia ſunt clara: quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: fides autem chriſtiana ſpeciali modo procedit à Deo, & ex ejus auxilio; ergò non fit imprudenter nec inordinatè. Tum quia voluntas credendi, quæ ad fidem ſupernaturalem requiritur, eſt etiam ſupernaturalis, & ex ſpeciali Dei auxilio: ergò per ſe eſt voluntas ſtudioſa, & honeſta: ergò ſupponit prudentem cognitionem circa objectum ſuum. Ex oppoſito autem modo credendi naſcuntur hæreſes, & ſchiſmata; quia qui imprudenter credit facilè decipitur. Tandem id patet ex conditionibus hujus fidei, nam debet excludere omnem formidinem, & mutabilitatem.

7 Tertiò adnotandum, credibile in præſentiarum non ſignificare id ſolum, quòd credi poteſt, ſed quòd prudenter credi poteſt, ac debet firmiſſimè ſuper omnia alia: non poteſt autem eſſe obligatio credendi taliter aliquid, cujus contrarium æquè ſit credibile, vel ſaltem ſit prudenter credibile; nam eo ipſo poſſemus prudenter formidare de veritate hujus objecti, ſi ejus contrarium poſſemus prudenter credere: non poſſemus ergò prudenter cohibere formidinem omnem circa veritatem hujus objecti, nec id poſſet præceptum fidei præcipere. Idem ergò eſt hoc objectum eſſe taliter credibile fide chriſtiana, ac eſſe ita credibilius omnibus objectis contrariis, ut contraria prudenter non ſint credibilia: ergò neceſſe eſt ad ſufficientem objecti fidei propoſitionem, ut tale objectum fiat, evidenter credibile, non ſolum abſolutè, ſed etiam comparativè. Sic animadvertunt Exim. Doct. *diſp. 4. ſect. 2. n. 6.* & Card. de Lugo *diſp. 5. ſect. 1. num. 24.* & alii frequenter.

Ad

9 Adnotandum quartò, credibilitatem per fidem non eſſe realem rei veritatem, plura enim, licèt vera, poſſunt eſſe incredibilia; & è converſo plura valdè credibilia poſſunt eſſe falſa: unde ut inquit Exim. Doct. P. Suarez, *dic. diſp.4. de fide. ſect. 2. num.9. fine*, latius patet credibile quàm poſsibile, nam aliquid impoſsibile poteſt fieri credibile; quia credibilitas ſumitur ex medio extrinſeco, & teſtimonio, quod poteſt cadere in rem impoſsibilem; & quamvis in noſtra fide nihil ſit credibile, quod non ſit poſsibile, hoc tamen ſolum eſt certum, non autem evidens, & ideò ex evidentia credibilitatis non ſequitur poſsibilitaſtis evidentia. Ita communiter edocent prælaudati Authores.

10 His prælibatis, probatur aſſertio præfixa: firmus ac perfectus aſſenſus fidei ſupponit affectum credendi adeò conſtantem, ac firmum, ut nullam, nec phyſicè admittat dubietatem, & formidinem objecti; potiuſque eligat mori, quàm objecti veritatem negare, quia diſſenſus oppoſitus omninò imprudens, & illicitus creditur. At ſimilis affectus, ut prudens, ac honeſtus ſit exigit pluſquàm probabilem cognitionem credibilitatis objecti: ergò exigit evidentem ejuſdem credibilitatem. Aſſumptio prima patet: ſecunda non minus vera, & conſtans eſt, quoniam imprudens eſſet affectus imperans aſſenſum adeò conſtantem, & firmum, ut nullam admittat formidinem, quando diſſenſus proponeretur ut probabilis, & gravi fundamento nixus; prudentia enim dictat formidare, ubi grave eſt deceptionis aut formidinis periculum, & fundamentum: ergò ut affectus credendi, quem recta fides chriſtiana ſupponit, ſit honeſtus, & prudens, debet oriri à cognitione pluſquam probabili, hoc eſt evidenti credibilitatis objecti. Qui enim crederet abſque formidine, ubi formidandi periculum prudens agnoſceret, tranſgrederetur terminos credibilitatis præcognitæ, & eo ipſo eſſet imprudens: neceſſe igitur eſt, ut qui credit fide chriſtiana, habeat evidentiam de objecti credibilitate.

11 Confirmatur, quia ob hanc ipſam cauſam, cum in materia fidei humanæ duæ aſſertiones contrariæ probabiles, aut evidenter credibiles cenſentur ab eodem homine (uti quidem fieri poſſe, nemo jure negaverit) neceſſe eſt, utrumvis aſſertionis aſſenſum, ſeu fidem eſſe cũ incertitudine & formidine; quę quidem in certitudo, & formido, etſi non repugnet ndei humanæ, repugnat tamen divinæ.

12 Confirmatur ſecundò, quia niſi ſtet noſtra ſententia, fieret, ut licitum eſſet, inter illa, credibilia eligere, quod quiſpiam mallet, ſi utrumque eſſet prudenter credibile, non ſolùm abſolutè ſpectatum, ſed etiam comparativè; hoc autem repugnat, & certitudini, & obligationi chriſtianæ fidei, quæ ſi ſufficienter proponatur, tenemur illam amplecti cum certitudine, ac omninò præferendo illam omni doctrinæ contrariæ: ergò neceſſe eſt ad hanc ſufficientem propoſitionem, ut tale objectum fiat evidenter credibile, non ſolum abſolutè, ſed etiam comparativè.

13 Sic ſtabilita aſſertione, quæſtionis eſſe poteſt, utrùm ea credibilitatis evidentia debeat eſſe phyſica, vel moralis; & quidem moralem eſſe, eo ſenſu, quo obligationem credendi inducat, certum eſt, ex dictis: moralis tamen evidentia poteſt accipi in eo ſenſu, quo certitudo moralis diſtinguitur à phyſica certitudine, & in hac acceptione, fidei chriſtianæ credibilitatis evidentiam non eſſe phyſicam ſed moralem, docet P. Arriaga, in 2. 2. *diſp.* 5. apud P. Platelius, & id probabiliter dici, cenſet P. Platelius in *ſynopſi curſ. Theol. part. 3. cap. 1. §. 2. num.* 56. hujus placiti fundamẽtum eſt quòd licet motiva credibilitatis fidei noſtrę de ſe ſint multò efficaciora, & inducti-

va

va ad assensum certiorem, quàm testimonia humana de Romæ existentia, v. g. cum tamen multa contineant remotiora à sensibus, & sint de rebus in multis captum rationis superantibus, non sunt ita proportionata, intellectui nostro, ut illum statim ad assensum determinent,& omnes etiam involuntarias dubitationes in contrarium excludant, sicut faciunt testimonia humana de Romæ existentia: in idque Platelius propendet tum *num. citato: tum. num.* 59.

14 Cæterum eam fidei nostræ credibilitatem esse physicam, & metaphysicam docent satis apertè P. Granad. *controv.* 1. *de fide. tract.* 2. *disp.* 1. *n.* 13. P. Petrus Hurtado de Mendoza, *disp.* 22. *de fide. sect.* 1. signanter de physica loquens evidentia, & videtur esse commune ac receptum placitum: pro quo stat luculenter Doc. Exim. *dic. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 7. inquiens, non solum debere objectum fidei esse evidenter credibile, verùm etiam requiri evidentiam, quòd secundum rationem naturalem tale objectum sit credendum, & talis fides sit præferenda cuique opinioni contrariæ favet Sapientis. P. Mag. Lubier. Probatur ex Angelico Doctore 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. *ad* 1. Ubi hæc habet: *Habere fidem non est in natura humana: sed in natura humana est, ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi*, quæ verba exponens Doct. Exim. *loco proximè cit.* ait quòd infidelitas positiva licèt proximè, & immediatè sit contra præceptum divinum supernaturale, remotè, & quasi radicaliter est etiam contra rationem naturalem dictantem, credendum esse, quòd Deus dicit, & credendum esse, dici à Deo id, quod nomine Dei, & virtute ejus sufficienter proponitur, unde cum loquatur Eximius Doctor de evidenti credibilitate, simpliciter, & absolutè videtur loquutus de evidentia propria, & physicæ hujusce credibilitatis, & non tantum de morali, & minus stricta, imò de metaphysica, ut ex ipsius doctrina subducitur.

15 Fulcitur assumptum hoc brevi ratiocinio: evidens est lumine naturæ, omnia illa objecta esse digna creditu, quæ motivis ita gravibus nituntur, ut non solum absolutè, verum etiam comparativè ad reliqua omnia opposita eam inducunt prudentem credibilitatem, ut contrariis assertis assentiri, vel de his objectis dubitare prudenter non permittant; sed christianæ, & catholicæ fidei mysteria, & objecta ita se habent, sufficiente eorum propositione ex gratia Dei præsupposita, ut non solùm absolutè, verùm etiam comparativè ad reliquia omnia opposita eam inducant prudentem credibilitatem, ut contrariis assertis assentiri, vel de his, quæ Ecclesia credenda proponit dubitare prudenter non permittant: ergò illa lumine etiam naturæ sunt omninò creditu digna. Consequentia est legitima; major per se nota, & minor certa ex motivis credibilitatis nostræ fidei, quæ Theologi expendunt.

SECTIO NONAGESIMA QUINTA.

Sedat quamdam difficultatem, ostenditque ut in simplicibus personis fidei credibilitas reperiatur.

1 OPponat quispiam, plures sunt personæ simplices quæ per se non valent eam credibilitatis evidentiam assequi; at piè, & meritoriè, salutariterque credunt: igitur ea credibilitatis evidentia non est ad fidem salutarem necessaria: major probatur; quia illa evidentia consurgit ex multis rationibus, & circun-

cunſtantiis, quæ à idiotis, ignorantibus Theologiam, & à pueris non ſolum non conſiderantur, verùm etiam, nec conſiderari poſſunt; vel quia non ſunt inſtructi, vel etiam quia ſæpè ſunt incapaces ad tantam rerum perfectam cognitionem obtinendam. Secundò quia pueri baptizati, & inter Chriſtianos educati, cum perveniunt ad uſum rationis, verè credunt, & tamen non percipiunt illam evidentiam, nec videntur capaces illius: Tertiò infidelis quando primum ei prædicatur Evangelium, ſine novis miraculis per ſolam rationabilem prædicationem, non percipit iſtam evidentiam credibilitatis: & tamen cum convertitur ad fidem verè credit, aliàs malè facerent Prædicatores Evangelii admittendo ad baptiſmum eos, qui ita incipiunt credere.

2 Tertiò in aliis rebus humanis non poſtulatur iſta evidentia præſertim in hominibus indoctis; ſed ſatis eſt ut probabiliter judicent, hoc eſſe bonum, vel melius: ergò etiam ad credendum ſufficiet probabile judicium credibilitatis, ſaltèm in his, qui evidentiam aſſequi non poſſunt. Ex quo probatur etiam primi ſyllogiſmi minor, videlicet, has ſimplices perſonas, & pueros verè, & ſalutariter credere: unde dixit Euſebius *lib. 1. de Præpar. Evangelica, cap. 3.* hujuſmodi homines, qui altiora conſequi non poſſunt, fide debere eſſe contentos; & melius D. Auguſt. *cont. Epiſt. fundam. cap. 4. In catholica* (inquit) *Eccleſia ad ſinceriſsimam ſapientiam pauci ſpirituales perveniunt in hac vita; cæteram quippè turbam non intelligendi vivacitas ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit*: Et juxta hunc dicendi modum, quàdo aſſeritur evidentiam credibilitatis eſſe neceſſariam ad fidem, intelligendum erit, reſpectu corporis Eccleſiæ, non verò reſpectu ſingularum perſonarum ejus, illam enim evidentiam in eis omnibus poſtulare, eſſet impoſsibilem illis reddere fidem.

3 Reſpondetur primò aliquos eſſe aſſenſus fidei ſupernaturales, qui eam credibilitatis evidentiam non ſupponant, aut non exigant, ut in pueris, & indoctis, ſic docent aliqui apud P. Granad. *contr. 1. de fide. tract. 2. diſp. 3. ſect. 1.* Canus apud Aragonium 2.2. *quæſt. 2. art. 4.* & alii quos laudat, & ſequitur P. Ripalda *tract. de fide. diſp. 6. ſect. 6. num. 58. & ſeqq.* Cæterum hæc ſententia mihi ex eo maximè diſplicet quoniam rationes præductę a l ſtatuendam evidentię credibilitatis objecti fi lei neceſsitatem univerſaliter probant aſſumptum, nec ſufficiens diſcriminis ratio aſsignari valet, pro hoc potius, quam pro illo ſubjecto.

4 Ideò reſpondetur ſecundo, eam credibilitatis evidentiam in omnibus exigi, ita ut nullus homo prębeat verum, & perfectum aſſenſum fidei chriſtianæ, niſi prius aliquomodò aſſequatur vel participet hanc evidentiam credibilitatis: quòd docuit Caietanus 2. 2. *quæſt. 1. art. 4.* & communiter id amplectuntur Interpretes D. Thomæ, præſertim Aragonius, & Zumel. *1. par. diſp. 1. dub. 2. concluſ. 4.* Exim. Doct. P. Suar. de *fide, diſp. 4. ſect. 5. n. 8.* P. Oviedo, *de fide contr. 4. punc. 5. n. 52. & ſeqq.* præcipuè *numer. 58.* P. Puente Hurtado, *tract. de fide. diſp. 44. ſect. 7.* Coninch. *diſp. 13. dub. 1.* Tanner. *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 2. dub. 2. num. 23. & 38.* Card. de Lugo. *de fide. diſp. 5. ſect. 1. num. 3. & ſeqq.* nec non *ſect. 2. num. 36. & 37.* P. Sparça, *lib. 6. quæſ. 18. ad tertium.* Sumiturque ex Angelico Doctore 2. 2. *quæſ. 1. art. 4. ad 2.* dicente de homine fideli, *Non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi.*

5 Ut ergò objectioni prælibatæ occurram, dico, hanc evidentiam non eſſe æqualem in omnibus, nec eodem modo eſſe poſtulaudum in ſimplicibus credentibus, ac in ſapientibus;

bus: nam isti per se illam percipiunt, penetrando ejus media, & principia; illi verò in fide, & traditione Ecclesiæ, & sapientum illam participant: nam illis satis est, quòd videant sapientissimos viros, & multitudinem christianorum hanc fidem amplecti, ut indubitatam, & infallibilem, & quod audiant, illam esse confirmatam multis miraculis; & quòd hoc fiat illis moraliter, & humano modo certum; ac denique quod intelligant talem doctrinam esse consentaneam rationi, nihilque contrarium in illa inveniri; nam hæc sufficiunt, ut respectu illorum fiat doctrina fidei evidenter credibilis.

6 Quod si contingat exteriorem prædicationem fidei, & propositionem non esse sufficientem ad formandum judicium ita firmum, & evidens de credibilitate fidei vel absoluta vel comparata cum alia doctrina, tunc per divinam inspirationem, & vocationem internam potest compleri hujusmodi credibilitas: & de facto completur, ut ex communi doctrina edocet P. Tanner. *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 3. *num.* 59. quia ex Scriptura, & PP. constat, fidem non concipi nisi Deo interius per gratiam prævenientem illuminante, ut fusè idem Tannerus stabilit, *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 3. *dub.* 5. quo in primis spectat illud Joan. 6. ℣. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* & ℣. 45. *Est scriptum in Prophetis; & erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.*

7 Idem traditur à S. Thoma 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 9. *ad* 3. & *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 3. & aliis locis, præsertim *quodlib.* 2. *art.* 6. ubi dicit, quamvis ordinariè fides fiat credibilis per miracula, & alia externa signa, nihilominus sine illis posse Deum per vocationem internam, propositionem complere, juxta illud *Joan.* 6. *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: Imò potest (inquit) talis esse interna vocatio, ut teneatur homo non resistere, sed fidem adhibere, juxta illud Isaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ergò autem non contradico.* Et ad hunc modum reprehensus est Zacharias *Lucæ* 1. eò quòd Angelo annuncianti filii conceptionem, non statim firmam fidem adhibuerit; sed dubitarit; nam credendum est, cum illa externa locutione ad fuisse internam inspirationem, quæ faceret rem sufficienter credibilem: nam de sola externa posset interdum dubitari, cum Angelus Sathanæ transfiguret se in Angelum lucis.

8 Et eandem sententiam docere videntur Authores, qui referri solent pro contraria, ut Gabriel *in* 3. *dist.* 24. *art.* 3. *dub.* 1. ubi docet in hujusmodi eventu, quando scilicet exterior doctrina veritatis non fit evidenter credibilis, aut credibilior, quam opposita; si homo faciat quod in se est, non defuturam divinam inspirationem, per quã homo possit certus reddi de credibilitate veræ doctrinæ; quia Deus non deficit in necessariis; & tunc illa illuminatio interior, potest esse non solum sufficiens, sed etiam efficax, seu congrua ut per se notum est.

9 Tum quia, ut benè notat Puente Hurtado *disp.* 14. §. 19. laudatus à P. Oviedo, *tract. de fide. contr.* 4. *punct.* 5. *numer.* 58. Physica evidentia credibilitatis est moralis quædam evidentia revelationis, à qua quis non potest dissentire, puta prudenter, & qua adstringimur fidei præcepto, ad non negandum revelationem, sed ad assentiendum ipsi, & objecto revelato, & ad utrumque expressè credendum, & profitendum, tempore quo urget præceptum affirmativum fidei; hanc verò applicationem credibilitatis fidei, esse necessariã non diffitentur Capreol. *in* 3. *dist.* 31. & 32. *quæst. unic. art.* 3. *ad* 2. nec Magistri

Canus, & Bañez, ſicut nec P. Valentia, ut ani nadvertit P. Oviedo, *loco nuper citato*; quapropter licèt diverſimodè hæc credibilitatis evidentia explicetur à nonnullis Authoribus, nec eodem modo illi loquantur, re tamen ipſa ferè omnes conveniunt.

SECTIO NONAGESIMA SEXTA.

Aliam infringit objectionem firmatque credibilitatis fidei concordiam, cum ejuſdem fidei immediata libertate.

1 OPpones ſecundò, evidentia credibilitatis chriſtianæ fidei ſtare, & componi non poteſt cum ejuſdem fidei libertate in eruditis ſaltem, & doctis in Theologia; ergò vel neganda fidei immediata libertas, vel aſſeri nequit fidei ejuſdem evidens credibilitas. Probatur aſſumptum: nullo enim modo fieri poſſe videtur, ut qui evidenter cognoſcit, hanc fidem eſſe credibilem, & ſecundum prudentiam credendam, in gradu à nobis declarato, ſcilicet ut comparatione illius omnis doctrina contraria ſit incredibilis; fieri, inquam non poſſe apparet, ut talis homo non credat ea, quę ſibi hoc modo proponuntur, neque ut recedat à tali fide ſemel recepta: ergò talis evidentia impedit libertatem chriſtianæ fidei, ſaltem immediatam in perſonis ſapientibus, imò & inſipientibus, cum in omnibus dixerimus, requiſitam eſſe talem fidei propoſitionem, ut evidenter credibilis cognoſcatur.

2 Reſpondeo, hanc evidentiam non impedire quominùs aſſenſus fidei ſit voluntarius, & immediatè liber quoad ſpeciem actus: ut ſuprà oſtendimus *ſect.* 90. *num.* 12. præſertim ex P. Eſparza *tom.* 1. *Curſ. Theolog. lib.* 6. *de virtut. Theolog. quæſt.* 27. *in ſolut.* ad primum, & conſequenter ad dicta ibidem dicendum, quod evidentia credibilitatis chriſtianæ fidei non conſtituit fidei myſteria evidenter vera, nec divinam revelationem de illis facit evidentem, ſed conſtituit adeò aſſenſu dignam divinæ revelationis exiſtentiam de illis myſteriis, adeòque credibilia myſteria ipſa, ut inducat obligationem ipſis aſſentiendi, & reddat incredibilia prudenter omnia illis contraria.

3 Cæterum cum obligatione credendi, & cum ingenti illa rerum fidei credibilitate ſtat, poſſe nolle credere; quemadmodum cum obligatione evidenti de obligatione jejunandi, poſſum ego nolle jejunare: & non obſtante judicio evidenti de honeſtate alicujus objecti, poteſt voluntas liberè immediatè non velle, vel nolle illud: ergo non obſtante judicio de evidenti credibilitate fidei poteſt voluntas non movere intellectum ad aſſenſum illius, quę eſt libertas quoad exercitium; imò poteſt etiam movere, & determinatè ad aſſenſum contrarium; ſeu alterius rei contrariæ, quæ eſt libertas quoad ſpeciem.

4 Ratio à priori eſt, quia ſtante etiam evidenti credibilitate myſteriorum fidei, ſemper eorum veritas manet obſcura, & inevidens, & adverſus illam pugnant difficultates ex rebus naturalibus etſi fallaciter intortæ, & conſequenter poteſt voluntas, licèt imprudenter, imperare aſſenſum contrarium fidei: Tum quia fides pugnat cum ſuperbia, inani gloria, voluptate, & aliis vitiis: ad quæ humana fragilitas, & inclinatio naturæ poſt peccatum propendet: & ex harum rerum prohibitarum prava affectione, poteſt ac ſolet voluntas imperare hæreticum aſſenſum: propterea Chriſtus Dominus Joan. *cap.* 5. *v.* 44. dixit: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt non quæ-*

quæritis: & Apoſt. 1. *ad Timotheum. cap.* 1. *v.* 19. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Itaque mores depravati naufragium faciunt fidei: imò omnes hæreticos à fide defeciſſe motos aliquo vitio, vel inanis gloriæ, voluptatis, aut alterius, dixit D. Ireneus *lib.* 3. *cap.* 3. ubi de ſucceſsione Eccleſiæ, ex qua optimum ſit credibilitatis noſtræ fidei argumentum, diſſerens, *Sed quòniam* (inquit) *valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum numerari ſucceſsiones, maximæ, & antiquiſsimæ, & omnibus cognitę à gloriosiſsimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſsiones Epiſcoporum provenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodò vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam vel per cœcitatem, & malam ſententiam, præter quam oportet, colligunt.* Hæc ille.

5 Auguſtinus *lib. de Paſtorib. cap.* 8. de hæreticis, *una* (inquit) *ſuperbia omnes illos genuit.* Sæpè etiam ducuntur avaritia, ut de Simone Mago legimus, *Actor.* 8. *cap.* & Cyprianus notat *lib.* 1. *epiſt.* 4. & videri poteſt *lib.* 4. *epiſt.* 9. & Epiphan. *hæreſi vigeſima quinta.* Aliquando concupiſcentia, & voluptate ducuntur, ut notat Hieronymus *epiſt. ad Cteſiphontem.* & Vincentius Lirinen. *contra prophanas vocum novitates.* Quę omnia, & alia plura complectitur D. Paulus, *Epiſt.* 2. *ad Timoth. cap.* 3. dicens de hæreticis, erunt homines *ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi*, & infrà *corrupti mente, & reprobi in fide.* Similia habet *Epiſt.* 1. *cap.* 4. quæ loca ponderat Cyprianus *dict. Epiſt.* 4. *lib.* 1. & *Epiſt.* 6. confert D. Gregor. *lib.* 3. *moral. cap.* 17.

6 Solutionem prælibatam ſua authoritate confulciunt communiter præſtantiſsimi Scriptores, Doct. Exim. *tractat. de fide, diſput.* 4. *ſec.* 5. *numer.* 6. P. Puente Hurtado *diſput.* 22. *ſectio.* 8. §. 16. Cardinalis de Lugo. *diſput.* 5. *ſect.* 2. *num.* 26. P. Tannerus *tom.* 3. *diſput.* 1. *de fide. quæſt.* 1. *de objecto fidei. punc.* 4. *circa finem. In reſponſione ad ea, quę fuerunt objecta.* Concinunt Sapiẽtiſsimi Salmanticenſes Diſcalceati PP. Carmelitæ *tom.* 7. *tr.* 17. *de fide. diſp.* 5. *de Aſſenſu fidei. dub.* 1. §. 2. *numer.* 10. *propè finem. & numer.* 13. *in ſolutione ad primum inconveniens.*

SECTIO NONAGESIMA SEPTIMA.

Ex Philoſophis, & Patribus ſignanterquè ex cap. 5. Evang. Divi Joannis doctrinæ prælibatæ robur addit.

1 TAmetſi ex dictis voluntatis ac libertatis poteſtas ad determinandum intellectum in rebus obſcuris evinci ſatis videatur, ut ea inclareat magis, & hæreticorum pertinacia amplius innoteſcat, imprimis adnoto, me haud aſſentiri Angeſto *lib.* 1. *de virt. cap.* 10. *dotum.* 4. & Camerac. *in* 1. *diſt.* 1. *quæſ.* 1. *lit. F. & lit. BB.* qui exiſtimavere, quodcumque motivum, poſſe ſupplente voluntate ſufficere ad extorquendum intellectui quemcunque aſſenſum; id inquam à ratione alienum duco; nullum enim poteſt adduci motivum ſufficiens, ut voluntas obtinere valeat ab intellectu, ut ſimul aliquid eſſe, & non eſſe, pronuntiet: conſimiliter diſplicet Cajetani ſententia 1. 2. *q.* 5. *art.* 4. cui favere videtur Ocham *in* 2. *diſt.* 25. qui tantum virium voluntati adſentiuntur, ut poſsit illa intellectum determinare ad aſſentiendum cuilibet ex con-

traditioni extremis in dubio negativo, de ſtellarũ videlicet numero pari, aut impari; exiſtimarēque potiùs, Doctores ſapientia valdè præclaros, in bono aliquo ſenſu interpretandos, videlicet, in dubiis, exiguam poſſe ſufficere rationem, ut à voluntate intellectus ad aſſenſum, vel diſſenſum determinetur; ipſamque voluntatis affectionem plurimum conferre, & ad invenienda aſſenſus motiva, utque motivum tenue, quod ſuppetit, habeatur pro ſufficiente: ut enim ex Epicteto ſcribit Arrianus *lib.* 1. *cap. vigeſimo octavo. Quid cauſæ eſt, quod aſſentior alicui? Quia videtur ſcilicet, ipſum eſſe. Ei enim quod non eſſe videatur, haud aſſentietur quiſpiam. Quare? Quòniam natura hæc eſt intelligentiæ, ut nimirum veris annuat, falſa autem reſpuat, in dubiis aſſenſum ſuſtineat. Unde poteſt id nobis perſuaderi? Eſto animo tuo affectus, ſi potes, ut nunc eſſe noctem exiſtimes. Non poſſum. Rurſus diem eſſe, reſpue animo tuo. Nec illud ſanè poſſum. Stellas pares eſſe, cogitans, aſſenti, vel diſſenti, ſed nec illud poſſum. Ergò ſi quis aſtipulatur falſitati, pro certo habeas, eum non voluiſſe falſo aſſentiri. Omnis enim anima, privatur vero invita, ut Plato inquit. At quod falſum eſt id viſum alicui eſt verum.* In quo eloquio animadverto primo: omnem animam non niſi invitam privari vero, intelligendum ita, ut nemo velit aſſentiri falſo, quod ſub nulla ratione verum apprehenditur, nec ſub ratione falſi poſſe aſſenſum elici, nec imperari: ſecundò ex natura intelligentiæ eſſe dubitare, quando nulla ſuppetit aſſentiendi, aut diſſentiendi ratio: ut in numero pari, aut impari ſtellarum.

2 Aſſero igitur, voluntatis imperium, & affectum ſæpè ſupplere, quod motivo deeſſet, ut intellectus aſſentiatur, & in aſſenſu firmetur: id experientia oſtendit: unde Demoſthenes, ut eſt apud Iſidorum Peluſi. *lib.* 2. *Epiſt.* 146. celebre illud ac verum (ita enim Iſidorus appellat, & confirmat ibidem *epiſt.* 197.) apophtegma protulit: *Quod quiſque vult, hoc etiam putat.* Cæſar item de *Bello Gall. lib.* 3. *ferè libenter homines id quod volunt credunt.* Ex Chryſoſtomo *hom.* 50. *ad Popul.* idem diſſertè habetur. Luculenter etiam eam intellectus à voluntate inflexionem tradit Sext. Empyricus *in opere adverſus Mathemat. cap. Quid ſit bonum*, notans, quia ſe ſe omnes omnes amant, & juxta Æneſidemum, plerumque voluntate potius, quàm mente de rebus ferunt judicium. Idem notavit Cyrillus, *homil.* 11. Paſch. & Lactantius 7. *Inſtit. cap.* 1. advertens hanc eſſe cauſam cur plerique contra veritatem clauſis oculis latrent. Accinit Ariſtotel. ſæpè docens, unumquemque tale de rebus ferre judicium, qualis ipſe in ſe eſt; eo quòd affectum voluntatis ſequatur ut plurimum ſententia. Conſule Philoſophum *lib.* 3. *Ethic. cap.* 4. *&* *lib.* 6. *cap.* 12. *&* 13. *&* *lib.* 7. *cap.* 8. Qui etiam ob hanc cauſam 2. *Rhetor. cap.* 1. ait, agendum eſſe Rhetori de affectibus, ut pro affectu, quem concitaverit, hoc, illudve judicium extorqueat ab eo apud quem cauſam dicet Graviſsimè de more S. Hilarius *initio* lib. 10. de Trinitat. confirmat in hunc modum ſcribens. *Quamvis enim omne dictum, veri ratione perfectum ſit, tamen dum aliud aliis, aut videtur, aut complacet, patet veritatis ſermo adverſantium reſponſioni: quia contra veritatem, aut non intellectam, aut offendentem, vel ſtultæ vel vitioſæ voluntatis error obnititur. Immoderata enim eſt omnis*

nis Juſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu adverſandi ſtudium perſiſtit, ubi non rationi voluntas ſubjicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur, ſed his quæ volumus rationem conquirimus, & his quæ ſtudemus, doctrinam coaptamus... & non jam veri manebit ratio ſed placiti. Sic ille pergens adhuc id ipſum aliis eleganter fulcire ſententiis. Cujus doctrinæ veritas præcipuè ſibi in hæreticis vendicat locum, illi quippè voluptatibus aliiſque traditi vitiis nollunt intellectum in obſequium fidei captivare, nec juxta fidei præcepta vitam ſuam inſtituere: unde D. Gregor. Niſe. *orat.* 3. *de Reſurrectione.* Qui ſibi, inquit, conſcii ſunt turpiſsimarum, & fœdiſsimarum actionum, quibus graves pœnas meriti ſunt, odio judicii tollunt reſurrectionem, & pro eo quod capiunt, & optant varias cogitationes, ſibi fingunt. D. Auguſt. *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 18. non nullos dicit æternitatem pœnarum inferni negaſſe, ut ſuis perditis moribus hanc pollicerentur impunitatem. D. Ambroſ. *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 15. refert, Novatianum amiſsi Epiſcopatus dolore ab Eccleſia diſceſiſſe. D. Joan. Chryſ. *Hom.* 7. *in Joan.* Paulum Samoſatenſem amore fœminæ cujuſdam à fide apoſtataſſe, dicit; quod permultis noſtri ſeculi hæreticis evenit, notatuque digna ſententia eſt D. Hieronymi in *cap.* 9. Oſeę, *Difficile eſt hæreticum reperire, qui diligat caſtitatem*: plura in id congerit eruditè, & eleganter P. Ludovicus Creſollius in *Myſtagogo. lib.* 2. *cap.* 8. Quæ in hunc collineant ſcopum, ut aperiam, hæreticos non ex defectu ſufficientis cognitionis, ſed prælucente potius ſufficienti Catholicæ fidei evidentis credibilitatis perceptione, reſiſtere gratiæ Dei, ac fidei veritati, indulgere cupientes vitiis, ac cupiditatibus ſuis.

3 Id quod ulteriorem ſublimemque lucem ſortietur ex Chriſti Domini oraculo apud D. Joan. *cap.* 5. *v.* 39. *Scrutamini Scripturas*, (ajebat veritas Chriſtus) *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ubi Chriſtus Dominus teſtimonio operum, & Paterno, quibus Divinitatē ſuam probaverat, accumulat etiam Scripturas Sacras, vos, inquiens, ſcrutamini, & inquiritis Scripturas, quia putatis in obſervantia earum vitam poſitam æternam; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & tamen vos non vultis venire ad me, ut hanc vitam habeatis: cauſam igitur perfidiæ Judæorum aſsignans, non dixit Chriſtus fuiſſe ignorantiam, ſed pertinacem, pravamque liberam voluntatem. Inclareſcetque ex ſequenti conſideratione: duplicem hæc divina ſententia habere poteſt ſenſum ex notatis à Sapientiſsimo Cardin. Toleto in hunc locum, propter ambiguitatem ſcilicet verbi Græci, & Latini, *Scrutamini*, nam legi poteſt per modum imperandi, & exhortandi ad ſtudium Scripturarum, quia ipſæ teſtimonium perhibent de Chriſto, & in hoc ſenſu interpretantur D. Chryſ. *Hom.* 40. Imò D. Athanaſ. in quadam epiſtola, quæ eſt in fine voluminis operum. D. Baſil. *lib. de Bapt. cap.* 4. Eut. & alii.

4 At D. Cyrillus *lib.* 3. *cap.* 4. exponit verbum *Scrutamini* per modum judicandi, ita ut ſenſus ſit, vos inquiritis, & legitis Scripturas, & cum illæ teſtimonium perhibeant vobis de me, non vultis credere, quantumvis exiſtimetis vitam æternam poſitam in earum obſervantia, & per Chriſtum hanc vitam obtinendam, quam expoſitionem probat Card. Toletus, ex eo maximè, quod Chriſtus Dominus dixit, *Non vultis venire ad me*: ex quo indicatur, illos ſcrutari jam Scripturas, & cum teſtimonium perhibeant de Chriſto, nolle tamen ad ipſum venire: eandem interpretationem illuſtrat D. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 23. Igitur conſtat ex hoc loco, Judæos Scripturas de Chriſto in-

quiſiviſſe, quamvis animo calumniandi, at earum lectione convictos de veritate, non enim teſtimoniis tot, ac tantis, quod reſpondere poſſent, invenire poterant, obduratoſque, & voluntariè, ac liberè perfidos in Chriſtum credere noluiſſe: quod ſignificat illud verbum: *Et non vultis venire*: ſit ergò liquidum, contra evidentem fidei Catholicæ credibilitatem poſſe voluntatem velle, & imperare perfidum diſſenſum, & hæreſim.

SECTIO NONAGESIMA OCTAVA.

Evidens fidei credibilitas cum ipſius fidei inevidentia, & obſcuritate, ac libertate ut ſtare queat, oſtenditur.

1 PRæclara hæc fidei noſtræ proprietas, & commendatio, quæ in ipſius credibilitate evidenti affulget, necnon ejuſdē immediata libertas impeti ſolēt: & primū ex ſequenti ratiocinio: fidei myſteria adeò ſuperāt rationē, ut interdū videatur prima principia, & alia quæ videntur evidentia, negare, ut illa credantur: quomodò ergò fieri poteſt ut talia myſteria nant evidenter credibilia? Tum etiam, quia videtur repugnantia involvi, cum res credenda dicitur evidenter credibilis: nam res denominatur credibilis ab ipſa fide, per quam credi poteſt: ſicut viſibile dicitur per denominationem à viſu, & intelligibile per denominationem ab intellectu, demonſtrabileque à demonſtratione, qua aliquid oſtendi poteſt; ſed non poteſt res denominari evidenter credibilis ab ipſa fide cum fides non ſit evidens: ergò repugnat, rem eſſe evidenter credibilem.

2 Urgetur ſecundo: quia non poteſt evidenter oſtendi, myſteria fidei omnia, quæ credenda proponuntur, eſſe poſsibilia, vel non eſſe impoſſibilia: ergò non poſſunt fieri evidenter credibilia. Antecedens probatur, quia ſi evidenter oſtenderetur, illa myſteria eſſe poſsibilia, facilè etiam oſtenderetur, etiam eſſe vera, illa præcipuè, quæ ad naturam Dei ſpectant: ſcilicet, unam naturam eſſe per identitatem in tribus Perſonis, realiter diſtinctis: conſtat autem fidem non eſſe de evidentibus, id eſt de his quæ evidenter vera demonſtrantur, quod maximè verum eſt de myſteriis, quæ ſola fide cognoſcuntur, ut ſunt ſupernaturalia. Prima verò conſequentia probatur; quia ut aliquid ſit credibile, debet eſſe poſsibile, unde quod eſt evidenter impoſsibile, etiam eſt evidenter incredibile: ergò & è converſò, ut res oſtendatur evidenter credibilis, oportet ut etiam oſtendatur poſsibilis; hæc quippè eſt bona conſequentia: *Hoc objectum eſt evidenter impoſsibile: ergò eſt evidenter incredibile.* Ergò etiam hæc erit bona: *Hoc objectum eſt evidenter credibile: ergò eſt evidenter poſsibile.* Nam juxta regulam Sumuliſtarum ab oppoſito conſequentis benè valet conſequentia ad oppoſitum antecedentis.

3 Reſpondeo opinionem eſſe quorumdam Theologorum, qui dixerunt, myſteria fidei poſſe demonſtrari, non eſſe impoſsibilia, ad quam videtur ex parte accedere Cajetanus 1. *part. quæſt.* 1. *artic.* 8. quatenùs dicit, poſſe Theologum evidenter ſolvere argumenta, quę ab infidelibus fiunt contra myſteria probando eſſe impoſſibilia: idque non tantum negativè, ſed etiam poſitivè, ut ipſe loquitur, utique demonſtrando in talibus argumentis eſſe deceptionem: & poteſt etiam citari pro hoc placito Richard. de S. Vict. *lib.* 1. *de Trin. cap.* 4. quatenùs dicit, non deeſſe rationes neceſſarias ad perſuadenda myſteria fidei.

4 Verius tamen eſt, non poſ-

posse Theologum demonstrare, esse possibilia principalia mysteria supernaturalia fidei, ut de Trinitate, Incarnatione, & Eucharistia suis locis ostenditur præcipuè ab Exim. Doct. P. Suarez *lib. 1. de Trinit. cap. 11. & tom. 1. in 3. part. disp. 3. sect. 1. & tom. 3. in 3. part. disp. 46. sect. 7. & de fide. disp. 4. sect. 2. num. 9.* & longè certius est, hoc non esse necessarium ad sufficientem propositionem objecti fidei, alioqui pauci possent credere, & obligari ad credendum. Nec Cajetanus citato loco contrarium docet, quod etiam notavit inter alios Zumel *1. part. quæst. 1. in sua quæst. 2. dub. 2.* necnon Doct. Exim. loco citato, scilicet *disp. 4. de fide.* Nec de omnibus rationibus, quæ fiunt contra fidem, dicit posse evidenter positivè solvi, sed de aliquibus, quod incertum est; & si contingat, est per accidens, quatenùs talia argumenta assumunt aliquid contra rationem naturalem: per se autem loquendo satis est solvere hujusmodi rationes negativè, id est negando aliquid, quod probari non potest, & evidenter ostendendo illud non probari, etiam si non demonstretur illud esse falsum: ut quod una essentia non possit esse in tribus personis, vel aliquid simile.

5 Richardus autem exponendus est de rationibus necessariis, non ad ostendendam veritatem, sed vel credulitatem, vel consonantiam aliquam cum veritate, de quo videri potest Subtilis Doct. Scot. *in 3. dist. 24.* Et quidem rationes, & motiva quæ fidem stabiliunt non ita perspicua esse, ut necessariò determinent intellectum, ad credendum verum esse, quod fides docet, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem, toto hoc tractatu abundè ostensum est, sed videsis P. Puente Hurtado de Mendoza *tract. de fide. disp. 45. sect. 2. & 3.*

6 Ad primam confirmationem respondeo, rem esse evidenter credibilem, nihil repugnantiæ involvere, quemadmodum nec esse evidenter probabilem, vel evidenter esse tenuis probabilitatis: & ratio est, quia *Ita evidenter* in his assertis non significat actus evidentiam, sed evidentiam gravitatis, seù probabilitatis, aut improbabilitatis objectivę, seù fundamentalis, ut optimè adnotat Exim. Doct. *disp. 4. sect. 3. num. 8.* ubi docet, quod intelligibile, & sensibile duobus modis accipi possunt ex traditis in Metaphys. *disp. 44. sect. 3. num. 8. & sect. 11. à num. 64. & lib. 2. de Angelis, cap. 2. num. 24.* scilicet formaliter, & fundamentaliter, & priori modò verum esse, illius denominationem sumi à potentia intellectus, vel sensus, quatenùs potest intelligere, vel sentire tale objectum, quod inde passivè denominatur tale intelligibile, vel sensibile: posteriori autem modo scilicet fundamentaliter non est illa denominatio à potentia: sed potius ad potentiam ipsam supponitur, & sumitur ab aliqua intrinseca, aut extrinseca proprietate rei, quæ est veritas in objecto intelligibili, & virtus immutandi sensū in sensibili. Quę distinctio licet in *lib. 2. de Gratia. c. 11. n. 25.* pro re subjecta nō placuerit Eximio Doct. eam tamen postea prosequutus est *disp. 4. de fide*, & circa res possibiles eandem amplectitur *disp. 30. Metaph. sect. 17. num. 10.* & nos in Philosophia, nec non *tract. de Ente supernat.* consimiliter opinati sumus.

7 Ita ergò in præsenti, dupliciter potest objectum denominari credibile, scilicet formaliter, & quodammodò fundamentaliter, seù dispositivè: & priori modò concedimus denominationem sumi ab ipsa virtute fidei, vel per ordinem ad actum illius: posteriori autem modo negamus inde sumi, sed à testimoniis, & aliis argumentis, & conjecturis, quæ concurrunt ad sufficientem applicationem, seù cognitionem objecti fidei. Est tamen hic non nul-

nulla differentia, inquit Magnus Suarez; nam utraque denominatio credibilis eſt extrinſeca : parum autem refert, quia formæ extrinſecæ denominantes diſtinctæ ſunt, & una ad aliam comparatur, ſicut diſpoſitio ad formam, quia teſtimonia illa, per quæ objectum propoſitum fit evidenter credibile, præparant viam ad fidem introducendam, quæ conſiderata in habitu, ſeù in potentia, denominat rem formaliter credibilem, ſumpta verò in actu denominat creditam. Id tamen diſcriminis poteſt elevari ex eo, quòd ſicut teſtimonia, & conjecturæ, quibus fidei objectum nititur, illud reddunt credibile; ſic argumenta, quibus objectum demonſtratur, illud intelligibile conſtituunt: quamobrem ſicut objectum eſſe ſcibile, eſt denominatio objectiva partim intrinſeca, partim verò extrinſeca; ſic etiam objectum fidei eſſe evidenter credibile, dici poteſt per denominationem objectivam partim intrinſecam, & partim extrinſecam.

8 Hinc fluit potior ſolutio difficultatis, quæ in ſecunda confirmatione proponitur, nimirum, ſi myſteria fidei eſſent evidenter credibilia, fore, ut etiam evidenter poſsibilia eſſent, & conſequenter evidens etiam nobis poſſet fieri actus fidei infuſæ; nam ubi eſt evidens aſſenſum exiſtentiæ, aut poſsibilitatis objecti eſſe verum, evidens etiam eſt, exiſtentiam, aut poſsibilitatem objecti eſſe veram. Cui difficultati ſit ſatis dicendo ex doctrina Eximii Doctoris, in primis non rectè colligi evidentem poſsibilitatem ex evidenti credibilitate, ut explicabimus mox: deinde aſſerimus evidentem objecti fidei credibilitatem à Theologis ſtabilitam non eſſe formalem, nec deſumptam aut provenientem à ſupernaturali virtute fidei, ſed fundamentalem deſumptam à teſtimoniis, & aliis argumentis, & conjecturis, quæ concurrunt ad ſufficientem applicationem, ſeù propoſitionem objecti fidei: quapropter ex hac evidenti objecti credibilitate fundamentali non infertur, evidenter eſſe verum aſſenſum poſsibilitatis objecti fidei.

9 Alii vero Recentiores reſpondent, evidentem fidei myſteriorum credibilitatem non eſſe poſitivè ſupernaturalem, ſed præſcindere à naturali, & ſupernaturali: evidens quippè eſt obligatio credendi ea myſteria, quę ſufficienter proponuntur, & quidem ſine hæſitatione, cæterum non eſt nobis evidens, credenda eſſe fide poſitivè ſupernaturali, & divina, nec actu evidenter vero, cum potius ſit obſcuritas de ratione fidei: ſic docent P. Fuente Hurtado *diſp. 22. de fide. ſect. 2. num. 14. & 15.* P. Ripalda *eod. tract. diſp. 6. ſect. 5. num. 42.* P. Oviedo *controv. 4. punc. 1. num. 6.* Cardinal de Lugo *diſp. 5. ſect. 2. num. 31. fin.* perdoctus, & ingenioſus juxta P. Joannes Marin Complutenſis Primarius, in Sacroſanctæ, & Catholicæ fidei Supremo Hiſpaniarum venerando Tribunali digniſsimus Cenſor, atque Incliti Aſturum Principis, Regnique jurati Hæredis audiendis ſacris Confeſsionibus pro merito delectus, *tom. 1. de fide. diſp. 3. ſect. 2.* ubi hanc difficultatem ſubtiliter verſat, ac diluit aſſerens, myſteria noſtræ fidei eſſe evidenter credibilia fide divina objectivè, id eſt, quia dicta à Deo, non vero eſſe evidenter credibilia fide divina ſubjectivè, & effectivè (attentis præcisè argumentis credibilitatis) quia his præcisè attentis, non eſt evidenter credibile, dari hic, & nunc auxilium ſupernaturale ad aſſenſum ſupernaturalem: paratam eſſe omnipotentiam ad aſſenſum ſupernaturalem: dari reliqua comprincipia: vel aliter, myſteria noſtræ fidei eſſe evidenter credibilia aſſenſu firmiſſimo, & ſolùm nos teneri aſſentiri eo aſſenſu, quo poſſumus: cum tamen non ſit evidens, nos poſſe aſſentiri aſſenſu ſupernaturali determinatè; ſed ſolùm vel naturali, vel ſupernaturali, aſſenſu fi-

fidei veræ; vel assensu fidei divinæ existimatæ, & propterea ex credibilitate evidenti, non inferri mysterii evidentiam.

10 Vel etiam depelli potest difficultas, si dicatur nostræ fidei mysteria evidenter esse credibilia fide divina, in se superna, *To evidenter* accepto solùm de credibilitate objectorum, secus de fide, qua possunt, ac debent credi. Id quod ut inclarescat, communem præmitto doctrinam, videlicet ex evidentia credibilitatis non sequi possibilitatis evidentiam, quia in communi loquendo, latius patet credibile, quàm possibile; nam aliquid impossibile potest fieri credibile, quia credibilitas sumitur ex medio extrinseco, & testimonio, quod potest cadere in rem impossibilem, & ideò ex negatione evidenter possibilis, non sequitur negatio evidenter credibilis; & quamvis in nostra fide nihil sit credibile, quod non sit possibile, hoc tamen solùm est certum, non autem evidens.

11 Ad illum vero arguendi modum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, respondeo cum Cardin. de Lugo *tract. de fide. disp. 5. sect. 2. num.* 30. regulam illam Sumulisticam intelligi de opposito contradictorio, non de opposito contrario, quod perinde est ac quod Mag. Bañez *quæst. 1. art. 4. ad 5.* dixerat, valere scilicet argumentum ad propositionem negativam, non ad affirmativam: exemplo sit hæc argumentatio: *Petrus est homo, ergò est animal*: non enim argueretur benè, *Petrus non est animal: ergò est brutum*; cum tamen non animal opponatur animali, & brutum sit oppositum hominis, at non opponitur homini contradictoriè, sed contrariè; & propterea non est recta talis argumentatio. Solùm ergò potest argui rectè in hunc modum: *Non est animal: ergò non est homo*: quod est argui ad contradictoriam antecedentis, seù ad negativam illius.

12 Sic etiam in præsenti materia, ex hac illatione: *hoc objectum est evidenter impossibile, ergò est evidenter inopinabile*: benè argueretur: *Non est evidenter inopinabile: ergò non est evidenter impossibile*. non tamen benè argueretur, *est evidenter opinabile: ergò est evidenter possibile*; nec etiam benè argueretur: *non est evidenter inopinabile: ergò est evidenter possibile*. In utraque enim illatione antecedens posset esse verum, & consequens falsum, eo quòd non arguatur ad contradictoriũ antecedentis, sed ad contrariũ, vel universalius. Cõsimili ergò defectu laborat argumẽtatio in objectione proposita: ut enim rectè ex prælibata argueretur regula, deberet sic argui: *hoc objectum est evidenter impossibile: ergò est evidenter incredibile*: igitur ab opposito consequentis arguendo ad oppositum antecedentis, bona erit consequentia ista: *hoc objectum non est evidenter incredibile: ergò non est evidenter impossibile*: quia *esse evidenter impossibile, & non esse evidenter impossibile*, contradictoria sunt; cæterum esse *evidenter incredibile, & esse evidenter credibile*, non opponuntur contradictoriè, sicut nec *esse evidenter possibile, & esse evidenter impossibile*: datur enim medium inter harum propositionum extrema: plura namque sunt, quæ nec sunt evidenter incredibilia, nec evidenter credibilia, quia probabiliter tantum credibilia repræsentantur, sicut & plura sunt de quorum possibilitate, aut impossibilitate evidentia dari non potest.

13 Huic nostræ explicationi, favet P. Puente Hurtado, *tract. de fide. disp. 22. sect. 2.* §. 8. ubi docet, mysteria fidei tàm esse evidenter possibilia, quàm credibilia; quia sunt credibilia evidenter moraliter; eadem autem ratione sunt possibilia, pergitque dicens, hoc verum esse sumendo credibilitatem pro denominatione ab ipso actu credendi, qui non est evidens physicè, sed

ſed moraliter. Hæc ille. Nec diſſentire videtur P. Granad. *tract.* 2. *diſp.* 4. *num.* 2. quatenùs docet, fidei aſſenſum eſſe moraliter evidentem, à quo voce tenus diſcedit, re tamen ipſa idem tradit Cardinalis de Lugo, *diſp.* 2. *num.* 40. *& ſeqq.* cui adhæret P. Ripalda, *tract. de fide diſp.* 12. *ſect.* 2 *num.* 18. *& ſeqq.* Tandem confirmari poteſt, quia non eſt magis ſupernaturalis, & ſupra omnem humanam ſapientiam, & intellectum actus fidei divinæ, quam ipſum divinum Myſterium, ad quod fides aſſentiendo terminatur; ſed poſsibilitas, & exiſtentia divini myſterii extrinſecè oſtenditur teſtimoniis, & argumentis adeò firmis, ut prudenter negari non poſsit hujuſmodi poſsibilitas, & exiſtentia: ergò & ipſius fidei divinæ poſsibilitas, & obligatio ad ipſam argumentis ita fulcitur, ut negari prudenter non valeat.

SECTIO NONAGESIMA NONA.

Aliam perpendit, & diluit difficultatem ex ſcientia, & evidentia in atteſtante, valdè probabiliter cum fidè compoſsibili.

1 PErdoctus P. Camargo *in Regula honeſt. mor. p.* 1. *lib.* 1. *contr.* 5. *a.* 12. §. 2. *n.* 141. proximam fidei libertatem quoad ſpeciem cenſet everti ex eo, quòd non unius vel alterius, ſed plurium gravium-que Theologorum conſtans ſententia eſt, ſibique ut, ait, veriſsima, myſteria Religionis chriſtianæ non ſolùm evidenter credibilia, ſed etiam eſſe evidenter vera, non quidem in ſe ipſis, & evidentia, ut ajunt, intrinſeca, ſed extrinſeca, & in atteſtante, quatenùs argumentis loculentiſsimis, & nimis evidentibus, oſtenditur, Deum eſſe ipſius auctorem, ex quo evidenter etiam concluditur myſteriorum ipſorum veritas. Neque difficile explicatu eſt, ſubdit idem Author, quidquid aliqui refragentur, qua ratione evidentia hæc veram, & abſolutam libertatem, adeoque fidei meritum non perimat; ipſe tamen rationem aliquam fidei libertatem iſtam, ac vim meritoriam, ſartam tectam ſervandi non aperit: cæterum hac præſuppoſita ſententia, videtur dicendum ad fidei meritum, & libertatem opus non eſſe aſſentiendi, & diſſentiendi fidei myſteriis proxima, & immediata libertate, quod tamen ſententiæ noſtræ repugnat.

2 Ut ergo objectioni huic fiat ſatis inſpicere oportet, quid de poſsibili, & quid defacto dicendum veniat, & de poſsibili loquendo, aliqui dixere, impoſsibilem eam eſſe evidentiam in atteſtante, Deo non clare viſo, ita Mag. Bañez, 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 1. *dubio unico*, Antonius Perez, *diſp.* 3. *cap.* 9. *num.* 51. verum oppoſitum placitum eſt communiter receptum in omni Schola, ut paſſim omnes adnotant.

3 Licet tamen hæc divinę locutionis, aut revelationis evidentia poſsibilis ſit, Deo non viſo, tamen loquendo de facto, quamvis Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 171. *art.* 5. *& quæſt.* 174. *art.* 3. aſſerat de primis fidei Doctoribus, hanc evidentiam fuiſſe illis neceſſariam, & alii multi videantur affirmaſſe, eſſe ipſis conceſſam, cui placito, favet Angelic. Doct. *quæſt.* 12. *de verit. art.* 3. *&* 3. *contr. Gentes, cap.* 154. Et Subtilis Doctor *in* 3. *diſt.* 24. *quæſt. unica.* §. *ſed ſi loquamur. Et ibid.* Gabriel *concluſ.* 7. Richard. *diſt.* 23. *art.* 8. *quæſt.* 1. *&* Ferrarienſis, 3. *contra Gent. cap.* 40. §. *Ad evidentiam hujus difficultatis*, & Vega *lib.* 9. *in Trident. cap.* 30. *verſ. Addidi autem.* Apretque protegi ex Auguſt. *lib.* 11. *de Civitat. cap.* 3. *dum ait: De inviſibilibus oportet credere his qui incorporeo lumine hæc diſpoſita eſſe didicerunt.* Et Sacra Scriptura Prophetas appellat *videntes*, de quo legi poteſt Iſidorus *lib.* 7. *Ethymolog. cap.* 8. &

eſt

est optimus locus, 2. *Reg. cap.* 23. ubi David dicit: *Mihi loquutus est Fortis Israel, dominator hominum... sicut lux Auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat.*

4 Nihilominùs, regulariter loquendo, & exceptis aliquibus Eximiis Prophetis, non fuisse aliis etiam prophetis, & fidei Doctoribus datam hujuscemodi evidentiam, per speciale lumen infusum, quod ad assensum cogeret, censet Exim. Doct. P. Suar. *disp.* 3. *de fide. sect.* 8. *numer.* 13. Duo enim sunt distinguenda in Prophetis: unum est conceptio, seu apprehensio eorum, quę ipsis revelabantur cum intelligentia signorum, quæ videbant, & verborum quæ audiebant; & quoad hæc recipiebant lumen peculiare, quo necessitabantur ad hujusmodi apprehensionem, cum prędicta intelligentia: aliud est judicium, & assensus, quo firmiter credebant, illam locutionem esse Dei, & consequenter esse vera, quæ ipsis dicebantur. Et quoad hanc partem nulla apparet necessitas ponendi in eis lumen distinctum à lumine fidei, quia ut ipse Exim. Doct. docet, non ex necessitate, sed voluntariè assentiebantur. Unde Abraham quando voluit sacrificare filium ex præcepto Dei, non solum laudatur maximè propter obedientiam, sed propter fidem, per quam dicitur placuisse Deo, & ita Apostolus illum nobis proponit tanquam exemplar credentium *ad Rom.* 4. si autem habuisset evidentiam, vel nullam laudem, vel; certè parvam meruisset propter fidem quia necessitate quadam credidisset, & ita non fuisset accomodatum exemplar eorum, qui voluntariè, ac liberè captivant intellectum in obsequium Dei, etiamsi illum evidenter loquentem non experiantur.

5 Nec refert quòd videntes appellentur Prophetæ, quia illa denominatio non ex evidentia in attestante, sed ex imaginaria visione sumpta fuit, ut significavit Illustrissimus Abulensis, Hispanię totius, & præsertim Majoris D. Bartholomæi Salmantini Collegii Eximium decus, *in cap.* 11. *Exodi*, traditque Rupert. *Abdiæ cap.* 1. de quo etiam perdocte, Sacrarum literarum præstantissimus elucidator, & in hoc nostro Regali Societatis Jesu Collegio in eadem exercitatione Sapientissimus Professor, Venerabilis P. Franciscus Ribera, Majoris quondam D. Archiepiscopi Toletani, Salmantini Collegii fautissima proles, *in cap.* 1. *Oseæ*, *num.* 4. & 5. vel certè ita appellati sunt, quia videbant, id est cognoscebant, & dicebant, quæ alii videre non poterant, ut dixit D. Hieronymus *epist.* 103. *ad Paulin.* ubi etiam significat ita fuisse vocatos, quia in Spiritu Christum videbant, juxta illud quod de Abraham dixit Christus Dominus, *Joan. cap.* 8. *Exultavit ut videret diem meum vidit, & gavisus est.* Cæterùm de aliquibus Eximiis Prophetis, ut de Moyse, David, &c. verisimiliter credi potest aliquando accepisse à Deo hoc beneficium, ut indicant verba David supra citata, & alia, quæ in Exodo de Moyse dicuntur.

6 De fidelibus verò, sivè simplicibus, sivè doctis; ad quos pervenit divinum testimonium per Prædicatores vel Magistros fidei, constare non habere hanc evidentiam in attestante, seu ipsius revelationis, sed solum credibilitatis ipsius, asserit Magnus Suarez, *disp.* 3. *de fide. sect.* 8. *num.* 5. quia ante assensum fidei quamvis sapientiores habeant majorem quandam certitudinem, non transcendit fidem humanam, & ad summum pervenire potest ad gradum evidentiæ moralis.

7 Concinit P. Granados, *contr.* 1. *de fide. tract.* 2. *disp.* 4. *num.* 3. & est communis Theologorum doctrina apud ipsum, præcipuè eam tradit Durandus, *quæst.* 2. *Prologi.* Gabriel. *quæst.* 7. P. Molina 1. *part. quæst.* 1. *art.* 2. *disp.* 4. P. Valentia, *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3.

P.

P.Vazq. 1.*part. diſp.* 4.*cap.* 3.*& diſp.* 135.*cap.*2.Cardin. de Lugo *diſp.* 2. *de fide,ſect.*1.*n.* 36.qui expreſsè ait veluti rem certam, & extra dubii aleam, Deum velle fideles omnes in ænigmate,& fide obſcura ambulare, & per fidem obſcuram ad juſtitiam provehi:id autem cum evidentia divinæ revelationis, ſeù in atteſtante ſtare non poteſt: & quidquid ſit de poſsibili, tamen de facto communis Scholaſticorum, & Theologorum ferè omnium ſenſus eſt,eam evidentiam non reperiri juxta ordinariam Dei legem.

8 Unde falſum eſt, quod in objectione aſſeritur, ſcilicet non unius, vel alterius ſed plurium, graviumque Theologorum eſſe conſtantem ſententiam, fidei chriſtianæ myſteria,evidentia in atteſtante, eſſe evidenter vera. Haud equidem me latet P. Michaelem de Elizalde, in ſuo dilaudando opere *de forma veræ relig. inveniendæ, quæſt.* 19. Petrum Danielem Huezium in *Demonſtratio.Evangelica*, ferè per totum opus,necnon R.admodùm Patrem Tyrſum, Societatis Noſtræ Præpoſitum Generalem, eximiaque doctrina, ac pietate præditum, in *Manuduc. ad converſ. Mahumet. tom.* 1. *lib.*2. *cap.*2. docere,id evidentiæ in atteſtante noſtræ fidei myſteriis competere;hoc tamen placitum ab his ſolum Theologis videtur aſſertum, & fulcitum;unde Illuſtriſsimus Palancus *tr ac. de fide,diſp.*4. *quæſt.*3. *num.*8.inquit aſſumptum hoc, quod tàm efficaciter ſuadere conantur hi Authores,novum eſt,& ſingulare,& contra communem Scholaſticorum ſenſum: nihilominus propter debitam prædictis ſapientibus Magiſtris obſervantiam, eorum opinio nec contemnenda, nec afficienda eſt aliqua cenſura, imò poſt præcitatos Authores illam elucidat P. Emmanuel Sanz *in ſuoScholaſte armato, ſeù tr. de fide.*haud tamé illis aſſentior.

9 Inſpecta vero abſoluta poſsibilitate terminorum, plures ſapientiſsimique ex univerſa Schola Theologi cenſent,cum fide meritoria, & libera ſtare non poſſe evidentiam myſteriorum in atteſtante, ſic docent ex Dominicanis Patribus Mag. Bañez 1.*part.quæſt.* 32.*art.* 1.*dub.*2. *&* 2.2. *quæſt.* 5. *art.* 1. poſt Victoriam apud Aragon, *ibidem*, indicatque Mag. Cano *lib.*12.*de locis,cap.*13.*concluſ.*1.Gregor.Martinez 1.2. *quæſt.*67.*art.*3.*dub.* 1. *in reſp. ad* 3. Marinis *quæſt.* 1.*art.*5. *cap.*8.Mag.Ferre,*quæſt.* 4.§.9. Joan. à S.Thom.*in* 2.2.*diſput.*2. *art.*2.Durandus *in* 3.*diſt.*31. *quæſt.*4. *num.*10.Maſtrius *in* 3. *diſt.* 24. Coninc.*diſp.*9.*dub.* 8.*num.* 110. *& ſeqq.* præterum *num.* 115. Cardinalis de Lugo *de fide. diſp.* 2.*dub.*1. P.Arriaga *diſp.*4.*per totam.*P. Peynado apud P.Marin *tom.* 2.*de fide. diſp.*12.*ſect.*4. *num.*37.P.Eſparça *tom.* 1.*lib.* 6. *quæſt.* 19. *art.* 1.*ad* 3.*& quæſt.* 24.*ad* 5. Illuſtriſs. Palanco *diſp.*4.*de fide, quæſt.* 5.*per totam.* Porrò autem ex præcipuis hujuſce placiti fundamentis unum eſt à conceptu libertatis fidei petitum: hi enim Sapientiſsimi Authores cum libertate fidei evidentiam in atteſtante pugnare exiſtimant.

SECTIO CENTESIMA.

Permiſſa compoſsibilitate fidei cum evidentia in atteſtante, ejuſdem fidei immediata libertas oſtenditur multiplici ex capite.

1 QUòniam plurium tamen Scriptorum ſententia eſt,juxta abſolutam Dei potentiam,conciliari poſſe fidem cum evidentia in atteſtante, propterea permiſſa etiam hac opinione, objectionem elevare ſatagam. Igitur ex iis, qui docent, poſſe fidem cùm ea in atteſtante evidentia componi, plures ac præcipui cenſent, ex tali evidentia elici, aut regulari fidem impoſsibile eſſe,

&

& propterea opus eſſe alia obſcura ejuſdem objecti, ſeu myſterii propoſitione, ut ex illa fides oriri queat: ſic P. Suarez, *diſp.* 3. *de fide. ſect.* 8. *numer.* 19. ubi expreſsè hanc ſtatuit concluſionem: Aſſenſus fidei nunquam poteſt per ſe ac formaliter fundari in cognitione evidente revelationis: idque multis probare pergit, & maximè ex capite libertatis: poſtea verò *ſect.* 9. *num.* 23. de potentia abſoluta, docet non repugnare actum fidei cum evidentia, ſi ſcilicet fides reguletur obſcura myſterii propoſitione. Eximio Doctori adſtipulantur Nobiles Recentiores Ciſtercienſes, quos, nominibus ſuppreſsis, laudat P. Marin. *diſp.* 2. *ſect.* 4. *numer.* 41. idem illuſtrat P. Jacobus Platelius. *part.* 3. *capit.* 1. §. 3. *numer.* 84.

2 Juxta hunc autem dicendi modum, cadit objectio: quoniam fides prout in obſcura revelatione fundatur, eſt libera immediatè quoad ſpeciem, poteſt enim voluntas immediatè velle, & imperare aſſenſum, vel diſſenſum, tum erga revelationem ipſam obſcuram, tum erga objectum, ut ſic revelatum, ſic tendendo: objecto huic, præcisè ut obſcurè propoſito aſſenſum præſtarem, aut non præſtarem: vel abſolutè in hunc modum: myſterium iſtud, ut in hac obſcura revelatione proponitur, dignum cenſeo, aut non cenſeo, cui aſſenſum præbeam, & prout ſic propoſito aſſentior illi, aut diſſentior. Vel tertiò, cum ad actum fidei etiam reſpectu objecti materialis, ſit ipſi divinæ revelationis præſtandus aſſenſus ſupernaturalis, & fidei, ut communis Theologorum fert ſententia cum Eximio Doct. *diſp.* 6. *ſect.* 2. & 3. hinc eſt, quod fides ſupernaturalis in ſuppoſita hypotheſi, ſit etiam libera immediatè, & quoad ſpeciem: quia poteſt voluntas imperare diſſenſum erga revelationem, quæ eſt formale fidei objectum: quamobrem permiſſa etiam evidentia in atteſtante, ſalvatur libertas contrarietatis, & indifferentiæ intellectus, ut ex voluntatis determinatione aſſentiri poſsit errori hæretico: quippè hæreticū eſſet judicium præfatum, ſcilicet, myſteriū hoc, ut obſcura revelatione propoſitum, utque ab Eccleſia definitum præcisè, dignum non eſt, cui aſſenſum præbeam: & conſimilis erga objectum fidei ſtabit libertas.

3 Secundo reſpondetur ex traditis à PP. Arriaga, & Oviedo, quos laudat P. Platelius *part.* 3. *cap.* 1. §. 3. *numer.* 85. poſsibilem eſſe actum fidei ejuſdem rationis cum noſtra, qui nitatur revelatione ſivè in ſe, ſivè in ſignis evidenter cognita: modò veracitas divina non cognoſcatur evidenter. Et probatur, quia ad aſſenſum fidei obſcuræ, & liberæ, ac captivantis intellectum in obſequium Chriſti, qualis à noſtro habitu producitur, ſufficit, unam partem ejus objecti formalis, revelationem nempè, aut veracitatem eſſe obſcuram: eo enim ipſo ejus objectum ita obſcurè proponitur, ut intellectum non poſsit ad aſſenſum firmum determinare, niſi accedente imperio voluntatis: ergò ſuppoſita obſcuritate veracitatis, poteſt verus noſter fidei aſſenſus niti revelatione, evidenter cognita, qua tali. Antecedēs probatur: quia de facto in virisdoctis fides nititur veracitate evidenti, & ſola revelatione obſcura: & fides humana, qua credimus homini, quem experimur nobis loqui, nititur teſtimonio dicentis evidenti, & ſola ejus veracitate obſcura.

4 Huic Conciliationi libertatis fidei cum evidentia in atteſtante aſſentirer, ſi poſsibilem eſſe ſuppoſitionem, qua nititur, exiſtimarem, at reor, id fieri non poſſe, quia veracitas evidenter eſt bona, & mendacium evidenter eſt malum; quapropter habita evidentia revelationis divinæ, fieri nequit ut Dei veracitas, & infallibilitas videntem lateant. Præterea fides ſemper nititur veracitati revelatæ.

5 Tertiò reſponderi poſſet ex pererudito P. Marin, *diſput.* 12. *ſec.* 6. *numer.* 54. & 57. in primis fidem reperiri poſſe cum evidentia in atteſtante abſque alia obſcura propoſitione myſterii; quia libertas non eſt prædicatum fidei eſſentiale: Secundò in hac hypotheſi, poſſe intellectum ita aſſentiri, ut voluntas ſignatè eſſet parata ad aſſenſum, caſu quo non proponeretur objectum ita clarè, qui aſſenſus determinatè ſumptus eſſet liber, admodum quo, præmiſſæ neceſsitant ad concluſionem, liberum tamen eſt concluſionem eſſe directam, aut indirectam. Motivum ſcientiæ neceſsitat ad aſſenſum, non tamen neceſsitat ad aſſenſum, qui ſimul moveatur motivo ſcientiæ, & fidei ut ipſe docet *diſp.* 11. *ſect.* 6. eſtque noſtrorum frequens opinio Scriptorum: unde aſſerit *numer.* 57. aſſenſum fidei prælucente evidentia, ſic tendere poſſe: *& ſimiliter aſſentirem licet cum ſola evidentia morali appareret authoritas divina relans*, qui aſſenſus eſſet liber, & obſequioſus, & procederet ab actu voluntatis. Sic ille ingeniosè equidem. Etſi loquamur præſcindendo à libertate, nulla apparet repugnantia in eo quod ex evidentia in atteſtante actus fidei dirigatur, cum de eſſentia aſſenſus fidei non ſit libertas; poteſt quippè Deus ad fidem prædeterminare, abſolutè loquendo, & in ea hypotheſi non eſſet fides libera, ut noſtræ Jeſuiticæ Scholæ Scriptores rectè probant.

6 Cæterùm quia quęſtio frequenter procedit de fide libera, & meritoria, & noſtræ diſquiſitionis is ſcopus eſt, & præterea Deum non prædeterminare ad fidem in præſentiarum ſupponimus: ideò non ſatis inter ſe cohærere hujuſcemodi fidem, & evidentiâ in atteſtante juxta prælibatam explicationem P. Marin, ex ſequentibus dici poteſt. Primò, quia ſic præmiſſæ ad concluſionem neceſsitant, ut nulla ſit libertas contrarietatis, ſeu ad eliciendam hanc vel illâ cõcluſionẽ, inter ſe cõtrarias, aut contradictorias; fides autem noſtra ita libera eſt, ut liberum ſit intellectui ex imperio voluntatis elicere aſſenſum fidei, vel diſſenſum hæreticum: quod verò concluſio ſit directa, vel indirecta non conſtituit contrarietatem ullam quoad aſſenſum, cum utrique poſsit intellectus ſimul aſſentiri. Secundò, motiva ſcientiæ, & opinionis, aut fidei ita concurrere poſſunt ad eliciendum unicum actum ſeu aſſenſum, ut ratio aſſentiendi non ſit præcisè ſcientiæ motivum, ſed ſimul aliud motivum credendi, & opinandi; verum tamen fides quæ ſolum niteretur evidentia in atteſtante, ex ipſis terminis, non niteretur obſcura credibilitate myſterii.

7 Tertiò, quia præparatio obſequioſa voluntatis ad imperandum aſſenſum, caſu, quo objectum non proponeretur ita clarè, ex ipſa conditione affectus voluntatis non poteſt conſtituere liberum aſſenſum, qui exercitè ſupponit, & involvit conditionis illius carentiam: unde fiſtit illa pia affectio in actu ipſo voluntatis, conditionem involvente: & non obtinet aſſenſum intellectus.

8 Quartò: modus ille, tendendi: *Et ſimiliter aſſentirem licet cum ſola evidentia morali appareret authoritas divina revelans*, licèt non ſolùm exprimat voluntatis præparationem, ſed involvat etiam, & explicet aſſenſum intellectus ſubjectivè abſolutum, & objectivè conditionatum: tamen hic actus intellectus in conditione incluſus non procederet ex evidentia in atteſtante, ſed ex dignitate credibilitatis objecti ſine prædicta evidentia propoſiti: igitur vel per aliam cognitionem debet obſcurè proponi objectum fidei, vel ipſa evidens cognitio Dei loquentis debet repræſentare ſimul credibilitatis evidentiam in motivis fidei: & conſequenter ille

ille aſſenſus conditionatè tendens debet formaliter procedere ex cognitione motivorum fidei, præſcindendo ab evidentia in atteſtante, ſi autem ita actus ille regulatur, conſimili ratione poſſet elici abſolutè, id quod impoſsibile videtur, ſi nulla præter evidentem cognitionem, adſit notitia obſcura eorumdem motivorum: quippè fidei divinæ actus ex eſſentia ſua habet objectum, quod non poteſt neceſsitare intellectum quoad ſpecificationem; at cognitio evidens Divinæ atteſtationis, intellectum ita quoad ſpecificationem aſſenſus neceſsitat, ut omninò non poſsit intellectus illi veritati diſſentiri: ergò ex vi ſolius evidentis divinæ atteſtationis, ſi aſſenſus reguletur non poteſt eſſe fidei. Major conſtat, quòniam fidei objectum formale eſt divina revelatio inevidens, ut traditum eſt *ſect.* 37. minor etiam eſt liquida, & ab adverſariis conceditur, vel quia lumine naturali notum eſt, Deum fallere, non poſſe, nec falli, vel quia ipſo ſupernaturali lumine id notum fieret.

9 Nec recurſus ad præciſionem ab evidentia, ſufficiens eſt, quòniam ſimilibus præciſionibus poſſet aſſeri, liberum eſſe aſſenſum naturalem ex principiis evidentibus etiam primis elicitum, ſi videlicet eliciretur præſcindendo ab evidenti eorumdem principiorum oſtenſione: quod ſtare non poteſt. Prætereà ſi talis præciſio reſpiciens principium actus ſufficeret ad ejuſdem actus ſpecificam libertatem, licèt aliundè principium adæquatè ſumptum ſit neceſsitans ad talem actus ſpeciem; conſimili fundamento poſſet aſſeri, quòd ſufficit præciſio reſpectu termini, ut terminus ex ſe incompoſsibilis cum comprincipiis, quæ conſtituunt potentiam, vel eam expediunt, fiat ſufficienter poſsibilis, ut extremum activitatis, & libertatis ejuſdem potentiæ: & conſequenter ſtaret prædeterminationis phyſicæ, & ab intrinſeco efficacis doctrina, nempè, voluntatem prædeterminatam ad amorem, liberam eſſe, etiam ad omiſsionem amoris, vel ad odium, ſecundum ſe, & præſcindendo à prædeterminatione, ſeù liberam eſſe voluntatem ad nolitionem amoris, non ut conjungendā cū prædeterminatione amoris, ſed præciſivè, & ſecundū ſe: vel Chriſtum Dominum habuiſſe poteſtatem liberam ad omiſsionem mortis præceptæ, non poſitivè, ut præceptæ, ſed præciſivè, & ſecundum ſe conſideratæ: quæ omnia communis noſtræ Societatis Schola rejicit: exiſtimamus enim indifferentiæ libertatem per hujuſmodi præciſiones ſartam tectam manere non poſſe.

10 Ex dictis autem oppugnanda venit ſententia perdocti, omnigenaque eruditione exculti Doct. D. Joannis Ferreras *diſp.* 4. *de fide. dub.* 5. præſertim *num.* 141. ubi docet, quòd ſtante evidentia in atteſtante, poteſt elici aſſenſus non ex tota evidentia adæquatè accepta, ſed ex ſola revelatione evidenti, non ſecundum quod connexa cum objecto revelato; ſed ſecundùm quod eſt atteſtatio, ſeù affirmatio, aut negatio objecti præciſivè à claritate; nam cum objectum formale fidei ſit divina teſtificatio, hæc etſi ſit evidens, ſi præcisè accipiatur prout ſimplex teſtificatio, poteſt accedente imperio voluntatis movere ad intellectus aſſenſum, qui ſit obſcurus, & fidei. Hæc tamen, ut autumo, exciſſa manent ex dictis: tum etiam quia nullum eſſet antecedens neceſsitās quoad ſpeciem actus; unde licèt præſupponeretur

evidentia rei atteſtatæ ſecundum intrinſeca ſui prædicata, non abſimili ratiocinio confici poſſet, manere liberam voluntatem ad imperandum aſſenſum erga tale objectum, accepta illius evidentia non adæquatè, ſed præciſè inadæquatè, & in ratione repreſentationis, ſeù expreſsionis talis objecti, ſub quo conceptu præcinditur ab evidentia. Conſequentia legitimè ſubducitur. Conſequens autem non modò reiciendum cenſeo, ſed & reor ipſum Doct. Ferreras illud non eſſe admiſſurum.

11 Hæc poſtquâ exaraverâ, auſpicatè mihi contigit, ut perlegerem, & ſanè libenter *tract. de fide* noviſsimè elaboratum à Sapientiſsimo P. Mag. Fr. Emmanuele Navarro, Salmanticenſi Doctore, & Theologiæ Primario emerito, cujus uberis ſapientiæ, acuminis, & eruditionis præclaræ, quas equidem promeretur, laudes volumina illius quàm plurima conteſtantur, is ergò *diſp.* 3. *dub. ultim.* §. 3. *num.* 72. eandem Doct. Ferreras ſententiam refellit, argumento ferè eodem, ac à me prælibato; cæterum doctrinæ hujuſce pereruditi Authoris in concilianda fide, cum evidentia in atteſtante haud adſtipulor; ait ſiquidem ex eo fidem in data hypotheſi perſtituram, quòd evidentia in atteſtante eſt medium extrinſecum commune omnibus myſteriis, quæ ſingula æquo modo ſtant ſub ratione revelati, & propterea illa non habet univocam proportionem, & ſtrictam, ſeù intrinſecam connexionem cum veritate hujus myſterii, videlicet Trinitatis: tum quia ſicut ſtat optimè quidpiam eſſe evidenter opinabile, & evidenter credibile, quin ideò aſſenſus erga illud ſit evidens, conſimiliter fieri valet, ut myſterium aliquod ſit evidens in divina atteſtatione, & quod Deus nec falli, nec fallere poteſt, & tamen objectū non eſſe evidens in ſe ipſo, nec aſſenſum erga tale myſterium eſſe evidentem.

12 Huic inquam conciliationi evidentiæ cum fide haud aſſentior: primò, quòniam medium eſſe extrinſecum non aufert ab illo neceſſariam connexionem cum termino, ſeù veritate rei revelatæ, nec etiam impedimento eſt evidentiæ hujuſce connexionis: igitur quòd evidentia in atteſtante ſit medium extrinſecum reſpectu veritatis myſterii non poteſt auferre intellectus neceſsitatem, & determinationem, ſaltē quoad ſpecificationē, aſſentiendi exiſtentiæ myſterii illius. Secundò, ſtat optimè evidens demonſtratio concludens veritatem exiſtentiæ alicujus rei, abſque indifferentia aſſentiendi, aut diſſentiendi tali objecto, quin per eandem demonſtrationem oſtendatur intrinſeca objecti ejuſdem quidditas: ergò quamvis per evidentiam in Deo atteſtante exiſtentiam Trinitatis in ſe ipſo, non fiat evidens quidditas præcelſi hujus Myſterii, tamen neceſſariò determinatur intellectus, ne diſſentiat exiſtentiæ Trinitatis in Deo. Antecedens patet, pluribus in exemplis, ſatiſque notum eſt, in Dei exiſtentia, quæ juxta communem receptamque Theologorum ſententiam cum Doct. Angelico, demonſtrativè probatur, & tamen Dei eſſentia, quid ſit intrinſecè, non oſtenditur evidenter, cum plures, & oppoſitæ circa id circumferantur Theologorum ſententiæ: conſequentia equidem mihi conſpicua apparet.

13 Tertiò: ideò eſſe opinabile evidenter, & evidenter credibile non inducit aſſenſus evidentiam, nec determinationem intellectus ad creden-

dendum, & opinandum, quia opinabile, & credibile non ſignificat niſi aptitudinem ad terminandum aſſenſum opinativum, & fidei, quia non conſtituit rem neceſſario veram; at verò eſſe teſtatum evidenter à prima ſummaque veritate, id eſt à Deo, qui nec fallere nec falli poteſt, conſtituit objectum neceſſariò verum, abſque indifferentia aliqua ad veritatem, & falſitatem, imò cum repugnātia, ut falſum ſit: & conſequenter, ſi hæc connexio cum veritate ſit evidens, pro ut in noſtra hypotheſi evenit, evidenter determinatur intellectus, ne diſſentiri queat revelationi; ergo non ſtat fides libera cum evidentia in atteſtante: hęc curſim libavi, quia pro tractatus noſtri inſtituto ſufficiunt, eo enim contendimus, ut fides quoad ſpecificationem libera immediatè innoteſcat; id quod perdoctus P. Mag. Navarro apertè fatetur, *diſp.* 3. *dub.* 1. *numer.* 11. & Doct. Ferreras *diſp.* 6. *num.* 109.

14 Mitto alios dicendi modos ad conciliandam hujuſmodi evidentiam cum fidei libertate, quos oppugnant frequenter Authores ſapientiſsimi, præcipuè Illuſtriſs. Palanco, *diſp.* 4. *de obſcuritate fidei, quæſt.* 5. *num.* 22. *& ſequentibus*. In ſcopumque noſtri tractatus reſpicientes pro elevanda ſuperiori objectione, in primis cernere eſt, minus rectè ab objiciente dici, difficile explicatu non eſſe, ut valeat cohærere fidei libertas cum evidentia in atteſtante, ſiquidem nec inter ipſos Authores, qui id cohærentiæ propugnant deeſt contrarietas, & diſsidium haud leve. Præterea omnes nituntur contrarietatis libertatem ſartam tectam ſervare, non ſolùm remotam, verùm etiam proximam, ut liquidum fit ex dictis, & maximè ex Doctoris Eximii doctrina ſupra exarata.

SECTIO CENTESIMA PRIMA.

Num ante omnem aſſenſum fidei divinę ſupponatur aſſenſus alius, quo myſterium credendum verum exiſtimetur? & incipit exponi ratio ob quam 21. *propoſitio juſtiſsimè ab Innocentiæ XI. dammata eſt.*

1 UT fidei noſtræ immediatam quoad ſpeciem libertatem oppugnet P. Camargo, *Regula honeſtat. moral. part.* 1. *lib.* 1. *contr.* 5. *artic.* 12. *numer.* 141. in hunc modum diſſerit: communis eſt Theologorum ſententia, omnem aſſenſum fidei divinæ neceſſariò ſupponere aſſenſum alium (ſeu naturalis ſit, ſeu ſupernaturalis, quod nihil facit ad rem præſentem) quo myſterium credendum intellectus verum exiſtimet. Et ratio eſt facilis, ac manifeſta; quia pro priori ad omnem aſſenſum fidei infuſæ, ac ſupernaturalis requiritur indiſpenſabiliter, ut intellectus actu cognoſcat, & quidem certò, ac ſine formidine exiſtentiam divinæ revelationis. Porrò hæc propoſitio: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus*, eſt 21. ab Innocentio XI. damnata *anno* 1679. Id quod per ſe ultrò patet, ut nulla ſit probatione opus; quomodo namque poſſum certò, ac ſine formidine credere Deo loquenti, ſi neſciam, aut ſi dubitem, utrum Deus locutus ſit? Hac verò certa cognitione ſuppoſita, adjuncto alio evidenti principio, quod nullus intellectus ignorat, quidquid loquitur Deus verum eſt, intellectus omninò manet determinatus etiam quoad exercitium, ex communi ſententia Philoſophorum, vel ſaltem quoad ſpeciem (quod

nobis ſufficit) ad judicandum myſterium eſſe verum, & conſequenter proximè ac immediatè omninò impotens ad diſſentiendum.

2 Videri de hoc poteſt inter alios P. Oviedo, *controv. 5. de fide, punc. 4. numer. 58.* qui traditam doctrinam jure meritò ſtatuit, tanquam certam, atque communem: ex qua per illationem legitimam deducit, aſſenſum fidei ſupernaturalis nunquam poſſe eſſe liberum quoad ſpeciem, proximè ſcilicet, ac immediatè, ſed indirectè, & mediatè tantùm, niſi fortaſſe in aliquo raro eventu intellectus dicatur, poſſe ſuſpendere memoratum aſſenſum prævium, vel aliquam ex præmiſsis ejuſdem; qui eventus utrùm ſit abſolutè poſsibilis meritò ſubdubitat ipſe. Certè diſcurſus proximè factus abſolutam eventus repugnantiam videtur manifeſtè convincere. Hactenus prælaudatus Author, qui quaſi claſsicum canens ſubjungit. Vide ergo quam validum argumentum deſumant contra nos Recentiores ex libertate fidei divinæ! Vide quam efficaciter nobis opponant authoritatem Doctoris Angelici, & Theologorum omnium certum, ac commune ſuffragium?

3 Verùm enim verò, multiplici ex capite fallax oſtenditur hoc ratiocinium. Primò, quia quòd omnis aſſenſus fidei divinæ neceſſariò ſupponat aſſenſum alium ſivè naturalem ſivè ſupernaturalem, quo myſterium credendum intellectus verum exiſtimet, nec eſt communis Theologorum ſententia, neque in re vera: probatur, quoniã licèt Subtilis Doctor Scotus *in 3. diſt. 23. quæſt. unica.* & Gabriel *ibidem, quæſ. 2. art. 1. prope finem,* & *artic. 2. concluſ. 1.* referantur pro ſententia aſſerente, fidem infuſam ſine prævia acquiſita, obtineri non poſſe: tamen id ſimpliciter non docent, ut animadvertit Eximius Doctor P. Suarez, *diſp. 3. de fide. ſect. 12. numer. 2.* imò juxta eundem P. Suarez potius indicant, actum fidei acquiſitæ, & infuſæ non eſſe diſtinctos, ſed unum ex duplici habitu acquiſito, & infuſo, habente tamen ab infuſo majorem intenſionem, & firmitatem: quod ita etiam intellexit, & ſecutus eſt Medina, *lib. 5. de recta in Deum fide. cap. 11.* ideò citari ſolet pro hac ſententia, quòd fides infuſa reſolvatur in acquiſitam ex parte illius principii, *Deus revelat*, ſeu *dicit*, re tamen vera illam non tenet, ut ex fine capitis conſtat. Tribuitur etiam ipſa hæc ſententia Durando *in 3. diſt. 24. quæſt. 1. numer. 8.* quia dicit, ultimum principium, in quod fides reſolvitur, eſſe teſtimonium Eccleſiæ, quod etiam dicit Medina; tamen Durandus non declarat, qua fide credatur hoc Eccleſiæ teſtimonium; addit tamen *diſt. 25. quæſt. 3. numer. 4.* aſſenſum, qui pendet ex approbatione Eccleſiæ eſſe acquiſitum, in quo favet huic ſententiæ, cui etiam adhærere videntur Pater Vazq. *1. part. quæſt. 1. art. 1. dubita. 1. liberali.* & *diſp. 5. cap. 3.* & *1. 2. diſp. 201. cap. 2.* Luiſius Turrian. *in 2. 2. diſp. 4. dub. 3.* qui tamen Authores non eſſe in eo ſenſu eloquutos, poſtea conſtabit.

4 Igitur communis ſententia edocet, de veritatibus revelatis, & fide divina credendis, licet præcedere poſsit aſſenſus naturalis ſeu fides acquiſita, id tamen non eſſe per ſe neceſſarium, neque ut cauſam per ſe, neque ut conditionem, ſed ſufficere judicium de evidenti credibilitate objecti; quia ſtatim ac homo judicat eſſe credibile, quod ſufficienter proponitur, poteſt, ſi velit, cum auxilio divino, quod præſtò eſt, immediatè fide infuſa aſſẽtiri revelatis: ſic docent Mag. Cano, *lib. 2. de locis, cap. 18. ad 3.* & *4.* & *lib. 12. cap. 3.* Vega *in Trident. lib. 6. cap. 13.* Magiſter Lorca, *de fide diſp. 4. numer. 4.* Eximius Doct. P. Suarez, *diſp. 3. de fide. ſect. 12. ferè per totam*, ſed præcipuè *numer. 13.* ubi in fine inquit, quod neque

que probabilis ratio alterius ordinis necessarii afferri potest; quia nec ex parte objecti, nec ex parte voluntatis talis necessitas invenitur. Concinunt P. Granad. *controv. 1. de fide, tract. 1. disp. 5. sect. 3. num. 16. & seqq.* dicens oppositam sententiam esse omninò falsam. P. Tannerus *tom. 3. disput. 1. de fide. quæst. 5. dub. 5. num. 180.* ubi ait, Authores, qui pro oppositâ citantur sententia, exponi posse de judicio credibilitatis, quod veluti applicatio requiritur ad fidem infusam. Meratius *disp. 16. sect. 1.* Cardin. de Lugo *tract. de fide. disp. 1. sect. 9.* & præcipuè *num. 192.* P. Fuente Hurtado *disp. 45. de fide. sect. 4. §. 29.* ubi docet, quod licet aliquis assensus naturalis exercendus sit circa objectum supernaturale, simul cum supernaturali assensu, tamen addit, quòd illi duo assensus fidei non habent inter se prioritatem aliquam, sed sunt simul tempore, & natura: unde per affectum circa assensum naturalem non est determinatus intellectus ad catholicum assensum: licet enim determinetur ad credendum utcumque, non tamen determinatur per affectum naturalem ad credendum, ut oportet ad salutem. Ita Hurtado.

5 Eandem necessitatem prævii assensus naturalis ad fidem Catholicam reicit P. Ripalda *de fide. disp. 3. sect. 3. num. 28. & disp. 6. sect. 1. per totam*, imò idem Ripalda *disp. 15. de fide. sect. 1. num. 4. & disp. 62. de ente supernat. sect. 1. num. 7. & seqq.* docet solam apprehensionem supernaturalem suasivam assensus absque judicio sufficere ad affectum supernaturalem credendi fide divina: id quod propugnat Illustriss. Palanc. *disp. 5. de fide. quæst. 10.* sed oppugnatur à Doctore Eusebio de los Rios *tract. de libert. ad fidem. disp. 1. dub. 2.*

6 Et quidem nullo assensu naturali prævio, & directo de veritate objecti, seù mysterii revelati, & credendi fide divina opus esse, ad assensum fidei divinæ eliciendum, mihi evidens est, quòniam præcisè suppositâ evidenti credibilitate mysteriorum fidei, voluntas ex gratia Dei, quæ præstò est, potest immediatè imperare assensum fidei salutarem; cum nihil deficiat ad id præstandum, nec ex parte objecti evidenter credibilis, nec ex parte potentiæ tàm intellectus, quàm voluntatis, quę sufficientibus comprincipiis naturalibus, & supernaturalibus sunt instructæ in hac rerum providentia, & statu elevationis: igitur nullo naturali prę̣vio assensu directo ejusdem objecti opus est; secundò, quia evidentia credibilitatis fidei motiva non ostendunt evidenter objecti credibilis directam veritatem.

7 Tertiò, quia fides infusa nequit supponere fidem acquisitam tanquam principium per se, à quo pendeat, ut communis Theologorum, & recepta fert sententia apud Exim. Doctorem *disp. 3. sect. 12 ferè per totam*, pręsertim *num. 13.* & ostenditur, quia aliàs non posset esse firmior infusa fides, quàm acquisita, nec certitudo ejus in divinam authoritatem ultimatè resolveretur. Quartò, quia ut potest elici assensus naturalis existentiæ divinæ revelationis, & veritatum revelatarum propter motiva extrinseca, & humana, ita etiam inadæquatæ simul propter ipsam revelationem jam manifestam sufficienter: at talis assensus esset supernaturalis, & fidei, ut docet P. Ripald. *de fide. disp. 3. sect. 3. & 4.* ergò opus non est, prævia fide acquisita, seù naturali. Quintò, quia post illum assensum naturalem potest elici fides supernaturalis; ergò etiam ante illum; patet consequentia: quia fides supernaturalis nequit fidei naturali inniti: nec ab illa potest per se pendere.

8 Sextò, ut discipulus eliciat assensum opinionis propter motiva probabilia proposita à Magistro, non

non eſt neceſſarium ut prius aſſentiatur veritati probabili, per aſſenſum fidei humanæ propter authoritatem magiſtri: ergò ſimiliter non erit neceſſarium, ut prius intellectus aſſentiatur revelationis exiſtentiæ propter motiva extrinſeca proponentia revelationem.

9 Septimò: cum proponuntur duo motiva probabilia valentia inducere unicum aſſenſum, non opus eſt elicere duos aſſenſus propter quodlibet motivum, etſi ſeorſim ſit ad aſſentiendum ſufficiens: ergò propoſita revelatione, & motivis externis valentibus inducere unicum aſſenſum fidei, non erit opus prius elicere aſſenſum ejuſdem revelationis propter motiva externa ſeorſim.

10 Explicatur: eo ipſo quòd motiva manifeſtantia revelationem proponant illam exiſtentem, poteſt intellectus immediatè elicere aſſenſum, quo judicet revelationem eſſe credibilem, ejuſque aſſenſum per fidem honeſtiſimè poſsibilem. Deinde eo aſſenſu poteſt voluntas immediatè imperare aſſenſum fidei, illumque poteſt intellectus cum gratia Dei elicere: nullus igitur datur locus aſſerendi neceſſarium aſſenſum fidei humanæ de exiſtentia talis revelationis: neque quidquam ab Adverſariis opponitur, quod ſola explicatione præcedenti facillimè non ſolvatur.

11 Unde licet ex humana authoritate, quæ ad credendum per fidem infuſam communi, & ordinario modo, neceſſaria eſt, juxta illud Pauli *ad Rom.* 10. *Quomodò credent ſine prædicante*: ubi ſine dubio loquitur non de fide acquiſita, ſed de infuſa de qua dixerat, *corde creditur ad juſtitiam*: licèt, inquam, ex ea humana authoritate admitti poſsit, generari quandam fidem humanam præviam ad fidem infuſam, non tanquam fundamentum, vel rationem formalem ejus, ſed tanquam conditionem, & applicationem objecti: tamen quia in objecto oportet diſtinguere veritatem, & credibilitatem, utique aſſenſus, quo judicatur, objectum eſſe credibile, antecedere debet fidem infuſam, & illum, (ait P. Suar.) vocamus fidem humanam, ut diſtinguamus illum à fide infuſa: & quia magna ex parte authoritate humana nititur, quamvis non ſola ſed etiam aliis ſignis, & conjecturis, quæ faciunt etiam evidentiam credibilitatis; & ideò aliqui illam, non tantum fidem humanam, ſed etiam ſcientiam quandam acquiſitam appellant: at verò de veritatibus revelatis licèt, ut diximus, præcedere poſsit fides acquiſita, quia hoc pendet ex voluntate credentis, tamen id neceſſarium non eſt, nec oſtenditur tale; imò judicium illud de evidenti credibilitate eſt ſaltem quoad modum ſupernaturale, ut mox patebit.

12 De illo ergò judicio credibilitatis objecti, ſeù myſteriorum, & veritatum revelatarum optimè exponi poſſunt Authores ſupracitati, vel alii qui fidē aliquā acquiſitā dicunt præcedere debere ad infuſam; quia illud judicium eſſe neceſſarium communitèr ſtatuitur à Theologis, cum D. Thoma. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 9. *ad* 3. & Exim. Doct. *diſp.* 4. *de fide. ſect.* 2. & *diſp.* 6. *ſect.* 8. Tum quia hoc judicium, licèt non affirmet directè veritatem rerum revelatarum, reflexè tamen eam attingit, prout affirmat illas eſſe omninò prudenter credibiles, & debere credi tum abſolutè, tum facta comparatione cum ſectis, & erroribus contrariis. Tum denique, quia de hoc aſſenſu ſeù judicio intercedit dubitatio illa, quam objiciens in ſuo innuit argumento, an ſcilicet ſit ſupernaturale, an verò naturale?

13 Quòniam ut cernere eſt ſignanter apud Cardinalem de Lugo *diſp.* 11. *de fide. ſect.* 1. aliqui dicunt, illud judicium eſſe naturale, imò incertum, & fidei humanæ, & opinionis: at ſupra vidimus, ad aſſenſum fidei opus eſſe præ-

prælucere evidentiam credibilitatis objecti credendi; & consequenter non sufficit judicium incertum de evidenti credibilitate rerum fidei. Alii existimant esse supernaturale, & elicitum ab habitu fidei infuso, cujus sententiæ sunt Cajetanus 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. §. *& ad secundum dicitur.* Bañez, ibi *dubio* 3. §. *propter hæc.* Aragon, *ibidem* §. *His tamen.* favetque D. Thomas *dic. art.* 4. *ad* 3.

16 Alii asserunt, hoc judicium non esse ab habitu fidei. Capreolus *in* 3. *disput.* 32. *art.* 2. *ad* 3. *contr. prim. concluſ.* Vega, *quæst.* 9. *de justific. ad ultim.* Gabriel, *dist.* 24. *dub.* 1. P. Valentia. *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punc.* 4. *propè finem.* Exim. Doct. *disp.* 4. *de fide, sect.* 6. Turrianus *in* 2. 2. *disp.* 7. *dubio* 4. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 2. *num.* 13. Granad. *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 2. Puente Hurtad. *disp.* 23. Lorca, *disp.* 16. *numer.* 23. Cardin. de Lugo. *disp.* 5. *sect.* 3. *& alii.*

17 Cæterum inter hos Authores qui negant illud judicium esse ab habitu infuso fidei, alii dicunt esse judicium supernaturale quoad substantiam nempè P. Granada. *tract.* 9. *disp.* 4. *num.* 4. Puente Hurtado. *disp.* 63. Ripalda, *disp.* 49. *de ente supernat.* Cardinal. de Lugo, *disp.* 11. *de fide. sect.* 1. *numer.* 3. Alii verò dicunt esse judicium quoad substantiam naturale, nunquam tamen haberi nisi ex supernaturali providentia, & gratia Dei. Sic Gabriel, Almainus, Aragon, & alii, quos affert P. Ripalda, dic. *disp.* 49. *de ente supern. sect.* 5. *num.* 27.

18 Quæ sententia juxta explicationem traditam ab Eximio Doctore *disp.* 6. *sect.* 8. *numer.* 12. 13. & 14. est valde probabilis, inquit enim primò, judicium credibilitatis, quod præcedit voluntatem credendi, naturale esse secundum substantiam suam, & elici posse naturali discursu, & lumine intellectus, cum generali concursu Dei, supposita sufficienti experientia, aut notitia, signorum, seu motivorum fundantium talem credibilitatem. Secundò hoc judicium solum non sufficere, ut voluntas velit supernaturaliter credere, sed necessariam esse illuminationem specialem Spiritus sancti, quæ ut est in intellectu, supernaturalis est, & in voluntatem etiam redundat; quam assertionem attigit idem P. Suarez. *lib.* 2. *de Gratia. cap.* 3. *à numer.* 16. & tradiderunt Vega *lib.* 6. *in Trid. cap.* 8. P. Molina *in concord. quæst.* 14. *disp.* 7. *in fin. &* 8. *in principio.* Sumiturque ex D. Thoma. 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 9. *ad* 3. dicente, eum, *qui credit habere sufficiens inductivum ad credendum, ex testimoniis, & miraculis, & quod plus est, ex instinctu Dei interius moventis.* Imò probari videtur aperte ex Trid. nam *sess.* 6. *cap.* 6. sic ait: *Disponuntur autem ad justitiam dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur ad credendum, &c.*

19 Ergò ex Concilii doctrina, ante liberam voluntatem, duo requiruntur, scilicet, auditus fidei, ad quem pertinet tota exterior propositio sufficiens fidei, & interna excitatio, quam idem Concilium statim declarat in illuminatione Dei consistere, à qua dixerat *cap.* 5. sumi exordium salutis: unde quod *can.* 3. definit, *Neminem posse credere, sicut oportet, sine Spiritus Sancti prævenienti illuminatione, & inspiratione,* planè intelligit, de ipso credere, ut est liberum, atque adeò, etiam de voluntate credendi. Et eodem modo intelligo decretum Concilii Arausic. *cap.* 5. *Quod affectus credendi sit ex gratia*: nam illa gratia explicatur esse divina illuminatio, & inspiratio. Unde *cap.* 7. expressè dicit, *hominem non posse assentiri prædicationi salutari, sine prævia Spiritus sancti illuminatione.* Eadem est frequens doctrina August. *lib.* 2. *contra duas epistol. Pelagianorum, cap.* 8. *& quæst.* 2. *ad Simplician. & lib. de Bono per-*

perſever. cap. 13. & 14. & *Epiſt.*107. Quibus locis ait,eſſe altam,& ſecretam interiorem doctrinam, quam Spiritus Sanctus docet, & illam ſentit eſſe neceſſariam præter externam doctrinam: *nam hæc externa movet ſenſum, illa interna accommodat aſſenſum* : & ſimilia habet Gregor. *homil.* 30. *in Evangelia*, & Proſper *ad objectionem* 5. *Gallorum.*

20 Tertiò inquit P. Suarez ſupernaturalem illuminationem, quæ in intellectu præcedit ad voluntatem credendi, non eſſe neceſſariam per ſe ad judicium credibilitatis, ſed propter ſupernaturalē actū voluntatis,id eſt,nō eſſe neceſſariam, ut illud judicium fiat, ſed ut illud adjuvet,ad excitandum, & obtinendum actum voluntatis.

21 Nec contra hanc Eximii Doctoris ſententiam efficacia ſunt argumenta à Cardin. de Lugo *diſp.* 11. *ſect.*1.ex eo deſumpta,quòd ad voluntatem ſupernaturalem credendi non ſufficit apprehenſio ſupernaturalis; hinc inquam deprompta argumenta ruunt,primò quia illuminatio ſupernaturalis, quæ à P. Suar. meritò dicitur neceſſaria ad excitandum actum ſupernaturalem voluntatis, non eſt ſola apprehenſio, ſed lux quædam, & gratia Spiritus Sancti, qua elevatur illud naturale judicium credibilitatis ad idem met objectum altiori, & ſupernaturali modo concipiendum, ſeù judicandum: nec P. Suar. dicit apprehenſionem eſſe illam ſupernaturalem illuminationem,ſed potius ad judicium illam refert; quia cum D. Thoma. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 9.*ad* 3. aſſerit,inductivum ad credendum, judicium videlicet credibilitatis, elici non ſolum ex teſtimoniis, & miraculis, ſed etiam quod plus eſt, ex inſtinctu Dei interius moventis; tum inſuper eandem Dei illuminationem,ex qua judicium credibilitatis efficacitatem habet, ſeù poteſtatem movendi voluntatem ad actum ſupernaturalem reducit ex mente D.Thom. 2. 2.*quæſt.* 8.*art.* 5.ad donum intellectus, quia facit concipere res fidei, ſicut oportet,ut voluntas ad illas ſupernaturaliter credendas intellectum movere poſsit. Porrò autem intellectus in naturali ordine,eſt quidam habitus naturalis in anima,quo cognoſcuntur principia naturaliter nota, non quidem præcisè apprehendendo; ſed judicando,ut patet *ex lib.* 6. *Ethic.cap.*6.Sic ergò ſupernaturale donum intellectus eſt lumen quoddam, quo homo penetrat quædam,quę lumen naturale cognoſcere non valet, ut inquit Doct.Angelic. *dict. quæſt.*8. *art.*1.*corp.*& conſequenter, quæ intellectus dono percipiuntur,non præcisè apprehenduntur, ſed judicantur: quod verò ea Dei illuminatio, qua concipiuntur credenda, ad intellectus donum pertineat juxta D. Thom. colligitur non ſolum ex *cit. art.*5.ſed etiam ex *ſexto in corp.* ajente: *Sic ergò circa ea, quæ fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte noſtra. Primò quidem ut intellectu penetrentur,vel capiantur: & hoc pertinet ad donum intellectus, &c.* & *in ſolut. ad ſecundum:dicendum*, inquit, *quod donum intellectus eſt circa prima principia cognitionis gratuitæ, aliter tamen quàm fides: nam ad fidem pertinet eis aſſentire: ad donum verò intellectus pertinet mente penetrare ea, quæ dicuntur.* Judicio nempè evidentis credibilitatis.

22 Dices: ergò duplex eſt concedendum de evidenti credibilitate judicium,aliud naturale quoad ſubſtantiam,aliud ſupernaturale, ex divina illuminatione,& aliis motivis elicitum: reſpondeo concedendo conſequentiam; quia judicium præcisè naturale non dirigit piam affectionem ſupernaturalem credendi, quam dirigit judicium practicum prudentiæ infuſæ dictans honeſtum, & obligatorium eſſe hic,& nunc velle credere: & id ſignificat non obſcurè Doct. Eximius *dict. diſp.*6.*ſect.*8.*num.* 14.*ad medium*,tradit-

que

que P. Platelius *part.* 3. *cap.* 1. §. 2. *ad fin.* Favetque P. Marin, *diſp.* 3. *de fide. ſect.* 7. *numer.* 69. Aliter dici poſſet; quòd licèt illa duo judicia poſsint eſſe diſtincta realiter, tamen poſſe idē fieri, uno eodemque judicio ex motivis naturalibus, & ex ſupernaturali illuſtratione elicito: quod tamen eſſet intrinſecè ſupernaturale. Hæc adnotare placuit, ut Doctoris Eximii ſecernerem doctrinā à ſententiam eorum, qui dicunt ad voluntatem credendi ſupernaturalem imperandam, ſufficere apprehenſionem ſupernaturalem, pro qua ſententia Eximium Doctorem referunt Cardinalis de Lugo, *de fide, diſp.* 11. *ſect.* 1. *numer.* 2. etſi aliqua cum formidine loquatur, P. Ripalda, *diſp.* 15. *de fide. ſect.* 2. *numer.* 22. P. Marin, *diſp.* 3. *ſect.* 7. *num.* 67. Cæterum, ut prælibavi, Doctor Eximius non dicit ſufficere apprehenſionem; ſed potius, opus eſſe judicio ſupernaturali, non obſcurè edocet.

23 De hoc ergò credibilitatis judicio, quod ad fidem præcedit, intelligendi veniunt Authores præſertim antiqui, imò & neoterici, qui fidem aliquam, ſeu aſſenſum priorem aſſenſu fidei ſupernaturali poſtulant, quia ut conſtitit hoc judicium vel eſt ſupernaturale, ut plures docent, vel naturale quoad ſubſtantiam, etſi ſit ſupernaturale quoadmodum, vel quia judicium ſpeculativum de credibilitate eſt naturale, practicum verò, & dirigens, vel dirigere potens ad credendum fide infuſa eſt ſupernaturale. Nec Scotus, qui præcipuè ſolet citari pro fide illa acquiſita, aliud docuit, quàm debere præcedere tale judicium de credibilitate, conſtat utique ex traditis à Maſtrio *in* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *numer.* 155. *quæſt.* 8. *numer.* 237. ubi ait, à motivis determinari intellectum, non ad aſſenſum circa veritatem propoſitam, ſed ad practicè judicandum illud, quod proponitur poſſe, ac evidenter debere credi, quo tamen facto, remanet indifferens ad eliciendum aſſenſum, ad quem requiritur prædicta voluntatis motio: ſicut quando proponuntur duæ opiniones contrariæ quarum ſingulæ plauſibilia habent argumenta, & magni nominis Authores, tunc enim intellectus propter hujuſmodi motiva cognoſcit evidenter utranque propoſitionem eſſe probabilem, & credibilem, & adhuc tamen ex eis determinatè judicare non poteſt, hanc eſſe veram, & illam falſam, ſed quaſi ſuſpenſus hæret, quia interim pro nulla illarum convincentem habet demonſtrationem. Hæc Maſtrius, cujus paritas de propoſitionibus utrinque probabilibus ſolum procedit, quoad earum evidentem credibilitatem, ſeu probabilitatem conjungibilem cum indifferentia ad aſſenſum vel diſſenſum: certum quippè eſt, errorem fidei contrarium, nullo modo eſſe probabilem, ſed apparenter, & ſophiſticè veriſimilem aut credibilem: at cernere eſt, hunc Authorem, Subtilis Doctoris diſcipulum, & Interpretem nullum aſſenſum directum circa res credendas adſtruere pro priori ad ipſum ſupernaturalem fidei Chriſtianæ aſſenſum.

24 Verùm enim verò conceſſo illo aſſenſu prævio naturali, ſeù fidei acquiſitæ, adhuc manere voluntatem immediatè, & proximè liberam ad imperandum diſſenſum hæreticum, vel fidem ſupernaturalem, docet P. Luiſius Turrianus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *dub.* 3. ubi poſtquam *dubio primo* dixiſſet, aliquem aſſenſum fidei acquiſitæ debere præcedere ad fidem ſupernaturalem, in præſenti *dubio tertio* ait: Nihilominus exiſtimo fidem humanam non habere connexionem cum fide divina, ita ut divina ſequatur infallibiliter. Quod ſigillatim oſtendendum eſt. Et primo quando ſolus præceſſit aſſenſus fidei humanæ de veracitate proponentis, quia & ſi quis judicet, aliquem hominem eſſe veracem, & dignum fide, ubi tamen

res

res ſunt ordinis ſupernaturalis, & valdè difficiles; poteſt audiens judicare, hominem proponentem deceptum eſſe, licèt non vellit fallere ex malitia; quod manifeſtè conſtat, tum ex ipſis terminis, tum ab experientia, quando Gentilis aliquis audiens concionatorem adhibet fidem aliquibus, quæ dicit, & non omnibus; deinde etiam poſtquam quis habuit hanc fidem humanam, non eſt certa lex, qua Deus decreverit habenti illam fidem daturum congruam vocationem ad aſſenſum fidei divinæ, licèt conferat auxilium ſufficiens, & vocationem ſufficientem, qua poſsit credere fide divina, licèt revera non ſit crediturus.

26 Deinde, poſtquam quis fide humana credit, vera eſſe, quæ proponuntur, exiſtimo (inquit Turrianus) non ſequi infallibiliter aſſenſum fidei infuſæ: & explicat primò in caſu, quo quis audiens concionatorem fidei, credit aliqua ut vera, non tamen omnia, tunc enim certum eſt, non habere fidem infuſam ſeu divinam alicujus myſteriis, ut dicitur de hæretico, ſecundum commune Theologorum placitum: Præterea etiam ſi Gentilis credat fide acquiſita omnia, quæ illi proponuntur, non eſt neceſſarium, ut infallibiliter ſequatur aſſenſus fidei infuſæ, aut divinæ; tum quia non conſtat de tali connexione ex natura rei inter hos aſſenſus, nec item conſtat de lege Dei, qua ſtatuerit Deus habenti hanc fidem acquiſitam daturum vocationem congruam ad fidem infuſam, & ſupernaturalem.

27 Id quod amplecti debent omnes qui putant, nos non cognoſcere evidenter noſtram fidem infuſam quantum ad actum, ſic autem docent multi graveſque Theologi, Subtilis Doct. *in* 3. *ſent. diſt.* 23. *quæſt.* 1. §. *ad quid.* Durandus. *in* 1. *ſent. diſt.* 17. *quæſ.* 4. Richard. *in* 3. *ſent. diſt.* 23. *in expoſitione textus.* Vega *lib.* 9. *de juſtificatione. cap.* 17. Ayala, *lib.* 9. *de tradition. p.* 2. *cap.* 1. Sotus *lib.* 3. *de Natura, & Gratia. cap.* 3. *ad* 10. *& Apologia contra catharinum, cap.* 5. Roſenſis, *art.* 14. & P. Vazquez, *in* 1. 2. *diſp.* 101. *capit.* 2. *numer.* 8. *verſ. Tertiò quilibet.* Porrò autem ſi duo illi aſſenſus fidei acquiſitæ, & ſupernaturalis haberent connexionem infallibilem vel ex natura rei, vel ex lege Dei, equidem ex cognitione unius evidenti, puta ex cognitione acquiſitæ fidei poſſet aliquis habere certam cognitionē alterius, nēpe fidei ſupernaturalis, & infuſæ: tum denique, quia fides ſupernaturalis pēdet ex libera voluntatis determinatione etiam ſuppoſita fide acquiſita: Hæc ferè docet Turrianus luculenter oſtendens ex præcedentia fidei acquiſitæ, nullatenus everti immediatam libertatem fidei ſupernaturalis, & divinæ: & conſequenter ex hoc capite non obtinet quidquam adverſus noſtram ſententiam ſupra adducta objectio ex P. Camargo, eademque ex dicendis magis infracta manebit.

SECTIO CENTESIMA SECUNDA.

Ponderationem ex 21. *propoſitione ab Innocentio XI. damnata perperam contra noſtram ſententiam adduci, oſtendit.*

1 EX præcedenti conſtitit ſectione, fidei immediatam libertatem nullatenus ex prælucente aliquo aſſenſu impediri, id quod fulcire ulterius pergo, oſtendendo, ponderationem ex prælibatæ propoſitionis damnatione confectam nullius eſſe roboris: Igitur objiciens ex hoc capite in hunc modum arguit: pro priori ad omnem aſſenſum fidei infuſæ, ac ſupernaturalis requiritur indiſpenſabiliter, ut intellectus actu cognoſcat, & quidem certò, ac ſine formidine exiſtentiam divinæ revelationis: id quod pa-

patet ex eo, quòd propositio ista, *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit loquutus Deus*, est vigesima prima ab Innocentio Undecimo proscripta, *anno* 1679. Hac verò certa cognitione suppositâ, adjuncto alio evadenti principio, quidquid loquitur Deus verum est, intellectus omnino manet determinatus etiam quoad exercitium ex communi sententia Philosophorum, vel saltem quoad speciem, ad judicandum mysterium esse verum, & consequenter proximè, & immediatè omninò impotens ad dissentiendum. Sic ille.

2 Verùmenimverò, cum hujuscemodi dissentiendi fidei impotentia, juxta objectionem, descendat ex illa prima certa cognitione existentiæ divinæ locutionis, quæ cognitio juxta eundem objicientem haberi debet pro priori ad omnem assensum fidei infusę, & aliunde principium illud, *quidquid Deus loquitur verum est*, naturali lumine evidens sit, conficitur sanè, nullo modo esse liberam supernaturalem, & infusam fidem, nullo inquam modo; quia etiam quoad exercitum significat ipse arguens, esse necessarium assensum erga mysterium revelatum: igitur tot Sacrę Paginæ eloquia, Sacrorum Conciliorum decreta, Summorum Pontificũ Canones, & Patrum, veneranda asserta quibus nostrę supernaturalis fidei libertas stabilitur, uno hoc brevi arguentis ratiocinio evertuntur? Minimè gentium.

3 Cujus ea est luculentissima ratio; nam vel loquimur de revelationis divinæ notitia, necessariò præeunte supernaturalem fidem, vel de notitia, quæ ipsam fidem comitatur, seu de ea, quæ identificatur cum ipsa supernaturali fide: si de prima notitia sit sermo, nullatenus componi potest cum formidine, qua quis formidet, ne non loquutus sit Deus; patet; quoniam ut ex sæpè dictis liquet, ad fidem salutarem prærequiritur cognitio, aut judicium de evidenti credibilitate rerum credendarum: quod judicium, seù cognitio apprehensiva evidens, nullam admittit formidinem de credibilitate honesta, nec de obligatione adhærendi catholicæ fidei, & Ecclesiæ: igitur loquendo de notitia fidei, quæ debet præ-lucere assensui fidei supernaturalis, & utilis ad salutem in nostra, & communi sententia, non stat cum notitia solum probabili revelationis, nec cum formidine, qua quis formidet, ne non loquutus sit Deus: cum ex dictis opus sit, quod divina revelatio, & res ex fide credendę proponantur cum ea evidenti credibilitate, quæ cujuscumque oppositi erroris credibilitatem constituat imprudentem.

4 Si autem loquamur de notitia habenda cum formali assensu fidei salutari, & supernaturali: palàm est, cum formidine circa existentiam divinæ locutionis, seu revelationis stare non posse: primò, quoniam hæc propositio, *Deus dixit, seu revelavit mysteria fidei*, est de fide non minus, quàm speciales articuli fidei: quòd adeò certum est, ut pereruditus, & Eximius Doct. P. Suarez, *disp.* 3. *de fide, sect.* 12. *numer.* 8. asserat, nullum se inveniisse Theologum, qui de ea fidei certitudine circa præfatum articulum dubitaverit: & meritò, nam hæc veritas sæpissimè, & variis modis est in Sacra Scriptura revelata, ut quoties Scriptura dicit, *factum est verbum Domini ad Prophetas*, vel ubi Prophetæ dicunt: *Hæc dicit Dominus*. Et eandem vim habet, quod D. Petrus *epist.* 2. *cap.* 1. dixit: *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*. Et D. Paulus, *epistol.* 1. *ad Thessalonic. capit.* 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei*, (id est

prædicationem noſtram de Deo) *accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed ſicuti eſt, verè verbum Dei.* Unde idem probat, quod in ſymbolo de Spiritu Sancto dicitur: *Qui loqutus eſt per Prophetas.* Imò Chriſtus Dominus ipſe dicebat Joann. cap. 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſsit me*, & infinita pœnè ſunt ſimilia: ex quibus manifeſtè conſtat, non minus eſſe revelatam, & propoſitam ad credendum illam generalem veritatem, *Deus dixit, ſeu revelavit myſteria fidei*, quàm ſingula particularia myſteria: ergò eſt æquè certa, & eadem fide credenda, id eſt certiſsimè, & abſque omni formidine.

5 Secundò probatur: quia de ſingulis fidei regulis ſenſibilibus, de fide eſt, continere infallibilem veritatem, ut de Scriptura Sacra, quòd nullum ſit in ea mendacium, juxta verbum Chriſti Domini *Joan.* 10. *Non poteſt ſolvi Scriptura.* Et de Eccleſiæ definitionibus, quia, ut D. Paulus 1. *ad Thimot. cap.* 3. inquit, *eſt columna, & firmamentum veritatis*: ergo eſt de fide, in his regulis contineri verbum Dei, ſeu quod idem eſt, Deum loqui per illas; & ita de fide credimus, Eccleſiam regi ab Spiritu Sancto: ergò etiam eſt de fide, Deum dicere omnia, quæ credimus: nam omnia ſunt in Scriptura contenta, vel aliis fidei regulis ab Eccleſia propoſitis definita, aut propoſita.

6 Tertiò, qui negaret, aliquid ex his, quæ credenda ſunt per fidem, eſſe dictum, & revelatum à Deo, eſſet planè hereticus, neque minus erraret, qui de hoc deliberatè dubitaret: nam conſequenter dubitare poſſet de veritate rei dictæ, ſeu revelatæ, præcipuè in his, quæ aliundè naturali ratione demonſtrari non poſſunt, imò de his etiam, ſi videlicet demonſtratione non aſſequatur: ergò contraria veritas, ſcilicet Deum revelaſſe hæc myſteria, certitudine fidei tenenda eſt.

7 Quartò fidei aſſenſus eſt abſolutè, & ſimpliciter certus, ut edocent S. Thomas 2. 2. *quæſtione* 4. *artic.* 8. *corp.* D. Bonav. & cæterorum communiſsima ſententia apud Exim. Doct. *diſp.* 6. *de fide, ſect.* 5. *numer.* 6. Cardinal. de Lugo, *diſput.* 6. *ſect.* 2. Bañez, *in* 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 8. *quæſt.* 3. P. Ripalda, de *fide. diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 33. Platel. *part.* 3. *cap.* 1. §. 2. *numer.* 170. *& ſeqq.* & contra Abailardum probatur ex Patribus præſertim à D. Bernardo *epiſt.* 190. Imò aſſenſus fidei eſt abſolutè, & ſimpliciter certior omni aſſenſu naturali, eſt communis Theologorum doctrina cum Angelico Doctore, & Seraphico, repugnante ſolum Durando, voce tenus, non re ipſa, ut adnotat Pater Ripalda loco proximè citato. Et probatur ex illo Apoſtoli, 2. *ad Timoth.* 1. *ſcio cui credidi, & certus ſum.* Tum ex illo Tobiæ, *capit.* 3. *Pro certo habet omnis qui te colit.* Et *Actor.* 2. *certiſsimè ſciat domus Iſraël, quia, & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.*

8 Unde Patres eodem eloquuntur ſenſu: Divus Baſilius de confeſ. fidei. *Fides* (inquit) *eſt aſſenſus non hæſitans, de his, quæ audita ſunt, certitudine ſummæ veritatis.* Et *epiſt.* 43. *Potior eſt rerum comprehenſione ipſa fides.* D. Joan. Chryſoſt. *homil.* 21. *in epiſt. ad Hebræos. Neque fides dici poteſt, niſi cum circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quę videntur certitudinem quis habuerit.* D. Auguſt. 7. *confeſſ. cap.* 10. *Audivi ſicut auditur in corde, non erat unde dubitarem, faciliuſque dubitarem me vivere, quàm non eſſe veritatem, quæ per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Quæ debent intelligi de cognitione Dei per fidem, & non per ſolam demonſtrationem ex creaturis, quam conſtat minus notam eſſe experientia, qua Auguſtinus ſentiebat ſe vi-

vivere. Quod etiam patet ex primis verbis iſtius ſententiæ, *audivi, &c.*

9 Hujuſce autem certitudinis ratio ex eo deſumenda venit, quòd certitudo alia eſt ex parte objecti: alia ex parte ſubjecti: prior non eſt explicanda per evidentiam, ut voluit Durandus *in* 3. *diſtinctione* 23. *quæſtione ſeptima, numero ſeptimo, & ſequentibus*, ſed per infallibilitatem exponenda eſt: patet quoniam plura ſunt certò vera quæ tamen nobis evidenter non innoteſcunt: Et quidem Matheſeos peritus, plura certò aſſequitur, quæ tamen aliis in Matheſi non verſatis in evidentia, & obſcura ſunt: tum quia infallibile quod eſt, certum eſt, & tamen ab evidentia infallibile præſcindit. Præterea ſi objectum, ſeu ratio aſſentiendi talis ſit, ut ei non poſsit ſub eſſe falſum, nata eſt cauſare certitudinem ſimpliciter talem, & perfectam, ſivè objectum illud evidenter cognoſcatur, ſivè non quia excludit omne periculum falſitatis.

10 Certitudo verò ex parte ſubjecti rectè dicitur adhæſionis; quia conſiſtit in modo aſſentiendi ſine hæſitatione; & quoniam interdum eſt conſentanea meritis objecti, tunc prudenter, ac ſecundùm rectam rationem illi tribuitur: taliſque certitudo licèt ſit adhæſionis, perfecta eſt. Aliquando verò hic modus aſſentiendi abſque hæſitatione excedit merita objecti, & proinde imprudenter concipitur, ac impenditur, & ad pertinaciam accedere poteſt: fidei autem aſſenſus certus eſt certitudine adhæſionis, & ſubjectiva prudenti, & objecto conſentanea, tum certitudine objectiva ſeu infallibilitatis ex vi ſui objecti formalis, quod eſt divina revelatio, & authoritas, ſe habẽtibus ut prærequiſitis credibilitatis motivis, & Eccleſiæ authoritate, ut communis ſententia fert cum Eximio Doctore, *diſp.* 3. *ſectio.* 3. Tannero *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *dub.* 5. Conink, Arriaga, Oviedo, Vega, Gonet, *diſput.* 1. *articul.* 2. §. Mag. Ferre *tract.* 1. *quæſt.* 1. Salmanticen. Patr. Carmel. *diſput.* 5. *numer.* 172. Illuſtriſ. Palanco, *diſput.* 1. *quæſt.* 3. ajentibus non nullis, quòd motiva credibilitatis ſunt adæquatum motivum aſſenſus revelationis divinæ, cujus ſententiæ videntur eſſe Subtil. Doct. Scotus, *diſtinction.* 23. *quæſtion. unic.* Pontius, *diſput.* 28. *quæſt.* 2. P. Sparza, *lib.* 6. *quæſt.* 21. At P. Ripalda, *diſp.* 4. *ſect.* 3. exiſtimat motivum adæquatum aſſenſus revelationis reſultare ex revelatione, & argumentis credibilitatis. Cardinalis de Lugo ait, aſſenſum fidei inniti propoſitioni factæ ab Eccleſia, ſeu Parocho, aut Magiſtro tanquam revelationi mediatę ipſius Dei: nec multum ab hoc placito diſsidet P. Antonius Perez, *tom.* 2. *tract.* 4. *diſputat.* 2. Hos tamen opinandi modos meritò refellit P. Marin, *tom.* 1. *de fide. diſput.* 2. *ſect.* 4. *& præcedenti ſect.* 3. communem Doctoris Eximii ſententiam doctè, & ingeniosè ſtabiliens.

11 Ex ſumma igitur veracitate, authoritate, ac perfectione Dei loquentis, tum ex libera, ac pia voluntatis determinatione, & pia affectione, ex præcognitis evidentis credibilitatis motivis prudentiſsimè cum Dei adjutorio elicita, derivatur in fidei ſalutaris actum certitudo, ac firmitas aſſenſus illius excludens omnem formidinem. Et quamvis plures, graveſque Doctores exiſtiment, fidem ſtare poſſe cum opinione circa idem objectum; tamen iidem Authores aſſerunt, ut omninò certum, & meritò, quòd actus fidei ſtare nequit cum actuali formidine de oppoſito; id enim pugnat cum ejus certitudine; quapropter dicunt non eſſe de eſſentia opinionis actualem formidinem, ſed præcisè radicalem, & permiſsivam; ideòque vel ex aſſenſu ſcientifico, vel fi-

fidei impediri quamvis trepidationem circa idem objectum. Videſis inter plures P. Didacum de la Fuente Hurtado *in Theologia reformata, diſſert.* 11. *cap.* 3. & 4.

12 Liquidum ergò fit, quòd aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, non ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, nec cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit loquutus Deus: id quod à Summo Pontifice Innocentio XI. definitum eſt: & conſtat ex dictis, quoniam fidei aſſenſus habet certitudinem infallibilitatis, & adhæſionis, quam certitudinem nequit probabilitas ſola cauſare, aut conſtituere: nec cum formidine ullatenùs illa certitudo ſtare poteſt. Cæterùm P. Camargo, qui ſuprà arguebat, non rectè ſupponit, quòd id directæ certitudinis exiſtentiæ revelationis ad fidem requiſitæ præcedit, ſeu debeat reperiri ante omnem aſſenſum fidei infuſæ; hoc enim Summus Pontifex non decernit, nec verbo tenus ſignificat; ſolùm quippè damnatur ab Innocentio XI. ea propoſitio *vigeſima prima*, quatenus in illa aſſerebatur, quod fides ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem *ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imò cum formidine de ejuſdem revelationis, ſeu de loquutionis divinæ exiſtentia:* non ergò rectè adducitur damnatio prælibatæ propoſitionis ad ſtabiliendum, quòd pro priori ad omnem aſſenſum fidei infuſæ, ac ſupernaturalis requiritur indiſpenſabiliter, ut intellectus certò, & ſine formidine aſſentiatur divinæ revelationi. Tum quia revelationis exiſtentia debet fide divina credi, ut prælibavi *hac ſect. numer.* 4. ante hunc verò fidei aſſenſum fruſtra requiritur alius præcedens aſſenſus præſertim ſupernaturalis, & fidei, nec etiam naturalis, & directus de exiſtentia revelationis ejuſdem, ut præcedenti *ſect.* dictum eſt: ergò falſum eſt, quòd ad omnem aſſenſum fidei infuſæ, ac ſupernaturalis, pro priori ad eundem aſſenſum, indiſpenſabiliter requiratur, quòd intellectus actu aliquo ſuo, & quidem certo, & ſine formidine aſſentiatur exiſtentiæ divinæ revelationis. Et quod conſequenter ex hoc capite non eliditur immediata fidei chriſtianæ libertas quoad ſpeciem actus.

13 Sed neque ex ſecundâ aſſumptione objectionis id libertatis infringitur, ſcilicet ex principio illo, *quidquid Deus loquitur verum eſt*, ut ex ſequenti ſectione inclareſcet.

SECTIO CENTESIMA TERTIA.

Summa, atque evidens Dei veracitas non officit immediatæ fidei libertati.

1 PRobatur primo: Naturalis evidentia illius principii: *Deus eſt prima veritas, quæ fallere non poteſt*, neque eſt neceſſaria, neque etiam ſufficit ad credendum per fidem infuſam, ea quæ Deus revelat; & conſequenter fides non poteſt fundari in prima veritate, ut evidenter cognita, ſed ut credita per eandem fidem: ſola ergo evidens cognitio, quòd Deus ſit prima veritas, non ſufficit pro fundamento, & objecto formali fidei, ſed neceſſaria eſt fides infuſa ejuſdem veritatis. Hæc doctrina ſumitur ex Angelico Doctore D. Thoma, 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 4. quatenùs abſolutè dicit, ad certitudinem fidei neceſſarium fuiſſe, nobis revelari de Deo, etiam quæ naturaliter cognoſci poſſunt, *in corpore* igitur *citati art.* in fine S. Doctor, ſic ait: *Ut ergo eſſet indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quòd Divina eis per modum fidei traderentur, quaſi à Deo dicta; qui*

men-

mentiri non poteſt. Et quidem cum Angelicus Magiſter in hoc loco differat circa ſapientes, qui demonſtrationes aſſequuntur circa aliqua divina, palàm fit, in eiſdé ſapientibus illũ exiſtimaſſe, opus eſſe altiori certitudine, qualis eſt fidei, ad eadem divina cognoſcenda, ut oportet ad rationem fundamenti, & objecti formalis fidei: concinit quod ab eodem Divo Thoma dicitur *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 1. & 3. videlicet principia, quæ naturalitèr cognoſci poſſunt, & ad alia credibilia ſupponuntur, etiam per fidem poſſe cognoſci.

2 Subtilis Doctor etiam *in* 3. *diſtinct.* 23. *artic.* 2. dicit, eàdem fide credi Deum eſſe veracem, qua creduntur ea, quæ ipſe affirmat. Idem habet Capreolus *in* 3. *diſt.* 24. *art.* 3. *circa finem*, expreſsius, & latius Marſilius *in* 3. *quæſt.* 14. *art.* 1. *in* 3. *parte illius, dub.* 1. ubi ait primum actum fidei, in quo alii fundantur, eſſe illum, quo credimus, *Deum eſſe*: ſecundum, quo credimus *eſſe veracem*: tertium, quo credimus, quidquid ab eo dicitur eſſe infallibiliter verum. Sed quidquid ſit dé ordine iſtorum actuum, ex illo tantùm ſumimus, hæc omnia eſſe fide credenda, atque adeo fidem per ſe non fundari in cognitione (ut ita dicam) extranea, & præſertim inferiori, & minus perfecta, ſed per ſe, & in ſe habere ſufficiens fundamentum, & objectum formale revelatum. Conſimiliter, & ferè ad literam Doctor Exim. *diſput.* 3. *de fide. ſect.* 6. *numer.* 4. & *ſequentibus*. P. Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. §. 5. *diffic.* 8. P. Conink *diſp.* 9. *numer.* 71. P. Tannerus, *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *dub.* 4. *numer.* 102. & apud illum Capreolus, Cajetanus, & Canus. P. Oviedo, *tract. de fide, contr.* 2. *punct.* 7. *n.* 110. & *ſequentibus*, ubi ait quod videtur eſſe de mente D. Thomæ.

3 Hujuſce ergo doctrinę potiſsima ratio, & fundamentum eſt, quia fieri non poteſt ut aſſenſus altioris ordinis per ſe fundetur in aſſenſu inferioris ordinis; nec major certitudo per ſe poteſt fundari in minori: ſed aſſenſus fidei eſt altioris ordinis, & magis certus, quàm aſſenſus naturalis, & evidens: ergo fieri non poteſt ut aſſenſus fidei ex parte ſui objecti formalis fundetur in aſſenſu tantum naturali, & evidenti. Major videtur per ſe nota ex terminis, inquit Exim. Suar. & deducitur ex illo Ariſtotelis, *Propter quod unũquodque tale, & illud magis*: tota enim perfectio effectus eſt ex cauſa, & firmitas ædificii ex fundamento: ergò impoſsibile eſt, ut certior ſic cognitio fundata in alia, quàm ſit ea in qua fundatur; & inde facilè probatur conſequentia; quia certitudo fidei tota nititur in ſuo objecto formali, atque adeò in cognitione ejus; nam ut cognitum movet ad credendum.

4 Explicatur magis hæc ratio; quoniam qui credit revelata à Deo, credendo Deum eſſe ſummè veracem, vel eodem vel diverſis aſſenſibus ea credit: ſi eodem aſſenſu, cum iſte ſit fidei, non poteſt niti in evidentia objecti, ut enim ſuprà vidimus, eatenus evidentia in atteſtante conjungi poteſt cum fide, quatenus prẽter illam evidentiam haberi poteſt de revelatione obſcura cognitio, & propter illam poteſt credi objectum revelatum: ſi per diverſos aſſenſu aliquis credat Deum eſſe veracem, & eſſe trinum, & unum: ſi unus actus in alio non fundatur ſed concomitanter ſe habent, non poterit unius objectum eſſe formale objectum alterius: ſi verò unus fundetur in alio, non poterit actus evidens naturalis fundare certitudinem altioris ordinis, & majorem, qualis eſt certitudo actus fidei.

5 Confirmatur, quoniam hęc veritas, *Deus non poteſt dicere falſum*, non eſt tam evidens naturaliter, quin ab aliquibus negari potuerit etiam doctis, & Catholicis: licet enim omnes Theologi

fateantur, & doceant, esse de fide, Deum de potentia ordinaria falsum, aut mendacium dicere non posse, imò nec de potentia absoluta id fieri posse de fide sit, juxta Eximium Doct. Puente Hurtad. Bañez, & alios apud P. Oviedo, *controv. 3. punct. 1. numer. 6.* tamen id omninò evidens non est, cum de potentia absoluta falsum dicere posse, docuerit Gabriel *in 3. distinct. 12. quæst. 1. & distinct. 36. notab. 3. & conclusione 2.* qui addit, mendacium in Deo possibile non esse, quia mendacium, inquit, significat falsum dictum cum de ordinatione, & malitia morali: Deus autem licèt falsum diceret, non faceret malum moraliter, & ita non mentiretur. Quam sententiam tenuit etiam Petrus de Aliaco, *in 1. quæst. 12.* Holcot. *in 2. dist. 5.* Adamus *in 3. quæst. 5.* cujus placiti fundamentum præcipuum est, quod nullus est actus intrinsecè malus: quę sententia licèt ut falsa rejiciatur optimo jure à reliquis Theologis, præcitatos habet Authores, & consequenter impossibile est, ut illa veritas de essentiali Dei veracitate tantùm naturaliter cognita sit sufficiens ad assentiendum ratione illius alteri propositioni certitudine fidei infusæ; quia sicut motivum fidei non inducit ad assensum certum, & infallibilem, nisi ut cognitum tanquam certum, & infallibile, ita non movet ad gradum, & modum certitudinis, nisi juxta gradum, & modum, quo ipsummet cognoscitur, ut verum, & infallibile.

6 Tandem fulcitur ex D. Thoma, *1. 2. quæst. 63. artic. 3. corpore. & ad 3.* asserente, quod ratio naturalis non potest esse sufficiens regula virtutum per se infusarum: quod etiam de Moralibus tradit, & explicuit Exim. Doct. *lib. 2. de gratia, cap. 16.* est ergò magis necessarium in virtutibus Theologicis, quia sunt perfectiores in eodem supernaturali ordine; mensura autem, seu regula, vel debet esse homogenea cum regulato, vel certè non potest esse inferioris ordinis: ergò actus fidei infusæ non potest regulari per actum rationis naturalis, nec per Deum ut cognitum ratione naturali, quia ut sic etiam continetur in inferiori ordine. Ita Exim. Doct. per doctè ratiocinatur *dicta disput. 3 sect. 6.*

7 Undè, dum Apostolus *ad Hebr. 11. ỳ. 6.* asserit, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*, non significat, quòd priùs debeat naturaliter cognosci, Deum esse, aut esse veracem, sed potius ipsum accessum ad Deum debere esse per fidem utique supernaturalem, & ante omnia esse sic credendum, Deum esse; & hæc est plana expositio, ut tradunt Sapientissimi PP. Salmeron, Ribera, & Cornel. à Lapide, ibidem. Et ita Concilium Tridentinum, *sess. 6. cap. 6.* de fide infusa, illum Pauli locum intelligit. Nec necessarium est, ut christiani Philosophi fundent fidem, quam habent de aliis mysteriis in naturali cognitione, quam habent de divina veracitate; nam de hac etiam habent firmiorem propheticum sermonem, cui benè faciunt attendentes; imò si ita non crederent Deum esse veracem, neque cætera possent credere fide infusa, ut ostensum est; quomodo autem fides, & scientia de eodem objecto conjungi valeant, alterius est disquisitionis, & satis communiter explicatur à Theologis, præsertim Jesuiticæ Societatis nostræ: nihil enim in eo repugnātię elucet, quod sub diversis mediis, aut motivis idem intellectus tendat in idem objectum, sivè uno eodemque actu, sivè diversis. Conficiturque tandem ex summa Dei veracitate, quæ per fidem credenda est, non oppugnari ejusdem fidei libertatem immediatam.

8 Probatur secundò, licet summa Dei veracitas ut evidenter cognita constituat inadæquatè objectum formale fidei, adhuc fidei infusæ immediata libertas consistit: ergò ex eo quòd

quòd evidenter cognoſcatur, Deum fallere non poſſe, nihil adverſus noſtram ſententiam evincitur. Probatur antecedens: Dei auctoritas, ut teſtificans, complectitur duo, & auctoritatem Dei, & ipſius teſtimonium actuale; at quamvis Dei auctoritas, digna, cui credamus, evidens ſit, tamen teſtimonium actuale Dei nobis obſcurum eſt; igitur aſſenſus erga hoc formale objectum fidei, ſcilicet circa auctoritatem Dei, ut actualiter teſtificantis, non eſt neceſſarius, ſed potius immediatè liber, utpotè imperatus à voluntate immediatè liberè potente imperare diſſẽſum ab hac teſtificatione. Declaratur: ſicut enim ad veritatem propoſitionis copulativæ non ſufficit veritas unius extremi ſeorſim, ſed utriuſque conjunctim neceſſaria eſt; ita ad evidentiam copulativæ propoſitionis, ſeù cognitionis, non ſufficit evidentia unius extremi ſeorſim, ſed utriuſque conjunctim neceſſaria eſt. Aliàs enim, ſicut cognitio copulativa poteſt eſſe evidens comparatione unius extremi, & inevidens comparatione alterius, ita poſſet eſſe vera comparatione unius, & falſa comparatione alterius; ſiquidem evidentia cognitionis non poteſt ab ejuſdem veritate ſejungi: igitur, cum fides non reſpiciat auctoritatem Dei diviſam, ſed conjunctam teſtimonio actuali ipſius, ad ejus quidem evidentiam neceſſaria erit evidentia conjunctionis utriuſque. Qua ratione communiter dicimus, veritatem iſtam: *Deus eſt unus, & Trinus*, eſſe obſcuram; quamvis exiſtentia, & unitas Dei, quæ in ea continetur, ſit evidenter nota: quia conjunctio exiſtentiæ, & unitatis eſſentiæ cum Trinitate Perſonarum non nobis evidenter innoteſcit. Similiter ergo hæc veritas, Deus fide noſtra dignus teſtificatur, incarnatum eſſe Verbum, erit obſcura, & liberè affirmabilis, vel negabilis, quamvis dignitas Dei ſit evidens.

9 Hinc fluit, quod ſivè Dei exiſtentia, & veracitas ſit credenda fide obſcura, & infuſa, ſivè præcisè evidens ſit, ſaltem reſpectu ſapientum, & ideò ab illis non debeat, aut non poſsit ea fide infuſa credi, juxta ſententiam Cajetani *ad Hebræos, cap.* 11. tamen, cum divina revelatio conſtituat objectum formale fidei, ſaltem inadæquatè, ut communis Theologorum ex omni ſchola fert ſententia, & divina revelatio non evidenter innoteſcat nobis, ſed obſcurè, licèt cum ingenti, ſeu evidenti credibilitate, fit utique, illæſam noſtram manere immediatam libertatem aſſentiendi, & diſſentiendi revelatis à Deo. Quòd verò divina revelatio conſtituat ſaltem inadæquatè objectum formale fidei ex recepta Theologorum ſententia conſtat, quia Deum, ut revelantem, ſeu teſtificantem res credẽdas, eſſe objectum formale fidei, edocent D. Thomàs, 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. Cajet. ibid. *dubio* 2. & latius Capreol. *in quæſt.* 4. *Prologi concl.* 3. & 6. & *ad argumen. Aureoli contra illas.* Joan. à S. Thoma 2. 2. *diſp.* 1. *art.* 1. Sylveſter *quæſt.* 1. *conſlati art.* 10. *ad* 2. & *artic.* 12. §. 1. Conrad. 1. 2. *quæſt.* 3. *art.* 6. §. *nota pro fundament.* Bañez, 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *dub.* 1. *concluſ.* 6. Canus, *lib.* 12. *de locis. cap.* 3. *concluſ.* 2. & 3. Subtilis Doctor. Scotus *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt. unica, & diſtinct.* 25. *quæſt.* 2. *in fine.* Richard. *diſtinct.* 23. *art.* 4. *quæſt.* 3. & *diſtinct.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 5. Hiſpalen. *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 3. *notab.* 3. Vega, *lib.* 9. *in Trident. cap.* 47. Lorca 2. 2. *diſp.* 2. *à numer.* 12. Eximius Doct. P. Suarez, *tract. de fide, diſp.* 3. *ſect.* 2. *numer.* 3. & *ſeqq.* Cardinal. Bellarmin. *lib.* 1. *de juſtific. quæſt.* 1. P. Vazquez, 1. *part. diſput.* 7. *cap.* 4. Valentia, *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. §. 4. adſcribens hanc ſententiã D. Thomæ. D. Bonaventuræ, Alexandro, B. Alberto, & aliis priſcis Theologis, Conink. *diſp.* 4. *dubio* 4. Torres *in* 2. 2. *diſput.* 2. *dub.* 2. Granados, *in* 2. 2. *controv.* 1. *tract.* 1. *diſput.* 3.

Tan-

Tannerus, *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *dub.* 3. Mæratius *diſp.* 2. Hurtado de Mendoza, *diſp.* 1. *ſect.* 6. & 7. & inter Recentiores Societatis noſtræ perdoctè, & acutè P. Ripalda, *diſp.* 2. *de fide. ſect.* 13. idque apertè oſtenditur, quippè humana ratio non eſt fundamentum, in quo per ſe nititur fides Chriſtiana, & ita non poteſt eſſe objectum formale fidei: probatur ex Paulo 1. *ad Corinth. cap.* 2. dicente: *Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Per quæ verba, & per totum illud caput ſatis expreſsè impugnat Paulus contrarium errorem. Et ideò inquit, 2. *ad Corinth. cap* 10. oportere *captivare intellectum in obſequium Chriſti*: quæ autem eſſet captivitas intellectus, ſi illa tantùm crederet, quæ per rationem vera eſſe cognoſceret. Præterea *Math.* 16. Chriſtus Dominus dixit Petro: *caro, & ſanguinis non revelavit tibi*: per carnem, & ſanguinem intelligens naturam, & vires, & ideò addidit: ſed *Pater meus, qui in cœlis eſt*: & ſic etiam *Math.* 11. dixit: *Confiteor tibi Pater; quia abſconditi hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*: & Joann. 3. ſi *terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis?* Unde Joan. 1. dicitur: *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

11 Hinc Patres ubique docent, in fide non requiri, imò nec intervenire ſcientiam, ſed potius ignorantiam, non quia fides non præbeat aliquam rei cognitionem, aut careat prudenti motivo, cum potius teſtimonia Dei ac fidei credibilia facta ſint nimis; ſed quia fides non oſtendit res creditas, quoad earum veritatem per rationem: ſic dixit D. Auguſt. *ſerm.* 1. *de Trinit. fidelis ſum credo quod neſcio,* & *ſerm.* 20. *de verbis Apoſtoli. melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.* Et D. Gregor. *homil.* 26. *in Evang. fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Sic etiam Nazianzenus, *orat.* 34. *alias* 2. *de Theologia*, fidem rationi opponit dicens, *fidem potius, quàm rationem ſequamur*, & D. Hilarius, *lib.* 8. *de Trinit. ante med.* inquit, *Maximum fidei meritum eſt, ſperare quod neſcias.* Concinunt D. Irenæus, *lib.* 2. *cap.* 45. Cyrillus Alexandr. *lib.* 1. *contra Julianum.* D. Hieron. *cap.* 3. *Jonæ.* Chryſoſt. *hom.* 2. & 8. *ad Roman.*

12 Secundò, & poſitivè oſtenditur, quia Deus ipſe eſt objectum formale fidei, & prima ratio credendi, in quo conveniunt Theologi D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. & 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 3. & 7. & reliqui *in prologo ſentent.* & *in* 3. *diſt.* 24. Altiſiodor. ſtatim *in principio ſummæ, in proemio*, & Alenſis 3. *part. quæſt.* 68. Exim. D. P. Suarez, *diſp.* 3. *ſect.* 2. *numer.* 6. Et quoad ſubſtantiam, ſeu fundamentum aſſertionis eſt clara doctrina fidei. Nam Sacra Scriptura ſæpè docet veram fidem, ad ſalutem neceſſariam, ipſi Deo inniti, ut loquenti ſcilicet, & teſtificanti: ſic dicitur, Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Quod dicit Paulus *ad Roman. cap.* 4. ſcriptum eſſe propter nos; quia fidem illam, & credendi modum imitari debemus, ut juſtificemur. Et ita de ſe ipſo dicit idem Paulus 2. *ad Timoth.* 1. *ſcio, cui credi, & certus ſum*: & *ad Theſſalonic. epiſt.* 1. *cap.* 2. *accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, verbum Dei.* Et ſic etiam D. Joann. *epiſt.* 1. *cap.* 5. *Qui credit in Filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe.* Et ipſe D. Joan. *cap.* 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Et D. Paulus *ad Galat. cap.* 1. *non ſecundum hominem .... ſed per revelationem Jeſu-Chriſti*: Imò Chriſtus ipſe in quantum homo totum hoc refert ad Patrem dicens: *Joan.* 12. *qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me*: eſt ergò Deus ipſe, ut teſtificans, noſtræ fi-

dei

dei fundamentum, & ideò Chriſtus Dominus de ſe dicit *Joan.* 18. *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* & Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Unde meritò dixit D. Ambroſius *lib. de Abraham. cap.* 3. *& lib. 2. epiſtolarum. epiſt.* 12. *ad Valentinianum, Cœli myſterium doceat me Deus ipſe, qui condidit, non homo, qui ſe ipſum ignoravit. Cui magis de Deo, quàm Deo credam.* Et D. Auguſt. *de ſpiri. & lit. cap.* 32. *Non dubium eſt, illam fidem ab Apoſtolo commendari, qua creditur Deo.*

13 Probatur tertio ratione: quia præcipua myſteria, quæ fide credimus, talia ſunt, ut ratione naturali cognoſci non poſſunt, ſicut de myſterio Trinitatis, Incarnationis, & Euchariſtiæ in ſuis locis oſtenditur, & eſt per ſe evidens: quia nulla ſunt naturalia principia, neque effectus Dei naturaliter cognoſcibiles, per quos ratione poſſimus aliquod ex his myſteriis oſtendere: ergò non poteſt ratio naturalis eſſe in nobis principale fundamentum credendi hæc myſteria. Et confirmatur: nam vel illa ratio, quæ fundaret fidem eſſet, evidens, vel probabilis tantùm: ſi primum, non fundaret fidem, ſed ſcientiam, & demonſtrationem: ſi ſecundum, fides non eſſet diſtincta ab opinione, quod, ut ſcribit D. Bernardus *Epiſt.* 190. *ante medium*, videtur ſenſiſſe Abailard. vocans fidem æſtimationem, quaſi ex opinione pendeat, non certa veritate ſubſiſtat, non enim de veritate fidei dubitare, aut formidare poſſumus, ſicut de his quæ ſub opinione cadunt: ut enim inquit D. Petrus *Epiſt.* 2. *cap.* 1. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benè facitis attendentes.* Ex quibus planè conſtat, Deum, non hoc ipſo, quòd Deus eſt, ſed ut teſtificantem, & dicentem eſſe objectum formale fidei.

14 Ratio etiam hoc convincit, quia Deus non movet ad credendum, niſi mediante teſtimonio ſuo: quomodò enim ei crederemus, niſi nobis loqueretur? Ergò non eſt objectum formale fidei, niſi ut teſtificans, & revelans. Unde Paulus *ad Roman.* 10. ajebat: *Quomodò credent ei, quem non audierunt*, & mox infert: *Ergò fides ex auditu, auditus per Verbum Chriſti.* Tum quia, fidem humanam movet atteſtatio humana: ergò fidem divinam atteſtatio divina. Iterum confirmatur: ſi rogetur fidelis, quo moveatur ad credendum, Deum eſſe incarnatum? Reſpondebit rectè, ſe moveri teſtimonio divino, ideòque credere, quia Deus id teſtatus eſt.

15 Nec dixeris, revelationem eſſe præcisè conditionem objectivam, non objectum formale: oppoſitum namque evincit primò, quòd aſſenſus nititur in veritate objecti formalis, non in veritate conditionis: ergò cum fides nitatur in veritate revelationis, hæc eſt objectum formale, & non præcisè conditio. Secundò, quòd objectum formale debet eſſe ſuadibile intellectui, ut præſtetur aſſenſus objecto materiali: at revelatio fit ſuadibilis. Ergò. Tertiò in hoc ſyllogiſmo: quidquid Deus teſtatur verum eſt; ſed Deus teſtatur, Verbum eſſe incarnatum: ergò id verũ eſt. Utraque præmiſſa objectiva eſt aut poteſt eſſe objectũ formale cõcluſionis. Ergò atteſtatio divina ſubſumpta in minori eſt, objectũ formale ſaltẽ partiale in eo diſcurſu: ergò ſimiliter erit objectum formale cum per unicum, & ſimplicem aſſenſum toti illi objecto aſſentimur, ut fit communiter per actum fidei. Patet autem eodem modo nos credere per atteſtationem divinam, Verbum eſſe incarnatum, per aſſenſum ſimplicem, quo per compoſitum, ſi fides ſit diſcurſiva, de quo infra.

16 Quartò, atteſtatio divina pertinet eſſentialiter ad connexionem auctoritatis divinæ cum re atteſta-

tata: ergò eſt objectum motivum, ſeù formale fidei, conſequentia liquet, quia objectum motivum fidei eſt id, quod inducit ad credendum id, quod teſtatum eſt: antecedens etiam patet, quòniam auctoritas divina ſecundum ſe, vel quodlibet aliud divinum attributum non eſt connexum, utique quoad nos, cum objecto, niſi media atteſtatione, licèt enim divina cognitio, & ſcientia id connexionis habeat, donec nobis innoteſcat ex divina revelatione, ea connexione non gaudet quoad nos. Quapropter dum D. Thomas 2.2.*q.*1. *art.* 1. dixit: *In fide ſi conſideremus rationem formalem objecti, nihil aliud eſt, quam veritas prima*, intelligendus venit Doctor Angelicus de prima veritate, ſecundùm quod nobis manifeſtatur, ut cernere eſt in eodem Sancto Doctore, *quæſt.* 5. *art.* 3. *corp.* ajente formale objectum fidei eſſe veritatem primam, ſecundùm quod manifeſtatur in Scripturis, aut doctrina Eccleſiæ.

17 Tum quia ut docet Eximius Doct. P. Suar. *dict. diſp.* 3. *ſect.* 3. Deus, ſeù veritas ejus eſt quaſi forma informans materiam fidei in eſſe credibilis; teſtificatio autem eſt quaſi unio, ſeù informatio talis formæ, unde ſicut unio formæ ad materiam non eſt ſola conditio, ſed cauſalitas formalis, ita etiam in præſenti ſe habet cum proportione teſtificatio: & quòniam Deus poteſt eaſdem res revelare vel clarè, vel obſcurè, & ſecundùm hanc varietatem induit diverſas rationes objecti formalis, ſignum ergò eſt, quòd revelatio pertinet ad rationem objecti formalis: & ab unitate ſpecifica revelationis ſortitur fides ſpecificam unitatem, licèt verſetur circa diverſa valdè objecta materialia revelata: & diſtinguitur ab aliis habitibus. Porrò ex dictis elevantur, quæ poſſent huic ſententiæ noſtræ objici.

18 Sed eſtò revelatio ſit ſola conditio neceſſaria ad noſtram fidem, cùm omnia ex fide credenda, ſub obſcura revelatione proponantur, nihil eſt, quod intellectum neceſsitet quoad ſpeciem aſſenſus, & propterea poterit ille ſemper ex immediata volùntatis determinatione, & libertate elici. Id quod procedit in quavis ſententia circa objectum formale fidei; ſivè enim objectum formale ſit ſola credibilium veritas, quod probabile docent Scotus *in* 3. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. §. *Aliter poteſt*, & Gabriel, *ibidem quæſt.* 2. *art.* 1. cum Ochamo *quodlib.* 3. *quæſt.* 7. in idque propendet P. Hurtad. *tract. de fide. diſp.* 8. *ſect.* 4.

19 Sivè ſola auctoritas Dei ſit objectum formale intrinſecum fidei, ita ut revelatio ſolum induat conditionis objectivæ rationem, ut exiſtimaverunt Mag. Aragonius 2.2.*q.*1. *art.* 1. §. *Si quis autem*, & plures Recentiores apud ipſum, & apud P. Torres *diſp.* 2. *dub.* 2. videturque favere P. Albertinus, *princ.* 3. *quæſt.* 4. *in* 4. *Coroll. num.* 17. poſſuntque pro eodem placito adduci Ochamus, & Gabriel ſupra laudati; ſivè cum auctoritate, & divina revelatione ſortiantur objecti formalis rationem auctoritas humana Eccleſiæ, vel illuſtratio Spiritus Sancti, vel quidpiam aliud; vel tandem etiam ſi nullum ſit objectum formale fidei, ſivè intrinſecum, ſivè extrinſecum, ſed nulla ducente luce captivetur intellectus in obſequium Dei, & aſſentiatur ſolùm, quia Deus præcipit aſſentiri ſuis teſtimoniis, itaque aſſenſus fidei non moveatur immediatè ex cognitione veracitatis, & atteſtationis divinæ, ſed ex ſolo affectu obediendi Deo omnium noſtrorum actuum tàm voluntatis, quàm intellectus ſupremo Domino, ut quo fuerit aſſenſus ab omni ſuaſione remotior ſit obſequentior in Deum, ejuſque teſtimoniis dignior, ut docuit Guillelmus Pariſien. *tract.* 1. *de fide, & legib. cap.* 2. *poſt med.* Idemque divinitus poſsibile arbitratur Guillelmus de Rubione *in* 3. *diſt.* 25. *q.* 2.

In

20 In omnibus his sententiis, fidei obscuritas, & libertas immediata quoad speciem elucet, quia juxta eos dicendi modos nihil invenitur, quo intellectus determinetur quoad assensus speciem, sed omnes præfati Authores supponunt, & asserunt objecta credibilia, absque evidentia veritatis ipsorum proponi, quamvis evidenter credibilia dignoscantur.

SECTIO CENTESIMA QUARTA.

Licet fides infusa discursiva dicatur, assensus fidei immediata libertas non infringitur.

1 POsset quispiam præcedentem innovare objectationem ex sequenti ratiocinio: fides est discursiva, ergò caret immediata libertate quoad assensus speciem: antecedens conceditur à plurimis, & Sapientissimis Doctoribus. Consequentia probatur, quia ea præsupposita sententia, hic effici potest discursus, quidquid Deus testatur, verum est; sed Deus testatur Verbi incarnationem: ergò incarnatio Verbi vera est: in hoc autem syllogismo, evidenter est vera assumptio prima. Secunda fide acquisita potest, & debet credi: præstito insuper assensu præmissis consequentia necessariò concedenda venit: ergò fides incarnationis non est libera, sed necessaria quoad speciem, licèt quoad exercitium libertate gaudeat. Confirmatur; quòniam, & si revelatio, seù Dei testificatio credenda sit, fide infusa, ea prælucente nequit intellectus dissentiri objecto revelato: igitur circa objecta revelata fides libera esse non potest quoad speciem: quod verò sit discursiva fides, plurimorum, & gravium Authorum fert sententia, quam edocent Durandus *in* 3. *dist.* 24. *q.* 1. *n.* 8. Gabriel *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *concluf.* 1. & ibi Almaynus. *quæst.* 3. *& tract.* 2. *moral. cap.* 3. Marsilius *in* 3. *quæst.* 14. *art.* 1. *in* 3. *part.* Michael de Medina *de fide. lib.* 5. *cap.* 11. Okamus *in* 3. *quæst.* 8. *articulo* 3. Pater Vazquez 1. *part. quæst.* 1. *disp.* 5. *num.* 5. Cardinalis de Lugo *disp.* 2. *de fide. sect.* 1. P. Ripalda *de Ente supern. disp.* 55. *num.* 31. *& seq. & tract. de fide. disp.* 13. *sect.* 3. P. Hurtado *disp.* 39. *de fide. sect.* 2. Becanus 2. 2. *cap.* 8. *quæst.* 3. & aliis Recentiores.

2 Respondetur permissa ea probabili sententia, à qua plures etiam discedunt, primò fidem infusam liberè exercendam circa præmissas prælibati syllogismi: circa majorem nempè, *quidquid Deus testatur verum est*; ut elucet ex traditis *sect.* 103. *num.* 1. *& sequentibus*, circa minorem nempè: *Deus testatur incarnationem*, etiam fidem infusam exercendam, vel tanquam erga objectum formale, vel tanquam circa conditionem omninò requisitam, patet etiam ex ferè omnium Theologorum placitis, quos dedimus dicta *sect. præced. num.* 9. *& sequentibus, & in fine illius*, & ex Scripturæ oraculis, & Patrum sententiis eisdem locis adductis: in quibus cernere est, nostræ fidei fundamentum esse Dei Verbum infallibile: quamobrem licèt, præstito assensu revelationi de Verbi incarnatione, necesitetur intellectus, ad non dissentiendum huic mysterio, tamen, jam fides exercita est liberè, ac immediata libertate circa revelationis existentiam ab Ecclesia propositam: igitur licet fides sit discursiva, in ipsomet fidei discursu exercetur immediata voluntatis libertas, in eliciendo nimirum assensu fidei circa existentiam revelationis: ea quidem libertate, ut immediatè possit voluntas imperare ejusdem revelationis dissensum, si ipsa velit: fit ergò, in ipso fidei discursu, exercendam libertatem immediatam circa utramque præmissam, majorem scilicet *quidquid Deus testatur verum est*: & circa mi-

norem, nempè, *Deus revelat incarnationem.*

3 Imò & circa conſequens ipſum exerceri libertatem immediatam dici valet, primò juxta valdè probabilem ſententiam aſſerentem, quòd concluſio attingit ut objectum formale intrinſecum ipſum præmiſſarum objectum, id quod docent Durand. Ferrarienſis, Soncinas, quos refert, & ſequitur P. Rubio, *lib.* 1. *Poſter. cap.* 1. *quæſt.* 6. *numer.* 33. Concinunt P. Arriaga, *diſp.* 15. *Logicæ, ſect.* 4. *ſubſec.* 2. Oviedo, *controv.* 9. *punct.* 3. Quiros, *diſp.* 32. *ſect.* 4. Peñafiel *diſp.* 10. *ſect.* 6. Caſtelvi *diſp.* 2. *dub.* 1. & 2. Mauri, *lib.* 2. *quæſt.* 65. Rhodes, *lib.* 1. *diſput.* 4. *ſection.* 4. Torrecilla de Syllogiſmo, *quæſt. unic. art.* 4. Bonaſpes *tract.* 8. *diſp.* 1. *dub.* 6. Olpenſ. *lib. ultimo Logicæ, diſtinctione unica, art.* 2. *quæſt.* 3.

4 Hac igitur præſuppoſita doctrina etiam ſi fides ſit diſcurſiva, non ſolùm immediatè liber quoad ſpeciem erit aſſenſus pręmiſſarum, verùm etiam aſſenſus concluſionis, quatenùs & in ipſo concluſionis aſſenſu adeſt etiam aſſenſio erga præmiſſas. Et quidè præmiſſarum objectum attingi formaliter poſſe in concluſione, quamvis id neceſſarium non ſit, præter laudatos Authores, exiſtimant P. Richardus Lynze, *lib.* 7. *Met. tract.* 4. *cap.* 13. Sancta Cruzanus, 3. *part. Logicæ. num.* 1180. Echalaz, *diſp.* 33. *cap.* 3. *numer.* 18. & 24. Olcina, *lib.* 6. *diſp.* 1. *cap.* 11. Blaſco, *lib.* 7. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 2. *num.* 127. & 130. Prado *lib.* 3. *quæſt.* 3. §. 4. Emmanuel à Conceptione *tract.* 3. *num.* 1252. & 1258. Patres Borrul, & Mumeſſa in M. S. & noviſsimè Doctor Jacobus Servera, plurima conſpicuus eruditione, *diſput.* 21. *Logic. cap.* 2. *numer.* 12. Ergo cum experientia doceat, liberè immediatè quoad ſpeciem elici quemlibet fidei aſſenſum, ut patet ex tentationibus, quibus ſæpè pulſantur etiam juſti, ac pii, ſi fides ſit diſcurſiva, dicendum erit, ideò liberum eſſe concluſionis aſſenſum, quia immediatè in eo attingitur objectum præmiſſarum.

5 Quod ſi quiſpiam ſupponere velit, concluſionem nec debere, nec poſſe attingere intrinſecè præmiſſarum objectum, non ideo adactus erit aſſerere, fidem reſpectu concluſionis non eſſe immediatè, & quod ſpeciem liberam: duplici enim clypeo adhuc ſe tegere poterit; primò ex continentia concluſionis, quæ in præmiſsis rectè diſpoſitis invenitur; licet enim aſſenſus præmiſſarum non ſit formalis concluſionis aſſenſus, eſt tamen virtualis, juxta receptam certamque ſententiam; ideoque fit, ut præmiſſæ quoad ſpeciem actus concluſionis, & conſequentis neceſsitent intellectum: igitur fides Incarnationis libera eſt immediatè quoad ſpeciem libertate exercita in præmiſſis, quæ myſterium quodlibet inferunt.

6 Secundum aſſerendæ hujuſcemodi libertatis medium fluit à ſententia docente, actum imperatum eſſe formaliter, & immediatè liberum: id quod tenent, & illuſtrant Authores præclari. P. Conink, *diſp.* 3. *de bonit. & mal.* Ribadeneyra, *diſp.* 9. *de Prædeſt. ſect.* 6. *cap.* 6. *numer.* 11. Qui loquuntur in hypotheſi, qua imperium neceſſarium non ſit ad actum imperatum. Munieſa *de grat. diſput.* 25. *ſect.* 8. Aranda *lib.* 4. *in* 1. 2. *à numer.* 293. & noviſsimè præclara ornatus eruditione, ac per multis mihi titulis obſervandus P. Doctor Vincentius Ramirez, Primarius emeritus Complutenſis, *diſp.* 13. *de prædeſt. num.* 37. qui Authores id libertatis tuentur, etiam ſi actus imperatus, & imperium mutuò connectantur.

7 His verò præluxit Eximius Doct. P. Franciſcus Suarez, *tom.* 3. *de grat. lib.* 12. *cap.* 11. *per totum*, nec non *cap.* 12. ſed præcipuè *cap.* 11. *num.* 11. ubi in hypotheſi, quæ ad noſtram magis accedit, qua ſcilicet amor imperatus ne-

necessario sequatur ad illius imperium, sitque inter utrumque ratio prioris, ac posterioris natura, actus imperati immediatam libertatem probat, quia licet amor necessariò sequatur posita illa voluntate (nempe efficaciter imperante) ut natura priori, nihilominus necessario antecedit cogitatio utriusque actus, & connexio unius cum alio; & ideò quando voluntas se determinat ad unum, simul se liberè determinat ad utrumque, quamvis cum ordine eorum inter se, & ideò sēper manet integra libertas utriusque actus; quia licèt secundus videatur necessarius ex suppositione, tamen suppositio est libera, & non est liberè volita, nisi ut habens connexionem cū altero actu. Atque ita ex parte libertatis semper in utroque actu sufficiens ad proprium meritum invenitur.

8 Excerpta autem hac Eximii Doct. authoritate à perdocto P. Doct. Vincentio Ramirez, *tract. de Prædest. disp.* 13. *capit.* 1. *numer.* 8. inquit, & meritò, nihil clarius pro immediata actus imperati libertate dici potuisse, & propterea immeritò Recentiores quosdam cum P. Ripalda obtendere in oppositā sententiam transferre P. Suarez suffragium. Id quod posset etiam fulciri ex alio ejusdem Eximii Magistri loco *dic. lib.* 12. *ca.* 11. *n.* 8. ubi hæc habet: dicimus ergo in actu interiori imperato ab alio actu volitionis reflexæ esse propriam libertatem ad proprium, & distinctum meritum talis actus sufficiētē. Hactenus P. Suarez, pergitque tradens hujusce conclusionis probationes apud ipsum videndas. Imò addere possumus, nec P. Ripaldam re ipsa hujuscemodi immediatam actus imperati propriam libertatem diffiteri, quoniam *disp.* 68. *sect.* 1. *num.* 4. ubi proprium exponit judiciū, ait, per suppositionem actus imperantis, liberam utique voluntati, radicaliter inchoari exercitium liberum actus imperati, & propterea vereri se, ne potius vocis, quam rerum controversia fit, dum ad examen venitur.

9 Reor tamen re, & vocibus magis cohærentē veritati, & Eximii Doct. placito esse sententiam, quæ actui imperato immediatam concedit libertatem distinctam à libertate imperii, ducor Magni Suarez, fundamento, nimirum quia voluntas simul se determinat ad actum utrumque ut inquit expressè P. Suarez, vel ergo unica, & indivisibilis est actio determinans ad actum utrumque imperantem, & imperatum; vel est duplex: si unica patet utrumque actum esse ab eadem indifferenti, & immediata voluntatis libertate: si duplex sit determinatio, cum tamen utraque simul fiat à voluntate ex prælucente cognitione utriusque actus, & connexionis unius cum alio, immediatè equidem oritur à voluntate indifferenti illa actio actus imperati effectiva, & determinativa: non enim ab imperio fit physicè actus imperatus; & ideò imperium propriè non præcedit prioritate naturæ, sed prioritate quadam logica, & morali, scilicet, ut voluntas antecedens actum imperatum, qui sequitur ex imperio; licèt imperium non rectè inferatur ex existentia actus imperati specificativè sumpti. Tum secundò; quia suppositio consequens, aut formaliter continens liberam immediatam voluntatis determinationem non potest esse impedimento libertati immediatæ.

10 Tertio, quia immediata libera determinatio imperii est radicaliter determinatio actus imperati, & consequenter ab ipsa determinante actione imperii potest denominari liber immediatè actus imperatus. Triplex hoc fundamentum continetur in doctrina Doct. Eximii; cum quo suppono ex traditis in Libris de Anima, actionem effectivam intellectionis, & amoris determinativam distingui realiter ab intellectione, & amore.

Id quod edocet Magn. Suarez *disp.* 48. *Meth. sect.* 2. *num.* 7. *& sequentibus.*

11 Haud mei est instituti immediatam istam actus imperati libertatem ad extrema persequi, videsis ejus supra laudatos assertores, præsertim P. Vincentium Ramirez doctè, & argutè rem illustrantem. Cæterum hac præsupposita sententia, in scopum redeuntes, sic differere possumus. Profectò non minus connexionis, & prioritatis cernere est in imperio respectu actus imperati, quâ in præmissis respectu cōclusionis rectè deductæ; sed libertas exercita in imperio non tollit actus imperati immediatam libertatem: igitur nec libertas exercita immediatè circa fidei præmissas impedimento esse queit libertati immediatæ circa assensum conclusionis.

12 Inclarescit primò: ideò imperium cum immediata actus imperati libertate cohæret, quia simul se determinat voluntas ad imperium, & ad actum imperatum, at simul quoque se determinat voluntas ad assensum præmissarum, & conclusionis; ergo immediatè etiam liber erit assensus conclusionis, sicut & præmissarum assensus. Secunda assumptio quæ vim ratiocinis claudit, cætera enim liquent, ostenditur maximè in valde probabili, & communi sententia asserente, ex præmissarum assensu intellectum adigi, ut assensum præbeat conclusioni, non solum quoad speciem sed etiam quoad exercitium, id quod prȩter Thomistas, & Scotistas edocent P. Hurtad. *disp.* 7. *de Anima. sect.* 4. P. Arriaga, *disp.* 14. *Logicæ. sect.* 6. P. Oviedo, *controv.* 9. *punct.* 4. P. Carleton, *disp.* 47. *sect.* 8. Castelvi *disp.* 2. *Logicæ, dub.* 4. Illustriss. Calagurritanus, *disp.* 37. *cap.* 3. Petrus à S. Joseph, *lib.* 3. *Logic. cap.* 6. *art.* 5. Bonaspes, *tract.* 9. *disp.* 2. *dub.* 2. Casimirus, *part.* 1. *Met. real. disp.* 2. *art.* 2. *quæst.* 11. Olpensis, *lib. ultim. Logic. disp. unic. art.* 2. *quæst.* 2. Igitur voluntas, quæ liberè immediatè determinat ad assensum præmissarum, determinat quoque eadem immediata libertate, ut conclusioni assentiatur intellectus, sicut enim determinationem imperii præcedit cognitio connexionis imperii cum actu imperato, & ideò actus imperatus est immediatè volitus, & liber, sic determinationi assensus præmissarum prælucet cognitio connexionis ejusdem assensus cum veritate, & assensu conclusionis, & ideò erit immediatè volitus ac liber. Secundò quia necessitas intellectus, ut conclusioni assentiatur, vel ne dissentiatur illi, oritur à libera immediata determinatione antecedenti præmissarum assensus, & consequenter est necessitas consequens, quę immediatam libertatem non impedit. Tertio ipsa determinatio assentiendi præmissis est radicalis, in ò formalis determinatio assensus conclusionis.

13 Quod si præmissarum assensus solum quoad speciem actus necessitet ad assensum conclusionis, secus quoad exercitium, ut plures etiam opinantur, nihil officiet immediatæ conclusionis libertati; etenim ipse assensus conclusionis liber erit quoad speciem à determinatione immediata præmissarū, quę determinatio virtualiter conclusionem attingit, saltē quoad speciē, licèt quoad exercitiū à nova determinatione pendebit assensus cōclusionis: vel si assēsus cōclusionis attingit formaliter objectū præmissarum ex eo iterum ille liber immediatè erit, non solū quoad exercitium, sed etiam quoad speciem.

14 Eleganti quoque alio exēplo, evinci potest assūptū: probabilis enim & ingeniosa est illa libertatis, ac impeccabilitatis Christi Domini cū subeundę mortis præcepto cōcordia, ex eo desūpta, quòd licèt Christus Dominus non potuerit omittere actum præceptū, seù præcepto nolle obedire; potuit tamen præcepti dispēsationē petere, & infallibiliter obtinere: quā sententiā tenent, & mul-

multis illustrat Card. de Lugo, *disp. 26. de Incar. sec. 8.* & P. Aldrete, *tom. 2. de Incar. disp. 76. sect. 7.* Unde sic disputo: quamvis posita nolitione, aut omissione libera petitionis dispensationis, necessariò sequatur in Christi Domini voluntate actus obedientiæ ad subeundam necem; tamen quia nolitio dispensationis, aut petitionis ipsius omissio libera, est virtualis obedientia, & voluntas mortis subeundæ, utique liber immediatè fuit Christus Dominus ad acceptandam mortem: ergo licet posito præmissarum assensu, nequeat voluntas imperare conclusionis dissensum; quia tamen libera immediatè est voluntas ad imperandum assensum vel dissensum erga præmissas, libera etiam erit dicenda in conclusionis assensu amando: igitur licet fides sit discursiva potest esse immediatè libera quoad speciē.

15 Tandem animadvertere oportet, Authores hac *section. numer. 2.* prælaudatos, non ita docere fidem esse discursivam formaliter, ut sine hoc formali discursu actus fidei infusę elici non possint, fatentur enim, plures, & frequenter elici hujusce modi fidei actus absque discursu formali, imò, & absque virtuali: ut cernere est in Authoribus eisdem, sed præcipuè in P. Ripalda, *disp. 13. de fide. sect. 2. numer. 12.* ubi adversus Cardinalem de Lugo, asserentem in omni actu fidei discursum virtualem adesse, inquit P. Ripalda, frequentes esse fidelium assensus elicitos circa objectum revelatum propter veritatem sibi intrinsecam, extrinsecùs ex apprehensione authoritatis, & revelationis divinæ propositam: tum alios tendendi modos in assensu fidei explicat idem Ripalda eo loci *numer. 14.* & *seqq.* cui tamen adsentiri in cunctis assertis, per difficile mihi est.

16 Perspicuum tamen reor, quidquid de virtuali discursu sit, absque discursu formali, frequentissimos esse fidei supernaturales assensus, dum nempè fideles fidei symbolum attente, ac piè recitant, Sacram adorant Eucharistiam, similesque Religionis actus exercent, maximè in fidei professione, quæ in susceptione Eucharistiæ, in periculo mortis, fieri solet, multoque magis in illiteratis id locum habere crediderim, minus enim in discursibus exercentur, & simpliciter ex Dei gratia, & illustratione assentiuntur objectis ab Ecclesia propositis cum evidenti eorum credibilitate. Hic etiam adnotandum, quod cum P. Camargo, hanc ex discursu fidei objectionem instituat protectus ratiocinio, & authoritate P. Oviedo, hic tamen *controv. 4. de fide. punct. 1. numer. 7.* apertè docet, quòd etiam postquam quis judicaverit, fidei objectum esse evidenter credibile, manet liber, & indifferens ad illud prudenter credendum, vel imprudentissimè discredendum: imò ipse P. Oviedo existimat fidem non esse discursivam, ut *sectione sequenti* proferā.

17 Utque nostræ doctrinę assumptum demagis inclarescat: hoc subjicio corollarium: fides quamvis sit discursiva, est tamen libera immediatè quoad speciem actus, primò in assensu præstito præmissis singulis: scilicet, *Quidquid Deus revelat verum est; sed Deus revelat Incarnationis Mysterium*; quarum assumptionum primā esse fide credendam patet ex *sect. 103. per totā*, secundam quoque ex eadem sectione *numero quarto*, & 11. tum *ex sectione* 104. *num. 2. & ferè per totam.* Secundo eadem fidei libertas exercenda venit erga conclusionem scilicet: *ergò vera est Verbi Incarnatio*: tum quia præmissarum objectum attingitur in conclusione ex valde probabili sententia: tum ex virtuali conclusionis assensu in assensu præmissarum elicito: tum quia licèt conclusio sit vera censenda ex assensu prędmissarum, immediata erga conclusionem libertas non

infringitur, quemadmodum nec actus imperati libertas tollitur ex connexione neceſſaria ipſius cum actu imperante, & præſuppoſito: ut ex hac liquet ſectione: tum denique quia licèt notitia diſpenſationis præcepti connectatur cum præcepti obedientia in Chriſto Domino, tamen liber immediatè fuit Chriſtus Dominus in ſubeunda morte.

18 Hic etiam adnota contra Illuſtriſs. Palanco, *diſp. 5. de fide, quæſt. 3. numer. 9. & 10.* quod fides, etiam ſi diſcurſiva foret, eſſet quoque actus divinæ authoritati obſequioſus, non tantum præſuppoſitivè in aſſenſu erga aliquam ex præmiſſis, ut inquit Palancus, ſed etiam immediatè, & formaliter in ipſo aſſenſu concluſionis; quia etiam in illo aſſenſu elucet immediata libertas voluntatis illum imperantis, ac determinantis, præterquamquod fides, & ſi poſſit eſſe diſcurſiva, frequenter diſcurſu non utitur in frequenti fidelium praxi.

SECTIO CENTESSIMA QUINTA.

Fides diſcurſiva formaliter eſſe non poteſt.

1 DUobus modis intelligi poteſt diſcurſus eſſe neceſſarius ad actum fidei, uno modo antecedenter, & quaſi remotè, & veluti cauſa diſponens, & alio modo proximè, & tanquam cauſa per ſe. De priori genere diſcurſus, in præſentiarum non loquimur; quia manifeſtum eſt ad fidem humano modo concipiendam, neceſſarium eſſe diſcurſum, ſcilicet ad judicandum de credibilitate objecti propoſiti, & de ſufficienti propoſitione: vel etiam ſæpè poteſt eſſe neceſſarius diſcurſus ad perfectè concipiendos terminos, & quid ſub eis comprehendatur: diſſerimus ergo de poſteriori modo diſcurſus, quando nempè proximè, & per ſe, ſeu formaliter concurrit, ſicut in ſcientia invenitur.

2 Et in hoc ſenſu aſſero, fidei actum non elici per diſcurſum, ſed eſſe aſſenſum ſimplicem cujuſcumque veritatis revelatæ, quatenus talis eſt. Hæc ſententia, ut inquit Exim. Doct. P. Suarez, eſt communis Doctorum cum Angel. Mag. *D. Thoma 2.2. quæſt. 1. artic. 1.* ubi Cajetan. *dub. 4. & prima part. quæſt. 1. art. 2.* Capreol. *in 3. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3.* Magiſter Cano, *lib. 12. de locis. cap. 3. concluſ. 3.* Subtilis Doctor Scotus. *in 3. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſt. unic. fine.* Ocham, *Quodlib. 3. quæſt. 7.* & communiter Recentiores Thomiſtæ: ex Societate noſtra edocent idem Exim. Doct. *diſp. 6. de fide. ſect. 4.* P. Valentia, 2. 2. *diſp. 1. quæſt. 1. punc. 2.* P. Granadus, 2. 2. *tract. 9. diſp. 1.* Arrubal. *1. part. diſput. 5. numer. 25.* Mæratius *de fide. diſp. 9.* Conink. *de fide. diſp. 9. dub. 7.* Turrianus, *diſp. 6. dub. 2.* Tannerus, *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 3. numer. 72.* Gaſpar Hurtado, *diſp. 4. difficult. 4.* Oviedo, *controv. 2. punct. 8. §. 3.* Sparça *tom. 1. lib. 6. de virtut. Theolog. quæſt. 29. art. 7.* Martinon, *diſp. 10. de fide ſect. 7. numer. 50.* dicens eſſe veram, & communem ſententiam, & Caſtillo, *diſp. 8. quæſt. 1.*

3 Doctrinam hanc exiſtimo colligi ex Sacris literis, quę nos edocent infuſam fidem per ſe inniti ſolum teſtimonio, & authoritati Dei revelantis: humanamque rationem non eſſe fundamentum, in quo per ſe nitatur Chriſtiana fides, ajente D. Paulo 2. ad Corinth. *cap. 10.* oportere, *captivare intellectum in obſequium Chriſti.* Ipſe etiam Chriſtus Dominus dixit, Matheæi. cap. 10. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Concinunt conſimilia oracula quæ

ſect. 103. *n.* 10. perpendimus, tum Sanctorum Patrum eloquia, quæ humanam rationem à fidei motivo excludunt, & identidem aſſerunt, in fide non requiri, imò nec intervenire ſcientiam, ſed potius ignorantiam; non quia fides non præbeat aliquam rei cognitionem, ſed quia non oſtendit res creditas quoad earum veritatem, per rationem. Sic dixit D. Auguſt. *ſerm.* 1. *de Trinit. fidelis ſum, credo quod neſcio*: Et ſerm. 20. de verbis Apoſtoli: *melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.* Et *tract.* 40. *in Joann.* ponderans illud Iſaiæ 7. *Niſi credideritis, non intelligetis*, inquit, *credimus ut cognoſcamus, non cognoſcimus ut credamus.* Porrò autem ſi aſſenſus fidei ex diſcurſu elicitur, dicendum foret cognoſcimus ut credamus, id quod ex Sacris Literis inficiatur D. Auguſtinus.

4 Haud minus luculenter idem tradunt D. Dionyſi. *cap.* 7. *de divin. nominib.* hiſce verbis: *fides eſt ſtabilis credentium ſedes, & ſimplex veritatis notio imperſuaſibili veritate certa.* vocat *imperſuaſibilem*, quia ratione probari non poteſt: At perpendas rogo, quod à S. Doctore fides enuncietur *ſimplex veritatis notio*: igitur fides non eſt diſcurſus, nec diſcurſivus illius habitus. Cum apud omnes diſcurſus ſit notio complexa non ſimplex: Magnus D. Baſilius *homil. in Pſalm.* 115. aſſerit, fidem eſſe, *aſſenſum nulla prævia inquiſitione nitentem*: ergo aſſenſus præſtitus concluſioni ex vi præmiſſarum, non eſt fides.

5 Secundò probatur ratione ex Scripturis, & Patribus deſcendente: ſi aſſenſus, ex diſcurſu præſtitus fidei myſterio, eſſet actus fidei infuſæ, hæc per ſe penderet à ratione naturali tanquam motivo, & fundamento; ſed fides infuſa ita non pendet à naturali ratione: ergò fides infuſa nequit eſſe aſſenſus per diſcurſum elicitus. Conſequentia eſt legitima; aſſumptio ſecunda liquida fit ex præadductis Scripturæ, & Patrum eloquiis: prima vero ſeu major aſſumptio evidens mihi eſt: quoniam concluſio, formaliter ut talis, deducitur ex connexione terminorum cum medio, quæ connexio naturali lumine infert extremorum inter ſe connexionem, ſeu identitatem in concluſione: urgetur, quia ut oſtendimus *ſect.* 103. *n.* 3. *& ſeqq.* fides non poteſt, fundari in prima veritate, ut evidenter cognita, ſed ut credita per ſupernam fidem; fieri enim non poteſt, ut aſſenſus altioris ordinis per ſe fundetur in aſſenſu ordinis inferioris: ergo cum aſſenſus fidei ſit ordinis altioris, quàm ſit naturale lumen, non poteſt ab eo per ſe, & formaliter pendere.

6 At dices: concluſionem in diſcurſu fidei, non fundari in naturali lumine, quo cognoſcitur, extrema identificata cum medio, debere eſſe idem inter ſe; ſed fundari in cognitione ſupernaturali myſterii ſupernaturalis, & revelationis ipſius. Sed verò nullatenus ex hujuſcemodi evaſione infringitur noſtra argumentatio; quoniam vel intellectus aſſentitur concluſioni propter Dei revelationem, & authoritatem, vel ſecus, vel ſimul propter Dei revelationem, & propter connexionem concluſionis cum præmiſsis: ſi aſſenſus concluſionis non fundatur per ſe, & formaliter in revelatione Dei, ſeu in ipſius authoritate, nequit eſſe fides, ut certum eſſe debet, & eſt exploratum apud ipſos contrariæ ſententię Authores: objectum enim formale fidei eſſe divinam auctoritatem, & revelationem inter alios docent P. Vazquez, *tom.* 1. *in* 1. *part. diſp.* 7. *cap.* 4. Cardinalis de Lugo, *diſp.* 1. *ſect.* 6. & 7. P. Hurtado, *diſp.* 5. 6. & 7. P. Ripalda, *diſput.* 2. *de fide, ſect.* 7. qui tamen Authores edocent fidem eſſe diſcurſivam: conſtringuntur ergò dicere, aſſenſum concluſioni exhibitum in diſcurſu fidei, fundari per ſe in divina authoritate, ac revelatione.

7 Tum ſic: vel ergò unicè in Dei authoritate, & revelatione, vel etiam in intrinſeca myſterii credibilitate, ut revelata, ut vult P. Ripalda, *dic. diſp. 2. ſect. 5.* fundatur aſſenſus concluſionis; & ſic ceſſat ratio diſcurſus, quia nihil conferunt præmiſſæ, vel opus non eſt influxus earum in concluſionem: vel tandem præter authoritatem, & revelationem divinam, influunt præmiſſæ in aſſenſum concluſionis, id quod verum eſſe nequit in aſſenſu fidei: quoniam ſuppoſita divina authoritate, & revelatione ſuperfluus eſt alius concurſus præmiſſarum: tum quia ut concluſio deducitur ex præmiſsis, neceſſariam cum illis habet connexionem naturali lumine notam: ſi ergo propter hanc connexionem concluſioni præbetur aſſenſus, concluſio ut ſic elicita non erit actus fidei, cui repugnat in naturali lumine, & connexione fundari.

8 Explicatur ulterius aſſumptum: nam loquendo de concluſione, quæ eſt immediatè revelata, ſcilicet, *Incarnatio Verbi exiſtit*: ſuppoſito quod huic propoſitioni præſtetur aſſenſus ob divinam auctoritatem, & revelationem hujuſce myſterii, ſuperfluit utique omnis alius influxus præmiſſarum videlicet, *Quidquid divina auctoritate, & revelatione firmatur verum eſt; Verbi Incarnatio firmatur Dei revelatione, & authoritate*: Rurſus ille præmiſſarum circuitus ſi fiat, & ex vi earum Incarnationis exiſtentiæ aſſenſus exhibeatur, hujuſmodi aſſenſus, utpote illatus non erit fidei, ſed Theologiæ actus: quia, ut ita elicitus, cum à naturali lumine, ex identitate, ſeu connexione extremorum cum medio, inferente concluſionem, pendeat, ac proveniat, non pertinet ad fidem infuſam, ſed ad Theologiam: quapropter ſolùm in opinione eorum qui cenſent, eundem actum poſſe elici ex motivis demonſtrativis, ac probabilibus, ſeu opinionis, dici poterit, concluſionem prælibatam de exiſtentia Incarnationis poſſe elici, cum ex vi connexionis lumine naturali notæ, tum ex motivo fidei, ſcilicet ex authoritate, & revelatione divina; at ex eo nihil contra nos.

9 Confert ad ſtabiliendam magis noſtram ſententiam doctrina P. Gregorii de Valentia *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. de objecto fidei. punct. 2. colum. 40. fine*, ubi in hunc modum differit: fides neque inclinat in aſſenſus ſuos per diſcurſum, in quo aſſenſus præmiſſarum oporteat eſſe prius elicitos ab eodem habitu fidei: neque per diſcurſum in quo neceſſe ſit, aſſenſus præmiſſarum elici prius per aliquem alium habitum diſtinctum à fide. Ergò nullo modo fides elicit ſuos actus mediante diſcurſu. Antecedens probatur quoad primam partem præcipuè ex eo, quòd qualis eſt ordo divinæ revelationis ad veritates fidei revelatas, talis eſt ordo ipſius habitus fidei ad aſſenſus, quos cum intellectu præbet veritatibus fidei; id quod patet, nam aſſenſus debet conformis eſſe divinæ revelationi, & juxta illam regulari; ſed divina revelatio æquè indifferenter ſe habet ad omnes fidei veritates, quæ in ſe ſunt revelatæ, abſque ordine, ſeú conſequentia unius ad alteram: ergò ſimiliter ipſe habitus fidei reſpicit illas veritates, ac in eas tendit.

10 Hæc probatio mihi efficax eſt, & præterea fulcitur, quòniam fides præbet aſſenſum veritatibus, prout cadunt in divinam revelationem, ſivè ut ab authoritate divina credibiles fiunt: & non aliter; at una propoſitio non eſt magis nec prius revelata, quàm alia, quantum eſt ex parte Dei, nec fit una veritas magis credibilis, quàm alia ab authoritate divina, ſed ex ipſo Deo revelante, & authoritatem veritatibus ſingulis præbente, omnes fiunt immediatè ſumma certitudine credibiles, etiam ſi materialiter inter ipſas veritates ſit ordo aliquis conſequentiæ, vel ra-

ratione temporis, quia prius innotuerit nobis una veritas, quàm alia: ergò fides etiam abſque ordine, & præcedentia antecedentis ad conſequens præbet aſſenſum veritatibus revelatis.

12 Jam verò primum antecedens, quoad ſecundam partem, ſcilicet, fidem non elicere aſſenſus per diſcurſum, in quo neceſſe ſit, aſſenſus prę-miſſarum elici prius per aliquem alium habitum diſtinctum à fide, oſtenditur ex præcedenti ratiocinio; quia myſteria divina non revelantur à Deo, ut credibilia ex vi antecedentium præmiſſarum, in quibus virtualiter continentur, ſed præcisè ut credibilia formaliter ex vi divinæ revelationis, & authoritatis ipſius Dei: ergò cum fides præbeat aſſenſum myſteriis prout cadunt in divinam revelationem, & ut ab authoritate Dei fiunt ſumma certitudine credibilia, nec neceſſe, nec poſsibile eſt, quod fidei aſſenſus nitatur veritate præmiſſarum, nec earum aſſenſu elicito ab habitu diſtincto, aut indiſtincto à fidei habitu.

13 Secundò idem conficitur. Nam conſtat, aſſenſus fidei eſſe multò certiores aliis aſſenſibus cujuſcumque alterius habitus, ſed aſſenſus concluſionum per verum diſcurſum eliciti non ſunt certiores aſſenſibus præmiſſarum: ut per ſe liquet; igitur fatendum eſt, aſſenſus fidei non eſſe aſſenſus concluſionum deductarum per diſcurſum, cujus præmiſſæ pertineant ad ullum alterum habitum.

14 Quod ſi dixeris actum fidei, & ſi non diſcurſu ſyllogiſtico, diſcurſu tamen entymematis elici poſſe, prout ingeniosè edocet Sapientiſsimus P. Joannes Marin *tom. 2. de fide. diſp. 10. ſect. 2.* in hoc enim entymemate: *Deus dicit incarnationem exiſtere: ergò incarnatio exiſtit*: concluſio ſolùm nititur motivo fidei, ſicut & ipſum antecedens; tamen hujuſce tanti viri ſalva pace, ejus ſententiæ haud acquieſco: primò, quòniam non ſufficit ad actum fidei, quòd ille nitatur divina revelatione, ſed opus eſt, ut ad illum non ducatur intellectus ex vi naturæ luminis, ſed præcisè ex divina revelatione, & authoritate: quando autem intellectus diſcurſu utitur, neceſſe eſt, quod aliquomodo, & ut formaliter diſcurrens naturali lumine utatur: & propterea quando intellectus aſſentitur exiſtētiæ incarnationis ex vi diſcurſus, ſivè ſyllogiſtici, ſivè entymematis, aſſēſus ille eſt præcisè Theologicus, non fidei, quia inadæquatè ſolùm nititur revelatione.

15 Unde P. Valentia loco ſupra citato aſſerit, aſſenſum hujus propoſitionis: *Omnes reſurgemus*, elicitum à Theologia, differre ab aſſenſu ejuſdem propoſitionis à fide elicito, primò quia ut eſt à fide nititur ſola divina revelatione, ut autem eſt à Theologia nititur partim lumine naturali, ſivè quoad alteram prę-miſſam, ſivè ſaltem quoad vim conſequentiæ: ſecundò, quòd aſſenſus elicitus à fide eſt certior, eo quòd nullo alio fundamento nititur, præterquam infallibili: cum verò elicitur à Theologia, quia tunc lumen naturale confert ad illum, non eſt tam certus; quamvis ſimpliciter ſit adhuc certus, & certior, quam ſi ſolo lumine naturali niteretur. Fateor tamen (inquit idem Valentia) hanc differentiam certitudinis à nobis fortè percipi non poſſe, quamvis ratio eam ſuadeat.

16 Secundò eadem ſententia P. Marin oppugnatur; quia omnis argumentatio, ſivè ſyllogiſmus ſit, ſivè entymema, nititur illo communi principio, *dici de omni, dici de nullo, dici de aliquo, & non de aliquo*: ut cum Ariſt. *lib. 1. Prior. cap. 4.* omnes fatentur: ſed hæc principia ſunt nota naturæ lumine: ergò aſſenſus concluſionis in entymemate non nititur ſolum authoritate, & revelatione divina, ſed lumine quoque naturali: id quod eſt contra rationem ſupernaturalis, & chriſtianæ fidei.

Ter-

17 Tertiò ex P. Oviedo *tract. de fide. controv. 2. punct. 8. §. 3. num.* 145. fides non innititur identitati ſui objecti jam propoſiti per alium aſſenſum: cui identitati innititur diſcurſus quilibet, ſivè ſyllogiſmus ſit, ſivè entimema: ergò fides non eſt diſcurſiva: integrum aſſumptum patet, quia fides nititur ſolùm authoritate, & revelatione divina: identitas autem ſeù connexio objecti conſequentis cum antecedentis objecto, ut propoſito per alium actum, aliquid aliud eſt formaliter diſtinctum ab authoritate, & revelatione Dei: imò & quid aliud reperitur in antecedenti quolibet, ut antecedens eſt, præter Dei authoritatem, & revelationem: quòniam antecedens formaliter ut tale, & ut actus intellectus influit in concluſionem formalem, influxu morali, juxta communem Philoſophorum Societatis noſtræ ſententiam, & plurium etiam extra illam, ſic enim docent P. Conton *diſp.* 47. *ſect.* 7. Oviedo *controv. 9. punc. 3. num.* 7. Arriaga *diſp.* 15. *Logicæ, ſect.* 5. Peñafiel, *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *ſect.* 2. Lynze *lib. 7. met. tract. 4. cap.* 8. Izquierdo *diſp.* 2. *Phari. quæſt.* 15. *num.* 311. Rhodes. *lib. 1. diſp. 4. ſect. 1.* Sanctacruz 3. *part. Log. num.* 1173. Bona ſpes *tract.* 8. *diſp.* 2. *dub.* 1. *reſol.* 4. Spinula *diſp.* 11. *Log. ſect.* 4. Emman. à Concept. *tract.* 3. *Log. diſp.* 2. *quæſt.* 4. Illuſtriſsim. Echalaz *tract.* 7. *Log. diſput.* 37. *cap.* 2. aliique, laudati à pererudito Doct. Jacobo Servera *diſp.* 21. *Log. cap.* 5. *num.* 40. *& ſeqq.* Omiſſa Thomiſtarum ſententia apud Mag. Prado *lib.* 3. *Logic. quæſt.* 4. §. 2. qui aſſerunt phyſicè influere præmiſſas in concluſionem: influxum tamen moralem nemo inficiari poterit, cum evidens ſit, intellectum ex ipſo præmiſſarum aſſenſu allici, & moveri ad eliciendam concluſionem: at aſſenſus præmiſſarum quid eſt realiter diſtinctum ab aſſenſu concluſionis: ergò in aſſenſu concluſionis licet revelatæ, intellectus diſcurſu utens non nititur ſola Dei revelatione, & authoritate, ſed etiam aſſenſu antecedentis ejuſque influxu, & identitate ſui objecti cũ objecto conſequentis, quod non eſt fidei divinæ proprium, ſed naturalis luminis, ſupra quod divina elevatur fides.

SECTIO CENTESIMA SEXTA.

Argumentis pro formali diſcurſu fidei ĩt obviam, oſtenditque ſcientiam infuſam Chriſti Domini non fuiſſe diſcurſivam.

1 ARguit primò P. Ripalda ſolito ſuo acumine: ſcientia infuſa Chriſti Domini potuit eſſe formaliter diſcurſiva: ergò etiam fides divina: antecedens eſt D. Thomæ, 3. *part. quæſt.* 11. *artic.* 3. *corpor.* ajentis: *Aliqua ſcientia poteſt eſſe diſcurſiva dupliciter: uno modo quantum ad ſcientiæ adquiſitionem, & hoc modo ſcientia animæ Chriſti non fuit diſcurſiva, quia hæc ſcientia fuit ſibi divinitus indita. Alio modo poteſt dici aliqua ſcientia diſcurſiva quantum ad unum, ſicut interdum ſcientes ex cauſis concludunt effectus, non ut de novo addiſcant, ſed volentes uti ſcientia, quam jam habent, & hoc modo ſcientia animæ Chriſti poterat eſſe collativa, & diſcurſiva, poterat enim ex uno aliud concludere, ſicut ſibi placebat.* Idem edocet S. Doctor, *eadem quæſt. art. 4. corpore*: illique ſubſcribunt Cajetanus, Medina, Nazarius, & alii Recentiores Thomiſtę. Unde poterat Chriſtus Dominus unico judicio univerſali, aſſentire, juſtos eſſe filios adoptivos Dei per gratiam ſibi inhærentem, & alio ſolùm aſſentiri Divum Petrum eſſe juſtum, eiſque judiciis præmiſsis determinari ad inferendum tertium, quo aſſentiretur, Divum Petrum eſſe filium adoptivum Dei per gratiam inhærentem.

2 Jam conſequentia probatur.

tur. Quia eadem prorsùs est ratio, ut fides divina possit suis assensibus discursum efficere. Nam licèt possit simplici judicio assentiri subjecto revelato propter authoritatem, & revelationem divinam; tamen non cogitur semper hæc tria objecta simul judicare, sed pro arbitrio voluntatis potest ea judicia dividere: alterum quo solùm assentiatur summæ auctoritati Dei; alterum, quo solùm assentiatur revelationi Incarnationis divinæ: His autem judiciis præmissis cogitur, seu determinatur ad inferendum tertium, quo assentiatur existentiæ Incarnationis. At hoc tertium judicium potest pertinere ad fidem eàdem ratione, qua pertinet ad scientiam infusam, illud aliud ex duobus ejusdem scientiæ præmissis illatum. Sicut enim ex illis tertium colligitur supernaturale, ita & ex judiciis præmissis fidei divinæ.

3 Aliundè ex objecto formali magis spectat hoc judicium ad fidem divinam, quàm illud ad scientiam infusam. Nam hujus motivum est authoritas, & revelatio divina, quæ constituunt objectum formale fidei divinæ proprium. Illius verò est veritas extrinseca præmissarum, quæ non est ratio motiva ita propria scientiæ infusæ, nam cum quidditativa sit, videbatur vendicare tanquam rationem motivam sui veritatem intrinsecam, & immediatam objecti, quod refert. Cur igitur hoc tertium judicium, de quo disserimus, non elicietur à fide divina, si supernaturale est, & innixum objecto formali fidei divinæ, sicut illud aliud elicitur à scientia infusa? Inconsequenter igitur negant, fidem divinam discursivam esse posse, qui affirmant scientiam infusam esse posse discursivam. Sic ingeniosus P. Ripalda.

4 Cui objectioni fit satis primò, negando primum illius antecedens, quod est totius argumenti basis: falsum enim reor, scientiam infusam esse discursivam, in quo assentior Eximio nostro Doctori *tom.* 1. *in* 3. *disp.* 28. *sect.* 2. & P. Vazquez *in* 3. *part. disp.* 52. *cap.* 3. qui pro eodem placito laudant Seraphicum Doctorem D. Bonaventuram *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. Richardum, *artic.* 4. *quæst.* 3. eandem illustrat sententiam P. Aldrete *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 67. *sect.* 33. & in hoc ducor placitum, quòniam scientia infusa Christi Domini, non solum fuit æqualis scientiæ Angelicæ, sed ipsa perfectior, loquendo de scientia supernaturali, ac per se infusa, quia species per se infusæ animæ Christi fuerunt universaliores speciebus Angelicis, ut docet D. Thomas *in* 3. *dist.* 14. *artic.* 3. & 3. *part. quæst.* 11. *art.* 4. Tum quia licèt hujusmodi scientia solùm æquiparetur scientiæ Angelicæ, Angeli non utuntur, nec uti valeant simili ratiocinio, igitur nec id veniet concedendum scientiæ infusæ. Videsis Eximium Doctorem loco cit. tum, *disp.* 29. & P. Aldrete, qui id optimè stabiliunt.

5 Nec ab hac sententia discedere cogit authoritas præexarata D. Thomæ, non præcisè quia Seraphicus Doctor nostram protegit doctrinam, sed etiam quia Doctor Angelicus congruam accipit interpretationem, si explicetur de scientia infusa in tota sua latitudine, quæ comprehendit scientiam per se infusam, & per accidens: nam licet necessarium non fuerit, ut discurreret Christus per scientiam per accidens infusam, potuit tamen per illam discurrere. Colligiturque ista expositio multiplici conjectura subtiliter à P. Aldrete observata.

6 Nam primùm D. Thomas *hac quæst.* 11. *art.* 2. asserebat, licèt potuerit Christus per scientiam infusam intelligere independenter à phantasia, simul etiam habuisse potestatem convertendi se ad phantasma; quod solùm potest intelligi de scientia infusa in tota sua latitudine; nam per scientiam

per

per ſe infuſam, de qua modò loquimur, non poterat uti Chriſtus propria converſione ad phantaſma, propter independentiam hujus ſcientiæ à corpore, quæ exercebat ſuos actus ſaltem ſicut ſcientia Angelica, prorſus independens à corpore: alioqui etiam per ſcientiam beatam uteretur Chriſtus converſione ad phantaſma, quod non eſt dicendum.

7 Secundò, quia D. Thomas inde probat, Chriſtum per ſcientiam infuſam potuiſſe intelligere cum converſione ad phantaſma, quia ſenſus in illo non erant fruſtrà: ſic cernere eſt 3. *part. quæſt.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Hæc autem ratio ſolùm probat, per aliquam ſcientiam potuiſſe intelligere cum converſione ad phantaſma: ac proinde potuit per aliquam ſcientiam infuſam cognoſcere cum converſione illa ad phantaſma, quia aliqua ſcientia infuſa erat per ſe comparabilis per ſenſus, licet per accidens ſit infuſa. Tertiò, quia *dic. quæſt.* 11. *artic.* 3. probat, poteſtatem diſcurrendi in Chriſto per ſcientiam infuſam, ex illo Matth. 17. *Ergò liberi ſunt filii*, quod fundamentum dumtaxat, evincit, Chriſtum potuiſſe per aliquam ſcientiam infuſam diſcurrere, nam illi fuit per accidens infuſa ſcientia, quæ per ſenſus acquiri poteſt.

8 Unde fit, Chriſtum Dominum non potuiſſe elicere per modum diſcurſus ex vi ſcientiæ infuſæ tertium illud judicium, de quo *num.* 3. *in fine*, ſcilicèt quo aſſentiretur ex vi præmiſſarum, *Divum Petrum eſſe filium adoptivum Dei per gratiam inhærentem*; quòniam cognitio à ſcientia per ſe infuſa elicita eſt quidditativa præmiſſarum, cognitio autem quidditativa præmiſſarum, neceſſariò attingit quidditativè concluſionis objectum; quia quidditas objectiva præmiſſarum non eſt formaliter adæquatè alia à quidditate concluſionis, ſiquidem concluſio in præmiſsis continetur. Videſis P. Aldrete qui, loco præcitato, hoc fundamentum elucidat. Præterea dici poteſt, illud judicium non elici per diſcurſum, ſed illius objectivam veritatem percipi à Chriſto Domino per ſcientiam infuſam, juxta modum cognoſcendi Angelorum. Tum quia juxta P. Ripaldam fides poteſt ſimplici, aut non diſcurſivo actu aſſentiri objecto revelato propter authoritatem Dei, & ipſius revelationem, tanquam objectum formale.

9 Secundò reſpondetur, conceſſo primò objectionis antecedenti, nempè ſcientiam per ſe infuſam poſſe eſſe diſcurſivam, & negando conſequentiam, juxta tradita à P. Martinono *diſp.* 10. *de fide. ſect.* 7. *num.* 53. quia ſcientia per ſe infuſa, & ſupernaturalis eſt evidens, & attingit evidenter ſuum objectum ſicuti eſt: unde evidenter cognoſcere poteſt, & noſcit bonam, & malam illationem, & objectum illatum: adeòque non ſubeſt periculo deceptionis ex difficultate benè ſyllogizandi: neque regitur Logicæ, ſeù conſequentiæ regulis, ſed potius ſua ſupernaturali luce excellentiſsima, & regulas ipſas, & objectum illuſtrat. At verò fides obſcura eſt, ſubeſſetque periculo deceptionis, ſi niteretur forma ſyllogizandi, & regulis boni diſcurſus formalis, in quarum applicatione ſæpè contingit deceptio: poſſet etiam dici, ſcientiam ex ſtricto ſcientiæ conceptu non excludere diſcurſum, cum naturalis ſcientia in nobis ſit propriè ſcientia, & tamen eſt diſcurſiva: cæterum fides ſtrictè ſumpta in nobis quoque diſcurſu caret, & ſolo nititur dicentis teſtimonio.

10 At quiſpiam opponat: non omnem diſcurſum infallibilem inniti notitiæ reflexæ regularum benè ſyllogizandi; patet quòniam rectus uſus diſcurrendi præceſsit Logicæ artem: oportet ergò non omnem formam rectè diſcurendi inniti huic arti, quæ poſterior eſt. Nec hujus rectitudinis diſcurſus

sus incapax est rusticus, maximè in facilibus: quare ex hac parte nihil impedit quominus fides supernaturalis possit esse discursiva. Non obest etiam periculum deceptionis, quia non minus est capax deceptionis assensus enunciativus: adeòque rusticus vel imperitus potest decipi, judicando, seù credendo aliquid esse verum, quia Deus revelavit, licèt in eo assensu non discursu utatur, sed tantum judicio: tum quia si non potest esse certus de formali discursu, nec de virtuali, qui includitur in judicio, certiorari valebit.

11 Respondeo: in omni discursu includi aliquem Logicæ usum; duplicemque esse Logicam aliam artificialem, aliam naturalem: igitur sine Logica artificiali plures fieri valent discursus, certi utique, & evidentes; at sine aliqua naturali Logica discursus effici non poterit: illa enim connexio antecedentis, cum consequenti cognita ut necessaria, est quædam naturalis Logica, sine qua certitudo illationis consistere nequit: sivè tamen hoc naturale lumen rationis Logica appelletur, sivè secus, tamen influit in omnem consequentiam, & ex connexione antecedentis cum consequenti, cognita naturali lumine, discursus procedit: fides autem non ex naturali lumine, sed adæquatè ex supernaturali, & præcisè ob divinum testimonium, & authoritatem elicitur, ut sectione præcedenti ostensum est.

12 Quid? Potest rusticus vel imperitus decipi etiam judicando. Respondeo, faciliorem esse deceptionem in discursu, quàm in judicio: vel ex eo saltem, quòd indiget discursus cognitione connexionis consequentis cum antecedente: & quo major est in intelligendo compositio, eo facilior est lapsus: unde & sapientes in discursibus minus difficulter falluntur, quàm in judiciis simplicibus. Præterea in rebus fidei ex præcepto credendis, tot adsunt credibilitatis motiva, ut nec rusticus falli possit, si sufficienter pro ipsius captu res fidei illi proponantur: nec Divina providentia sinet, ut quę ad salutem sunt necessaria rustico non proponantur, ut ipsi proponi par est. Tandem præcipua nostræ doctrinæ ratio ea est, nempè, omnem discursum ex naturali ratiocinatione confici, ex parte saltem; fidem verò adæquatè ex divino testimonio, & lumine supernaturali elici.

13 Replicabis ex P. Ripalda: cognitio, quæ potest fieri absque prævia motione præmissarum, quin sit per se conclusio, potest fieri materialis conclusio comparata per discursum ex prævio discursu præmissarum, quia hic, & nunc elicitur ab intellectu ex prævia motione illarum, non elicienda nunc, si non præcessisset talis præmissarum motio: quemadmodum amor objecti honesti, aut delectabilis propter se, qui potest concipi à voluntate absque prævia intentione finis extrinseci, in quem confert, potest interdum ex prævia talis finis extrinseci intentione fieri, & ex illa electio materialis constitui. Ergò etiam assensus objecti revelati elicitus à fide, qui per se potest fieri absque prævio judicio distincto authoritatis, & revelationis divinæ, quin sit aliqua ratione conclusio, poterit hic, & nunc fieri, & determinari ex tali prævio judicio, & ejusmodi processione, & illatione contingenti conclusio materialis, & discursus formalis constitui, sicut naturales cognitiones possunt per discursum formalem ex aliis contingenter inferri, & materiales conclusiones constitui. Nam nulla apparet ratio, ob quam hujusmodi processio, & illatio contingens repugnet potius assensui supernaturali objecti revelati, quàm assensui naturali ejusdem objecti, qui ex eodem motivo, ex quo supernaturalis fieri potest, tum seorsim à prævio assensu, tum etiam ex prævio assensu revelationis divinæ. Sicut enim intel-

tellectus ad ejuſmodi aſſenſum ſupernaturalem poteſt determinari, & cogi ab effectu efficaci imperante arbitrii; ita poteſt ab aſſenſu prævio objecti formalis connexo cum illo.

14 Hujuſcemodi tamen ingenioſæ ratiocinationi appoſitè fit ſatis, dicendo, quòd licèt cognitio, quæ fit ſine prævia motione antecedentium aſſumptionum, quin ſit per ſe concluſio, poſsit fieri materialis concluſio, comparata per diſcurſum; & conſequenter aſſenſus objecti revelati elicitus à fide, qui non eſt per ſe concluſio, poſsit fieri concluſio materialis, ſi comparetur ex præmiſsis ſupernaturalibus, tamen ille aſſenſus ut ſic procedens à præmiſsis non eſt fides, ſed Theologica concluſio: quemadmodum idem P. Ripalda *diſp.* 12. *de fide. ſect.* 5. *& diſp.* 47. *de ente ſupernaturali*, cum Durando, Okam, Capreolo, Gabriele, Paludano, PP. Molina, Valentia, Fonſeca, Salas, Granado, Hurtado, Cardin. de Lugo, ab aliis imitatis, docet, poſſe quempiam eidem objecto aſſentiri actu aliquo elicito ex duplici adæquato motivo, ſcientiæ ſcilicet, & fidei: conſimili ergò fundamento reſpondemus, aſſenſum fidei, ut elicitum ex fidei objecto formali abſque diſcurſu, poſſe etiam comparari ex prævіis præmiſsis ſupernaturalibus; cæterum ut ab illis prodeuntem non eſſe fidem, ſed concluſionem Theologicam.

15 Hic autem animadverto haud ſatis cohærenter à P. Ripalda *diſp.* 13. *de fide. ſect.* 4. *num.* 36. id conſtitui diſcriminis fidem inter, & Theologicam concluſionem, quod hæc, prout differt à fide, debet eſſe concluſio formalis ſupponens per ſe aſſenſus præmiſſarum. Concluſio autem elicita à fide, & per diſcurſum illata, poteſt eſſe ſolum materialis, quæ ſeorſim à præmiſsis fieri poſsit. Hæc inquam diſcriminis ratio juxta ſententiam ipſius P. Ripalda, videtur non poſſe conſiſtere; ille enim univerſim docet, poſsibilem eſſe materialem concluſionem, nullo igitur fundamento inficiari valet Theologicam concluſionem materialem, quæ videlicet per ſe non ſupponat formalem præmiſſarum influxum. Quid enim prohibet ex ſcientia infuſa, aliquod ſupernaturale ſimplex elici judicium, idemque poſtea ex ſupernaturalibus præmiſsis colligi per accidens: præterea, cum aſſenſus fidei poſsit eſſe formalis concluſio, ſi diſcurſiva ſit fides, nequit à Theologica concluſione formaliter ſecerni fides, ex eo quod hæc non ſit formalis concluſio: alias omitto levioris armaturæ objectiones, quæ ex dictis poſſunt elevari.

SECTIO CENTESIMA SEPTIMA.

Fidem eſſe Dei donum non officit ejuſdem fidei immediatæ libertati.

1 FIdei divinæ libertati, quam propugnamus, opponat quiſpiam, videri contrariam certam Theologorum doctrinam, imò & dogma, quo erudimur, fidem eſſe donum Dei, ſi ergò donum Dei eſt, ergo non eſt opus noſtræ libertatis: aut ſaltem decretum Dei efficax, & ab intrinſeco efficacem gratiam prædeterminantem admittere adigimur, quâ Societatis noſtræ Scholæ omninò oppugnat: ruit ergò tradita à nobis doctrina. Primum antecedens ex quo reliqua deduci videntur, ex Sacra Scriptura, & Patribus, ac Conciliis oſtenditur, videlicet ex illo *ad Philip.* 1. *Vobis donatum eſt, non ſolùm ut in illum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Et ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt.* Et 2. *ad Cor. cap.* 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.* Et 1. *Cor. cap.* 4. *Quis enim*

te

te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Pluraque alia in id adduci poſſent ſacra eloquia. Ex quibus in Concilio Arauſicano, 2.can. 5. eadem veritas definitur, hiſce verbis: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* Idem conſtabilitur eodem in Concilio, *can.* 7. quē infra pendimus.

2 Conſignant Eccleſiæ Patres, & luculenter D. Auguſtinus, *epiſtol.* 107. *ad Vitalem Semipelagianum*, ubi poſtquam retulit ejus ſententiam de modo fidem ſalutarē, concipiendi audita prædicatione Evangelii, per ſolam videlicet facultatem arbitrii, quæ ſufficiat ad acceptādam, ut oportet, veritatem propoſitam, inquit, id contradicere orationibus, quas Eccleſia fundit pro infidelibus, ut Deus eos convertat ad fidem, *Quomodo dicit* (ait) *quod te audio dicere, ut recte credamus in Deum, & Evangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt ex propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe? &c. Quæ ſi dicis, profectò noſtris orationibus contradicis. Dic ergo apertiſsimè, nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare, ut credant, ſed eis tantummodo prædicare*: hæc aliaque in hunc ſcopum ſcribit Sanctus Doctor. Et *libr. de Prædeſtination. Sanctorum*, quem rogatu Proſperi, & Hilarii ſcripſit ad refellendos errores Maſſilienſum, poſtquam dixit *cap.* 1. illos à Pelagio in eo diſſentire, quòd admitterent peccatum originale, & neceſsitatem gratiæ prævenientis ad omne opus bonum, ſivè incipiendum, ſivè perficiendum, *cap.* 2. refellit quod illi dicebant, aliter de ipſa fidē ſentiendum eſſe, quippè quam nomine boni operis non comprehendebant. *Prius itaque fidem, qua Chriſtiani ſumus, inquit, donum Dei eſſe, debemus oſtendere, ſi tamen diligentius id facere poſſumus, quàm in voluminibus tot, tantiſque jam fecimus.* Et infra: *Porro*, inquit, *ſi operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris, ut credamus: numquid metuendum eſt, nè totum facere non poſsit; & ideò homo primas ejus vendicat partes, ut noviſsimas ab illo accipere mereamur? Videte ſi aliud agitur iſto modo, niſi ut gratia Dei ſecundum merita noſtra detur quolibet modo, ac ſi gratia jam non ſit gratia.* Plura habet conſimilia S. Doctor.

3 D. Proſper *libro contra Collatorem*, præcipuè, *capit.* 40. & *lib. reſponſion. ad excerpta Genuenſium*, reſpondens tribus prioribus dubiis circa doctrinam Auguſtini, ſic habet: *Si conſideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quàm ut videatur gratia Dei ſecundum merita noſtra dari, ut in eo ipſo in quo gratiam neceſſariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis enervet? Quam perverſitatem omnino incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere.* Idem firmat *dubio quinto* ex prædictis reſpondens. Rurſus Proſper, lib. de Ingratis, capit. 14. *Ut non his ſtudiis auditor promoveatur, non doctor neque diſcipulus ſed gratia ſola efficit, inquè graves adolet plantaria.* Fulgentius *epiſt.* 6. *ad Theodoretum. capit.* 8. *Nihil tibi boni tanquam*

tuum assignes. Et lib. 1. *ad Monim. capit.* 21. *Sicut competit Deo ut causa sit totius operis boni, sic incongruum est, ut putetur causa cujuslibet operis mali.* D. Anselm. *lib. de concord. præd. & liber. arbritr.* parum ab initio. *Totum imputandum est gratiæ, quia nec volentis est quod vult, neque currentis est, quod currit, sed miserentis est Dei.* Basilius, *homil.* 22. *de Humil. Nihil tibi relictum est, ô homo, de quo gloriari possit.* Chrisostom. *homil.* 4. *sup. epistol.* 2. *ad Thessalonic. capit.* 2. *Ego sanè dixi, totum verò Dei est.* Et Damascenus *in Histor. Barl. & Josaphat: Qui plus virtutis habebat, totum Dei gratiæ adscribebat.*

4 Tandem D. Augustinus *lib. de Prædestin. Sanctorum. cap.* 10. agens de fide Gentium Abrahæ à Deo promissa sic loquitur: *Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem Gentium, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipse faciat quod promisit, alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Igitur cum fides sit Dei donum, videtur confici non ex libera immediatè voluntatis determinatione à nobis elici, & haberi.

5 Nihilominus firmiter tenendum est, fidem supernaturalem ita esse Dei donum, ut simul opus sit nostrum, & quidem liberum, primò ex definitione Sacro-Sancti Tridentini Concilii *sess.* 6. *cap.* 16. ajentis, quòd *Dei tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*: id quod & can. 32. expressè decernit: tum sic, ergo licèt fides actualis, & divina sit Dei donum, est tamen meritum nostrum: at ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur libertas à necessitate, ut definitum est à Summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. & tandem à Clemente XI. nunc Sanctam Dei Ecclesiam fœliciter, & ingenti fidei retinēdæ, & propagandæ, animarū quę salutis desiderio, & studio fragrāte, imò & accēso: ideòque ad meritū indifferentię libertate opus est, igitur opera nostra salutaria ita sunt Dei dona, ut simul libertatis nostræ sit dono supernæ gratiæ Dei cooperari, aut resistere. Idem Sacrum Concilium *canone* 6. confulcit, ac decernit liberam voluntatis nostræ cooperationem hisce perspicuis verbis: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, anathema sit.* Unde enim in potestate hominis esset, vias suas malas facere, nisi, & potestatis, ac cooperationis ipsius liberæ foret quoque, vias suas bonas efficere. Nec minus luculenter Cōciliū Arausicanū *secundū, can.* 25 ibi: *Hoc secundū fidem Catholicā credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quę ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*: ubi pendere est: illud, *Christo auxiliante, & cooperante*, quod evidenter nostræ cooperationis est decretoriū sicut & aliud: *si fideliter laborare voluerint.* Secundò nisi nostræ indifferenter liberę voluntatis esset, cooperari gratiæ Dei, & credere, aut non credere, & dissentiri, nullo jure à Sanctis Dei Prophetis, imò & à Christo Domino fierent tot increpationes, & cominationes propter fidem non adhibitam Dei verbis, propter perfidiam, & idololatriam præcipuè Judæorum. Tertiò eam nostrā immediatam libertatē credendi, aut dissentiendi fidei rebus, evincunt Sacræ Paginæ eloquia, quæ fusè in hoc tractatu produximus, & expendimus.

6 Quartò elucet assumptum

ex

ex illis Assertoris nostri perspicuis verbis Matth. *cap.* 9. *v.* 22. & Marci *cap.* 5. *v.* 34. *Fides tua te salvam fecit.* Et Lucæ *cap.* 16. ℣. 12. *Et si in alieno fideles non fuistis : quod vestrum est , quis dabit vobis?* Et Joann. *cap.* 15. ℣. 16. *Fructum afferatis : & fructus vester maneat.* Et Apocalyps. *cap.* 2. ℣. 19. *Novi opera tua , & fidem , & charitatem tuam , & ministerium , & patientiam tuam, & opera tua novissima.* Et Apost. *ad Gal. cap.* 6. ℣. 4. *opus autem suum probet unusquisque:* possentque consimilia superaddi: in quibus cernere est fidem, & charitatem aliaque salutaria opera nuncupari equidem nostra: igitur quia ex nostro libero prodeunt etiam arbitrio, cooperante, & adjuvante Dei gratia : idque esse Sacræ Scripturæ genuinæ mentis, edocent Sancti Patres identidem.

7 D. Paulinus, *epist.* 2. *ad Severum. colum.* 3. *Quæ nobis,* inquit, *est gratia, si in alieno tantùm fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus, id est de libero voluntatis arbitrio?* D. Ignatius, *epist.* 6. *ad Philadelph. Ego quod meum fuit feci, ut homo in unitate perfectus.* D. Chrisost. *homil.* 5. 1. *ad Timoth.* 1. *Gratias ago , & qui me confortavit , Christo Jesu. Hoc profectò jam Dei est. Deinde rursus quod suum erat adjecit ; quoniam fidelem me existimavit , prorsus id , quia ex semetipso aliquid contulerat, &c. Vides ut etiam quod suum est , & quod itidem Dei ex parte ponat.*

8 D. Hieronymus, *lib.* 4. *in Hieremiam. cap.* 18. *circa initium. Dimittit hominem voluntati suæ, ut vel præmia vel pœnas sua voluntate recipiat. Neque statim totum erit hominis quod eveniet,* (operis scilicet boni) *sed ejus gratiæ, qui cuncta largitus est. Ita enim libertas arbitrii reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris.* Ex quibus Patrum oraculis diducitur sanè, ita totum bonum opus tribuendum esse Deo, & ipsius gratiæ, & largitati, ut simul ipsi cooperetur nostra indifferentiæ libertas, utique proxima, & immediata, cum nihil huic officiat immediationi.

9 Illustratur ex Divo Augustino, locis jam supra adductis, tum etiam *tom.* 4. *quæst.* 2. *ad Simplician.* ubi multa de mente Apostoli *ad Rom. cap.* 9. illis in verbis, *cum non dum nati essent,* disputat, & fusè probat fidem esse donum Dei, rationemque petit ex eo, *quia nemo potest credere nisi velit , nemo velle , nisi vocetur , nemo autem sibi præstare potest ut vocetur ;* & sic, *vocando Deus præstat, & fidem, quia sine vocatione non potest quisquam credere.* Et post medium ipsius, *quæstionis,* subjungit S. Doctor. *Nemo itaque credit non vocatus ; sed non omnis credit vocatus; Multi enim sunt vocati pauci verò electi. Utique ii qui vocantem non contempserunt , sed credendo secuti sunt , volentes autem sine dubio crediderunt: Quid est ergo quod sequitur , igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. An quia neque velle possumus nisi vocati , & nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus? opus est ergò velle , & currere. Non enim frustra diceretur : & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et sic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis , neque currentis , sed miserentis est Dei, ut quod volumus adipiscamur , & quo volumus perveniamus. Noluit ergò Esau , & non cucurrit , sed & si voluisset , & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset , qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret , nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus , ut velimus enim , & suum esse voluit, & nostrum , suum vocando , nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat , id est posse benè agere, & semper beatè vivere.* Hæc Divus Augustinus.

10 In cujus doctrina in libertatis fidei ſcopum mentem dirigens obſervo primò, aſſerere S. Doctorem, quòd *vocando Deus præſtat, & fidem*: igitur quòd fides ſit Dei donum, non obeſt ejuſdem fidei immediatę libertati, quemadmodum, & libertatis noſtrę eſt divinæ vocationi obtemperare, vel eam contemnere. Secundò docet opus eſſe *velle, & currere*, quòd autem *velimus, & ſuum Deus eſſe voluit, & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo*: non igitur dono fidei à Deo præſtito derogat, dicere ipſum Dei donum noſtrum eſſe ſimul, quatenus noſtra libera voluntas potens fidei revelatis diſſentiri, illis obſequioſum præbere aſſenſum, imperat intellectui. Tertiò etſi D. Auguſtinus quaſi interrogans loquatur, dum inquit *An quia neque velle, &c.* Tamen ex proprio ſenſu eloqui intelligendus, ut adnotat Exim. Doct. P. Suarez, *tom. 2. de Gratia, lib. 5. cap. 46. numer. 3.* ubi inquit, quòd ille eſt ordinarius modus procedendi Auguſtini ſubtiliter inquirentis veritatem.

11 Quartò, illa poſtrema verba: *Quod autem voluerimus ſolus præſtat*: difficilia valde aliquibus videntur: ea tamen interpretatur P. Suarez, *lib. 3. de Auxiliis cap. 5. numer. 7.* & tract. de vera intellig. Auxil. efficac. *cap. 36. pag.* 249. ita ut illud *Quod* non ſit adverbium, ſed relativum, ut ſenſus ſit, velle beatè vivere, noſtrum eſt cum Dei adjutorio, quod autem per hunc affectum volumus, nempè poſſe benè agere, & ſemper beatè vivere, ſolus Deus præſtat. Nihilominus cenſerem expeditè ſatis eundem ſenſum poſſe capi, etiam ſi particula *quòd* ſit adverbium; quaſi doceat S. Doctor, velle credere, & aſſentiri revelatis à Deo, ipſius Dei eſſe, & noſtri; at verò poteſtatem credendi ſolius Dei eſſe; eſt enim *quòd* particula cauſalis ut Latini animadvertunt: & in hunc ſenſum optimè quadrant illa S. Doctoris verba, quæ immediatè ſuam mentem declarando ſubjungit: *id eſt poſſe benè vivere, & ſemper beatè vivere*: quamvis *ſemper beatè vivere*, ſi de actuali beatitudine æterna accipiatur etiam ſolius Dei munus, & donum ſit, etſi id mereri, & gratiæ Dei & noſtrũ ſit. Vel tandem intelligi poteſt, ita ut cũ multi ſint vocati ad fidẽ, non tamen omnes vocati credant, etſi ſufficienti gratia, & vocatione donati ſint; qui ad fidem veniunt Deo ſoli debent quod congrua vocatione, ſeu ſcientia media prævisa gratia efficaci vocati fuerint.

12 In eadem *quæſt. 2. ad Simplician.* ait Auguſtinus: *Si quæramus utrum donum Dei ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat: at enim, quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod benè volumus.* Libro etiam *de Prædeſtinat. Sanctor.* cujus ſcopus eſt, ſtabilire non ſolùm augmentum fidei, ſed etiam ejus initium eſſe ex Deo, & nobis miſericorditer à Deo tribui, nullis præcedentibus meritis, capit. 3. tradit D. Auguſtinus regulam illam: *Credere, & velle, & utrumque ipſius eſt*, (ſcilicet Dei) *quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.* Et *cap. 11.* idem confirmat, quoniam fides ita eſt Dei donum, ut à nobis quoque per præceptum exigatur.

13 Nec efficaciter oppones Divi Auguſtini verba eodem *libr. de Prædeſtinat. Sanctor. capit. 9.* Ubi inquit: *quando* ergo Deus promiſit Abrahæ fidem gentium non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit: promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines. Quia, etſi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum

dum Deum, ipse tamen facit, ut illi faciant, non illi faciunt ut ipse faciat, quod promisit. Alioqui ut Dei promissa complerentur, non in Dei, sed in hominum esset *potestate*: Haud inquam ex hisce utique verbis quidquam nobis contrarium evinces: id quod idem Augustinus aperiet, *lib. de Bono perseverantiæ. capit.* 13. ubi declarat ideo Deum operari in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate ut inquit Apostolus *ad Philip.* 2. *Quia cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quidquid agimus*: quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum non sumus sufficientes cogitare aliquid tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: non enim est in potestate nostra cor nostrum, & *nostræ cogitationes*: Ita S. Doctor. Deinde cum Deus ex Scientia Media præsciat, quænam futuræ sint cogitationes congruæ, seù quænam ipsius auxilia futura efficacia, promisit Abrę Gentium fidem, quia liberè decrevit auxilia sic prævisa congrua, & efficacia ad fidem Gentibus illis largiri. Unde idem S. Doctor, *lib.* 1. *Retrac. cap.* 23. retractans quod docuerat prius in quadam expositione *Epist. ad Roman.* nempè *Quod ergo credimus nostrum est*, inquit: *Profectò hoc non dicerem*, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis: & quod paulo post dixi, nostrum est, credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris; verum est quidem, sed eadem regula, & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi *volentibus nobis*. Sic Magnus Ecclesiæ Doctor, apertè edocens hanc esse sui genuinam mentem à qua nunquam postea recesit, quidquid non nullus dixerit. Plura ex D. Augustino, & aliis Ecclesiæ Patribus *sect.* 35. & sequentibus exaravimus.

SECTIO CENTESIMA OCTAVA.

Ut intelligendus Apostolus ad Roman. cap. 9. ℣. 16. & cap. 8. ℣. 14. necnon 1. ad Cor. 4. ℣. 7.

1 APostolus ergo, prędicato in *epigraphe* loco, hanc tradit sententiam: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quod Pauli oraculum D. Augustinus, ingenti suo acumine *in Enchyrid. cap.* 32. expendit, & in hunc modum concludit: *Porrò si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat, restat ut propterea dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*: hæc S. Doct. Undè argui potest, si ergo credere ita efficitur, ut licet ex parte procedat à Dei gratia, & dono, tamen etiam ex parte fiat ex libero nostro arbitrio, & non totum Deo tribuitur, posset dici juxta illationem quam intorquet D. Augustinus: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis: id quod nullus Christianus dicere audebit, quia esset Apostolo repugnare: igitur libertatis nostræ non est credere revelastis à Deo.

2 Respondetur primò, juxta intelligentiam Stapletoni *in Antidoto, tom.* 2. *in epist. Pauli ad Romanos*, Apostolum in præ excerptis verbis, & D. Au-

guſtinum in eorum interpretatione non agere de principiis noſtri conſenſus ſupernaturalis, aut ſalutaris, an ſcilicet ſit Deus ſolus, an ille, & ſimul arbitrium noſtrum, ſed de gratia juſtificante, an ſcilicet illa allegoricè repreſentata in benedictione Jacob præ fratre Eſau debeat quidem accepta referri, Deo ne ſoli, an ipſi, & etiam arbitrio, eam prius merenti? Cum ergo Judæi putarent, eam deberi cæremoniis Moſaica lege præſcriptis, & Pelagiani operibus bonis ſolis viribus naturæ factis, utrumque excludunt Paulus, & Auguſtinus, id ſtatuentes, nempè citra omne meritum noſtrum, & ex ſola potius Dei miſericordia gratiam juſtificantem, adoptionemque filiorum Dei, nobis, cum antea eſſemus filii iræ, à Deo conferri. Itaque non volentis neque currentis (ad juſtitiam ſcilicet virtute ſolius naturæ) ſed miſerentis eſt Dei, ipſa utique juſtitia. Quoniam nempe ſic volendo, & currendo eam non meremur, nec obtinemus, ſed ex Dei miſericordia, qui hominis voluntatem bonam, ut inquit Auguſtinus, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, ut gratiam, & adoptionem filiorum Dei mereatur, & obtineat. Quod ſi ex ſolius naturæ viribus eam gratiam juſtificantem mereremur, profectò poſſet etiam è contrario dici, non Dei miſerentis, & conferentis nobis juſtitiam, hæc eſt, ſed hominis volentis, & currentis, id eſt volendo, & currendo eam merentis ſibique debitam facientis. Sic intelligendum Paulum docent etiam Pater Cornelius à Lapide, & P. Juſtinianus in hunc locum. Anaſtaſius *in qq. ſcrip. quæſt.* 59. & P. Richardus Lincæus *tract. 17. de Beatitudin. lib. 2. cap. 37.*

3 Haud tamen ideò diffitemur Paulum, & Auguſtinum loqui non tantum de *velle* naturalis ordinis, ſed etiam, ejus occaſione de velle ſupernaturali, ad quod à Deo præparamur, & adjuvamur, ut ſcilicet hoc poſteriori velle ſupernaturali cōſtituto, excludāt illud prius velle ab omni merito gratiæ juſtificantis: ſed enim aſſerimus non de velle ſupernaturali, ſed de ſola juſtitia pronuntiant tandem, *non eſt volentis, neque currentis, &c.*

4 Eidem expoſitioni adſavet P. Petavius *lib. 3. Theolog. dogm. cap. 1. num. 5.* dicens, in hunc ſcopum adduxiſſe Apoſtolum exemplum Jacob, & Eſau, quorum primum, & ſi natu minorem Deus dilexit evehendo ad regnum, & alia beneficia, ſecundum verò, etſi primogenitum odio habuit, id eſt minus dilexit, negando hæc beneficia, & ſubjiciendo ejus poſteros filiis, & poſteris Jacob, id eſt, Iſraelitis, quin ex parte illorum præceſſiſſet ulla ratio diſcriminis hujus.

5 Reſpondetur ſecundò, probabile etiam eſſe, quòd in duplici ſenſu literali loquatur Paulus, loquentemque interpretetur Auguſtinus ubi ſupra, adeòque non de gratia tantùm juſtificante, ſed de ipſo etiam conſenſu noſtro ſalutari pronuntient, *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Cui expoſitioni conſona eſt doctrina P. Molina, *in concordia quæſt. 14. art. 13. diſp. 40. fine*: nec difficilis eſt expoſitio, cum enim ipſum primum velle noſtrum, ut ſalutare ſit, debeat à miſericordia Dei ejuſque gratia procedere, & per hujuſmodi actus ſalutares, & ſupernaturales ad gratiam juſtificantem diſponamur: & tàm gratia vocans, & adjuvans, quàm juſtificans ſint munera à Dei liberali miſericordia conceſſa, merito dicit Apoſtolus non volentis, neque currentis ſed miſerentis eſſe Dei, & quod ſalutariter operemur, & quod gratiam juſtificantem conſequamur: ideſt iſtam juſtificantem gratiam, & illam qua vocamur, & adjuvamur munera eſſe ſolius Dei miſerentis.

6 Reſpondetur tertio, in illis

lis verbis, *non eſt volentis, neque currentis.* Apoſtolum, ejuſque interpretem Auguſtinum non aliud velle, quàm quod conſenſus noſter ſupernaturalis multò magis ſit à Deo, quàm ab arbitrio noſtro, etſi revera ſit ab utroque licet diverſimodè, ut enim adnotant in hujuſce textus expoſitione PP. Cornelius, & Juſtinianus, Hebræis id gentile eſt, ut cum volunt præferre, affirment, & cum poſtponere, negent. Quo pacto Matth. *cap.* 9. ℣. 13. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, ponitur, pro *miſericordiam magis volo, quam ſacrificium*, & ejuſdem Matth. 10. ℣. 20. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, pro *non tam eſtis vos, qui loquimini quàm ſpiritus, &c.* & Joan. *cap.* 7. ℣. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me Patris*, pro *mea doctrina magis eſt Patris quam mea.* Et 1. *ad Corinth. cap.* 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, pro *multo minus facit prædicator in converſione, & perfectione animarum, quam Deus.* Et 1. *Corinth. cap.* 15. *Abundantius omnibus laborari, non ego ſed gratia Dei, quæ in me eſt*, ut habet textus Græcus, pro *abundantius omnibus laboravi, non tàm ego, quàm gratia Dei, &c.* eandem obſervationem trahunt P. Lincæus, *lib.* 1. *de Theol. locis. tract.* 9. *cap.* 2. *numer.* 13. & *de Beatitud. tract.* 17. *lib.* 2. *cap.* 37. & Tirinus, *tom.* 1. *in Sacr. Scrip. de proprietatib. linguæ Hebraicæ, not.* 6. & 7. ubi etiam ait uti Hebræos epitaſi, ſeu verbo vehementiori pro minus vehementi, ut Malachiæ, cap. 1. & ad Roman. 9. *Jacob dilexi, Eſau odio habui*, pro *minus amavi, poſtpoſui.* Igitur ut ex eo quòd Deus in ſenſu prædicto miſericordiam velit, non ſacrificium, & ſic de reliquis, non licet inferre, è contrario quod ſacrificium velit non miſericordiam; ita in præſentiarum, ex eo quod non ſit volentis, neque currentis in ſenſu à nobis tradito, non rectè poterit inferri è contrario, quòd non ſit Dei miſerentis: quia multo magis conſenſus noſter ſalutaris eſt à Deo, quàm à nobis: ſed adnota, nos non aſſerere ex parte aliqua ſalutarem aſſenſum non eſſe à Deo, ſed potius dicimus totum eſſe effectum ipſius Dei, licèt creatura ſimul cum Deo concurrat ut cauſa libera, & immediatè determinans: at Deus principalis eſt cauſa operis.

7 Difficiliorem locum prius expoſui, ut gradum facerem ad intelligentiam ejus, qui ex eadem Epiſt. *ad Roman.* poteſt nobis opponi, nã *cap.* 8. *v.* 14. inquit Paulus: *Quicũque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Atqui ſi liberæ noſtræ voluntatis eſſet credere, dicere deberet Apoſtolus quicumque ſpiritu Dei, & voluntate ſua libera aguntur, credunt que, & amant Deum ii ſunt filii *Dei.* Tum etiã ſi conſenſus ſalutaris eſſet à noſtra libertate oriundus, non agi diceremur ſed potius agere. Quid item habent peculiare opera bona ſupernaturalia, & ſalutaria præ naturalibus, propter quod ad illa, non ad hæc agamur ſpiritu Dei, niſi horum, non verò illorum virtutem ac rationem determinativam ad nos pertinere · quod ſi tota ratio determinandi, & agendi eſt à gratia Dei, igitur libertatis noſtræ non eſt fide infuſa credere.

8 Huic difficultati quę vel eadem eſt, vel ſimilis ei, quam ſupra propoſui, & elevavi, reſpondet Stapletonus *in Antidoto tom.* 2. *in epiſt. Pauli ad Roman. cit. cap.* 8. ℣. 14. Proprio ſpiritu agitur, qui aut ſecundum carnem ambulat, aut propriis viribus legem implere præſumit. Hoc Catholici non docent, ſed damnant. Divino ſpiritu agitur, qui ſpiritus Chriſti particeps ejus gratiæ ductu facta carnis mortificat. Hoc ſpiritu vacuos eſſe Dei filios non volunt Catholici, ſed vult Calvinus, qui alium Dei ſpiritum ſubſtituit, quo filii Dei agantur, de quo

Pau-

Paulus nihil docuit: ſic præcitatus, & Sapientiſsimus Author. Eadem eſt doctrina Auguſtini, *de verbis Apoſt. ſerm.* 12. *Dicit mihi aliquis* (inquit) *ergo agimur, non agimus: reſpondeo, imò agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt: ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis.* Et *de corrept. & grat. cap.* 2. *Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant*: Ita igitur in ſalutaribus ac ſupernaturalibus actibus, aguntur filii Dei, & quicumque hanc adoptionis gratiam requirentes retinenteſque credunt, ut ſpiritu Dei, & ipſius gratia vocante, & adjuvante, ipſi tamen verè agant, non utcumque, ſed etiam meritoriè, ac liberè, cum poſsint etiam diſſentiendo gratiæ malè operari, & revelatis à Deo diſſentire.

9 Eodem ſenſu Apoſtoli verba intellexere Aphrorum Epiſcopi ad Sozimum Papam ſcribentes, ut refert, ac probat Cœleſtin. I. *Epiſtol.* 1. *ad Epiſcopos Galliæ, cap.* 8. hiſce verbis: *Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, ſic filii ſunt Dei, ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitamus auxilium.*

10 Hinc ſponte ſua germana fluit Patrum intelligentia, cum totum opus ſupernaturale Deo tribuendum eſſe docent, nimirum ipſos eloqui de toto totalitate effectus, non verò totalitate cauſæ, & cum nec illud, nec aliquid ejus eſſe à nobis dixerint, hoc velle, quòd non à nobis virtute ſolius naturæ noſtræ, & ſecluſa ope Divinæ gratiæ: & conſimiliter cum referendum in ſolum Deum, id contendere, quòd in eum ſolùm ſit adſcribendū ut cauſam ſupremam, & abſque alterius cauſæ elevatione operantem. Nempè agebant contra Semipelagianos, opus meritorium inter nos nobis relictos, Deumque partientes, initiumque operis nobis dumtaxat, id eſt abſque auxilio gratiæ, continuationem verò, & perfectionem Deo, & ejus gratiæ aſsignantes, ut adnotant inter plures Exim. Doct. P. Suarez *tom.* 1. *de Gratia. Prologom.* 5. Ruiz *de Prædeſt. diſp.* 5. *ſect.* 2. Ripalda *tom.* 1. *de Ente ſupernat. diſp.* 15. *ſect.* 3. & *diſp.* 17. *ſect.* 6. & *diſp.* 30. *ſect.* 26. Gualter. *ſect.* 5. *ad an.* 550. *fol.* 373. & cernere eſt in Caſiano, *Collat.* 13. *cap.* 8. *Cum in nobis* (inquit) *ortum quærit bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim, atque confortat, incrementum tribuens ei, quam vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe.* Sic ille: & expreſsius Fauſtus Regienſis *in lib. de grat. & lib. arbitr. tom.* 5. *Bibliot. PP.* ubi paſsim habet: *nos incipimus, Deus verò perficit, & conſummat. Deus expectat voluntates noſtras. Obedientiæ, labori, & induſtriæ humanæ divina gratia ſubjungitur.* Quæ omnia Concilia, & Patres ipſaque Sacra Scriptura falſa eſſe decernunt.

11 Cæterum nos longè aliter de fide infuſa, ac de quolibet opere bono ſupernaturali judicamus, nempè quo ad ejus initium, & non ſolum quoad progreſſum, & conſumationem, totum Deo, & ipſius gratiæ, totumque naturæ ſic per gratiam elevatæ ut cauſæ ſecundæ immediatè, & proximè liberæ adſcribimus: id quod nihil continet abſurdi, ſed conſentaneum eſt Scripturæ, Conciliis, & Patribus in ſuperioribus adductis, videndiſque in Scriptoribus Societatis noſtræ: ſed haud ſilentio præterire libet D. Bernardum *tract. de liber. arbitr. column. penult.* ubi ſic docet: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa.*

12 Igitur Patres dum fidem, & alia ſupernaturalia ſic Deo adſcribunt, ut videantur negare liberi noſ-

noſtri arbitrii cauſalitatem, ac determinationem eloqui cenſendi ſunt juxta Sacræ Paginæ Hebraicam phraſim, ut ita longè perfectius Deum ad actum omnem ſupernaturalem, & quidquid in illo eſt, nos verò minus perfectè, & per virtutem nobis indebitam, & ex divina largitate conceſſam concurrere ſignificant: ſic eos exponit Magiſter in 2. *diſt.* 27. §. *Cum ergò*, ibi: *Bona merita quando ex ſola gratia eſſe dicuntur, non excluditur liberum arbitrium. Sed in bonis merendis cauſæ principalitas gratiæ attribuitur, qua excitatur liberum arbitrium, & ſanatur, atque juvatur voluntas hominis, ut ſit bona.*

13 Unde appoſitam accipit interpretationem illud Apoſtoli 1. ad Cor. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit, quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quia nimirum credens fide infuſa, ipſam fidem accipit à Deo principaliter operante ut ſupremo Domino, & ſupernaturalem gratiam vocantem, excitantem, & adjuvantem miſericorditer largiente, cum tamen ex viribus ſolius naturæ ſalutariter credere, vel eam fidem habere homo non poſſit: unde D. Auguſtinus, *contra duas epiſt. Pelag. lib. 2. cap. 7.* ait: *ille diſcernit, qui unde diſcernaris impertit.* Et *cap. 34. de Spirit. & Litera* Apoſtolum exponens hæc habet: *Miſericordia ejus in omnibus prævenit nos, conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt; quæ res non ſolum non infirmat quod dictum eſt: Quid habes quod non accepiſti, &c. Verùm etiam confirmat: accipere quippè, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei eſt: accipere & habere, utique accipientis, & habentis eſt.* ſi lubet relege, quæ ex eodem S. Doctore adnotavi *ſect.* 35. Conſignat D. Anſelmus. *in concordia pag. 82. col. 1. Si quis* (inquit) *largiatur veſtem alteri, cui nihil debet, & qui nullum poteſt à ſe indumentum habere, quamvis habeat poteſtatem utendi, & non utendi ipſa veſte, non ideo, ſi illa utatur, imputandum eſt illi, quod ſit indutus, ſed veſtem danti, præſertim ſi non ſolum veſtem dediſſet, ſed poteſtatem ſervandi, & utendi, & ad bonum ejus uſum illum excitaret. E contra verò ſi veſtem projiceret, ei tantum imputaretur nuditas.*

14 Poſſumus id ipſum aliter explicare dicentes, diſcretionem benè operantis à non operante ut in actu primo acceptam eſſe à ſolo Deo: eandem verò ut in actu ſecundo conſideratam eſſe à Deo principaliter, & totalitate effectus, & minus principaliter ab homine ſalutariter operante, & liberè agente: id quod luculenter docuiſſe Divum Auguſtinum reor, dum exponens Apoſtolum 1. *ad Corinth. cap.* 15. ℣. 10. hæc tradit, *lib. de Grat. & lib. arbitr. cap.* 5. *Non ego ſed gratia Dei mecum, id eſt, nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus ſed gratia Dei cum illo: & ut de Cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia erat Dei ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala.* Equidem D. Auguſtinus multis in locis *ut de Prædeſt. Sanct. cap.* 3. 4. 5. & 6. *lib.* 1. *ad Simplicianum. quæſt.* 2. *in Enchiridio, cap.* 2. 8. 9. 31. & 97. *de Spiritu, & lit. cap.* 30. *de peccator. merit. & remiſ. lib.* 2. *à cap.* 17. *Epiſt.* 106. & 143. Expendit verba Apoſtoli 1. *ad Cor.* 4. ℣. 7. ſed in eis locis contendit contra Pelagianos, & Semipelagianos, diſcretionem benè operantis neque quoad operationem perfectam, neque quoad ejus initium haberi ſolis viribus arbitrii creati, traditque in *lib. de Præd. Sanct. cap.* 3. & 4. ſe fuiſſe eis verbis convictum ad deſerendum errorem, cui incautus priùs ante Epiſcopatum adhæſerat: nullibique eorum locorum docet diſcretionem illam fieri per gratiam ab intrinſeco efficacem, ſeu quæ immediatæ voluntatis creatæ libertati opponatur.

Con-

15 Concinit D. Angelicus D. Thom. 3. *part. quæſt.* 19. *art.* 3. *in corp.* ubi hæc habet: *Hoc dicitur aliquis habere per ſe ipſum, cujus eſt aliquo modò ſibi cauſa. Prima autem cauſa omnium bonorum noſtrorum per authoritatem eſt Deus. Et per hunc modum nulla creatura habet aliquid per ſe ipſam, ſecundum illud* 1. *ad Cor.* 4. *Quid habes quod non accepiſti? Poteſt tamen ſecundariò aliquis eſſe cauſa ſibi alicujus boni habendi, in quantum ſcilicet in hoc ipſo Deo cooperatur.* Ubi apertè edocet D. Thomas non eſſe contra Apoſtoli oraculum aſſerere creaturam eſſe cauſam ſecundam boni operis, liberè utique cooperando gratiæ Dei primi Authoris, & cauſæ primæ; brevitatiſque ergò ſuis tantùm locis indicabo alia Patrum conſona aſſerta, D. Auguſt. *de Grat. & lib. arb. cap.* 5. Damaſceni *lib. de duab. Chriſti volunt. ante medium.* D. Bernardi, *de Grat. & lib. arbitr. ad finem.* Laurentii Juſtiniani, *in faſc. amor. cap.* 17. Iſidori Peluſiot. *lib.* 4. *Epiſt.* 51. Theodor. *Ezech. cap.* 11. Baſilii, *Conſtit. Monaſt. cap.* 16. Hieronymi, *in Eccleſiaſt. cap.* 4. Chriſologi, *Serm.* 91.

SECTIO CENTESIMA NONA.

Fides ita eſt nobis, immediatè libera ut ipſius cauſa principalis ſit Deus.

1 UT præcedentis ſectionis innoteſcat magis veritas, & fidei noſtræ immediata libertas, Divinæ, ſupremæ cohærens cauſalitati affulgeat, operę pretium erit, oſtendere hujuſcemodi cauſalitatis præſtantiam, & modum, quo voluntas, & intellectus in fidem concurrant, voluntas ſcilicet determinando, ac imperando aſſenſum, intellectus verò aſſenſum eliciendo; plures quippè ſunt ac diſſidentes inter ſe circa hanc difficultatem ſententiæ.

2 Prima ſententia affirmat, intellectum, & voluntatem eſſe tantùm cauſas inſtrumentales actus cujuſlibet ſupernaturalis: gratiam vero eſſe cauſam principalem ita ex noſtris edocent Exim. Doctor P. Suarez, in *Met. diſp.* 30. *ſect.* 11. *numer.* 46. *lib.* 2. *de Attrib. negativ. cap.* 10. *lib.* 3. *de Auxil. cap.* 15. *numer.* 20. *tom.* 3. *de Gratia. lib.* 6. *cap.* 6. *& tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 31. *ſect.* 6. P. Granad. 1. *part. tract. de viſione Dei, diſp.* 6. *numer.* 22. Arrubal, 1. *part. diſp.* 19. *numer.* 30. Albertin. *tom.* 1. *quæſt.* 6. *Theol. ex* 2 *princip. philoſoph. numer.* 5. Faſol. 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 5. *numer.* 27. Recupitus, *tract.* 1. *de Deo. lib.* 6. *quæſt.* 7. Arriaga, *tom.* 1. *in prim. part. diſp.* 8. *ſect.* 1. *numer.* 2. *fine.* Vekenus, *diſp.* 12. *de Deo. num.* 20. Izquierdo, *tract.* 8. *de Deo. diſp.* 19. *quæſt.* 3. *prop.* 2. *numer.* 33. Gaſpar Hurtad. 1. 2. *diſp.* 2. *difficult.* 16. Joſeph. Auguſt. 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 5. *difficult.* 2. *numer.* 42. Moncæus, *in ſelec. diſp.* 8. *cap.* 3. Palavicin. *in aſſertion. lib.* 1. *numer.* 25. Alarcon, etſi problematicè, 1. *part. tract.* 1. *de viſione. cap.* 1. *numer.* 9. Ex Dominicanorum PP. Schola, Capreolus, *in* 2. *diſp.* 8. *quæſt.* 1. *ad* 12. Paludan. *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 1. *numer.* 42. & alii. Ex Scotiſtis Montepiloſus *tom.* 1. *part.* 1. *diſp.* 23. *art.* 13. *numer.* 4. Briceño, *tom.* 1. *controv.* 9. *diſt.* 1. *ſubdiſt.* 2. *art.* 2. *numer.* 10. & 11. Ex aliis Ægidius, *in* 2. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 1. *corpor. & diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad fin.* Caſpenſis, *tract. de viſione, diſp.* 4. *ſect.* 5. Thomas del benè *in ſum. diſp.* 3. *de viſione, quæſt.* 16.

3 Secunda ſententia ait, intellectum, & voluntatem non eſſe cauſas tantum inſtrumentales, ſed principales reſpectu ſuorum actuum ſupernaturalium, nec tamen ideò diffitetur Deum eſſe cauſam primam ſupremam, ſic arbitrantur ex noſtris Card. Bellarmin. *lib.* 4. *de grat. & lib. arbitr. cap.* 15. *ad* 1. P. Vazquez, 1. *part. diſp.* 43. *numer.*

mer. 15. *& diſp.* 176. *cap.* 4. *num.* 20. Molina *in con ord. diſp.* 38. §. *Tertio aſſerimus.* Salas, *tom.* 1. *in* 1. 2. *quæſt.* 13. *tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 5. *numer.* 74. Fonſeca, *lib.* 6. *metaph. cap.* 2. *quæſt.* 4. *ſect.* 8. Tannerus, Herize, Leſsius, Franciſcus de Lugo, & alii complures. Ex Thomiſtis Bañez, 1. *p. queſt.* 12. *art.* 5. *dub.* 3. *contra tertiam ſentent.* Albelda *ibidem. diſp.* 27. *numer.* 54. Joan. à Sant. Thoma, *diſp.* 14. *pag.* 406. Alvarez, *de Auxil. diſp.* 68. *numer.* 7. Zumel, 1. *p. q.* 12. *art.* 5. *diſp.* 2. & 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 1. *diſp.* 1. Ex Scotiſtis Faber, *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *diſput.* 32. *num.* 21. Smiſing. *de Deo. tract.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 4. *numer.* 87. Ex aliis Ægidius de preſent. *lib.* 10. *quæſt.* 3. *art.* 5. Aragon, 2. 2. *q.* 23. Puteanus, & Iſambertus, 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 4. Lalemandet, *diſp.* 6. *de Deo.* §. 5. *numer.* 66.

3 Tertia ſententia diſtinguit, & ait, intellectum, ut præcisè efficit actum ſupernaturalem fidei, eſſe ejus cauſam inſtrumentalem, cum efficiat elevata ab alia cauſa ſupernaturali; ut verò eſt principium ejus vitale, eſſe cauſam ejus principalem, cum ipſe ſit qui principaliter, imò, & unicè per eam vivit, & eadem ratione voluntatem reſpectu actuum ſupernaturalium eſſe cauſam efficientem inſtrumentalem; cauſam verò vitalem, & liberam principalem: ſic docet P. Ripalda, *tom.* 1. *de ente ſupernatur. lib.* 2. *diſp.* 71. *ſect.* 3. Quarta ſententia eſt P. Aldrete, *tom.* 1. *in* 1. *diſp.* 11. *ſect.* 2. *num.* 15. dicentis, cauſam principalem actus ſupernaturalis eſſe terminum æquivocum, & interdum ſumi pro ea cauſa, cui eſt utilis actus ſupernaturalis, interdumque pro ea cui convenit, viſionem producere ſine elevatione: priori autem ſignificatione intellectum eſſe cauſam principalem actus ſupernaturalis, quippe qui intellectui duntaxat eſt utilis eumque ſolum denominat viventem, & intelligentem ſeu credentem; poſteriori autem ſignificatione non eſſe cauſam principalem ſed inſtrumentalem, cum non producat actum ſupernaturalem niſi elevatus per gratiam, quæ non eſt inſtrumentum, ſed cauſa principalis.

4 Quinta ſententia quorundam Scotiſtarum apud Lalemandet *diſp.* 6. *de Deo.* §. 12. *numer.* 95. eſt, intellectum eſſe cauſam principalem actus ſupernaturalis, quoad hujus ſubſtantiam, quippè ſic omnino eſt naturalis; non verò intellectum, ſed habitum infuſum, aut auxilium ſupernaturale eſſe cauſam principalem illius quoad modum ſupernaturalitatis. Sexta ſententia Pii Lerinenſis, 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 5. *dubit.* 2. *numer.* 6. & *art.* 6. *dubit. dub.* 2. *numer.* 7. ac Paſqualigi de Beatitud. *diſp.* 120. *ſect.* 5. & *ſect.* 7. *numer.* 31. eſt, nec intellectum, nec habitum infuſum, ſivè lumen gloriæ, aut gratiam eſſe cauſam inſtrumentalem actus ſupernaturalis, ſed utrumque principium eſſe cauſam principalem: intellectum titulo vitalitatis, principium verò ſupernaturale titulo ſupernaturalitatis, quæ in actu reperitur. Septima ſententia eſt Joannes Lemandet, *diſp.* 6. *de Deo*, §. 12. *numer.* 68. & *ſequentibus*, exiſtimantis, intellectum eſſe cauſam principalem vitalitatis repertæ in actu ſupernaturali, non verò ſupernaturalitatis ab ea non realiter, ſed tantum ex natura rei diſtinctæ, lumen ſivè principium ſupernaturale eſſe cauſam principalem ſupernaturalitatis tantundem è converſo diſtinctę à vitalitate.

5 Octava P. Amici, *tom.* 1. *diſp.* 11. *ſect.* 10. *à numer.* 233. & *ſect.* 11. eſt, intellectum eſſe cauſam principalem viſionis ſeu actus ſupernaturalis, qua eſt vitalis, ſed inſtrumentalem, qua actus ille eſt ſupernaturalis: lumen verò ſeu conſimile ſupernaturale principium eſſe ejuſdem actus entitativè accepti cauſam principalem, at verò re-

repræſentativè ſumpti eſſe inſtrumentalem. Nona ſententia Sylveſtri de Saavedra, *diſp. 17. de Deipara. numer. 985. & ſeqq.* eſt, intellectum, & etiam principium ſupernaturale eſſe tantum cauſas inſtrumentales viſionis Dei, vel alterius actus ſupernaturalis: ipſam verò animam ab utroque diſtinctam eſſe cauſam ejus principalem; quia ſcilicet ſubſtantia animæ ſola eſt principium *quod* talis operationis. Decima ſententia eſt Ludovici Monteſinos, *tom. 1. in 1. 2. diſp. 32. quæſt. 2. numer. 30. fine, & numer. 43.* ajentis, intellectum eſſe cauſam principalem viſionis, aut alterius actus ſupernaturalis, cum per habitum, vel formam ſibi intrinſecam ex ſe proportionatam producit talem actum, inſtrumentalem verò, ſi eam producat, ut divinitus poteſt, per auxilium extrinſecum, & abſque alio intrinſeco præter motionem actualem Dei. Cui ſententiæ favet Bañez, caſu quo admittatur poſsibile auxilium extrinſecum. Nec longe abeſt Curiel, 1. 2. *quæſt. 5. artic. 5. dub. unic. §. 7. dubitat. 2.* ubi cenſet, intellectum elevatum ab habitu luminis eſſe cauſam principalem viſionis Dei; at cum per talem habitum nõ elevatur, eſſe cauſam nec principalem, nec inſtrumentalem ſed mixtam ex utraque.

6 Undecima ſententia, media equidem inter duas primas, & præcipuas in hac controverſia, eſt P. Richardi Lincæi, *tract. 17. de Beatit. libr. 2. cap. 3.* ubi docet, cauſam principalem, aut inſtrumentalem, talem propriè dici per comparationem ad aliquam aliam cauſam: quare eandem cauſam ejuſdemque effectus eſſe poſſe ſimul principalem, & inſtrumentalem, reſpectu ſcilicet diverſarum cauſarum ſecum ad eum concurrentium. Itaque intellectus comparativè ad habitum ſeu principium ſupernaturale creatum eſſe cauſam principalem actus ſupernaturalis, etſi ad Deum comparetur eſſe ſimul ejuſdem actus ſupernaturalis cauſam inſtrumentalem, & quidem utramque propriè, & rigoroſè: & conſequenter ait, cauſas ſecundas virtute ſibi debita, & connaturali operantes, eſſe tamen propriè cauſas inſtrumentales reſpectu Dei, à quo virtutem omnem operandi accipiunt, etſi etiam reſpectu aliarum cauſarum, quibus utuntur, & quas ſecum ad operandum movent, ſint propriè cauſæ principales. Secundò permittit, eas cauſas operantes virtute connaturali eſſe tantum impropriè cauſas inſtrumentales; at ideò quia tantum ſunt inſtrumenta Dei ut cauſæ univerſalis, cæterum intellectus in productione fidei, aut viſionis beatificè eſt inſtrumentum Dei, ut cauſæ ſpecialis authoriſque ſupernaturalis, & ſic propriè intellectus eſt cauſa inſtrumentalis. Quod ſi per auxilium extrinſecum fieret à Deo elevatio, etiam intellectus eſſet cauſa principalis, quia Deus, ſine eo quod eſſet inſtrumentum, ſuppleret luminis vel intrinſeci auxilii inſtrumentalem concurſum.

7 In multiplici ergo, & ingenti adeò ſententiarum diſcrepantia, haud quiſpiam vicio vertat, aliam me, & ab illis diſsitam munire viam, quæ ut inclareſcat præmitto primò, nõ de nomine, ſed de re eſſe cõtroverſiã inter noſtros, & Recẽtiores Thomiſtas, & inter utroſque, & Authores præcipuè ſextæ, & octavæ ſententiæ. Quòd verò inter multos de nomine forſan ſit, non propterea deſpicatui illam ducere debemus, cum docere, ſeu exponere opere pretium ſit, qua ratione concurſus naturalis potentiæ ad opera ſupernaturalia principalis, & gratiæ è contra inſtrumentalis vocari poſsit, aut talis nuncupari nequeat, cum in harum vocum abuſu magnum ſit periculum, nam cum rem verſemus, quæ ad intelligentiam Sanctorum Patrum, & Sacræ Scripturæ pertinet, præ oculis ha-

habendà eſt ſententia Præceptoris Angelici D. Thomæ, 1. *part. quæſt.* 31. *artic.* 2. *Ex verbis*, nempè, *inordinatè prælatis incurritur hæreſis.* Et D. Dionyſii, *de Divinis nominibus, cap.* 1. *omninò non audendum eſt, quidquam de ſumma abſtruſaque Divinitate aut dicere, aut cogitare, præter ea quæ nobis divinitus ſcripta enuntiaverunt.* D. Hieronymi *epiſt.* 57. *ad Damaſum. Non bonæ ſuſpicionis eſt, cum in eodem ſenſu verba diſſentiunt.*

8 Quamobrem in Theologia Scholaſtica per utiles, imò & neceſſariæ ſunt de vocibus diſceptationes, idquè neceſsitatis agnoverunt Eccleſiæ Patres, S. Maximus *in diſceptatione contra Pyrrhum, apud* Cypparisiot. *decade* 10. *cap.* 4. ibi: *Dicere, & non prius diſtinguere ſignificata verbi, nihil aliud eſt, quàm omninò confundere, & obſcura relinquere ea de quibus quæſtio eſt; quod quidem alienum eſt ab homine rationis participe* D. Auguſtin. *lib.* 10. *de Civit. Dei*, cap. 23. ibi: *liberis verbis loquuntur Philoſophi nec in rebus, ad intelligendum difficillimis, offenſionem religioſarum aurum pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia, de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem:* adſonant Nazianzen. *oration.* 26. *de mod. in diſput.* Athanaſius, *in diſp. Laodiceæ habita coram Probo.* Baſilius, *lib. de Spirit. Sancto ad Amphiloc. cap.* 1. Gregorius Niſenus, lib. integro de differentia inter *uſiam, & hypoſtaſim.* Hilarius lib. de Synodis: pluraque congerit P. Lincæus *lib. de Theolog. & locis Theolog. tract.* 1. *Apolog. cap.* 4.

9 Præmittendum ſecundò, gratiæ auxilia, quæ Concilia, & Patres, contra Pelagianos præſertim, eſſe nobis neceſſaria ſtatuunt, eſſe gratiam internã, ſic in Concilio Arauſicano 2. *can.* 4. Gratia Dei ad operandũ ſalutariter neceſſaria, dicitur *infuſio, can.* 5. *inſpiratio. can.* 7. *illuminatio: & can.* 9. deſumpto ex *ſententia* 22. D. Auguſtini, dicitur: *Quoties enim bonum operamur, Deus in nobis, atque nobiſcũ, ut operemur, operatur. Et Can.* 24. explicat influxũ Chriſti in fideles, exẽplo vitis conferentis virtutem in palmites. Quo exẽplo etiam utitur Tridentinum, *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. quod rurſus *cap.* 6. eãdem gratiam apertiſsimè definit eſſe receptam in anima; cum enim præmiſiſſet, exordium noſtræ juſtificationis deſumendum eſſe à præveniente, & adjuvante gratia, qua nullis exigentibus meritis vocamur, ſubjũgit; *ut neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam, & abjicere poteſt:* quæ omnia, nemo non videat, gratiam nobis intrinſecam adſtruere, & decernere: Et quidem hoc adeò certũ eſt, ut abſque manifeſto errore negari non poſsit.

10 Rurſus gratia interna auxilians dividitur in actualẽ, & habitualẽ, ut tradit Angelicus Magiſter, 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 6. 9. & 10. & *q.* 110. *art.* 2. eandẽque diviſionem omnes Theologi recipiunt; & ad gratiã habitualẽ pertinent gratia ſanctificans, & virtutes infuſæ Theologicæ, & morales: actualis verò gratia eſt auxilium internum, quo Deus vires efficientes animæ ad actualem operationem ſalutarem allicit, ac movet, ad quã attinent vocationes, illuſtrationes, & inſpirationes: Porrò autẽ, gratiã ſanctificantẽ habitualẽ de fide eſſe agnoſcendã, edocent Cardinal. Bellarmin. Vega, P. Valentia, quos refert, ac ſequitur Exim. Doct. P. Suar. *l.* 8. *de Grat. ca.* 3. *n.* 6. Conink *diſp.* 6. *dub.* 1. & alii, quibus ſubſcribit P. Ripalda, *tom.* 2. *de ente ſup. diſp. ult. de grat. habituali, ſect.* 2. *nu.* 27. & licèt Mag. Sotus, Canus, Medina, Bannez, & Joan. Vincẽtius, relati à P. Suarez, *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 5. exiſtimẽt, id de fide non eſſe etiã poſt Tridẽtinũ; tamẽ ſentẽtia admittẽs eam gratiã habitualẽ ſemper fuit in Sãcta Eccleſia apud Theologos cõſtãs: Nec obeſt Decret. Innocentii III. in *cap. Majores de Batiſmo.* ac Cõcilii *Vien.* ſub Clem. V. relati *in Clementina* 1. *de ſum. Trin. & fide Catholica*; quoniam ut benè

ne notant Exim. Doct. *lib. 6. de Grat. capit.* 3. *numer.* 4. Conink. 2. 2. *disp. 6. numer.* 5. Curiel, 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 2. tam Innocentius, quàm Concilium omninò certum, & inter Theologos indubitatum ſupponunt, gratiam juſtificantem eſſe habitualem, eamque cum virtutibus ſimpliciter injuſtificatione conferri adultis, ſolúmque ajunt controverſiam fuiſſe, an etiam parvulis in Baptiſmo infunderétur illi habitus, quod parvuli rationis impotes habitibus uti non poſsint. Eſſe autem gratiam actualem internam, ſuadent de fide, quæ ex Sacris Scripturis, Conciliis, ac Patribus Eccleſiæ docent Theologi, nimirum homini infideli ad primam voluntatem fidei neceſſariam eſſe gratiam Dei: fideli peccatori ad dolorem de peccato, & ad alios ſupernaturalium virtutum actus, quibus ad juſtificationem diſponitur, juſto autem ad perſeverandum in gratia, uſque ad terminum, & ultimum vitæ inſtans; nam hæc doctrina non de habituali gratia, ſed de actuali intelligenda eſt, in infideli ad primam ſalutarem voluntatem fidei, in fideli peccatore ad attritionem, & virtutum moralium actus ſupernaturales, nec non in juſto ad perſeverandum in gratia. Actualis ergo gratia interna certiſſimè admittenda eſt: & ſatis probatur ex Sacræ Scripturæ locis, quibus fidei divinæ libertatem ſupra aſſeruimus, ſicut ex Sacris Conciliis, præſertim Tridentino, & Patribus id ipſum ſtabilientibus. Hujuſmodi verò gratiam actualem pertinere ad actus intellectus, & voluntatis communiſsima eſt Theologorum ſententia cum Magiſtro *in 2. diſtinct. 26. §. Cæterum, & §. Illa autem.* Et Angelico Doctor. Divo Thom. Joan. *6. lect. 5. verſicul. 3. quæſt. 1. & ad Roman. 8. lect. 3.* Exim. Doctor. *de Auxil. libr. 3. capit. 4. & lib. 1. de Gratia. cap. 8.* cum aliis ferè ſine numero apud P. Ripalda *de ente ſupernatur. diſput. 102. ſection. 1.* & ſequentibus. *Et diſ. 103. per totam.*

11 His prælibatis reor, in primis intellectum, & voluntatem ita immediatas eſſe virtutes, & cauſas actus divinæ fidei liberæ, ut reſpectu Dei ſint cauſæ propriè inſtrumentales, in quo aſſentior P. Lincæo: & ex parte Authoribus, qui cenſent, intellectum, & voluntatem eſſe actus ſupernaturalis cauſam inſtrumentalem. Secundò aſſero, intellectum, & voluntatem reſpectu actus ſupernaturalis, conſtituere cum gratia unam ſolùm cauſam adæquatam principalem: diviſim verò ſolum eſſe cauſas inadæquatas etſi principales. Tertiò exiſtimo, intellectum ſeu voluntatem reſpectu gratiæ eſſe cauſam minus principalem actus ſupernaturalis; gratiam verò eſſe principaliorem. Quartò demum, ſi à Deo per ſe ipſum ſupplente concurſum creati ſupernaturalis principii eleventur intellectus, & voluntas, non poterunt denominari cauſæ principales, magiſque induent naturam cauſæ inſtrumentalis, quam principalis.

12 Omnia ex dictis diducere haud difficile erit. Primum quoniam ſic quàm optimè exponuntur ſacra eloquia, & Patrum aſſerta, Conciliorumque ſanctiones quæ opera noſtra ſalutaria in Deum ut ſupremum Authorem referunt. Tum quia Deus ita eſt Author ſupremus ordinis gratiæ, ut non poſsit nuncupari cauſa partialis, ſed adæquata, & principalis; denique creatura quidquid virtutis, & cauſalitatis habet, ſivè ratione ſuæ potentiæ naturalis, ſivè ratione gratiæ totum accipit à Deo, qui inſuper ſuo immediato ſupernaturali concurſu ut Author ſupernaturalis efficit opera noſtra ſalutaria; & conſequenter creatura nihil boni agere valet niſi

cau-

cauſante Deo, & virtute ab ipſo Deo accepta, & naturali, & ſupernaturali; propterea que Deus eſt cauſa principalis, intellectus autem, & voluntas reſpectu Dei ſunt cauſæ inſtrumentales.

13 Secunda ſententiæ noſtræ pars probatur, quoniam nec habitus, ſola aut gratia actualis, nec potētia naturalis poſſunt producere actum vitalem, & liberum ſupernaturalem, ſi ſeorſim ſumantur, ſed & gratia elevat potentiam, & potentia determinat habitum aut principium actuale ſupernaturale ad efficiendum actum ſupernaturalem: tum quia habitus, & gratia non eſt principium liberum, quale eſt voluntas noſtra, nec voluntas aut intellectus continent ſupernaturalem actus perfectionem: & conſequenter ex habitu ſeu gratia, & potentia naturali conſtituitur adęquatum principium creatum actus ſupernaturalis: & in hunc ſenſum quadrant verba Apoſtoli 1. *Corinth.* 15. ibi: *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quod accepiſſe videtur Paulus ex illo *Sapientiæ, cap.* 9. *mitte illam de cœlis Sanctis tuis, ut mecum ſit, & mecum laboret.*

14 Tertia pars cohęret valde teſtimoniis Patrum, & Conciliorum, imò & Sacræ Scripturæ, quæ in operatione ſalutari primas partes gratiæ deferunt, ſic Apoſtolus ajebat, *non ego, ſed gratia Dei mecum*: hinc etiam lucem accipit illud Pauli *ad Romanos, capit.* 9. *Non eſt volentis, neque currentis*, quia nimirum opus ſalutare magis principaliter eſt à gratia quàm ab arbitrio noſtro, etſi re vera ſit ab utroque, ut à principio immediato etiam *quo*. Conferunt Conciliorum Decreta, Arauſicanum, ſecundum, *canon.* 5. ibi: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum quo, in eum credimus, qui juſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur*: ubi pondero, non ſolum gratiam auxiliantem, & Spiritus Sancti inſpirationem, dici donum gratiæ, ſed inſuper ipſam gratiam aſſeri corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem: non quia ſit gratia neceſsitans, nec determinans, ſed vocans, & adjuvans, nihilominus eo loquendi modo gratiæ principalitas reſpectu naturæ in opere ſalutari ſatis mihi ſignificatur. Tum quia idem Concilium Decretum, & ſententiam ſuam ex Sacra Pagina probans adducit illud Apoſtoli *ad Epheſios, cap.* 2. *gratia ſalvati eſtis per fidem, donum enim Dei eſt*: id quod niſi gratiæ principaliorem tribuamus cauſalitatem, videtur rectè exponi non poſſe.

15 Concinit Concilium Moguntinum *cap.* 8. ubi ſic habetur: *Opera juſtificatorum gratiæ Dei effectus ſunt, & movente, & adjuvante Spiritu Sancto fiunt verè bona, & Deo grata, & remuneratione vitæ ęternæ digna: Non enim ſecundum humanas vires æſtimanda ſunt juſtificatorum opera, ſed ſecundum eam gratiam, quam in ipſos influit Chriſtus, ex qua deinde bona ipſorum opera promanant; & ſecundum eam dignitatem, quam de Spiritu Sancto, velut omnis boni operis motore, & operatore ſumunt.* Hęc autem non ſolùm tertiam noſtrę ſententiæ partem, verùm, & primam valdè confulciunt, quia, & opera ſalutaria gratiæ Dei præcipuè referuntur, & Deo tanquam primo motori, & Authori adſcribenda enuntiantur, adeoque creata principia Dei ſunt inſtrumēta. Ex Jure Canonico idē communitur, *cap. Gratia.* 145. *de con-*

ſecrat. diſt. 4. ubi ex Div. Auguſt. *de Gratia, & liber. arbitr. ad Valentinum. c.* 14. dicitur. *Gratia, quæ per Chriſtum datur, non ſolùm peccatorum remiſſionem facit, ſed etiam ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: ſpiritus etiam gratiæ dat fidem, quæ etiam non petita à Deo conceditur, ut homini petenti, & alia concedantur. Nam fides non eſt liberi arbitrii tantum, ſed donum Dei*: Porrò autem ſpiritum gratiæ dare fidem, eandemque fidem eſſe donum Dei, evicunt ſatis, quòd licet noſtrum liberum arbitrium, & intellectus immediatè ad fidem cooperentur, arbitrium, ſcilicet imperando, intellectus verò eliciendo actum fidei, tamen Dei gratia principaliùs efficiendo concurrit.

16 Cujus principalioris cauſalitatis Authores etiam oſtenduntur Aphri Epiſcopi referibentes ad Zozimum Papam, ibi: *ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius* (ſcilicet Dei) *valere non dubitemus auxilium.* Quam ſententiam refert, & approbat Cæleſtinus Papa, *epiſt.* 1. *ad Epiſcopos Galliæ, cap.* 8. Nec quidquam dilucidius in rem noſtram videtur aſſeri potuiſſe: ſed haud minus perſpicuè D. Hieronym. *lib.* 4. in Hierem. *cap.* 18. *Nec ſtatim totum*, inquit, *erit hominis, quod eveniet, ſed ejus gratiæ, qui cuncta largitus eſt. Ita enim libertas arbitrii reſervanda eſt, ut in omnibus excellat gratia largitoris*: accinit Proſper, *lib. de ingratis cap.* 19. inquiens:

Porro fidem quis dat niſi gratia? ſic benè velle,
Gratia dat tribuendo fidem, quæ credita poſcat,
Quæque voluntatis meritum creet:
Ergo voluntatis genitrix, operumque creatrix
Non eſt ex merito.

Ubi perpendo priora illa verba, *Porrò fidem quis dat niſi gratia*, quæ licet noſtrum non inficientur meritum, cum expreſsè de ipſa gratia aſſeratur voluntatis meritum creare; tamen luculenter ſignificant, cauſam fidei, ac meriti principaliorem, reſpectu potentiæ creatæ, eſſe gratiam; & propterea eandem gratiam nuncupat operū effectricem, creatricem, generatricemque; & conſequenter non ſolùm moralē, verùm etiam phyſicū illi tribuit influxū.

17 Quem in auxiliis gratię actualibus agnoſcunt Cardin. Bellarm. *lib.* 1. *de Grati. cap.* 13. *ad primum.* P. Molina, cujus in hiſce præſertim difficultatibus magni pretii debet eſſe ſententia, *in concord. quæſt.* 14. *ad* 37. Leſſius *de auxiliis, cap.* 15. *num.* 3. *& cap.* 17. *numer.* 10. Vazquez, 1. 2. *diſp.* 185. *cap.* 9. Valentia, 1. 2. *diſp.* 8. *punct.* 3. Henriquez, *de fine homin. cap.* 18. §. 8. Sotus *de Natura, & grat. cap.* 16. Medina, *quæſt.* 111. *art.* 2. *ad primum*, & alii quos refert, & ſequitur P. Ripalda, *de ente ſupernat. diſp.* 110. *ſect.* 1. diſsidentibus Eximio Doct. *lib.* 3. *de Auxil. cap.* 4. *numer.* 11. & ſi abſolutum judicium ea de re non oſtendat, Tanner. 1. 2. *d.* 6. *q.* 3. *num.* 265. P. Granad. *contr.* 8. *de Grat. tract.* 8. *diſ.* 2. *ſect.* 6. Mag. Lorca, *diſp.* 18. *de Gratia.* Zumel, 1. 2. *diſp.* 111. *art.* 2. *ad* 2. *conc.* 4. *& tom.* 1. *de auxil. diſt.* 2. *concluſ.* 1. & pluribus, ac nobilibus Recentioribus.

18 Ratione autem ſic oſtenditur: gratia non ſolùm partialis eſt cauſa actus ſupernaturalis, ſed inſuper elevat naturalem potentiam, ut ipſa poſsit immediatè efficere actum eundem: igitur gratia magis principaliter influit in ſupernaturalem effectum: antecedens liquidum eſt; quoniam in primis actus ſupernaturalis eſt à gratia ut à ſupernaturali principio: deinde licet potentia naturalis juxta noſtræ Societatis Scholam habeat virtutem partialem immediatè activam actus ſuper-

na-

naturalis, tamen hæc virtus eſt obedientialis, vel talis ordinis inferioris, ut ſine gratia, naturalis potentia ſit verè impotens agere actus ſupernaturales, qui ſunt ordinis ſuperioris: quàmobrem potentia elevatur ab habitu, vel à gratia, ut agere poſsit; habitus autem ſupernaturalis, & gratia non dicuntur elevari à naturali potentia, quæ ordinis eſt inferioris: optima ergo illatione conficitur, gratiam, & habitum ſupernaturalem eſſe cauſam principaliorem præ intellectu, & voluntate. Tum quia gratia ordinis ſuperioris eſt, nihil autem ordinis inferioris poteſt abſolutè eſſe æquè perfectũ, ac id, quod in ordine cõſtitutum eſt ſuperiori. Tandẽ potentia naturalis ita agit actus ſupernaturales ut cauſa partialis, ut nullo modo ei debeatur conprincipium ſuperioris ordinis, aut ſupernaturale, nec concurſus aliquis Dei ad tales actiones ſupernaturales; ſed ex miſericordia Dei tale comprincipium illi tribuitur.

19 Ultima noſtræ ſententiæ pars ex eo probatur, quòd quando potentia naturalis per auxilium extrinſecum, increatum elevatur, tunc non adeſt cauſa creata, quæ poſsit ſortiri denominationem cauſæ principalis reſpectu actus ſupernaturalis; nam etſi naturalis potentia, & gratia, ſeu habitus ſupernaturalis conſtituerent unam cauſam principalem creatam talis operis, deficiente eo comprincipio creato ſupernaturali, non poteſt naturalis potentia denominari cauſa principalis: ſicut nec corpus, nec anima ſeparata poſſunt denominari homo. Tum quia licet virtus potentiæ naturalis ſit immediatè activa operis ſalutaris, ſi adjuvetur à gratia, ſeu habitu ſupernaturali, non poſtulat, nec exigere poteſt tale comprincipium ſupernaturale: & ideò ſola naturalis potentia eſt inſufficiens ad actus ſupernaturales: prætereaque dicitur habitũ infuſum tribuere naturæ rationali nõ præciſè faciliter, ſed ſimpliciter poſſe; igitur cum aliunde in hypotheſi data careat potentia naturalis principio creato, quo elevetur, & compleatur in ratione principii ſupernaturalis, ſolùm poteſt illa denominari inſtrumentũ Dei ut Authoris ſupremi, & ſpecialis operis ſupernaturalis.

20 Quod ſi dixeris, non minus compleri naturalem potentiam à Deo per ſe ſupplente influxum habitus, ſeu gratiæ creatæ, quàm compleretur per tale creatum comprincipium, aſſentior equidem huic aſſumptioni, verum ex illa infero præcipuam noſtræ ſententiæ rationem; quia multo perfectius ac dignius completur, & adjuvatur natura ad opus ſalutare, quando Deus ſe ipſo ſupplet efficientiam principii ſupernaturalis creati; deinde Deus non poteſt dici quod conſtituat unum cum creatura cõprincipium adæquatũ, ſicut de creato ſupernaturali principio dicendum eſt; id enim reor non eſſe conſentaneum ſupereminenti Dei majeſtati, & omnipotentiæ, quod nempè conſtituat unam cum creatura cauſam; adeòque Deus ut cauſa ſpecialis extrinſeca ſupplens creati principii efficientiam concurrens, dicendus eſt cauſa principalis talis actus, creatura verò cauſa inſtrumentalis etſi partialiter effectiva immediatè: ſed quoad poteſtatem liberam non agendi, ſeu diſſentiendi gratiæ, ſemper eſt creatura cauſa principalis, ut notat Exim. Doct. P. Suarez, *in opuſculis, lib. 3. de Auxiliis, cap. 15. numer. 22.*

SECTIO CENTESIMA DEZIMA.

Aliam elevat objectionem, quæ fidei libertati poſſet opponi.

1 FOrtè non acquieſcet quiſpiam ſententiæ noſtræ, ſed adhuc opponet verba Chriſti Domini, Joan. c. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſsit me, traxerit eum*: quæ D. Proſper, *lib. 2. de*

vocatione Gentium. cap. 9. *aliàs* 27. ita exponit, *ut his verbis ſignificaverit Dominus, fidem in ipſum ex Patris haberi munere, qui in cordibus trahendorum hoc agit, ut crederent, hoc efficit ut vellent: non enim eſſet unde traherētur, ſi ſequaces fide, & voluntate non eſſent, quoniam qui non credunt nec trahuntur omnino, nec veniunt*: Sic ille; & ex ipſius expoſitione colligi videtur, ita Dei donum eſſe fidē, ut nō ex libera noſtra electione, nec ex determinatione liberi eliciatur arbitrii.

2 Confirmatur, nam D. Auguſtinus, *lib.* 2. *ad Bonifacium, cap.* 9. *Ipſe eſt* (inquit) *cui veraciter fideliterque cantatur, quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quàm ipſa de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupiſci incipit, cum dulceſcere incipit.* Et Paulo poſt: *Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis. In qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis.* Additque *libro prim. de Nuptiis. cap.* 30. *& ſerm.* 27. *de Verbis Domini, aliiſque locis*, dulcedinem illam deſignari ab Apoſtolo cum ait: *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, Roman.* 7. Et à David, *Pſalmo* 118. ſic exclamante, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Et Pſalm. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et *lib. de Spiritu, & lit. cap.* 3. ubi diſtinguit verum Chriſti adjutorium à Pelagiano, dicitque ultra naturam, ſeu liberum arbitrium, & legem, ſeu doctrinam, neceſſarium eſſe, accipere Spiritum Sanctum, *quo fiat* in animo noſtro *delectatio, dilectioque juſtitiæ ſummi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus eſt*: inſpirando videlicet virtutem, dando menti *cœleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur*, ut ait *lib. de correp. & gratia, cap.* 2.

3 Unde nullum videtur eſſe boni operis genus, quod D. Auguſtinus non ad iſtam divinæ ſuavitatis inſpirationem, tamquam ad adjutorium revocet, quo Deus id in homine operatur: Probatur quia juxta illius doctrinam nullum bonum opus fit, niſi oriatur à cupiditate boni: cupiditas autem boni non habetur ſine tali delectatione, *Tunc enim bonum concupiſci incipit, cum dulceſcere incipit*, ut ſuprà dixit Auguſtinus: & præcipuè de fide infuſa edocere videtur, concipi non poſſe niſi præveniat hujuſmodi delectatio. *Veritas* enim, *quæ incipit non latere, niſi etiam delectet, non ſuſcipitur*, ut ait *de Spiritu, & litera cap.* 3. *Et cum id quod agendum, quo nitendum eſt cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non benè vivitur. Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris non per arbitrium liberum quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Et tract.* 41. *in Joan.* ubi exponens illud Apoſtoli, *Condelector legi Dei &c. Ecce*, inquit, *unde liberi, unde condelectamur legi Dei.* Unde cum in nobis ſit lucta quædam duarum delectationum, noxiæ, & beneficæ, terrenæ, & cœleſtis, quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem, ac pronum trahet, *tanto enim vehementius volumus, quanto certius, quid bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius*, inquit Auguſtinus, *lib. de Peccat. mer. cap.* 17. Idemque confirmat aliis locis, præſertim in Epiſt. ad Galatas, cap. 5. ubi dicit, regnare bona in homine, *ſi tantum delectant, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Atque ideò ſolet hanc delectationem appellare *victricem*, vel alio æquivalenti vocabulo, ut *lib.* 2. *de peccat. merit. cap.* 19. *& libro primo ad Bonif. capit.* 33. *& lib.* 13. *de Civit. cap.* 5. aliiſque locis: ſed maximè *in quæſtionib. ad Simplician. quæſt.* 2. *in fine*, ibi: *Nam voluntas ipſa, niſi aliquid occurrat, quod delectet,*

tet, atque invitet animum, moveri nullo pacto poteſt: hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate. Et *ſerm.* 17. *de verb. Apoſtoli, cap.* 3. *Non enim amatur, niſi quod delectat.*

4 Porrò autem ex prælibatâ S. Parentis doctrina adverſus ſuprà à nobis traditam ſic poteſt inſtitui argumentatio: ſecundum id quod amplius nos delectat, neceſſe eſt ut voluntate feramur, & operemur: igitur falſum eſt, quòd ſtabilire ſupra conabamur, videlicet voluntatem poſſe amare, minus bonum relicto majori bono cogitato, vel etiam præferre electione noſtra bonum minus vividè propoſitum, quod conſequenter minus delectet, & relinquere bonum vividius repreſentatum, quod magis nos allicit, & delectat. Secundò, ſi voluntas ferri non valet in bonum minus, vel quod minus nos allicit, & delectat: ergò nec intellectus aſſentiri poterit objecto ut minus veriſimili repreſentato: igitur, ſufficienter propoſitis fidei motivis, libertatis noſtræ immediatæ non erit, diſſentire revelatis à Deo, cum ſub ea hypotheſi, neceſſe ſit, longe veriſimiliora, & credibiliora dignoſci, quæ ut à Deo revelata ab Eccleſia proponuntur.

5 Reſpondeo primo, per illa Chriſti Aſſertoris noſtri verba Joann. *cap.* 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum*, non ſignificari tractionem aliquam, quæ immediatæ credendi obſiſtat libertati; imò nec illam quæ intrinſecam contineat connexionem antecedentem cum divinæ fidei actu. Probatur, quia ea tractio dicitur à Chriſto Domino neceſſaria, ut homo poſſit per fidem accedere, & venire ad ipſum; ideòque ſolet adduci locus iſte ad ſtatuendam neceſſitatem gratiæ ad poſſe ſimpliciter venire ad Chriſtum; gratia autem phyſicè prædeterminans, non eſt neceſſaria etiam Patrum Dominicanorum judicio ad poſſe ſimpliciter; nec in Schola noſtra ad eam proximam ſalutariter operandi potentiam neceſſaria eſt gratia prævia congrua; cum abſolutè poſſint venire ad Chriſtum, etiam qui gratia ſivè extrinſecè, ſivè intrinſecè efficaci careant: undè motio trahendi poteſt componi cum defectu veniendi in Chriſtum: Nam Joannis 12. ℣. 32. dicitur: *Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.* Nihilominus adhuc poſt Chriſtum in Crucem, & gloriam Patris exaltatum, poſt auxilia per ipſum hominibus diſpoſita, & collata, multi venire recuſant: ſic etiam Oſeæ. *cap.* 11. ℣. 4. aſſeritur: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitati*; poſteaque ſubditur; *noluerunt converti.* Dæmones quoque, & pravi homines dicuntur trahere alios in peccatum, quorum tractio nihil neceſſitatis, nihilque auferēs immediatam non peccandi libertatē inducit. Sic *Apocalyp.* 12. v. 4. de dracone referente Luciferum alios Angelos provocantem contra Deum, dicitur: *Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli.* Et *Prov.* 17. *à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit... blanditiis protraxit illum. Statim eum ſequitur... ignorans quòd advincula ſtultus trahatur.* Igitur quàm optimè Senonenſe Concil. *can.* 15. edocet, *Nec tale eſſe hujuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*: ubi reſiſtere ſignificat diſſenſum cum auxilio componere, ut ponderavimus, *ſect.* 30. *numer.* 10. *& ſequentibus.* In præcitatis ergò verbis Joan. 6. in rigore ſolum docetur, inquit Exim. Doct. *lib.* 3. *de Auxil. cap.* 11. *numer.* 7. neceſſitas divinæ illuminationis, vocationis, & excitationis ad idem, & alias actiones ſupernaturales, quæ nomine tractionis ſignificatur, quia magnam vim, & efficacitatem habet ad trahendos homines, non vi, nec phyſica actione, ſed morali, & ſuavi inductione, juxta illud Cantic. 1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum*

rum tuorum. Animadverto tamen, mentis Eximii Doctoris P. Suarez non fuiſſe, omnino excludere vim influendi phyſicè in divina gratia vocante, & excitante, cum eam cauſalitatem probabiliter agnoverit, *dic. lib. 3. cap. 4. numer. 3. fine.* Unde ſolùm inficiatur cauſalitatem phyſicam prædeterminantem, aut neceſsitantem.

6 Quod verò attinet ad D. Proſperum, nihil ille edocet, quod noſtræ obſiſtat ſententiæ; jam enim ſuprà expoſuimus rationis momenta, ob quæ fides Dei munus eſt, optimèque id cum immediata credendi, & diſſentiendi conjungi libertate: ipſeque Proſper eandem arbitrii conſulcit tractionem ab intrinſeco indifferentem *lib. de Ingratis. cap.* 14. ſequenti carmine:

Namque ut nunc ſævas gentes, & barbara regna
Ignoti prius, aut ſpreti nova gratia Chriſti
Attrahit, & terra templum ſibi condidit in omni
Sic prius immites populos, urbeſque rebelles
Vincente obſtantes animos pietate ſubegit.

In qua concinnè tradita ſententia perpendo, Chriſti gratiam ita ſævas gentes & barbara regna attrahere in ipſius Aſſertoris fidem, & amorem, ut templum ſibi condat terra in omni, hoc eſt illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, Joan. cap. 1. juxta illud, quod ipſe Chriſtus dixerat, ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum. At licèt multi fide, & charitate ad Chriſtum accedant, tamen in orbe quàm plures exiſtunt, qui nec dilectione, nec fide ad Chriſtum veniunt: igitur juxta D. Proſperum ita Deus Pater trahit ad Filium, ut hæc tractionis gratia nullo modo credendi & veniendi auferat libertatem, non qualemcumque ſed immediatam, ut ex ipſius Proſperi evicimus doctrina *ſect. trigeſima quinta, numer. 7. & ſequentibus*, nam, *ſicut qui credunt, juvantur ut in fide maneant: ſic & qui non dum crediderunt, juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate, ut exeant, ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant.* Relege, ſi lubet, plura inibi tradita.

7 Nec Divus Auguſtinus noſter definit Author, & Aſſertor, id quod ex quàm plurimis inclareſcit argumentis, ſed levi manu nonnulla attingere præſtat: igitur primo falſum eſt, quod Sanctus Doctor in ea fuerit ſententia, nempè ad fidem ſalutarem, imò ad omnes alios ſupernaturales actus opus eſſe præveniente aliqua cœleſti delectatione indeliberata, præſertim majori, delectatione autem majori contraria pariter indeliberata exiſtente, voluntatem ſuccumbere tentationi: & hoc quidem vel ex ſtatu naturæ lapſæ, vel ex intrinſeca natura voluntatis deſcendere: hæc inquam aliena prorſus ſunt à mente Magni Auguſtini, & à veritate, & doctrina fidei: probatur quia ex Sacra Scriptura conſtat, nos ſæpe moveri ex timore ſalutari, & ex eo benè operari, ut apud Iſaiam *capit. 26.* A *timore tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*, id eſt pœnitentię ſalutaris. Itaque ſæpè ipſi Prophetæ pœnas, & mala, quæ peccatum alioqui conſecuta eſſent, aut ſequutura forent, hominibus propoſuerunt, ut timore videlicet ad pœnitentiam inducerentur, ſic Jonas, & Jeremias, atque etiam Baptiſta, *Matth. cap. 3. Quis* (inquit) *monſtravit vobis, fugere à ventura ira? Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Imò ipſemet

met Chriſtus, Lucæ, *cap.* 13. *Niſi* (inquit) *pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, & Mat. *cap.* 10. *eum timete, qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem mittendi in gehennam ignis.* Huc etiam pertinet gravis illa D. Pauli ad pœnitentiam exhortatio, *cap.* 2. *ad Roma.* dum ait: *ſecundum impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.*

8 Secundò idem edocent Sancti Patres, Ambroſius in illud *Pſal.* 118. *conſige timore tuo carnes meas*, & *ad Virgin. lapſam*, *cap.* 8. inter cætera admonet, *pœnitentem cogitare debere, ſe quaſi poſitum jam prope ipſas tenebras exteriores.* D. Auguſtinus, *tract.* 9. *ſuper prim. epiſt. canonic. D. Joan. Si nullus eſt timor*, (inquit) *non eſt quæ intret charitas; ſicut videmus per fiſtam introduci linum*: ubi licet ex eadem ſimilitudine aſſerat, non manere timorem quando intrat charitas, non ita intelligendus, ut timor pœnarum non poſsit unquam cum charitate coexiſtere; ſicut nec Auguſtini mentis fuit, quod numquam charitas habeatur quin præcedat timor, ſed loquitur ex eo quod ferè ſolet accidere. Idem quod Ambroſius, & Auguſtinus edocent D. Hieronym. *in cap.* 22. *Iſaiæ.* D. Gregorius *in Regiſt. cap. epiſt.* 116. Caſianus multis in locis, præſertim, *coll.* 3. & 4. & *col.* 11. *cap.* 6. & *collat.* 9. *cap.* 29. Ut diligenter oſtendit Roſſenſis, *art.* 3. adverſus Lutherum, qui Caſianum alioqui pro ſua aſſertione immeritò citavit. D. Chriſoſtomus, *in lib. de compunc. cordis.* D. Bernard. *ſerm.* 20. *in cantic.* ſed ſingulariter in rem noſtram quadrat. D. Auguſtini ſententia. *lib. de catechizandis rudibus, cap.* 5. ubi dicit: *Rariſsimè quippè accidit, imò verò nunquam, ut quiſquã veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo timore Dei perculſus. Et lib. de grat.* & *lib. arbitr. cap.* 18. dicit Spiritum illum timoris eſſe ſine dubio magnum *donum Spiritus Sancti, &c. Non quo timore Petrus Chriſtum negavit, ſed illius de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus, eum timete, qui habet poteſtatem animam*, & *corpus perdere in gehennam.* Conſimiliter Proſper *lib. de vocatione Gentium, cap.* 1.

9 Tertiò adſentiuntur Theologi Scholaſtici, & morales cum Præceptore Angelico, 2. 2. *quæſt.* 22. *art.* 2. agnoſcentes præceptum timoris etiam ſervilis honeſti, ut cernere eſt in Doct. Exim. *tract.* 2. *de ſpe. diſp.* 2. *ſect.* 2. *numer.* 4. Magiſt. Bannez, *dic. art.* 2. Et ibidem P. Valentia, *punct.* 2. Granad. *controv.* 2. *de ſpe. diſp.* 5. *numer.* 1. Thoma Sanchez, *lib.* 2. *in decalog. cap.* 33. *numer.* 4. qui exponunt quando illud præceptum obliget.

10 Quartò, Sacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. inter diſpoſitiones ad juſtificationem numerat timorem divinæ juſtitiæ, quo peccatores utiliter concutiuntur per divinę gratiæ auxilium: & *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. docet attritionem ex metu gehennæ conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, Dei donũ eſſe, & Spiritus Sãcti impulſum, non adhuc in homine injuſto inhabitãtis, ſed tantũ movẽtis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat: additque Sancta Synodus, *hoc enim timore utiliter concuſi Niniviræ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt*, & *miſericordiam à Domino impetrarunt.* Porrò autem juxta objectionem cum non delectationibus, & ſuavitatibus, ſed terroribus Niniviræ ad Jonæ prædicationem concuterentur, non poſſent illi ad utilem moveri pœnitentiam: quod omnino nefas eſſet dicere.

11 Quintò falſum eſt, voluntatem non poſſe amare, vel eligere minus bonum in conſpectu majoris boni cogniti; oſtendimus quippè *ſect.* 45. 46. 47. & 48. voluntatem poſſe immediatè liberè amare minus vel æquale bonum, relicto æquali aut majori bono cognito; idque authoritate D. Auguſtini, D. Bernardi, & Angelici Doctoris,

ris, aliorumque graviſsimorum Scriptorum, tum etiam rationum momentis communivimus; & *ſect.* 49. & 50. ſtabilivimus, voluntatem poſſe pro libito ſuo diligere bonum ad quod æqualiter, vel minus inclinatur, & bonum aliud ad quod æqualiter, aut magis inclinatur, rejicere: quia aliàs exiſtimo non ſalvari volũtatis liberũ arbitrium benè, & malè operandi. Unde falſum eſt, quòd ad honeſtè, etiam ſalutariter, operandum, adeòque ad voluntatem credendi opus ſit delectatione aliqua prævia ſeu inclinatione, quæ magis voluntatem delectet circa fidem: id quod ulterius oſtenditur; quoniam vel hæc delectatio prævia ad fidem eſt nobis libera, vel ſecus; ſi non eſt liberè à nobis aſſequibilis, etiam ſi alia gratia præditi ſimus: igitur nec fides ipſa, nec credendi voluntas nobis libera erit; quippè nec illam præviam delectationem liberè obtinere poſſumus, nec illa exiſtente, poteſtas erit libera diſſentiendi revelatis à Deo, & ſufficienter nobis propoſitis; quia ad talem diſſenſum opus erit alia contraria delectatione, quæ magis delectet voluntatem circa diſſenſum: ut enim dicitur in objectione, quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt: Unde Janſenius (apud P. Mattinonum in *Anti Janſenio, diſp.* 28. *ſect.* 1. *num.* 5.) ait, quòd in homine eſt lucta quædam duarum delectationum, noxiæ, & beneficę, terrenæ, & cœleſtis, quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit. Cæterum ex eo deſcendere carentiam libertatis indifferentiæ à Summis Pontificibus juſtiſſimè damnatam, quis non videat? Ex inde enim fieret, nec peccata nobis imputanda, cum ex victrice delectatione nobis non libera, perpetrarentur. Quòd ſi delectatio illa prævia libera aſſeratur, ex voluntatis determinatione deſcendet; & inquiram debuit ne ad hanc determinationem præcedere alia prævalens delectatio, vel ſecus? Si non debet præſupponi, ſimiliter nec ad operandum honeſtè, nec ad liberam credendi ſalutarem voluntatem opus erit prævia aliqua delectatione: ſi verò ad priorem illam determinationem opus eſt alia præcedenti delectatione, ſic in infinitum procedemus: adeòque liquet, nulla tali majori præeunte delectatione nos indigere, ut poſſimus benè, vel malè operari, & conſequenter ex hoc capite fidei libertatem non infringi.

12 Nec Div. Auguſtinus ab hac noſtra diſcedit doctrina, ut illuſtrari poteſt ex ipſius *lib.* 12. *de Civitate Dei. cap.* 6. poſt medium, quem locum adduxi *ſect.* 45. *numer.* 9. Et illo inclareſcit, ex duobus hominibus æqualiter affectis animo, & corpore, eademque ſuggeſtione tentatis, poſſe contingere, ut unus eorum ad illicitè perfruendum objecto propoſito, moveatur, alter verò in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quia ſcilicet unus liberè cooperatur divinæ gratiæ, alter verò etiam liberè gratiæ divinæ reſiſtit, cum eidem gratiæ poſſet cooperari. Conſimilis doctrinæ Author eſt Div. Auguſtinus, *lib. de Prædeſtinat. & gratia. cap.* 25. cujus verba in Jus Canonicum relata ſunt *capit. Nabuchodonoſor.* 23. *quæſt.* 4. quem textum expendimus *ſect.* 33. *num.* 15. & 16. & *ſection.* 92. *numer.* 5. & *pluribus ſequentibus.* Ibi ergo dicta videſis; nunc autem id ſolùm adjiciam, nempe S. Auguſtinum de illis duobus Regibus Nabuchodonoſore, & Pharaone aſſere, quòd *quantum ad pœnam ambo* fuerunt *flagellis clementer admoniti*, quæ nos edocent, non tantùm delectationibus, ſed terroribus quoque, & flagellis clementer Deum ſæpè homines vocare ad pœnitentiam: præterea de eodem gratiæ medicamento, inquit S. Doctor, alii ad interitum, ſcilicet Pharaoni, quia gratiæ reſtitit, alii nempè Nabuchodonoſori valuiſſe ad ſalutem: & quod Chriſti bonus odor, aliis eſt odor vitę

in

in vitam, aliis odor mortis in mortem: *Quid ergò* (pergit concludendo Auguſtinus) *fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem pugnavit arbitrio.* Non igitur ex ſupernarum inæqualitate delectationum, nec ex medicinalis gratiæ defectu, illa morum ſubſequuta eſt diſcrepantia; ſed quia Pharao non ſicut Babilonis Rex ingemuit, nec pœnituit, ut verè potuit, ſed potius contra miſericordiſsimam Dei veritatem libero pugnavit arbitrio, & perfidè manſit infidelis.

13 Id ipſum obſignat in non abſimili hypotheſi D. Cyrillus Alexandrinus, *in Joan. cap. 17. l. 11. ca. 9. Oſtendat ergo aliquis* (inquit) *non licuiſſe proditori perinde ac aliis diſcipulis divina frui gratia, & nos victos fatebimur. Sin autem perinde ac alii divina ſeptus gratia nutu ſuo in perditionis barathrum decidit: quomodo non eum ſervavit Chriſtus qui bonitatis ſuæ opem ei impertiit, & quantum ſpectat ad rationem auxilii eum ſervaſſet, niſi voluntate ſua ipſe malum ſibi ultrò arceſiſſet. Refulſit ergo in aliis gratia, quæ perpetuo ſervavit eos qui ſuam voluntatem ei quodammodo cooperatricem adhibent, ſic enim ſalutis cujuſque modus ordinatur.*

14 Et Paulo ante: *Dico itaque nos temperantiam ex nobis ipſis afferre neceſſariò debere, piumque erga Deum ſtudium exercendo fortes nos ad perficiendam ſalutem præſtare, atque ita quæ divinæ ſunt opis implorare cœleſtique auxilio ceu inexpugnabili, & infracta quadam armatura munitos viriliter agere. Quod cum nobis ſemel dederit, annuet itaque Deus, liceatque nobis vim hoſtium, ac Diaboli manum ſuperare, ad voluptates aut aliud peccati genus vocanti parere nolentibus, ſi noſtram ei voluntatem tradiderimus, propenſionibus ad vitium nos metipſos ejus laqueo induamus, quomodo alteri potius, quàm noſtræ vecordiæ culpam imputabimus? Nunquid enim illud eſt, quod antea dixit Salomõ imprudentia viri vaſtat vias ejus: Deũ autẽ accuſat corde ſuo. Dubitãdi, opinor, locus nullus relictus eſt.* ita Sanct. Doct. Utor autẽ editione habita cura & ſtudio Joannis Huberti Laudunẽſis Eccleſiæ Presbyteri Canonici, & in Schola Pariſienſi Laudunenſis Collegii Magiſtri, & Interpretis Regii. Anno 1638. etſi me non lateat paulo aliter ab aliis legi, cæterum nulla quoad rem, & ſenſum diſcrepantia. Unde colliges, D. Auguſtinum, & Cyrillum non in ea fuiſſe ſententia, quod voluntas nihil boni vel mali agat in hoc ſtatu naturæ lapſæ, neque ullam in partem moveatur per conſenſum, niſi præeũte aliqua delectatione bona vel mala, ſpiritus, aut carnis, cœleſtis ſuavitatis, aut concupiſcentiæ; & quidem tali, ut non poſsimus illi reſiſtere: id enim manifeſtæ repugnat ipſorum doctrinę, & experientiæ; experimur enim nos quotidie aliis etiam paſsionibus, & affectibus prævis excitari ad conſenſum, vel diſſenſum ut timore mali impendentis, vel dolore præſentis, diſplicentia, horrore, pudore, & ſimilibus; eas verò affectiones prævias, & paſsiones non eſſe ordinariè tales, quibus reſiſtere liberè non poſsimus, eadem experientia confirmat; alias quid laude, quid juſta eſſet dignum reprehenſione? Igitur quando Auguſtinus enarratione *in epiſt. ad Galatas*, dixit: Quod amplius nos delectat, *ſecundum id velimus neceſſe eſt*; per vocem *delectat* non intellexit motum complacentiæ, vel deſiderii indeliberatum, & prævenientem conſenſum voluntatis, ſed actum liberum voluntatis amantis, & volentis efficaciter ad quem ſequitur neceſſariò externa operatio ſi eſt in noſtra poteſtate: eoque ſenſu dicit nos operari neceſſario ſecundum id quod amplius nos delectat.

15 Et quidem, cum juxta

rei

rei veritatem, & doctrinam D. Auguſtini ſupra traditam, firmatamque ab eodem S. Doctore *lib. de Natura, & gratia. cap.* 67. *& lib. de duab. animab. cap.* 11. *&* 12. *& lib.* 3. *de lib. arbitr. cap.* 18. aliiſque locis, nunquam malæ delectationi conſentiatur imputabiliter, ſine potentia reſiſtendi; ſimiliterque nobis liberum eſſe conſentire, aut diſſentire cœleſti motioni, & delectationi, ideòque *lib.* 2. *Actorum cum felice Manichæo cap.* 4. initio, ait Auguſtinus. *Audi ergo de libero arbitrio, primò ipſum dominum ubi duas arbores commemorat. Audi dicentem, aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergò dicit, aut hoc facite, aut illud facite: poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus, facere arborem poteſt: ſed habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala: & lib. de ſpiritu, & lit. cap.* 34. *Miſericordia Dei prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt*: quæ aliis locis toto hoc ferè tractatu excerptis cõfirmãtur; profectò ne ſibi evidenter contrarius dicatur Scholarũ Magiſter, & micãtiſsimum Luminare Majus, præſertim in re adeò gravi, ita accipiendus eſt in loco nobis objecto ut prælibatum manet.

16 Quod verò ait *lib.* 2. *de peccatorum meritis. cap.* 17. *Tanto vehementius nos velle, quanto certius quid bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius*; haud difficilem habet intelligentiam, nimirum ordinariè ita contingere, quamvis liberè, & ſine neceſsitate, cujus nulla fit ibi mentio: vel aliter dici poſſet, ex hypotheſi liberæ electionis ejus, quod certum bonum ſit novimus, & quod pro priori ad electionem amplius nos alliciebat, tanto vehementius nos velle illud, quanto certius quid bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius. Prætereà haud diffitebor, quòd nos benè agendo ſequimur aliquam delectationem præviam, & indeliberatam ejuſdem boni; quia nimirum voluntas non niſi in bonum tendit, & quidem cognitum: bonum autem ſufficienter cognitum allicit voluntatẽ, quapropter ex gratia cœleſtis illuminationis, qua vocamur, allicimur in objectum: tum ſanctæ inſpirationes adjuvant voluntatem; cæterum cum voluntas juxta liberam ſui cõditionem pulſetur, ideò hujuſmodi prævia delectatio, & inclinatio amoris, aut timoris, nullo modo neceſsitat, nec ab intrinſeco determinat voluntatem: imò nec opus eſt, quod prævia delectatio aut timor amplius inclinet, quàm quævis oppoſita occurrens, quia voluntas poteſt minus bonum, & minus vividè propoſitum proſequi, & eligere: ſi verò delectatio ſancta vincat, id ex libera determinatione voluntatis, quæ gratiæ cooperatur, evenit: quamobrem delectatio ſancta victrix erit illa, quæ efficax extiterit, id eſt congrua, ſed ab intrinſeco indifferens; ideòque ſi inefficax fuerit, nobis imputabitur inefficacia; *Nemo* (ait Concilium Colonienſe, *part.* 7. *cap.* 32.) *convertitur ad Deum, niſi tractus per Patrem: at tamen nemo excuſationem prætexat, quod non trahatur, cum ille ſemper ſtet ad oſtiũ pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, ut convertamur à via noſtra peſsima, & inclinans.*

17 Hinc lucem accipiet quædam alia difficultas, quæ opponi poſſet ex illo *Joann. cap.* 6. *v.* 45. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: quæ mira claritate, & conſentaneè ad ſuperius dicta, exponit Angelicus Præceptor D. Thomas *lect.* 5. inquiens: *Duo ponit, unum ſcilicet quod pertinet ad donum Dei, cum dicit, audivit, ſcilicet Deo revelante; aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit, & didicit, ſcilicet per aſſenſum; & iſta duo neceſſaria ſunt in omni doctrina fidei: omnis qui audivit à*

Pa-

Patre docente, & manifeſtante, & didicit præbendo aſſenſum, venit ad me; venit inquam per cognitionem veritatis, per amoris affectum. Sic ille perſpicuè edocens, fidem ſuſcipi non ex vi prævię cœleſtis delectationis cum ipſo fidei aſſenſu connexæ, ſed ex gratia utique indifferenti ab intrinſeco, ſcilicet ex ſupernaturali illuſtratione, & inſpiratione, cooperante libero arbitrio; Et ex defectu hujus liberæ cooperationis, diſſentientes potius liberè Bethſaiditæ, & Corozainitę digni fuerunt juſta Chriſti Domini increpatione, comparativè ad Tyrios, & Sidonios, hi enim ſi præventi fuiſſent gratia, qua illi munerati fuerunt in prædicatione, miraculis, & virtutibus Chriſti, utique ad veram fidei cognitionem, & profeſsionem perveniſſent: quam Judei, licèt audierint Chriſtum, eos adhortantem, & miris modis allicientem, recipere nolluerũt; nec juſtæ excuſationis quidquã producere, aut obtendere ſuæ valuerunt perfidiæ; quod ſi ad credendum revelatis à Deo, neceſſaria eſſet prævia cœleſtis delectatio tollens indifferentiam, aut libertatem diſſentiendi, poſſent id diſcriminis Judæi allegare, & ob carentiam talis delectationis excuſatione juſta ſe munire.

18 Hinc adnotare haud prætermittam, Doctiſsimum præſertim in Jure Canonico, Jacobum Pignatellum, cujus in lucem edita opera, meritò ab eruditis omnibus efferuntur laudibus, in *Noviſsimarum Conſult. quæ ad fidem pertinent, tomo primo, conſultatione* 2. ubi inquirit, *An fides in hominis poteſtate ſit? Et cur non omnes credant*, cum primo doceat, fidem prorſus eſſe in hominis poteſtate, tribuendamque Deo, & libero arbitrio; tamen hęc ſubdere (Si verò quis preſsius inquirat, modum, quo Deus agit, ut velimus bonum, & credamus, reſpondet Auguſtinus *lib. de ſpir. & lit. cap.* 33. binis perſuaſionibus id agere Deum. Una externa quæ fit prædicatione, Evangelica lectione, aut monitione, vel qualibet extrinſeca ſuaſione. Altera intrinſeca perſuaſione, quæ fit illuminatione mentis, atque imiſsione cujuſdam divini amoris in voluntatem. Non enim omnis interna ſuaſio efficit, ut credatur, & ut quod cognitum fuerit, appettatur: ſed illa ſola tantæ rei ſufficit, quæ ſic animum ſuccendit commovet, ac delectat, ut ad appetendum id, quod cognitum fuerit, voluntatem hominis inclinet, efficiendo ut quidquid aliud voluptas, aut dolor ſuggeſſerit, boni aut veri propoſiti delectatione ſuperetur. Tunc enim res cognita appetitur, ſi tantum delectet, quãtũ diligẽda eſt.) Hactenùs ille.

19 Cæterum huic doctrinæ ex eo non adſentior, quòd neceſsitati prę̃viæ, & vividioris, aut majoris delectationis ad fidem, & alia bona opera exercenda favere videatur; tum quia ex eadem neceſsitate colligitur, non adeſſe gratiam ſufficientem credendi fide ſalutari in eo, qui caret tali ſuperante delectatione, connexa cum operatione: & conſequenter eos, in quibus non eſt gratia efficax, carere etiam gratia ſufficienti: imò & carere potentia, & libertate ad credendum: quæ omnia rejicienda omninò ſunt ex dictis; imò nec conſona ſunt aſſertis ab eodẽ Pignatello, qui nõ ſolũ *dict. Cõſ.* 2. ſed etiã in *prima. §. Porrò*, edocet fidẽ eſſe ex voluntatis electione, & in hominis poteſtate, præſuppoſito Dei dono, ſeù gratia. Quãobrẽ clariſsimũ hũc Scriptorẽ exiſtimo ita exponẽdũ, ut omni ſerror vitetur, nimirũ delectationis voce ſolũ ſignificare

voluntatis conſenſum, vel actum liberum, ſeù piam affectionem, quæ aſſenſum imperat intellectui erga res fidei; omnis quippè amor, præſertim liber, eſt delectatio quædam, ut ait Angelicus Doctor D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 32. *art.* 3. *ad tertium.* ibi: *Omne enim amatum ſit delectabile amanti*, & *art.* 6. *corp.* ibi: *Propter unionem amoris delectamur in bono.* Et juxta hanc ſignificantiam ſupra expoſuimus genuinam D. Auguſtini doctrinam, & mentem, in quo præſtantiſsimis ſubſcribimus Theologis, præcipuè R. Admodum P. N. Thyrſo, *tom.* 4. *ſelect. diſp.* 4. *ſect.* 12. §. 8. *num.* 913.

20 Deinde reor, prælaudatum Authorem non inficiari gratiam ſufficientem in eo, qui diſſentit fidei Myſteriis, ſed tantùm aſſerere, illi datam non eſſe gratiam efficacem, ſeù congruam, quæ ſpeciale eſt Dei beneficium: & conſequenter ex defectu hujuſce gratiæ efficacis, ſeù prævisæ congruæ, non deeſſe libertatem, & proximam benè operandi, & credendi indifferentiam, conſtitutam per gratiam ſufficientem. Ad quam intelligentiam ducor, quòniam abſurdum ut vitetur, largiſsima debet fieri interpretatio, ex Sacra Rota, *deciſ.* 248. *num.* 2. *part.* 1. *in poſthum.* Farin. *alias part.* 3. *Recention.* argumento *cap. In Geneſi. de Electi.* conferunt tradita à Cardin. Tuſcho, *lit. A. concl.* 66. & Barboſa *Axiom.* 2. *per totum*, conſimileſque aliæ poſſent juris utriuſque regulæ in eundem ſcopum adduci; cum maximè ipſe Pignallus, hanc eſſe ſuam mentem, videatur ex prælibatis expreſſiſſe.

*** *** ***
*** *** ***

SECTIO CENTESIMA UNDEZIMA.

Fidei libertas eſt poſitiva, nec ſufficienter explicari valet per concurſum aliquem negativum.

1 OPinantur aliqui, fidē, & alia bona, & ſupernaturalia opera nobis eſſe libera, ex determinatione volūtatis negativa, qua ſcilicet homo ſinit ſe liberè moveri, & prædeterminari à Deo, ut poſitivè velit credere, & imperare aſſenſū fidei, nā ſi homo ſe moveri ſinat, infallibiliter prę̄movebitur, & prę̄determinabitur: eſt autē hoc in poteſtate ejus, quia non ſolùm eſt homo liber ad agendum, ſed etiam ad non agendum: hunc verò concurſum negativum dicunt etiam præſupponere gratiam excitantem, & vocantem: huic placito ſuffragantur Henricus, *Quodlib.* 4. *quæſt.* 19. & *Quodlibet.* 8. *quæſt.* 5. idemque inſinuaverunt nonnulli ex prioribus defenſoribus phyſicæ prædeterminationis, & expreſsius tradidit, Cabrera *diſp.* 2. §. 11. *num.* 464. & noviſsimè inſtaurat, illuſtratque hanc ſententiam ex Præclara Divi Auguſtini Religione Sapientiſsimus, ac Reverendiſsimus P. Fr. Petrus Manſo, in hac Salmantina Academia Sacræ Theologiæ Doctor, & Cathedræ Angelici Præceptoris D. Thomæ pro ſui acuminis, & eruditionis dignitate Moderator, cujus in me comitatis, benevolentiæ, & honoris officia nec referre, nec rependere valeo. Ille igitur in Tractatu, qui inſcribitur *Auguſtinus ſui Interpres*, & *Aſſertor*, *quæſt.* 8. *præcipuè*, §. 2. *num.* 13. docet, gratiam phyſicam, & phyſicè effectivam noſtri velle, pendere quoad eſſe à conſenſu voluntatis noſtræ præſtito motioni morali, taliter, ut ſi diſſentiamus gratiæ morali, impediamus exiſtentiam gratiæ phyſicæ, & effectivæ, ſin autem, nobis adſit; loquitur autem

tem de conſenſu, & diſſenſu negativo, non autem de poſitivo, nam hic non poteſt dari niſi poſt gratiam effectivam, cujus eſt effectus: conſenſum verò negativum explicat, *num.* 27. ubi inquit: voluntatem ſine actu poſitivo conſentire vocationi, ſinendo ſe trahi ab objecto propoſito: ſimiliter ſine actu poſitivo reſiſtere, vel diſſentire objecto moventi, non ſinendo ſe trahi ab illo: inſuper ait, præcipuam partem libertatis noſtræ conſiſtere in hoc modo conſentiendi, & diſſentiendi negativè; ideòque Concilium Tridentinum adſtruens libertatem noſtram contra Calvinum, & Lutherum, eam declarare per potentiam, qua poſſumus conſentire vel diſſentire vocationi. Sic præcitatus, & apprimè doctus Magiſter.

2 Eundemque concurſum negativum ipſe ſtabilire ſatagit *lib.* 2. *Phyſ. quæſt.* 17. *à numer.* 53. ſignanter ex B. Ægidio Romano, *in* 2. *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 6. *dubitat.* 1. ubi quærit, an voluntas ſe ipſam in finem movere poſsit? reſpondetquè affirmativè, & poſt alia inquit: *ſecundò, ut patuit*, voluntas movet ſe ipſam, non ſolùm determinando ſe ipſam ad activationem, ſed etiam conſentiendo activationi, & motui, nam qui conſentit, ut moveatur, poteſt dici ſe ipſum movere. Iſte autem conſenſus poteſt *eſſe negativus*) adducitque verba D. Ambroſii dicentis, *conſentis, ſi non arguis, id eſt ſi non contradicis, cum poſsis contradicere.* Idem Ægidius, *diſtinctio.* 41. *quæſtion.* 1. *artic.* 2. ait: (Determinare ſe, ut ſæpius diximus, pro ut ſpectat ad voluntatem, non oportet, quod dicat actum, ſed ſufficit, quòd dicat deſiſtere ab actu, quia quando aliquid oſtenditur voluntati, uno modo ſub ratione boni exiſtentis, alio modo ſub ratione mali, id eſt ſub ratione boni apparentis, in poteſtate voluntatis eſt deſiſtere ab hoc vel illo, à quo deſiſtendo, determinat ſe ad hoc vel illud (intelligè negativè,) & ſic ſe movet adhoc vel illud; quod negantes, negant voluntatem, habere arbitrii libertatem.) ita Ægidius; allegat præterea Reverendiſsimus Magiſtr. Manſo noſtrum Cardinalem Bellarminum, *lib.* 3. *de de Gratia. & lib. arbitr. capit.* 9. ubi inquit: *ſciendum eſt* enim poſt cognitionem boni in univerſum, mox exiſtere in voluntate inclinationem aliquam in illud, non tamen plenam electionem; deinde cum proponuntur à ratione varia media, & oſtenditur quid boni, & quid mali ſit in utroque, voluntatem inclinari modo in unam partem modo in aliam, & in ejus poteſtate eſſe ut ſinat ſe moveri, vel reſiſtat non quidem actu poſitivo, ſed negativo, non ſinendo videlicet ſe moveri. Itaque libertas voluntatis in eo propriè ſita eſſe videtur, quòd propoſitis variis rationibus non neceſſariis, ſinat ſe moveri ab una, *& non ab alia.* Hucuſque ille.

3 Nihilominus prælibata ſententia oppugnanda venit pluribus argumentis, quæ Eximi. Doct. P. Suarez, perpendit in opuſcul. *libr. de concurſu Dei, capit.* 6. *numer.* 6. *& ſequentibus, & lib.* 3. *de Auxiliis, capit.* 13. *numer.* 7. *& ſequentibus*, tum etiam *tractat. de vera intellig. auxilii efficacis, capit.* 18. *per totum.* Ego autem præcise attingam ea, quæ in ſcopum tractatus hujuſce magis collineent: & in primis adnoto, præfatam opinionem duplici nixam eſſe fundamento, apud Theologos valde incerto, primum eſt, poſsibilem eſſe puram omiſsionem liberam, id quod falſum eſſe edocent, ex inclita PP. Dominicanorum Schola, Capreol. *in* 2. *diſtinct.* 25. *quæſt.*

unic. circa ſecund. concluſ. Hiſpalenſ. *ibidem.* Cajetan. & Bañez, 1. *p. quæſt.* 63. *art.* 5. Victoria *in relect. de perveni. ad uſum rati. par.* 2. *numer.* 3. Conr. *in* 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 3. & *quæſt.* 71. *art.* 5. ubi Zumel, *diſp.* 1. *concluſ.* 5. Alvarez, *diſput.* 124. Gregor. Martin. *dub.* 2. Sapientiſsimi PP. Diſcalceati Carmelitæ Salmant. *in* 1. 2. *tract. ad.* 10. *diſp.* 4. *dub.* 1. qui Angelicum Doct. pro eadem ſtare ſententia probant.

4 Illamque docuerunt Magiſter Sentent. *in* 2. *diſtinct.* 25. Magnus B. Albertus, *ſup. eand. diſt. art.* 3. Seraphic. Doct. D. Bonavent. *ibidem, dub.* 1. *circa literam.* Alenſis 2. *part. q.* 114. *memb.* 10. Henric. *quodlib.* 12. *q.* 24. Illuſtriſsimus Domin. Toſtatus *ſap.* 25. *cap.* D. Math. *quæſt.* 667. & *quæſ.* 668. pluresque alii : Ex noſtræ Societatis Schola doctiſsimi etiam Cardinalis de Lugo, *de pœnit. diſp.* 15. *ſect.* 10. *numer.* 246. ubi inquit *in tract. de Actib. human.* ſe eam propugnaſe impoſsibilitatem puræ omiſsionis liberę. Cardin. Palavicin. PP. Ribadeneyra, Eſparça, Quiros, Aldrete, Herrera, Munieſſa, quos refert, & ſequitur P. Aranda, *in* 1. 2. *lib.* 4. *diſput.* 15. ab eademque ſtat ſententia P. Petrus Hurtado, *de Incarn. diſput.* 62. *ſect.* 3. faventque P. Valentia, *in* 1. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 4. & P. Vazquez, 1. 2. *diſput.* 92. qui docent, parum poſſe voluntatem durare in pura libera omiſsione, & ideo in nobis dari peccatum puræ omiſsionis, moraliter ferè nunquam idem doceat Exim. Doct. 1. 2. *tract.* 5. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *num.* 6.

5 Secundum fundamentum magis incertum eſt, nempè quòd etiam permiſſa puræ omiſsionis liberæ poſsibilitate, illa queat eſſe honeſta, & meritoria, non utcumque ſed ita ut gratia phyſica, & phyſicè effectiva noſtri velle pendeat quoad eſſe à conſenſu negativo voluntatis noſtræ, præſtito motioni morali, ſeu vocationi, ut docet Reverendiſ. P. Manſo *quæſt.* 8. *num.* 13. & ſæpè alibi : quòniam etſi puram omiſsionem liberam, & meritoriam eſſe poſsibilem, affirmet, & quidē operoſiſsimè, ingētique ſuo acumine doceat P. Ripald. *diſp.* 70. *de ente ſupern.* cui adſentiuntur aliqui Recentiores: communis tamen ſententia in omni ferè Schola id inficiatur, ut cernere eſt apud P. Arandam, *in* 1. 2. *libr.* 9. *diſput.* 33. *ſec.* 4. Et profectò aſſerere, quòd præcipua noſtræ libertatis pars definita à Sacris Conciliis devolvatur ad negativos concurſus, ſeu puras omiſsiones, mihi admodum difficile videtur ; & vel ex eo capite prædictæ haud poſſem adhęrere ſententiæ.

6 Secundò, omnia argumenta ex Sacris Literis, ex Conciliis, & Patribus, tum à ratione in ſuperioribus adducta, ad fidei immediatam libertatem ſtabiliendam, haud minus idoneè evincunt, hujuſcemodi libertatem eſſe poſitivam, ſeu ad immediatum poſitivum aſſenſum, & diſſenſum, ſed præcipuè relege, ſi lubet, *ſect.* 30. 31. 32. & 33. Tertiò : in priori ſigno indifferentiæ, ac libertatis noſtræ ad aſſentiendum, & diſſentiendum fidei Myſteriis, certum eſt, non poſſe concedi illam puram omiſsionem aut negativum concurſum : tum quia illud prius ſignum nullum dicit exercitium voluntatis noſtræ, tum quia poteſt ad illud ſubſequi tàm negativus aſſenſus, quàm diſſenſus; ſed nec in poſteriori ſigno poteſt negativus aſſenſus aut diſſenſus reperiri : ergo contradictionem involvit iſtiuſmodi concurſus negativus. Conſequentia eſt perſpicua; ideòque minorem probare agredior: ſi in poſteriori ſigno *voluntas* exerceretur pura omiſsione *libera diſſenſus* erga fidei Myſteria, *non poſſet in illo* inſtanti voluntas exerceri per poſitivum conſenſum circa eadem myſteria fidei, nec liberè, nec neceſſariò: ſed hoc eſt abſurdum, & contra Authores ſenten-

tentiæ, quam oppugno: igitur in poſteriori prefato ſigno non poteſt adeſſe negativus concurſus adeòque nec liber. Conſequentia liquet: aſſumptio ſecunda etiam conſtat, præſertim cum ab eruditiſsimo P. Mag. Manſo dicatur, motionem phyſicam gratiæ, & poſitivum ſalutarem conſenſum pendere ab illo negativo voluntatis concurſu. Primam verò probo aſſumptionem: omiſsio pura, & libera diſſenſus erga fidei myſteria duo in hoc ſuo negativo conceptu includit: primum eſt omittere diſſenſum hæreticum: ſecundum eſt liberè omittere conſenſum fidei poſitivum: patet de primo; de ſecundo non minus certi eſſe debemus, quia eſt puræ omiſsionis cõſtitutivum, omittere tum poſitivum actum, cui illa æquivalenter contradicit, cùm illum, cui illa æquivalet: ideòque ſi in poſteriori libertatis ſigno voluntas exerceatur pura libera omiſsione diſſenſus erga fidei myſteria, non poterit in eodem inſtanti, & eo illius poſteriori ſigno exerceri voluntas per poſitivum conſenſum circa eadem myſteria fidei, nec liberè, nec neceſſario; quòniam puræ omiſsioni non minus repugnat conjungi cum poſitivo libero actu, quam cum neceſſario, cui pura æquivalet omiſsio.

7 Quartò urgetur probatio, & præcluditur aditus ſolutioni, quæ fortè adhiberi poſſet ex libertate exercita in inſtanti antecedenti per negativum concurſum: quia diſpoſitio temporis præcedentis non neceſsitat, nec determinat voluntatem ita, ut pro ſua libertate mutare non poſsit determinationem liberam in inſtanti ſequéti. Nam qui eſt vocatus ad fidem, & de illa re cogitat, ac deliberat per horam, licet in toto horæ tempore nihil peccet, adeòque perſeveret in pura omiſsione libera diſſenſus erga objectum fidei, & ita intelligatur benè diſpoſitus ad poſitivam fidem, quoad carentiam omnis actus mali, poteſt in ultimo inſtanti horæ, non determinari ad credendum, determinarique ad diſſentiendum; quia integrum habet uſum libertatis ſuæ. Quis enim illi neceſsitatem impoſuit? ſi ab illo debet fieri determinatio; vel ſi à ſolo Deo facienda ſit, quis impoſuit Deo neceſsitatem determinandi voluntatem, illam ad credendum fide divina in inſtanti illo?

8 Unde urgetur quinto; quoniam dici nequit, ex Dei lege ipſi libera, ita diſpoſitum eſſe, ut qui gratię vocanti, & excitanti negativè aſſentiatur, & non ponat impedimentum gratiæ efficaciter effectivę, illam à Deo infallibiliter aſſequatur: id profectò ſtare non poteſt; quia non ſolum de ea Dei lege non conſtat, verùm etiam, illam non exiſtere, probatur: quòniam etſi voluntas toto tempore horæ, ex. gr. ſit poſitivè benè diſpoſita illis imperfectis diſpoſitionibus negativis, quas ſupernaturales eſſe, etiam permitto, ex nulla illarum ſequitur infallibiliter determinatio poſitiva ad credendum in ultimo inſtanti, vel in immediato ſequenti; ſiquidem in hac etiam providentia, in omni inſtanti voluntas libera eſt, adeoque poterit in priori illo ſtatu perſiſtere, & nihil amplius poſitivè agere, aut progredi: Imò etiam poteſt voluntas retrocedere, & quæ erat proximo tempore præcedente benè diſpoſita, poteſt in hoc inſtanti incipere malè diſponi, & in contrarium determinari. Igitur ex diſpoſitione, quæ in tempore immediatè præcedente anteceſsit, non poteſt infallibiliter ſequi auxilium efficax prædeterminans, aut determinans phyſicè voluntatem ad credendum, vel pœnitendum, vel ad ſimiles actus.

9 Urgetur ſexto, quia ex tali Dei lege determinandi, aut prædeterminandi phyſicè, ad ſalutariter credendum, illum qui tempore præceden-

ti negativè tantùm aſſentitur gratiæ,& vocationi, fieret, quòd qui aliquo tempore ſe exercuit eliciendo fidei Divinę actus, imò ſi vel unum poſitivum fidei actum elicuit, infallibiliter etiam in fide perſeveraret in ſequenti inſtanti, & aliis ſubſequentibus; quod nemo concedet; nihilominus conſecutio probatur; nam ſi negativus fidei aſſenſus in inſtanti antecedente, præcedens eſt diſpoſitio, cui ex lege Dei conceditur infallibiliter gratia phyſicè effectiva,& determinativa conſenſus; potiori ratione eadem gratia tribuenda erit ei, qui in inſtanti antecedente diſpoſitus fuit per poſitivum aſſenſum præſtitum rebus à Deo revelatis. Tandem negandа venit prefata Dei lex, quoniam ex illa libertas creata infringeretur: nam juxta talem providentiam voluntas non eſſet libera vel ad perſeverandum in illa pura omiſsione, vel ad retrocedendum ad poſitivam infidelitatem, imò nec ad actum poſitivum fidei,cum in illo inſtanti in quo eliceretur non procederet ex libera determinatione voluntatis, eo in inſtanti exercita; & aliunde libertas, & determinatio elicita in priori inſtanti, ſivè poſitivè, ſivè negativè, ad libertatem ſeque ntis inſtantis nihil prodeſſe valeat.

10 Urgeo quartò; quoniam ſi dicatur, illam negativam diſpoſitionem ex negativo aſſenſu erga res fidei non debere conſiderari, ut tempore præcedentem, ſed tantum natura, aut prioritate ſigni ejuſdem inſtantis, & ideò ſtare poſſe actus poſitivi libertatem, quamvis talis actus procedat à gratia prædeterminante, aut phyſicè efficiente illum, quia talis actus poſitivus conjungitur in eodem inſtanti cum libero priori negativo aſſenſu; contra denuò inſurgam, quippè præterquàm quòd in eodem inſtanti pura omiſsio libera diſſenſus erga fidei objectum, & actus poſitivus aſſenſus circa objectum idem apertam involvunt contradictionem, ex jam prælibatis; utique poſsibile erit quòd voluntas liberè perſeveret in eadem pura omiſsione diſſenſus erga fidei objectum per totum illud inſtans, & per plura ſequentia: in hypotheſi videlicet poſsibilitatis puræ, & liberæ omiſsionis: unde emergit iterum præcedens argumentatio, qua, ni fallor,evincitur ex libertate exercita in priori tempore, aut inſtanti non poſſe ſartam tectam ſervari operis poſitivi in ſequenti tempore, vel inſtanti exerciti libertatem.

11 Quinto: ſuppoſita poſſibilitate liberæ puræ omiſsionis, omnes ejus aſſertores fatentur voluntatem in primo ſigno libertatis, & indifferentiæ, ſi ad fidem v. g. divino auxilio excitetur, & vocatione pulſetur, liberè elicere poſſe actum fidei,& ejus puram omiſsionem, tum actum poſitivum hæreſeos, & omiſsionem puram illius, ita ut voluntas proximè, & immediatè ſit libera ad quodlibet ex prædictis extremis: dicunt enim hi Authores, voluntatis noſtræ perfectam libertatem conſtituendam eſſe ex duplici contradictionis libertate ad imperandum ſcilicet,in noſtra hypotheſi,fidei aſſenſum, & ad omittendum hujuſcemodi imperium, & ad imperandum diſſenſum hęreticum, & ad omittendum imperium iſtud: Id verò libertatis ſtare nequit in ea, quam oppugnamus, ſententia; quoniam juxta illam libertas noſtra in illo primo indifferentiæ ſigno nullum reſpicit poſitivum extremum, ſed duo tantum negativa, nimirum omiſsionem imperii aſſenſus, & omiſsionem imperii diſſenſus: ſeu aſſenſum negativum, & diſſenſum negativum; id quod receptæ ab omnibus Philoſophiæ, imò, & Theologiæ videtur contrarium.

12 Sextò, ac magis præcedens conſtabilitur argumentatio:quia omnes Philoſophi, & Theologi orthodoxi voluntati noſtræ concedunt liber-

bertatem agendi, & non agendi, ſeu agendi hoc, aut contrarium: hancque eſſe veritatem fidei notat Exim. Doct. P. Suarez, 1. 2. *tract.* 2. *de voluntar. & libero. diſp.* 1. *ſect.* 2. *numer.* 11. juxta illud Deuteron. *cap.* 30. ℣. 19. *Teſtes invoco hodie cœlum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem, maledictionem, & benedictionem, elige ergo.* & conſimilia plura SacræPaginæ eloquia, quę ſupra perpendimus, præcipuè *ſect.* 25. 26. & 27. juxta quæ voluntas immediatè eſt libera, non ſolũ ad non agendum, ſed etiam ad agendũ: at juxta opinionẽ prædictam id congruè non explicatur; quia voluntas ſolùm dicitur libera in illo priori ſigno ad extrema negativa, ſeu ad omiſsionem duplicem aſſenſus, & diſſenſus: falſa igitur eſt talis ſententia: præſertim cum juxta Reverendiſſimum P. Magiſt. Manſo, præcipua noſtræ libertatis pars dicatur conſiſtere in illo modo conſentiendi, & diſſentiendi negativè: cum tamen ex Sacris Literis modus conſentiendi ac diſſentiendi poſitivè ſatis equidẽ colligatur: licèt enim aliquando etiam, ac ſæpè modus diſſentiendi, aut conſentiendi negativè ſignificetur, ut cum dicitur Eccleſiaſtici 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſus facere mala, & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius.* Et in ſimilibus locis; tamen in illis non ſignificatur libertas ad extrema tantùm negativa, ſed ad unum eorum ſaltem poſitivum, quale eſt, *facere male: tranſgredi legem.* Et ſic de aliis: igitur præcipua noſtra libertas exigit aliquod poſitivum extremum.

SECTIO CENTESIMA DUODEZIMA.

Aliis oſtendit argumentis poſitivam immediatam fidei libertatem.

1 SEptimo: præcipua noſtra libertas juxta Philoſophos, ac Theologos ſtat in libertate quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, tum in libertate contrarietatis, & contradictionis: libertas quoad ſpecificationem, & quo ad exercitium explicatur à D. Angelico, cui cæteri ſubſcribunt. 1. 2. *quæſt.* 13. *artic.* 6. *corpore*, per duplicem poteſtatem. *Poteſt enim homo* (inquit) *velle, & non velle; agere, & non agere; poteſt etiam velle hoc aut illud; cujus ratio ex ipſa virtute rationis accipitur: quidquid enim ratio poteſt apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere poteſt: poteſt autem ratio apprehendere ut bonum, non ſolum hoc quod eſt velle, aut agere, ſed hoc etiam quod eſt non velle, & non agere.* Ubi velle, & non velle explicat libertatem quoad exercitium: velle autem hoc aut illud, libertatem quoad ſpecificationem. Unde fluit explicatio libertatis contrarietatis, & contradictionis, quoniam ubi voluntas verſatur inter extrema poſitiva contrariæ oppoſita, tunc eſt libera libertate contrarietatis; ubi autem extrema ſint contradictoriè oppoſita, erit voluntas libera libertate cõtradictionis: Tum ſic, quælibet ex his libertatis ſpeciebus reſpicit aliquod poſitivum exercitium; imò libertas quoad ſpecificationem continet duplicem poſitivum exercitium libertatis, velle nempè hoc, aut velle illud: conſimiliter evenit in libertate contrarietatis reſpectu amoris, & odii: igitur cum in prædictis ſpeciebus libertatis tota aut ferè tota noſtra libertas conſiſtat, non rectè dicitur, præcipuam libertatis partem in negativo conſenſu, aut diſſenſu conſiſtere.

2 Dixi ferè totam, permiſſa etenim puræ omiſsionis liberæ poſsibilitate, poteſt equidem voluntas negativè exerceri per duplicem liberam omiſsionem imperii ſcilicet aſſenſus, & diſſenſus erga fidei myſteria ſufficienter propoſita, ſed ex eo ſtabilitur octavò aſſumptum; nam in primis quęlibet

ex

ex illis omiſsionibus eatenus eſt libera voluntati, quatenus in eodem ſigno voluntas poſſet, eligere extremum oppoſitum poſitivum, videlicet aſſenſus, aut diſſenſus imperium; repugnat enim, voluntatem liberè omittere aſſenſus imperium, quin liberè potens ſit pro eodem ſigno elicere imperium illud, libertate tendente immediatè in ipſum imperium, quin pro priori reſpiciat aliquid negativum ex parte illius extremi: & idem patet in libera imperii diſſenſus omiſsione. Igitur immediata liberæ voluntatis extrema non ſunt quid ſolùm negativum; igitur libertas imperii aſſenſus erga fidem non pendet, nec conſtituitur per negationem, omiſsionem vè, aut per negativum aſſenſum intellectum pro prori ad ipſum imperium. Deinde ſuppoſita, tàm aſſenſus, quàm diſſenſus imperii libera omiſsione, nequit voluntas liberè imperare aſſenſum, nec diſſenſum erga fidei Myſteria: igitur per liberum negativum concurſum nequit explicari fidei immediata libertas, nec alterius liberæ operationis: probatur; quoniam impoſsibile eſt conjungi in eodem inſtanti aſſenſum, & ejus omiſsionem, diſſenſum poſitivum, & omiſsionem illius.

3 Dices forſan, omiſsionem liberam imperii diſſenſus erga fidei Myſteria poſſe optimè conjungi cum imperio libero aſſenſus erga Myſteria eadem; & ideo libertatis fidei, cæterorumque actuum ſalutarium nihil defringi. Sed contra nonò, ex jam prælibatis ab Exim. Doct. *tract. de vera intellig. Auxilii effic. cap.* 18. nam quando omiſsio diſſenſus imperii conjungitur cum actu poſitivo imperii aſſenſus, tunc nulla eſt pura omiſsio, cum conjuncta ſit cum actu poſitivo per ſe excludente contrarium voluntatis imperium: deinde in data hypotheſi nullus eſt ordo naturæ inter poſitivum actum, & negationem aliorum actuum cum elicito incompoſsibilium, quia ipſum fidei aſſenſus imperium per ſe ipſum excludit imperium cõtrarium: vel certè ſi aliquis ordo eſt, potius poſitiva determinatio eſt natura prior, quatenus illa eſt radix excluſionis actus cujuſlibet cum illa determinatione oppoſiti: ſic in phyſicis certum habetur, quòd excluſio formę contrariæ eſt formalis effectus ſecundarius formæ poſitivæ informantis materiam, aut ſubjectum: tum quia in noſtra hypotheſi per poſitivum imperium aſſenſus fidei determinatur voluntas ad liberè carendum aliis actibus incompoſsibilibus tali actui; fietque liquidum in exemplo duorum hominum, qui vocantur ad fidem, quorum alius non vult credere; alius verò credere vult: ille enim, qui determinatur ad volendum non credere, hoc ipſo caret voluntate credendi; at iſte non ideò vult non credere, quia non habet affectum credendi, igitur omiſsio affectus credendi non eſt prior affectu non credendi, nec illum affectum præcedit, nec eſt diſpoſitio ad illum: conſequentia eſt legitima: major certa; minor verò haud difficulter oſtenditur: quoniam qui habet affectum non credendi, poſſet, & hoc affectu carere, & etiam affectu credendi, omittendo ſimul determinationem poſitivam credendi, & poſitivam non credendi determinationem: igitur qui determinatur ad volendum non credere, non ideò vult non credere, quia non habet affectum credendi; ſed potius quia vult non credere, ideò neceſſariò caret affectu credendi, quia non poteſt habere ſimul utrumque actum: Explicatur ulterius, nam carere affectu credendi, eſt quid indifferens ut conjungatur cum poſitivo actu nolendi credere, & cum omiſsione libera ejuſdem nolitionis credendi: igitur carentia affectus credendi non eſt quid inferens poſitivam credendi nolitionem, ergo carentia talis affectus non eſt quid natura prius nolitione poſitiva credendi.

Et

4 Et conſimili ratione qui vult credere, neceſſariò caret affectu non credendi, quia tales affectus invitem repugnant: non tamẽ ille recipit aut elicit affectum credendi, quia caret affectu contrario, poſſet enim liberè carere utroque; ſed quia recipit, aut elicit affectum credendi, ideò caret affectu contrario: ergo nulla talis negatio poteſt præintelligi tanquam diſpoſitio libera, & neceſſaria ad determinationem, ſeu voluntatem credendi, ſed potius ut conſequens ex tali affectu libero.

5 Decimò, certum eſt dari fidei poſitivum præceptum, obligans ad eliciendum poſitivum fidei actum, juxta illud D. Joan. *epiſt. 1. cap. 3. Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus.* Et Apoſtoli ad *Hebræos, cap. 10. Juſtus ex fide vivit*: eſtque res certa ſecundum fidem: Et Summus Pontifex Innocentius XI. anno 1679. damnavit propoſitionem inter alias decimam ſextam, quæ aſſerebat: *fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe*: & decimam ſeptimam: *ſatis eſt actum fidei ſemel in vita elicere*: tum vigeſimã ſecundam, & vigeſimam tertiam, quæ huic divino poſitivoque præcepto derogabant; & præſcindendo nunc ab aliis temporibus, & eventibus, in quibus hoc fidei præceptum obligat, ſuppono ex communi Theologorum conſenſu, hominem adultum, qui antea non credebat, quàm primùm audit ſufficienter fidem, teneri ſtatim, & ſine mora, vel dilatione actum fidei exercere; ſic cernere eſt in P. Valentia 2. 2. *diſput. 1. ſect. 2. punct. 5. §. ſupereſt ſecunda quæſtio.* Exim. Doct. *de fide, diſp. 13. ſect. 5. numer. 6.* P. Azor, *libr. 8. inſt. moral. cap. 27. quæſt. 8.* P. Thom. Sanchez, *lib. 2. in decalog. cap. 1. numer. 2.* & aliis. Tum ſic: homo ſic divina lege obſtrictus ad poſitivè credendum, adeòque ad poſitivè imperandum aſſenſum fidei, non poteſt id imperii liberè elicere ex vi alicujus negativi concurſus aut aſſenſus, vel diſſenſus negativi: igitur ad poſitivum velle credere, in data hypotheſi, non præcedit negativus conſenſus.

6 Probatur antecedens; nam illa negatio actus, vel eſt libera, vel neceſſaria: ſi ſecundum dicatur, nullatenus ex ea denominari poterit liber actus poſitivus voluntatis: ſi primum; vel eſt negatio imperii, ſeu piæ affectionis credendi; id quod dici non valet; fieret enim inde, quòd Deus determinat, & efficaciter movet voluntatem illius hominis ad credendum, quia voluntas liberè ſuſpendit poſitivum affectum credendi, vel alium actum bonum: quod eſſet abſurdum: vel eſt negatio imperii diſſenſus erga fidei myſteria, vel alterius actus pravi: ſi hoc ultimum dicatur, ſub infero: ergo quoties ille homo eo tempore, quo ſufficienter excitur ad credendum, non cõmittit aliud peccatum, infallibiliter determinabitur à Deo; ut velit credere: conſequens autem iſtud eſt falſum, & contra rectam Theologiam; poteſt enim is, cui ſufficienter fides proponitur, peccare peccato infidelitatis poſitivæ nolendo credere quando urget fidei præceptum poſitivum, vel diſſentiendo fidei Myſteriis, etiam ſi nullum aliud peccatum contra aliam legem committat.

7 Conficitur ergo negationem illam actus poſitivi, eſſe negationem imperii diſſenſus, vel poſitive nolitionis diſſenſus erga fidem: ſed neque id ſtare queit: igitur ex tali negatione, vel negativo concurſu non poteſt explicari fidei poſitivi præcepti adimpletio: ſubſumpta probatur primò: nam ſi illa negatio ſit libera, ut ſupponimus, moraliter eſt impoſsibilis ſine actu poſitivo nolendi diſſentire; eam ſiquidem humanam, & moralem impoſsibilitatem agnoſcunt graviſsimi Authores, qui metaphyſicè poſsibilem affirmant, ut prælibavi ſect. præcedenti. Secundò;

quia

quia licèt virtualis illa nolitio diſſentiendi revelatis à Deo, ſufficienter revelatis, mala non ſit, tamen quando urget poſitivum fidei præceptum non eſt ſufficiens, ut præcepto fiat ſatis: patet quia cum nolitione ſivè interpretativa ſivè formali diſſentiendi, ſtare poteſt omiſsio quoque libera volũtatis credẽdi, & ipſius poſitivi actus fidei: igitur per negativum aſſenſum, nullo modo explicari valet debita fidei prẽcepto obedientia. Id quod poſſet etiam in aliis urgeri ſimilibus præceptis. Nulla ergò diſpoſitio negativa libera, & moralis exiſtimari poteſt, ex qua pendeat, & ad quam conſequatur infallibiliter efficax Dei prædeterminatio ſivè intrinſeca, ſivè extrinſeca.

8 Undecimò, rejiciendus venit prẽdictus negativus aſſenſus, & diſſenſus, quia juxta Reverendiſ. & perdoctum Magiſt. Manſo, *quæſt.* 8. §. 2. *numer.* 21. *fine*, conſenſus negativus gratiæ Dei pertinet ad actum primum voluntatis, quod ille ſic probat: conſenſus iſte præcedit ſignum gratiẽ Dei efficacis, aut phyſicæ prædeterminationis; ſed pro priori ad ſignum prædeterminationis, & actionis Dei nullus actus poſitivus voluntatis poteſt dari, cum omnis actus poſitivus volũtatis ſit effectus actionis immanentis Dei, & prædeterminationis: ergò conſenſus voluntatis vocationi Dei eſt actus negativus. Sic ille. Tum ſic, ſed in actu primo potentiæ liberæ nullus eſt conſiderabilis conſenſus, nec diſſenſus liber etiam negativus, ſuo modo eſſendi in ea potentia jam exiſtens. Igitur impoſsibilis eſt prædictus negativus diſſenſus aut conſenſus: conſequentia liquet: prima aſſumptio eſt ipſa prælaudati Magiſtri doctrina: oſtendo igitur ſecundam aſſumptionem: quoniam omne exercitium liberum ſivè poſitivum ſivè negativum præſupponit ſignum aliquod indifferentiẽ, in quo ſcilicet præſcinditur à libero exercitio quolibet, ſeu à determinatione voluntatis: aliàs tale exercitium ſivè poſitivum, ſivè negativum eſſet à potentia determinata ad unum; ergò non à potentia libera: oportet ergò aſſerere, quòd in actu primo liberæ potentiæ nullus conſiderabilis eſt conſenſus, nec diſſenſus liber etiam negativus.

9 Dices, quòd licet negativus ille conſenſus non adſit in voluntate ut indifferente, & in actu primo ad illum, & ad diſſenſum negativum, tamen reperitur in eadem voluntate, ut in actu primo conſtituta ad poſitivum conſenſum, vel diſſenſum eliciendum. Verumtamen hanc eſſe inſufficientem ſolutionem, probatur, quia juxta illam tot operationis liberè multiplicantur ſigna, ut videantur ſuperflua, imò repugnantia; primum ſiquidem erit ſignum indifferentiæ, & libertatis ad negativum conſenſum, & diſſenſum: ſecundum ſignum erit potentiæ liberæ ſic conſtitutæ, & ut præcedentis ad gratiam phyſicam efficacem, & prædeterminantem, ut apertè Reverendiſsimus Manſo fatetur: tertium ſignum erit ipſius gratiæ phyſicè prædeterminantis, quæ eſt cauſa noſtræ voluntatis, ut ipſe quoque Author edocet: quartum erit ſignum poſitivi actus eliciti à voluntate: tot autem in exercitio liberi poſitivi conſenſus ſigna conſona haud ſunt receptæ doctrinæ, ſivè in Patrum Dominicanorum, ſivè Scotiſtarum, ſivè etiam noſtræ Societatis Schola: imò ſibi ſunt repugnantia; quoniam ſi in ſecundo ſigno voluntas liberè purè omittit diſſenſum, non poteſt in eo inſtanti, etiam in alio ipſius ſigno, liberè elicere conſenſum; tum quia liberè omittere imperiam, & poſitivam voluntatem credendi, urgente poſitivo fidei præcepto, eſt illius violatio, cum interpretativè velit id exercitii poſitivi omittere, ad quod exequendum ex præcepto obſtringitur: mutuòque ſibi repugnant præcepti violatio, & obedientia. Undè

10 Unde colligitur, quòd licèt poſtea dicatur eadem voluntas prædeterminari à Deo, ſivè intrinſecè, ſivè extrinſecè, ad poſitivum credendi imperium, non poterit illud dici liberum voluntati creatæ ratione prioris negativi concurſus ſeu conſenſus; hic quippè, etſi quatenus eſt interpretativè nolitio diſſenſus, quadantenus propendeat in poſitivum conſenſum; tamen quia ſimul eſt interpretativè nolitio conſenſus hujuſce poſitivi, pugnat eo ex capite cum poſitivo conſenſu: hic igitur poſitivus conſenſus à priori negativo denominari liber haud valet: maximè cum prædictus negativus conſenſus in circunſtantiis præcepti poſitivi credendi, non ſit honeſtus ſed pravus. Nec ad rem confert poſsibilitas puræ omiſsionis liberæ, & ſupernaturalis, ac meritoriæ, quoniam, ut cernere eſt in P. Ripalda, *tom.* 1. *de ente ſupernaturali*, *diſp.* 70. *per totam*, ubi doctè, & ingeniosè id poſsibilitatis fulcire conatur, omnia ferè ipſius argumenta procedunt in hypotheſi omiſſionis liberæ, intercedentis quando urget negativum præceptum, ſcilicet non aſſentiendi tentationi pravæ: imò *ſect.* 4. *numer.* 23. fine, ut certum tradit, peccatum intervenire, & præcepti violationem, quando exiſtente impulſu gratiæ ad eliciendum actum præceptū per purā omiſsionē volūtas illi diſſentitur: nec à diſſenſu, & reſiſtentia eximi poterit, quòd movente, & alliciente gratia ad conſenſum poſitivum præceptum, voluntas liberè hujuſcemodi conſenſum omittat. Colliges pariter nihil prædicto negativo conſenſui ſuffragii accedere ex opinione, quæ immediatam actui imperato adſentitur libertatem; quia ut vidimus *ſect.* 104 *num.* 7. id ex eo fulcitur, quòd voluntas ſimul eodemque ſigno determinat ſe ipſam ad imperium, & actum imperatum: quod in negativo conſenſu minimè evenit, cum potius voluntas interpretativè nolit poſitivum conſenſum, quē pro illo ſigno omittit; ideòque pro toto inſtanti fit impoſsibilis ex dictis.

11 Prætereà eruditiſsimus ipſe P. Mag. Manſo inficiari videtur quadruplex illud ſignum, & triplex ſolum admittere; ſiquidem *dicta quæſt.* 8. *numero ſecundo. verſ. & confirmatur.* docet, negativum conſenſum, vel diſſenſum dari in ſigno propoſitionis objecti. At ſignum propoſitionis objecti eſt primum potentiæ liberæ; conſenſus igitur, aut diſſenſus negativus non ad ſecundum ſignum ſed ad primum liberæ potentiæ referendi veniunt, & conſequenter duo alia tantum dividenda erunt ſigna, nempè prædeterminationis, & poſitivi affectus. Cæterum ex eo duodecimum inſtituo argumentum contra eamdem ſententiam; in ſigno quippè propoſitionis objecti nihil puræ liberæ omiſsionis, libertatis nihil, ſed præciſsionis ab omni poſitiva, & negativa determinatione, & indifferentię ſtatui poteſt, ac debet intelligi; at juxta dictam ſententiam, conſenſus, diſſenſus vè negativus intelliguntur in priori illo ſigno propoſitionis objecti; igitur prædicti aſſenſus, & diſſenſus negativi omni carent libertate: ergò ab illis in poſitivum conſenſum, aut diſſenſum reſundi non poteſt ulla libertas: conſequentia liquet: ſecunda aſſumptio conſtat ex prælibatis; prima autem exploratæ equidē veritatis mihi apparet; præſertim cum objecti propoſitio ſæpè nobis libera non ſit.

12 Decimò tertiò in idem inſurgo: conſenſus negativus ex traditis à perdocto Mag. Manſo *dict. quæſt.* 8. *num.* 21. conſiſtit in eo, quòd voluntas ſinat, & permittat ſe trahi ab objecto: negativus verò diſſenſus in eo, quòd voluntas non ſinit ſe trahi ab objecto: ſed hujuſcemodi aſſenſus, & diſſenſus contradictionem involvunt, præſertim in fidei divinæ rebus: igitur nec liberi, nec poſsibiles illi ſunt. Probo

bo minorem, unicè dubitabilem: fidei objectum,ut propoſitum ſufficienter, non habet ex ſe vim trahendi efficaciter intellectum, aut voluntatem ad aſſenſum: voluntati igitur non eſt liberum ſinere,aut non ſinere ipſam, intellectumque ab objecto trahi : antecedens fulcitum fuit præcipuè *ſect.* 37. *n.* 4.*& ſequentibus*: ubi oſtendimus,quòd fidei objectum ex conceptu ſuo formali ut inevidens, & obſcurum non determinat intellectum quoad exercitium, nec quoad ſpecificationem: id quod toto hoc tractatu communitur: ſed abſque tali determinatione non poteſt trahi intellectus ad aſſenſum fidei: ergò fidei objectum nequit intellectum trahere ad aſſenſum ex vi ſua,& ſine voluntatis poſitiva affectione, & determinatione;quòniam excepta beatitudine, quam omnes naturaliter appetunt, inter cætera bona, & ſi cum beatitudine connexa ſint realiter, niſi connexio ſit evidens, poteſt voluntas eligere quodlibet , nullumque eorum voluntatem quoad ſpeciem determinat; imò licet beatitudo in ſolo Deo conſiſtat, tamen ante quam per certitudinem divinæ viſionis neceſsitas hujuſmodi connexionis demonſtretur,voluntas non ex neceſsitate Deo inhæret, nec his,quæ Dei ſunt, ut edocet Angelicus Magiſter D.Thomas 1.*p.q.*82.*art.* 2.*corp.* Plura autem de libertate voluntatis quoad ſpecificationem ad eligendum æquale,aut minus bonum , tradidi *ſect.* 35.*& ſequentibus*,ſed præcipuè *ſect.* 49.*&* 51.Unde conficitur equidem impoſsibile eſſe, quòd ab objecto creato, quod vel connexione caret cum beatitudine, vel etiam ſi ea polleat connexione,illa inevidens eſt,vel à Deo etiam ipſo, ut obſcurè propoſito per revelationem , quæ eſt fidei formale objectum,determinetur voluntas;niſi ipſa,liberè cooperando gratiæ,determinationem eliciat, qua etiam intellectus determinetur ad aſſenſum fidei: igitur concurſus ille negativus, quo nempè voluntas ſinat, ſe determinari ab objecto, nullus eſt, aut falſum ſupponit, quia objectum fidei ut tale non poteſt determinare voluntatem ut imperet aſſenſum erga ipſum. Et conſequenter falſum erit, quod idem Reverendiſs. Manſo inquit *quæſt.* 8. *num.*26.*verſ. Ad quartam.* Videlicet, quòd determinatio voluntatis ab objecto eſt efficax,quoad ſpecificationem, & eſt etiam inefficax quoad exercitiũ.Imò paulò inferius cõcedit,& ait,*quod motio moralis objecti*,nõ ſolùm determinat quoad ſpecificationem,ſed quoad exercitium negativum, ſupra explicatum,ubi probatum eſt tale exercitium non cauſari à prædeterminatione phyſica, ſed à prædeterminatione morali: ergò proprius effectus objecti vocantis,& allicientis eſt determinatio,quoad exercitium negativum, licèt determinatio poſitiva , quoad exercitium debeat provenire *ab alio movente*;)hoc verò aliud movens principium dicit eſſe Dei prædeterminationem.

13 Sed contra decimò quartò:nam ſi objectum efficaciter determinat voluntatem quoad ſpecificationem,profectò voluntas inter bona particularia (beatitudine in communi excepta)ſivè æqualia,ſivè inæqualia, ſivè ſimilia, ſivè diſsimilia liberam nequibit elicere determinationem , amplectendo unum , & reſpuendo aliud: quia ab objecto efficaciter quoad ſpecificationem determinatur ; conſequens autem eſſe falſum, fulcitum manet *dict. ſect.* 35. *& pluribus ſequentibus* , ex Sacris Literis , Conciliis, & Patribus,ratioque multiplici : nec fundamentum, ex habitu nempè charitatis, qui non poteſt influere in odium Dei , quo nititur Sapientiſsimus Mag. Manſo , illius aſſumptum convincit : quòniam licèt habitus charitatis non poſsit influere, niſi in amorem Dei inclinetque voluntatem ad illum ; tamen in operibus non

præceptis poteſt liberè voluntas eligere aliud bonum, quod ad charitatem non pertinet; & in rebus præceptis poteſt voluntas liberè etiam peccare: tum quia licet habitus charitatis non poſsit influere niſi in actus, qui comprehenduntur ſub ſua ratione formali; tamen in objecto fideii, & in aliis apprehendit intellectus rationes formales diverſas, & oppoſitas ſcilicet boni delectabilis, utilis, & honeſti, boni quoque, & mali: & cum ſub qualibet ratione boni tendere poſsit voluntas, nihilominus earum nulla efficaciter determinat voluntatem: ideòque voluntas indifferens eſt, non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem. Et quamvis voluntas non poſsit ſub ratione boni objectum reſpuere, poteſt tamen illud odio habere, aut prætermittere propter apprehenſam rationem mali, aut carentiam alicujus boni.

13 Cujus doctrinæ ratio traditur à Doct. Angelico *in 2. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. corp. & 1. 2. quæſt. 10. art. 2. corp.* ubi, præmiſſa diſtinctione neceſsitatis, quoad exercitium, & quoad ſpecificationem, docet primò, quòd voluntas à nullo objecto ex neceſsitate movetur quoad exercitium, poteſt enim aliquis de quocunque objecto non cogitare: deinde de neceſsitate quoad ſpecificationem inquit: *Et quia defectus cujuſcumque boni habet rationem non boni, ideò illud ſolum bonum, quod eſt perfectum, & cui nihil deficit, eſt tale bonum quod voluntas non poteſt, non velle, quod eſt beatitudo: alia autem particularia bona in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi, ut non bona: & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari, vel approbari à voluntate, qua poteſt in idem ferri ſecundum diverſas conſiderationes.* Igitur juxta Divum Thomam, ipſiuſque præclarè expoſitam rationem: objectum quod non eſt perfectè, & undaque bonum, non poteſt voluntatem determinare quoad ſpecificationem.

14 Prætereà ut edocet Angelicus Magiſter, *1. p. quæſt. 82. art. 2. corp. Sunt quædam habentia neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quibus ſcilicet homo Deo inhæret, in quo ſola vera beatitudo conſiſtit, ſed tamen antequam per certitudinem divinæ viſionis neceſsitas hujuſmodi connexionis demonſtretur, voluntas non ex neceſsitate Deo inhæret, nec his, quæ Dei ſunt.* Unde fluit, quod licet objectum fidei ſit ſummum bonum, & ad fruendum ipſo neceſſaria ſit fides, cum tamen hæc omnia per fidem obſcurè proponantur, & abſque demonſtrationis evidentia, non determinantur ab objecto intellectus, nec voluntas, nec quoad exercitium, nec quoad ſpecificationem ut fidei Myſteriis aſſenſum præbeant: id quod docet aperte Angelicus Doct. D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 9. *ad* 2. *& aliis locis ſect.* 9. allatis: quibus addere licet alium qui appoſitè in rem quadrat ex *2. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. corp.* ubi Angelicus Mag. infit: *Ipſa enim potentia voluntatis quantum in ſe eſt indifferens ad plura, ſed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate*: Lectionemque iſtam eſſe genuinam ex antiquiſsimis etiam manuſcriptis codicibus confulcit Henricus Scerft, *cap. 4. num.* 48. & conſtat ex editione operum S. Doctoris facta anno 1659. à P. Joanne Nicolai præclari Ordinis S. Dominici, & Doctoris Sorbonici recognita.

15 Decimo quintò denique: juxta dicta à Reverendiſsimo M. Manſo, objectum determinat voluntatem quoad ſpecificationem; rurſus idem objectum ex vi ſuæ moralis motionis non ſolùm determinat quoad ſpecificationem, ſed quoad exercitium negativum: igitur concurſus, aſſenſuſque negativus

voluntatis liber non eſt ipſi voluntati, nec quoad ſpeciem, nec quoad exercitium : antecedens eſt ipſius Sapientiſsimi Magiſt. *dic. quæſtio.* 8. *numer.* 26. *fine*, conſequentia recta videtur : quod enim determinatur ab alio, quàm à voluntate, ipſi voluntati non eſt liberum : nec hic patet aditus ad ſolutionem, quam Authores phyſicarum prædeterminationum præſtant, nempè quòd Deus prædeterminans, non ſolùm vult, & cauſat actum, ſed etiam modum ipſius, ſcilicet libertatem, quam ſupereminenter continet : id, inquam, in præſentiarum locum non habet ; quoniam illa motio, & determinatio ab objecto proveniens, quoad ſpeciem, & exercitium negativum voluntatis, ponitur ab ejus erudito Authore pro ſigno priori ad Dei prædeterminationem : ſi ergo concurſus negativus liber non eſt voluntati quoad ſpeciem, nec quoad exercitium, nullo modo à tali conſenſu negativo poterit eſſe liber poſitivus conſenſus voluntatis, ejuſque imperium, ut intellectus fidei objecto aſſentiatur. Igitur cum actus divinæ fidei ſit utique liber, quoad exercitium, & quoad ſpeciem, à nullo tali conſenſu negativo pendet, ſed poſitivè in ſe ipſo immediatè liber aſſerendus venit.

16 Quod verò attinet ad B. Ægidii authoritatem, illa videtur conſtabilire tantùm puræ omiſsionis liberæ poſsibilitatem : quòd autem ea libera pura omiſsio præcedat poſitivum voluntatis conſenſum, ad eumque diſponat, & quòd cũ eo in eodẽ cõjungatur inſtãti, in B. Ægid. nõ habetur: præterea B. Ægidius in ſupra excerptis verbis nõ ſemel inquit, voluntatem ad negativum conſenſum, aut diſſenſum, ſe ipſam movere; cum tamen ſententia, cui nunc obſiſtimus, aſſerat voluntatem ab objecto ad præfatum conſenſum, aut diſſenſum determinari, & moveri. Tandem B. Ægidius phyſicæ prædeterminationis aſſertor non oſtenditur, nec reapſe fuit, ut colligitur ex locis adnotatis, & eruditè perpenſis à P. Faſolo. *dub.* 9. *num.* 101. *dub.* 17. *numer.* 312. Ruicio, *diſp.* 49. *ſect.* 6. *numer.* 4. & 5. & *diſp.* 67. *ſect.* 6. *numer.* 5. Aldrete, *diſp.* 28. *ſect.* 2. *num.* 7. *ſec.* 5. *num.* 13. & *ſeptem ſequentibus*, ſed præcipuè à ſupramodum erudito, colendiſsimoque meo Magiſtro P. Gabriele de Henao, *in Scientia Media Theologicè defenſata. ſectione* 384. *cum duabus ſequentibus*, quas in B. Ægidii exponenda mente ſapienter complet.

17 Nec Cardinalis Bellarminus prælibatæ eſt adſtipulator opinionis ſed oppugnator; primò; quoniam negativus actus in præ exarato loco Sapientiſsimi, & Eminentiſsimi hujuſce Scriptoris, non eſt ſimpliciter talis, ſed ſecundum quid, videlicet eſt negativus reſpectu extremi à voluntate prætermiſsi; eſt tamen actus poſitivus reſpectu extremi voliti, ſeu amati, id quod colligitur ex ipſis verbis ſupra excerptis, ſignanterqúe ex illis, nempè: *In ejus* (ſcilicet voluntatis) *poteſtate eſſe ut ſinat ſe moveri, vel reſiſtat non quidem actu poſitivo, ſed negativo*: ubi de reſiſtentia erga extremum prætermiſſum, actu negativo eam fieri poſſe, edocet; non verò id aſſerit de proſecutione objecti amati: de eo quippè expreſsè dicit, moveri voluntatem erga illud, non quidem neceſſariò, nec ex determinatione objecti, ſed ex ipſa determinatione voluntatis, quæ cum poſſet moveri affectu ſuo erga oppoſitum objectum, illud tamen prætermittit, reſiſtitque ejus motioni, licet non directæ, & poſitivæ formali reſiſtentia, quæ ſit nolitio expreſſa, illius ; negativo tamen actu, & reſiſtentia illi contradicit amans oppoſitum.

Hanc

18 Hanc eſſe genuinam Præſtantiſsimi hujuſce Authoris noſtri ſententiam, colligitur ſecundò ex verbis interjectis in eadem nobis objecta periodo, prætermiſſa tamen in illa ſunt, nam poſt verba, *Non ſinendo videlicet ſe moveri*: pergit Bellarminus & ait: *Per hoc enim quòd voluntas ſinit ſe moveri ab una ratione propoſita, fit ut mens omiſſa alia inquiſitione pergat, & concludat judicium particulare, ad quod continuò ſequitur electio.* Ubi perpendendum primò, quòd cum iterum hìc ſit ſermo de objecto, quod prævalet in voluntate, iſtius motus in objectum non nuncupatur negativus, ſed abſolutè, & ſimpliciter dicitur, *quod voluntas ſinit ſe moveri ab una ratione propoſita*; quod conſpicuè poſitivum explicat voluntatis conſenſum. Deinde operę pretium eſt animadvertere, hujus poſitivi affectus libertatem exponi per illud, *voluntas ſinit ſe moveri*: & paulo ante, *ſinendo videlicet ſe moveri*; differit quippè de libertate, quæ reperitur in particulari practico rationis judicio, quod ad electionem neceſſarium eſſe, dixerat præcedenti *cap. 8. propoſit. ſexta*: at quoniam judicandi actus, & apprehenſiones, ſub ratione veri non pertinent formaliter ad voluntatem, ideò ſubtiliſsimus Scriptor, dum agit de libertatis motu poſitivo, quo voluntas præhabet ſibi aliud objectum, alio omiſſo, utitur *ſinendi* verbo, non quòd judicium particulare practicum non pendeat à poſitivo, & libero actu voluntatis, ſed quoniam de rationibus quæ formaliter ad judicium conferunt, non eſt voluntatis formaliter judicare, ſed amando bonitatem, quæ per rationes quaſdam proponitur, *ſinere* ſe moveri illis rationibus efficiendo liberè, quòd intellectus aſſentiatur his potius rationibus, quàm aliis.

19 Id inclareſcet inſuper ex eo, quod idem Eminentiſsimus Bellarminus edocet *dic. cap. 9.* nobis objecto ſcilicet *lib. 3. de liber arbitr. cap. 9. in ſolutione ad tertiam confirmationem octavi argum.* Vbi hæc habet. *Nam tametſi duo ſint æquè affecti, & occurrant eidem pulchritudini, tamen unus, quia volet, judicabit eſſe appetendam objectam pulchritudinem, & ita conſentiet, alter, quia volet, judicabit eſſe reſiſtendum cupiditati, & ita non conſentiet. Itaque diverſa erunt judicia ultima in illis duobus, & inde etiam diverſæ electiones.* Hactenus ille.

20 Et licèt idem Bellarmin. prædicto negativo conſenſui adfavere videatur *lib. 4. c. 16.* alia tamen eſt ipſius mens; 1. quia ibi non docet, volùtatem ab objecto, quoad exercitium, aut quoad ſpeciem determinari. 2. Negativa determinatio apud illum præcisè admittitur relatè ad prætermiſſum objectum, ſecus relatè ad id, quod amatur, nempe ut *voluntas ſinat ſe moveri ab objecto per rationem propoſito, vel non ſinat.* 3. negativa hæc determinatio, qua voluntas ſe diſponit ad influxum Dei recipiendum, iuxta Bellarminũ, eſt ipſa libera actio voluntatis, quatenus illa eſt à volũtatè ut determinãte; ſeu quatenus verum eſt dicere: ideo Deus, & gratia influunt, quia voluntas liberè ſe ad velle determinat; non è converſo: ideo voluntas influit in ſuam poſitivam actionem, quia Deus, & gratia actionem determinant, 4. ea negativa determinatio nõ eſt ſimpliciter nec natura prior voluntatis poſitiva determinatione, ſeu actione, ſed logicè tantum, & per quandam præciſionem 5. Idem Bellarm. ſe refert ad dicta de libertate judicii practici, quod ſupra explicui. 6. Nullibi ille docuit ex tali negativo concurſu Deum moveri ad prædeterminandam intrinſecé, ſivè extrinſecè volũtatẽ ad poſitivũ velle; imò id prædeterminationis, ſive extrinſe-

cæ, ſivè intrinſecæ, quantum repugnet menti, & doctrinæ Eminentiſsimi Bellarm. fusè oſtenditur à P. Aldrete *diſp.29.ſec.11.n.3.* P. Platelio in ſpeciali opuſculo, & ulteriori etiam obſervatione, ab eruditiſsimo P. Gabriele de Henao, *in Scient. Media Theologicè defenſ. ſect. 175. ferè per totam, & ſect. 402. num. 5583. & pluribus ſequentibus*, tum *in Scientia Media, hiſtor. propug.* Eventil. 16. *numero* 425. *& tribus aliis ſequentibus.*

21 Plura, quæ difficultates alias circa prædictum negativum conſenſum, & diſſenſum, & poſitivi velle prædeterminationem, ejuſque cum libertate concordiam concernunt, prætermitto; quia ad noſtrum non attinent aſſumptum. Id tamen obiter haud præteribo, immeritò R.P. Maſſoulié *de Divina motione, tom. 1. diſſert. 2. q. 9. art. 1.* citatum à Reverendiſsimo P. Magiſt. Manſo. *Diſſert. dogmat. quæſt. 1. §. 1. num. 8. fine*, redarguere Eximium Doctorem P. Franciſcum Suarez, ex verbis Sanctiſsimi Noſtri Parentis D. Ignatii in laudatiſsimo *Exercitiorum libro, hebdom. ſecunda, quinta die. §. de tempore triplici ad electiones rectè faciendas magis opportuno.* Vbi ſequentia docet: *Tempus primum erit, quando voluntatem divina virtus ſic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ ſublata ſit, quò minùs ſequatur impulſionē talem, ſicut legimus B. Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis accidiſſe*: ſic ibi, ex qua doctrina inter prædeterminationis phyſicæ aſſertores Div. Noſtr. Parentem adſcribendum, & ab illius doctrina Eximium Doctorem deſciſcere, exiſtimat prædictus P. Maſſoulié.

22 Cæterum exiſtimationi huic ire obviam, haud difficile eſt, ipſeque eruditus Magiſter Maſſoulié illam disjicere poſſet, vel ex eodem Doctore Eximio, qui ut omnigena doctrina conſpicuus, fuit quoque ſpiritualis, & Miſtica Theologia præſtans, & *tom. 4. de Relig. tract. 10. de Religione Societatis Jeſu, in particular. lib. 9. c. 5.* ubi agit de mirabili doctrina libri Exercitiorum, *numer.* 43. adnotat, zelum, quem nunc habet Societas rectè explicandi concordiam gratiæ cum libero arbitrio, & convenienter loquendi, & accomodatè ad reſiſtendum Luthero, aliiſque hujus temporis hæreticis, eumdem fuiſſe in Patre Noſtro Ignatio, & vel ab ipſo in Societatem manaſſe, vel eumdem ſpiritum, qui hanc Religionem movet, hujus eſſe doctrinæ Authorem: Sic Eximius Doct. cenſuit, eamque animadverſionem confirmat multis ex eodem Exercitiorum libro: Et Docti P. Maſſoulié objectionem, (quam & alius valde ſapiens Scriptor Sacri D. Dominici Ordinis, videlicet Magiſter Vincentius Ferre, *tom. 2. in 1. p. tract. 6. quæſt. 1. §. 7.* propoſuit,) præocupans, diluenſque *num.* 45. inquit: (Quod dicitur de divino impulſu ita efficaci, ut facultatem dubitandi auferat, quò minùs homo ſequatur impulſionem divinæ virtutis, pertinere credimus ad divinam motionem per dona Spiritus S. (quam motionem optimè vocat S.P. ex divino inſtinctu, in qua homo magis agitur, quàm ſe agat.) nam interdum poteſt eſſe tam efficax, ut neceſsitatem quandam inferat, ſaltem in intellectu ad judicandum de aliquo agendo, per donum conſilii, vel per aliquam revelationem adeò efficacem, utex parte intellectus non relinquat facultatem dubitandi. Quamvis autem tunc homo neceſſariò judicet, impulſum Dei eſſe ſequendum; nihilominus in voluntate manere poteſt eligendi libertas; hæc enim non aufertur per motiones gratiæ (eſ-

tè

ſo poſſet Deus illam auferre) ne moralis fructus, & meritum actionis impediatur; ſicut Chriſtus Dominus neceſſariò judicabat de omnibus agendis, & tamen liberè eligebat. Hic autem motionis modus, nec neceſſarius eſt ad ſupernaturaliter operandum, nec ordinarius eſt, ſed ex ſpeciali Dei gratia aliquando liberaliter conceditur, ut de Matthæo, & Paulo in eodem loco exempla ponuntur.) Ita Doct. Eximius.

23 Cujus intelligentiam appoſitè ad mentem, ac verba N.S. P. Ignatii ſuffulcit inſuper *Directorium in Exercitia Spiritualia* S.N. Parentis, probatum *in V. noſtræ Societatis Generali Congreg.* juſſuque R.P.N. Generalis editum *an.* 2599. ubi *cap.* 26. *de temp. triplici ad electionem rectè faciendam*, ad expoſitionem regulæ ſupra traditæ, ſic habetur. (*De primo quidem tempore pauca ſunt dicenda, cùm ſcilicet adeò clarè conſtat de Dei voluntate, ut ne dubitari de ea quidem poſſit, pro cujus exemplo ponitur vocatio Matthæi, & Pauli.* Et paulò infrà: *Sed hæc vocatio nimis extraordinaria eſt, nec cadit ſub regulam.* Sic ibi: Porrò autem ex eventu extraordinario incongruè arguitur ad ea, quæ juxta ordinariam eveniunt providentiam divinam, aut ſecundum illam reperiri dicuntur à PP. Ferre, Maſſoulié, aliiſque ſuæ Scholæ doctis Authoribus, qui, ordinariæ, ac neceſſariæ dicunt eſſe Providentiæ, phyſicas prædeterminationes.

24 Rurſus ex prælibatâ expoſitione conficitur, impulſum illum gratiæ, de quo S. Parens Ignatius, potius pertinere ad judicandum de voluntate Dei erga rem eligendam, quàm ad ipſam electionem; imò etiam intellecto impulſu erga electionem ipſam, ut abſ dubio in D. Matthæo, & D. Paulo contigit, talis gratiæ impulſus non eſt ab intrinſeco efficax, ſed reſiſtibilis, ut Doctor Eximius adnotat, & docet in terminis D. Anſelm. *Enarrati. in Matthæ. cap.* 6. ad illa verba; *Fiat voluntas tua*, ubi inquit: *In Paulo tamen videtur cogens voluntas*, (nempè Dei) *ſed non eſt, quia licèt ſit percuſſus, tamen voluntas erat libera, ut reſiſteret ſi vellet.* Tandem idem N.S.P. Ignatius aſſignat duo alia tempora ad rectam electionem, quibus in temporibus non adeſt impulſus ille divinæ illuſtrationis, & gratiæ adeò vehemens, ut dubitandi facultas animæ ſublatâ ſit: igitur Sancti Noſtri Parentis mentis non fuit, gratiam ab intrinſeco efficacem, aut phyſicam prædeterminationem ad libera noſtra, meritoriaque opera exercenda docere, vel etiam inſinuare. Hæc dicta ſunto, ut magis inclareſcat Societatis Doctores nullo modo à doctrina S. Parentis Noſtri deficere, ſed in præcordiis illam habere, nec tamen ideò diffiteor, ſed fateor, conſimili zelo inſectandi hæreſes, Sapientiſsimos Patres Dominicanos, & Complures alios illis ſubſcribentes, haud minus eruditos, graviſsimoſque Authores, DD. que flagrare, ſed conſimili zelo alia noſtrę Societatis Scholæ via eſt, cui inhæreo; at omnes qua pars eſt proſequor obſervantiâ, & de omnibus benè mereri cupio, & ab ipſorum doctrina diſcere ambio, & gratulor; gauderemque admodùm, ut tenuis meus calamus, etſi acumine deſtitutus, in me abundaret velut *linguâ eucharis*, quam laudat, commendatque Eccleſiaſtic. *cap.* 6. *v.* 5.

SECTIO CENTESIMA DEZIMA SEXTA.

Quæ ex fidei ſubjecto poſſent intorqueri, objectiones diluit.

1 SUppono primò, habitum fidei in ſolâ ſubſtantiâ rationali mediatè, aut immediatè reſidere, quia ſolâ ſubſtantiâ rationalis capax eſt credendi Deo, & eliciendi actus fidei: unde conſequens eſt, immediatè ineſſe ſubſtantiæ, ſi po-

tentiæ vitales ſint omninò indiſtinctæ ab ipſa ſubſtantia animæ, ut in Philoſophia exiſtimavi. Suppono ſecundò, habitum fidei tum intellectualem, tum affectivum, ſeù piæ affectionis requiſitæ ad actu credendum, valdè probabiliter recipi in ſubſtantia ipſa rationali, etiam ſi potentiæ realiter diſtinguantur ab anima; licet enim hæc ſuppoſitio certa non ſit, nititur tamen valdè probabili ſententiæ P. Ripaldæ *tom. 2. de Ente ſupern. diſp. 121. ſect. 2.* & Cardinalis de Lugo *tract. de fide. diſput. 15. ſect. 1.* Id enim poſtulat virtus immediatè activa ipſius animæ; tum quia cum gratia ſanctificans immediatè inhæreat ſubſtantiæ rationali, habitus infuſi, qui ſunt velut proprietates, debent in eodem gratiæ ſubjecto recipi: probabile etiam eſt fidei habitum recipi in intellectu inadæquatè diſtincto ab anima, prout edocent Exim. Doct. *diſp. 2. ſec. 1. num. 3.* P. Coninch. *diſp. 16. dub. 1.* Granad. *tract. 13. diſput. 6. num. 1.* ſupponuntque Mæratius *diſp. 12. 13. & 14.* & alii plures.

2 Suppono tertiò, communem eſſe Theologorum ſententiam, quæ adſcribit Angelis actus fidei in via elicitos, per quos ſe ad juſtificationem diſpoſuerunt, & beatitudinem meruerunt. Ita Interpretes Angelici Doctoris cum ipſo 2. 2. *q. 5. art. 1. & quæſt. 18. de verit. art. 2.* Exim. Doct. P. Suarez *lib. 5. de Angelis, cap. 5.* P. Valentia *ſuper Div. Thomam, & ibidem* Granad. & Turrianus, Cardin. de Lugo *diſp. 17. ſec. 1.* P. Ripalda *de fide. diſp. 18. ſec. 2.* & alii apud ipſos. Contrarium nihilominus docent, negantque ſtrictum fidei actum fuiſſe in Angelis Durandus *in 3. diſt. 23. q. 8. num. 12. & 12.* Gabriel *q. 2.* Seraph. Doct. D. Bonaventura, *art. 2. q. 3.* Alenſis *3. p. q. 64. memb. 8.* Subtilis Doct. Scotus *in 4. diſt. 10. q. 8. ad 2. & 3.* nobiliorem fidei cognitionem ſupernaturalem eis ad meritum tribuentes. Quod Paladanus etiam quoad primum Angelum, cæteros illuminantem, aſſerit *in 3. diſt. 23. q. 4.*

3 Ex dictis, præſertim juxta communiorem ſententiam, primo loco relatam, contra fidei libertatem, ſic argui poteſt: Angeli evidenter cognoverunt revelationem divinam, quia aſſequuti fuerunt, eam non eſſe ſibi factam ab alio Angelo, aut alia creatura rationali; præſertimque id locum habet in Angelo Supremo, is enim evidenter cognoſceret, non eſſe ſibi factam revelationem ab alia creatura rationali; tum quia aſſequerentur illuminationem ſibi infuſam non eſſe naturalem, ſed ſupernaturalem, ex eo quòd eam intueri, & quidditativè diſcernere non valerent, cum omnis cognitio naturalis ipſis Angelis immediate, & quidditativè manifeſta ſit. Nota autem evidenter revelatione Dei, evidenter noſcerent eſſe veram; igitur nulla in ipſis eſſet diſſentiendi, aut contrarietatis libertas.

4 Huic difficultati ut obviam eant Durandus, & alii Theologi illi adſentientes, infitentur, fidem repertam fuiſſe in Angelis: unde ipſi Authores ſubſcribunt fidei libertati quoad ſpecificationem in hominibus: ſecundò Cajetanus, & alii ex Schola Patrũ Dominic. aſſerũt, quòd etſi Angelus habuerit evidentiam articulorum fidei, quatenus erant à Deo revelati, at non habuit evidentiam illorum ſecundum ſe, hoc eſt, ut tales, ac proinde potuit habere fidem de illis, ea ratione. Nam non pugnat (inquiunt) cum fide quævis evidentia rei, ſecundum communem aliquam rationem, ſed evidentia rei quatenùs talis res eſt in ſe. Sed hæc ſolutio, cui adhæret, univerſim loquendo de evidentia in atteſtante poſſibili cum fide, per doctus Mag. Navarro, jam *ſect. 100. num. 12.* infracta manet. Aliiſque prætermiſſis ſolutionibus videndis apud P. Ripaldam *trac. de fide, diſp. 18. ſec. 2.* Reſpondeo cum P. Valentia *in*

2.

2. 2. Div. Thom. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. *punc.* 1. Angelos, etiam ſupremo incluſo, non habuiſſe evidentiam de eo, quòd ab ipſo Deo immediatè, vel mediatè ipſis facta eſſet articulorum fidei revelatio. Quoniam Angelus ſupremus potuit vereri, ſeu dubitare, utrum eſſet aliqua creatura ſuperior, ipſi ignota, cujus virtute fieret, ut ipſe conceptum illum fidei formaret in intellectu ſuo, ſic, ut à tali creatura deciperetur, atque ideò nó habuit evidentiam penitus de veritate articulorum. Nam etſi probabilius ſit, & verius, quod Angelus naturaliter cognoſcat omnem creaturam factam à Deo, omnemque illius creaturæ virtutem, & efficaciam, at non eſt evidens ipſi Angelo, quod tam latè pateat ſua cognitio, atque ita, ut dictum eſt potuit dubitare num eſſet aliqua creatura ſuperior, à qua falleretur.

5 Tum quia Angelus non debet neceſſariò cognoſcere carentias omnium poſsibilium, & ideò potuit timere, aliam fortè eſſe perfectiorem productam ſubſtantiam. In reliquis autè inferioribus Angelis, cum D. Dionyſius doceat, illos à ſuperioribus Angelis illuminari circa res ſupernaturales, clarius eſt, eos non habuiſſe eam evidentiam articulorum in atteſtante; potuerunt quippè dubitare utrùm propoſitio illis facta circa fidei articulos eſſet vera, & an doctrina illa eſſet divinitus accepta, an à ſuperiori Angelo conficta. Illud tamen conſtat omnes Angelos vehementer fuiſſe perſuaſos, quòd illa doctrina eſſet à Deo, atque adeò magnam habuiſſe evidentiam credibilitatis fidei, ſed non veritatis fidei ſecundum ſe.

6 Reſpondetur ſecundò juxta Eximii Doct. ſententiam, quòd cum Angeli non cognoſcant ſupernaturalia per ſuum naturale lumen, ut conſtat ex 1. *p. quæſt.* 57. traditque ipſe Magnus Suarez, *lib.* 2. *de Angelis*, *cap.* 29. & 30. ideò ſunt capaces divinæ revelationis, non ſolùm intuitivæ, ſed etiam abſtractivæ, & obſcuræ, atque ita fuerunt etiã capaces fidei, utique liberæ quoad ſpecificationem, & immediatè; quæ doctrina ſtabilitur ex traditis à P. Ripalda, *tom.* 2. *de ente ſupern. diſp.* 11. *ſec.* 8. ubi edocet, Angelos non poſſe diſcernere, ex ſuo naturali lumine, illuſtrationem de divinis fidei Myſteriis ſibi infuſam eſſe loquutionem Dei, neque entitativè ſupernaturalem. Poſſet enim Deus revelare Angelo objecta ſupernaturalia, & æquivocam manere Angeli mentem, an Deus ſit, an alius Angelus, qui ea arcana revelat? Nam poteſt revelare per verba naturalia, quæ ſecundum ſe indifferentia ſunt, ut vel à Deo, vel ab Angelo efformentur? Atque adeò ex ſe nec Deum magis denotent loquentem, quàm Angelum: Nec ſumma Dei veracitas obeſt, quoniam ad illã ſufficit, quòd verba extrinſecè, & quatenus dicta, & procedentia à Deo cum objectorum exiſtentia, & realitate connectantur, ſicut quamquam verba Joannis, & Petri ſecundum ſe poſsint æquè cum falſitate componi, nihilominus teſtimonia Joannis poſſunt eſſe longè majoris fidei, quàm Petri, quia Joannis ſapientia, ac veracitas major eſt. Verba autem quibus Deus Angelos aliaſvè rationales creaturas alloquitur, ſunt vel conceptus mentis creatæ, ſivè ſpecies impreſſæ, ſivè habitus, ſivè aliæ, qualitates de quibus inter Theologos diſſenſio eſt.

7 Denique ſicut ſecreta cordis, quamquam naturalia, ex natura rei non poſſunt ab Angelo cognoſci, niſi ad libitum loquentis, ita etiam de verbis diſtingui non poteſt pluſquàm loquenti placitum eſt, ſi loquens poſsit verba juxta conſilium ſuum proferre: imò poſſunt audiri verba, quin perſona loquens diſcernatur, ut inter homines plerumque contingit: hac igitur ratione Angelus audiens verba exprimentia ſecreta ſupernaturalia, poſſet non

dif-

diſcernere qualitatem naturalem, aut ſupernaturalem ipſorum, ex Dei nempè conſilio hujuſce rationis verba proferente, & cauſante; undè meritò ambigere poſſet an libito loquentis ea ſibi occulerentur? etiam ſi verba entitatis naturalis eſſent: poſſetque non diſcernere perſonam loquentem, negãte Deo concurſum ad cognitionem illam, tum ad eam, quam aliàs poſſent eadem verba cauſare in Angelo, ut diſcerneret ſecretorum ſupernaturalitatem, ſi Deus id vellet: unde poſſet ſubdubitare an perſona eloquens ſit talis ut fallere, aut falli poſsit; maximè quia etiam ſuperior Angelus non debet cognoſcere infinitas carentias omnium poſsibilium, præcipuè carentiam ſubſtantiæ ſupernaturalis, quam valdè probabiliter poſsibilem reor, quæ tamen ſubſtantia peccabilis eſſe poſſet, ut in tractatu de ente ſupernaturali tradidi; & conſequenter talis ſubſtantia etiam fallere poſſet, propterea què evidentia in atteſtante non oſtenditur in Angelis, nec ideò in illis fides deſineret eſſe libera immediatè, & quoad ſpecificationem.

8 In primis autem Parentibus facile eſt definire, in ſtatu innocentiæ non fuiſſe fidei expertes, primò quia in illis non elucet difficultas, quæ in Angelis, nec conſimilis alia. Secundò, quia celebris diſputatio eſt inter Theologos, & Patres Eccleſiæ, an primi Parentes infidelitate peccaverint? quę ſupponit, eos de facto non ſolum potuiſſe credere, ſed etiam ante peccatum credidiſſe fide divina, ut inclareſcit ex Patrum teſtimoniis, quæ adducit Exim. Doct. *lib. 4. de opere ſex dier. cap. 2. & 4.* Quod etiam manifeſtè edocet Proſper *contra Collator. cap. 19.* ubi de primo Parente inquit, *perdidit primitus fidem, perdidit charitatem, ſpoliatus eſt ſapientia, & intellectu, & cap. 21. Infidelitas rapuit fidem.*

9 Circa Dæmones, & damnatos homines in primis certum eſt, eos noſcere, ſe propter ſua peccata igne torqueri, nec non viſione beata, qua potiri poſſent, privari; item in eam deveniſſe miſeriam, & alia hujuſmodi; unde dubitationis eſt, an id credant ex motivo fidei divinæ propter revelationem Dei, ſeu an per fidem ſupernaturalem, & infuſam, an per naturalem, & acquiſitam? Aliqui ergò in ea videntur fuiſſe ſententia, ut exiſtimarent, in damnatis fidem habitualem, & actualem infuſam reperiri, pro qua referuntur Durand. *in 3. diſt. 23. q. 9.* Alenſis *3. p. q. 64. memb. 1.* nec non Mag. *in 3. diſt. 23. §. 4.* & probabile ſignificant P. Valentia *2. 2. diſp. 1. q. 5. punc. 1.* P. Salmeron *diſp. 3. in Epiſt. Jacobi.* Communis tamen cæterorum Theologorum ſententia id inficiatur, præcipuè Doct. Angelic. Div. Thomas *2. 2. q. 5. art. 2.* & ejus Interpretes, Cajetanus, Bannez, & Exim. Doct. *lib. 8. de Angel. cap. 6. num. 6.* tum in præſenti *diſp. 7. ſec. 5.* aliique *in trac. de fide, & de Angelis.* Nec oppoſitum conficitur ex illo D. Jacobi *cap. 2. Credis quia unus eſt Deus, & dæmones credunt, & contremiſcunt*, nam reſpondetur, quòd D. Jacobus redarguit hæreticos, qui ſuo tempore volebant, fidem innixam teſtimonio Dei, quæcumque illa eſſet, ſufficere ſine operibus ad ſalutem. Id quòd arguit falſum ex Dæmonum fide, quæ ſterilis eſt, & prorſus inutilis quamvis divino teſtimonio, quod cognitione naturali poteſt cognoſci, ſit innixa. Itaque utramque fidē ſolum æquiparat in eo, quòd teſtimonio Dei innixa ſit, & ſine fructu bonorum operum mortua, & inutilis ad ſalutem.

20 Itaque quamvis fides ſupernaturalis removeatur ab ſtatu damnationis, admitti cum illo poteſt fides naturalis, & ita conceditur communiter à Theologis, ex quibus aliqui ſignificant, eam fidem eſſe neceſſariam, non ſolùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium, independentemque ab affectu imperante voluntatis, ita P.

Co-

Conink, *diſput.* 17. *num.* 28. & Turrian. *diſp.* 43. *dub.* 3. cum P. Vazquez 1. *p. diſp.* 219. *num.* 6. Alij eſſe neceſſariam ſolùm quoad ſpecificationem, Ita Exim. Doct. *lib.* 8. *de Angelis, cap.* 6. *numer.* 8. Alii verò ſemper eſſe voluntariam, & liberam, ut Cajetanus, Bannez, *quæſt.* 5. *art.* 2. Mag. Lorca, *diſp.* 30. *num.* 6. P. Valentia, *quæſt.* 5. *punct.* 2. idque ſignificat Angelic. Doct. *dic. quæſt.* 5. *art.* 2. *& in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 3. *artic.* 3. quamvis non omninò libera ſit ea Dæmonum voluntas.

11 Cardin. de Lugo, *diſp.* 17. *numer.* 20. *& ſequentibus*, diſtinguit, nec non & P. Ripalda, *diſput.* 19. *ſect.* 3. *num.* 37. licèt aliter, ac Lugo procedat, cũ quo, & ut reor, communis, ac certa eſt ſentẽtia, dico, damnatos plura neceſſariò credere aſſẽſu non libero, quæ ſcilicet credita pertinent ad cruciatum, & ſupplicium damnatorum, nempe nullum eſſe futurum pœnarum finem, potuiſſe ipſos per gratiam, & per bona merita adipiſci vitam æternam. Et quanquam ex natura rei hujuſmodi aſſenſus poſſet eſſe liber, ut notat P. Ripalda, *diſp.* 19. *de fide, ſect.* 3. *num.* 38. ex providentia divina erit neceſſarius omninò, eo quòd diſpoſitione divina decernitur, ut eo aſſenſu, & cognitione puniantur, negante ſcilicet Deo concurſum ſuæ omnipotentię ad diſſenſum, & ad nolitionem aſſenſus, aut ad ſuſpẽſionem ipſius. Nihilominus poſſunt eſſe indamnatis aliqui aſſẽſus fidei naturalis, omninò liberi quoad exercitium, & quoad ſpecificationem: videlicet aſſẽſus eorum objectorũ, quæ ad ipſorum punitionem, & damnationem non pertinent, & cum poteſtate diſſentiendi proponuntur, continentur tamen in Sacris Literis. Nam horum objectorum aſſenſus, qui neque ad ſtatum, nec ad tormentum damnatorum attinent, non apparet ratio, ob quam ex diſpoſitione divina determinentur, aut cogantur, ſed potius dicendum relictos eſſe legibus naturalibus, ſicut alii aſſenſus, & affectus damnatorũ, quibus liberi relinquuntur affectus pravi odij Dei, ac ſimiles: & cũ eorum voluntas ex Dei odio inclinet in diſſenſum infidelitatis injurium Deo, licèt intellectus inclinet in veritatem, ex depravata volũtate poterũt damnati liberè inclinari ad infidelitatẽ circa prædicta objecta, & ad alia, quorum aſſenſus damnationi, & punitioni eorum non ſerviunt.

12 De Animabus in Purgatorio exiſtentibus conſtans Theologorum ſententia eſt, retinere fidem quoad habitum, & actus: ut videre licet apud Exim. Doct. *diſp.* 6. *de fide, ſect.* 9. Granad *tract.* 13. *numer.* 11. Coninck, *diſp.* 17. *dub.* 4. Cardinal. de Lugo, *diſp.* 17. *numer.* 48. & alios. Adnotandum tamen juxta fidem, Animas in Purgatorio eſſe in bono, & gratia confirmatas, divina ſcilicet protectione, ita Exim. Doct. P. Suar. *t.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 47. *ſect.* 1. ubi ait, id confirmationis haberi ex extrinſeco Dei dono, divinaque protectione. Circa Beatos in Patria, communis Theologorum, conſtanſque ſententia eſt, ipſis non convenire fidem quoad habitum, nec quoad actum: nec ex natura rei poſſe eis convenire: ita Scholaſtici *in* 3. *diſt.* 31. & præcipuè Interpretes Angelici Magiſtri Divi Thom. 1. 2. *quæſt.* 67. *&* 2. 2. *quæſt.* 5. Exim. Doct. P. Suar. *diſp.* 6. *ſect.* 9. Jam verò tractatus noſtri inſtitutũ cõtuentes: inprimis aſſero, tractationis noſtræ ſcopum eſſe, evincere divinę fidei actus immediatam libertatem quoad exercitium, & ſpecificationem in hominibus in via degentibus; quapropter etiam ſi in aliis ſubjectis fides ſivè naturalis, ſivè divina ſit alterius rationis, ex differentia ſtatus, & ſubjectorum diſcrimen iſtud prodibit: ſecundò aſſero, ex dictis colligi, quid dicendum ſit circa fidem cujuſcumque ſubjecti in particulari.

SEC-

SECTIO CENTESSIMA DEZIMA QVARTA.

Doctrinæ in hoc noſtro tractatu traditæ concentus cum Canonica Apoſtolica Sanctione UNIGENITUS, *à SS. P. N. CLEMENTE XI. edita.*

1 HUjuſce inſtitutum ſectionis non eſt, omnes, ac ſingulas, in Sacra Conſtitutione UNIGENITUS, à SS. P. N. Clemente XI. damnatas propoſitiones, ut par eſt, inſectari, urgentiſsimaque rationis Theologicæ, & Authoritatis momenta cuncta juſtiſsimæ iſtius conſtitutionis, quæ ad uniuſcujuſque propoſitionis confixionem attinent, perpendere, id enim aliud, latèque fuſum exigebat opus, quod ingenti quidem eruditione, & eleganti acumine, cerno elaboratum ex parte à Chriſtophoro Iacobs Paderborn: in id igitur præcisè contueor, ut concentum doctrinæ, in hoc tractatu à me traditæ, & confulcitę, cum ſacris documentis, prę-fata in Clementina authenticè, & canonicè definitis, & ad tractatum hunc attinentibus, oſtendam. Idque ut præſtem adnotare libet ex D. Auguſtino, *lib. de Gratia, & libero arbitrio, initio. lib. 2. de peccat. merit. & rem. cap.* 18. *& tota epiſt.* 46. ea in quæſtione, de gratia ſcilicet, & libero arbitrio, magno cum periculo in alterutrã partem declinari; ideòque tam qui negant liberum arbitrium, ut gratiam defendant, quàm qui è converſo pro libero arbitrio contra gratiam pugnãt, diligentiſsimè cavendi ſunt, & media via incedẽdum eſt, quam catholica profitetur veritas. Hujuſce autem tempeſtatis Novatores, ut gratiam defendere videantur, liberum arbitrium evertunt, excindunt, & in perantiquum reciadunt hæreticum errorem, à Summis Pontificibus, & ab Eccleſia damnatum; imò & gratiam Dei quo plus extollere affectant, illam coarctant, & quàm ſæpè fateri, detrectant.

2 Primis enim Eccleſiæ temporibus D. Clemens, *lib.* 3. *Recognit.* notavit Simonem Magum hęreſeos, quòd affirmaret, hominem carere libero arbitrio. Deinde inter Hæreſes Bardeſanis, qui vixit circa annum Domini CLXX. ponit hanc ipſam hæreſim de libero arbitio S. Auguſt. *lib. de Hæreſ. cap.* 35. Inter errores Manichæorum, quorum Author Manes, qui centum annis Bardeſane poſterior fuit, numerat Doct. Maximus S. Hieronymus *in præfatione Dialogor. adverſus Pelagionos*, quod tolleretur ab eis liberum voluntatis arbitrium. Eadem hæreſis fuit etiã Priſcilliani, qui vixit circa annum Domini CCC.XC. quam refert S. Auguſtinus *in lib. de Hæreſib. cap.* 70. Damnat autem eam S. Leo *in epiſtol.* 91. *ad Turibium*, & *Concilium Bracarenſe primum, can.* 10. Conſimili in errore fuerunt Philoſophi quidam, aſſerentes omnes effectus, & actiones cauſarum univerſi, etiam humanarum voluntatum, neceſſitate quadam fatali provenire, orta ex connexione cauſarum omnium, & Cœlorum, ac Stellarum influxu, ut refert D. Auguſt. *lib.* 4. *confeſſ. cap.* 3. *& lib.* 5. *de Civit. cap.* 1. Ludovicus Vives ſignat pro hac ſententia Democritum, Empedoclem, & Heraclitum: & licèt ab aliquibus eadem ſentẽcia Stocis tribui ſoleat, immeritò tamen, quoniam humanam libertatem Stoicorum Princeps Plato agnovit, ut conſtat ex *Gorgia, & lib. ultim. de Republica*, imò Stoici alii à neceſsitate fati, quã in aliis rebus aſſerebant, voluntates humanas excipiebant, naturali lumine edocti, ut teſtis eſt D. Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei. cap.* 10. Ubi Ludovicus Vives ex Plutarcho, *lib.* 1. *de Placitis*, refert, Stoicos de libertate humana idem cum Platone ſenſiſſe: Cicero etiam *in lib. de divin. &*

de

de Natura Deorum, ut hominis libertatem defenderet, divinam præſcientiam negavit, quòd putaret, hanc pugnare cum libertate creata, quam vel ipſo rerum experimento credidit eſſe evidentem, & id circo D. Auguſtinus, de Cicerone dixit, *ut homines faceret liberos, fecit ſacrilegos.* Signum tamen eſt, veritatem hanc ſatis eſſe naturæ lumine perſpicuam, cum à Sapientioribus Philoſophis, eorumque Scholis communi conſenſu recepta ſit, Peripatetici enim cum Ariſtotele in idem placitum pedibus eunt, quod edocuit Stagirita, *lib. 9. Metaph. cap. 1. & ſeqq. & lib. 3. Ethicorum libertatem humanam ſtatuit*, ut totius moralis doctrinæ fundamentum: Nihilominus veterem hæreticum errorem innovavit poſtmodum Petrus Abailardus, qui propterea tum ab Innocentio Papa ſecundo, tum à Concilio Senonenſi damnatus fuit, ut cognoſci poteſt ex Epiſtola S. Bernardi 194. *& ex lib. 3. Vitæ ejuſdem Bernardi, cap. 5.* Inſtauravit eam hæreſim Joannes Uviclephus, ut notat Thomas Uvaldenſis *tomo 1. lib. 1. art. 1. cap. 28.* & iterum errorem eumdem damnavit Concilium Conſtantienſe *ſeſſ. 8.* Dumque acquieſcere oporteret, & Summorum Pontificum, Conciliorumque definitionibus, Sacræ Scripturæ oraculis, & Patrum eloquiis, imò & naturali lumini indicium ac fidem ſubdere, inſurgit Lutherus, & averni ſpiritu, tenebroſoque accenſus igne, Aper de Sylva, & ſingularis ferus cupiens Sanctam Catholicam Eccleſiam exterminare, ac depaſci eam, ſi poſſet, docuit, *liberum arbitrium poſt peccatum, eſſe rem de ſolo titulo*, libertatemque indifferentiæ circa bonum, & malum extinguit, quem errorem, cũ aliis quam pluribus Lutheri, damnavit Sum. Pontifex. Leo X. in Conſtitutione dogmatica, incipiente *Exurge Domine.* Haud abſimilem in errorem pro lapſus fuit Calvinus, *lib. 2. Inſtitut. cap. 5. §. 14.* ubi admittens ſolum libertatem à coactione, tamen poſt peccatum negat in humana voluntate libertatem à neceſſitate: idem imitati ſunt Keminicius aliique novatores hæretici, quorum hæretica doctrina præcipuè à Sacro Tridentino Concilio damnatur ſignanter *ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. 5. & 6.* Erroré innovavit Jáſenius, cujus quinque ſatis notas propoſitiones anathemate damnarunt Innocentius X. Alexander VII. nec non Sanctiſsimus N. Clemens Undecimus, fœliciter nunc tenés Eccleſiæ clavum: qui duplici præſertim Sacra Conſtitutione, alia adverſus cavillos, offuciaſque Janſeniſtarum, ſecunda autem contra Queſnelli prava dogmata, illa equidem rectæ doctrinæ, & Apoſtolicæ Authoritatis ſecuri excindit.

3 Prima igitur in prælibata Conſtitutione UNIGENITUS damnata propoſitio ajebat: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Hujus autem aſſertionis falſitas oſtéditur toto ferè hoc noſtro tractatu, in quo univerſim, adeòque, & in peccatoribus, fidem eſſe eis liberam, monſtratũ eſt: ſed præcipuè eadé propoſitio cõtraria eſt ſacris eloquiis, quę adduxi *ſec. 25. 26. & 27.* & ſignanter verbis *Sapient. cap. 10. v. 1. & 2.* quæ expendimus *ſect. 92. numer. 5.* Pharao etiam peccator, & quidem inſignis fuit, & tamen uberi Dei gratia, viribuſque, & libertate ad rectè operandum, & credendum fide divina, prædítus exiſtebat, juxta dicta ex D. Auguſtino, relato ea *inſectione 92. numer. 6.* Et in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 6. de juſtific. can. 28.* ita decernitur: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul, & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe verum fidem, anathema ſit.*

4 Secunda propoſitio damna-

nata: *Jeſu-Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illa, non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.* Hujus propoſitionis ſenſus eſt, ſine gratia efficaci nullam adeſſe poteſtatem ac libertatem; atque adeo quiſquis omittit actus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, Religionis, miſericordiæ, & alia virtutum opera, etiam dum præcipiuntur, elicere ea non potuit. Imò nec qui in peccatum prolabitur, potuit reſiſtere tentationi: quæ omnia contraria eſſe Sacris Literis, Patribus, & Conciliis, compertum ſit ex traditis *ſect.* 25. *uſque ad* 36. ſufficereque poſſet ad prælibatæ aſſertionis oſtendendam falſitatem, quod *Actor.* 17. *v.* 32. de Apoſtoli prædicatione, & eventu in audientibus ſubſequuto enuntiatur; alii enim crediderunt, alii aſſenſu ſuſpenderunt, alii irridebāt omnes utique liberè; quoniam ſuperna divinæ gratiæ auxilia ex Dei largitate, in præſenti providentia externæ vocationi, & prædicationi adjungi, ex Sacris Literis, & Patribus oſtendimus *ſect.* 29. *per totam*, aliàs homines ad impoſsibile tenerentur, quod ipſi rationis naturalis lumini repugnat, notaturque *leg. ſi quis in gravi.* in princip. ubi Bart. *ff. ad Syllanianum. leg. ſi ſtipuler. de verb. oblig. cap. Nemo de regul. jur. in* 6. Card. Tuſch. *tom.* 4. *lit. J. concluſ.* 54. Damnataque eſt Janſenii prima propoſitio videlicet: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia, deeſtque illis gratia, qua poſsibilia fiant.*

5 Tertia propoſitio damnata: *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.* Impingit in ſecundæ propoſitionis errorem, eademque utriuſque ſententia, & poſsibilitatem obedientiæ præceptorum, abſente gratia efficaci, negat; unde gratiam relegat ſufficientem; imò & ipſi Deo injuriam irrogat, dum ipſum aſſerit, in vanum præcipere, quando efficax non largitur auxilium: quæ omnia excinduntur ex juſta Divi Joannis increpatione, qua Judæos percutit *cap.* 12. ℣. 37. dicens, *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*, quod expendimus, *ſect.* 25. *numer.* 9. *& ſequentibus.* Injuſta quoque foret Chriſti redargutio, Joan. *cap.* 9. ℣. 41. *Si eſſetis cæci non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, quia vidimus: peccatum veſtrum manet.* Conſimile eſt quod inquit ipſe Dominus, Joan. *cap.* 5. *v.* 22. ut videre eſt *ſect.* 27. *num.* 3. *& ſeq.* & Matth. *cap.* 11. ℣. 22. *Va tibi Corozain, va tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, utique in ſilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Similis eſt Dei querela Iſaiæ, *c.* 5. ℣. 4. *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* vide *ſect.* 29. *num.* 8. *& ſect.* 33. *n.* 9. *& ſeqq.* Nec obeſt quod cum D. Auguſtino orare debeamus, *Da Domine, quod jubes, & jube quod vis*: Id enim fateor; at opera noſtra bona eſſe dona Dei, non excludit liberam noſtram cooperationem, ac determinationem, ut oſtendo *ſect.* 107. *& tribus ſequentibus.*

6 Quarta propoſitio damnata: *Ita Domine, omnia poſsibilia ſunt ei, quę tu poſsibilia facis, eadem operando in illo.* Sicut regulus venena diffundit aſſertio, ſeu oratio iſta; quaſi poſsibilia non eſſent opera præcepta, etiam quando quiſpiam gratiæ Dei non cooperatur; ſi ergo poſsibilia non ſunt ei, qui illa non operatur: igitur liber ipſe, ad talia efficienda pręcepta opera, non fuit: id quod manifeſtam continet hæreſim, identidem in Sacris Literis, & ab Eccleſia Catholica damnatam, & in hoc noſtro tractatu quàm ſępe adnotatum eſt: perpendo nunc ex Jure-Canonico, *cap. de Judæis.* 5. *diſt.* 45. in quo aſſeritur: *Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante ſe gratia Dei, propriæ mentis converſione homo quiſque credendo ſalvatur. Ergo non vi, ſed liberi arbitrii facultate, ut convertan-*

tantur (Judæi) *ſuadendi ſunt, non potius impellendi*: quæ expendo *ſect.* 34. *num.* 1. *& ſequentibus.* Dei ergo ſupernaturali auxilio poſsibilia nobis ſunt ſalutaria opera ad ſupernam vitam æternam promerendam, & conſequedam; cæterùm hoc Dei ſupernaturale auxilium non deeſt etiã improbis,&ſceleratis hominibus: unde Origenes *Homil.* 2. *in diverſa loca ſcript.* inquit: *A nullo aufertur poſsibilitas credendi: hoc enim arbitrio hominis, & cooperatione gratiæ conſtitutum eſt.* Et D. Auguſt. *lib. de ſpiritu, & litera. cap.* 34. *Conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt, quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt, quid enim habes quod non accepiſti: verum etiam confirmat*, quæ & alia in eundem ſcopum adduxi *ſect.* 35. & 36. Obduratio autem, & obcæcatio, ob quam peccatores aliquando non poſſe ſalutariter operari dicuntur, non eſt abſoluta impotentia,nec impoſsibilitas, ſed voluntaria, & conſequens, ut apertè oſtenſum eſt *ſect.* 25. *num.* 12. 13. & 14. Exemploque ſit Pharaonis cor obduratum: de quo inquit D. Auguſtinus *de Prædeſt. & Grat. cap.* 14. *Numquid non potuit, ſicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoſcere.* Et cap. 15. ait,id non præſtitiſſe Pharaonem,*quia libero contra Deum pugnavit arbitrio.*vid.*ſec.*25.*n.*13.

7 Quinta propoſitio damnata: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.* Pluribus errorum illidit ſcopulis:primò quippè juxta Queſnellum, Janſeniumque nulla eſt, gratia cor emolliens niſi efficax, ut ex præcedentibus ſubducitur propoſitionibus; id porrò falſum eſſe omninò conſtat; nam Dei gratia quælibet, verè ſufficiens, in id tendit,in eumque finem à Deo, peccatoribus tribuitur, ut eorum emolliat corda: ideòque voluntas hominis, liberumque arbitrium eſt obdurationis cauſa, ipſique, non Deo tribuenda obduratio;Unde *l.*2.*Paral.c.*30. ℣.8.dicitur: *Nolite indurare cervices veſtras, ſicut Patres veſtri: tradite manus Domino.* Et D.Hieronym. *ſup. Pſal.*57. *Poſſuerunt cor ſuum adamantem, propria voluntate cordis duritiam ſuſcipientes*, pluribuſque id confulcitum reperies *ſect.* 25. *num.* 12. 13. & 14. Rursùs, Spiritus Sancti illuminatio, qua Deus cor hominis tangit, potens eſt illud emollire, & nihilominus ex Decreto Tridentini Concilii *ſeſſ.*6. *cap.* 5. poteſt homo *illam abjicere* gratiam, ut prælibavi *ſect.* 33. *numer.* 22.

8 Secundo eadem quinta propoſitio refellenda venit; quoniam ſupponit aut aſſerit,exortationibus,& gratiis exterioribus non conjungi, in hac providentia, internam,ac ſupernaturalem vocationem, & gratiam;quam ſuppoſitionẽ eſſe falſam, oſtendo ex Sacris literis,& Patribus, ac Concilio Moguntino *ſect.* 28.*à n.* 15.*& ſect.* 29.*per totam.*

9 Tertiò, cum gratia, licèt externa,ſit à Deo,ipſiuſque donum, injuriam divinæ irrogat ſanctitati, aſſerere, quòd talis gratia ſit cauſa obdurationis,& non utcũque ſed maioris in malo:eſt enim facere Deum authorẽ peccati.ConfertD.Greg.ſententia,*hom.*12. in Ezequiel. *Magna omnipotentis Dei eſt gratia, cum inique agentibus durus à Doctoribus ſermo increpationis profertur.* Ubi mox eam vocat *gratiam Doctrinæ.* Idem docet D. Auguſtinus,*lib.de ſpirit.& lit. cap.* 3. *& ſeq. & cap.* 29. & 34. *& lib. de Gratia Chriſti,cap.* 7. *& lib.* 3. *contrà duas epiſt. Pelag. cap.*7.*& pluribus aliis in locis*,apud P. Ripaldam,*diſp.* 101 *n.* 13.

10 Sexta propoſitio damnata: *Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum ſua gra-*

tia purificando. Septima damnata propoſitio : *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò fœlicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis.* In utraque autem iſta propoſitione multiplex adeſt error, primò enim, etſi latenter, inculcatur error denegandi gratiam ſufficientem, univerſaliter aſſerendo, quòd Deus in hoc noſtro novo fœdere dat peccatori quod jubet, quaſi in hoc felici ſtatu non ſint plures peccatores, quibus cum jubeat Deus Naturalia, Divina, & Eccleſiæ obſervare præcepta, illi tamen non obtemperent mandatis, nec gratia Dei ſit in illis efficax, quia nempè divinis auxiliis cooperari nolunt ; cæterum gratiam Dei ex divina largitate concedi etiam illis, qui iniquè agunt, & fidei diſſentiuntur, ex notatis ſuper 2. 3. & 4. propoſitionem ſatis liquet.

11 Secundùs error eſt inficiari, conceſſam fuiſſe Judæis gratiam, & quidem uberem ad credendum, & ſalutariter operandum: id quod manifeſtè ſacræ contradicit paginæ utriuſque equidem Teſtamenti: videſis *ſectionem* 27. *à num.* 1. ubi oſtendo Judæos plures in triplici eorum ſtatu, ſcilicet ante Chriſti adventum, tum cum ipſis jam Chriſto domino commorante, & poſt ipſius in cœlum Aſcenſionem, pertinaciter rebelles, & infidales fuiſſe, cum tamen uberi Dei gratia ad credendum prædiți fuerint, ex 2. *lib. Paralip. capit.* 36. *v.* 13. & 15. ubi dicitur: *Mittebat autem* Dominus Deus Patrum ſuorum ad illos per manus nuntiorum ſuorum denocte *conſurgens,* & *quotidie commonens*: ubi Lyra notat, ſignificari vigilantiſsimum ſtudium gratiæ, qua Deus conſuluit ſaluti eorum. Concinit D. Hieronymus, ſed & Iſaiæ, *cap.* 5. *v.* 4. ipſe Deus conſpicuè id nos edocet dum inquit : *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Quem locum expendo *ſect.* 33. *numer.* 5. & per totam ſectionem id aliis Scripturæ locis fulcitur. Et non minus perſpicuè traditur in Actibus *Apoſtol. cap.* 7. *verſ.* 51. à D. Stephano, Judæorum perfidiam increpante his verbis : *Dura cervice, & incircunciſis cordibus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Sicut patres veſtri, ita & vos.* Ubi Syrus ſic legit : *Vos in omni tempore contra ſpiritum ſanctitatis ſtantes fuiſtis.* Vide *ſect.* 27. *num.* 5. Tum quia Judæis Deus non denegavit gratiam, quam gentibus conceſſit, qui ut inquit Regius Pſaltes, non fecit taliter *omni nationi*, *Pſalm.* 147. At Gentibus, etiam extra Synagogam conſtitutis, gratiam ſufficientem largitus fuit Miſericors Dominus, ut ſignanter de Chananæis, & de aliis Gentilibus oſtenditur *ſect.* 26. ex Sacra Pagina, & Patrum documentis: igitur nullo jure in ſuadam ſuam quiſpiam inducet, Judæis non fuiſſe datam ſufficientem uberem Dei gratiam, aſſumptum præter adducta in *ſec.* 26. evincunt pietas ac fides darii Regis, qui ubi incolumen, cubantem inter Leones, ſecura mente Danielem reperit, ad Deum converſus, ipſum in ſuo regno adorari præcepit. Daniel *cap.* 6. Tum etiàm ſanctitas conſpicui Job : ex quo D. Aug. *lib.* 18. *de Civit. Dei. cap.* 47. ad aliorum gentium fidem ſub inferendam progreditur *Divinitus* (inquit) *proviſum fuiſſe, non dubito, ut ex hoc uno ſciremus per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Jeruſalem.* Concors eſt ſententia Div. Ambroſii

lib.

lib. 2. de vocati Gentium. capit. 2. Ubi inter multa quæ præſens ſtabiliunt aſſumptum, hæc habet: *Sed cum in illo Populo* (nempè Judaico) *cui utraque eruditio præfuit, nemo niſi gratia juſtificatus ſit per ſpiritum fidei, quis ambigat, eos, qui de quibuſcumque nationibus, quibuſlibet temporibus Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ Dei fuiſſe diſcretos, quæ etſi partior, atque occultior fuit, nullis tamen ſæculis denegavit, virtute una, quantitate diverſa, conſilio incommutabili, opere, multiformi*: Incolas etiam Bethſaidę, & Corozain gratiam ſufficientem, & uberem ad credendum, & pœnitendum habuiſſe, quis diffiteri poterit?

12 Tertius error eſt aſſerere, Deum impoſsibilia præcepiſſe Judæis. Id quod Divus Auguſtinus, *lib. de fide contra Manichæos, cap. 10. ſtultum*, & inquum cenſuit, *Quis* (ait) *non clamet, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere, & iniquum eſſe damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere.* Unde idem Auguſtinus, *lib. de Natura, & Gratia, cap. 69.* inquit: *firmiſsimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſsibilia non potuiſſe præcipere.* Id ſtabilio *ſect. 27.* oſtendendo fidem ſupernaturalem fuiſſe liberam Judæis. Quartus error inſinuatur, qui & in ſequenti explicatur propoſitione.

13 Octava propoſitio damnata. *Nos non pertinemus ad Novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod nobis præcipit.*

Nona damnata propoſitio: *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* Utraque hęc propoſitio hæreſim ſuſcitat Pelagianorum, quam refert D. Auguſtinus, *lib. de Hæreſibus, cap. 88. In id etiam* (inquit) progrediuntur ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſæculo, nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac *mortalitate perfici.* Calvinus etiam cum ſuis docuit Eccleſiam conſtare ex ſolis juſtis prædeſtinatis, quos hæreticos errores, & cōſimiles refutat Card. Bellarm. *lib. 3. de Eccl. mil. cap. 2.* Et hoc noſtro tract. pluribus in locis iidem errores profligantur, dum ex Sacris Literis, Concilio Tridentino, & ex aliis oſtendo Chriſti gratiam non inducere operandi ſalutariter neceſsitatem, ſed liberè nos poſſe illi diſſentiri, ſi velimus. Sic communitur præcipuè *ſect. 30. per totam*, & ex Jure Canonico, & Patribus, *ſect. 34.* patet ſecundo abſurditas utriuſque damnatæ aſſertionis, quòniam ex illis, fieret peccatores, qui mandatum grave quodcumque tranſgrediuntur, ad vetus pertinere teſtamentum, & fœdus. Tertio ſi gratia Chriſti eſt illa tantum cum qua nunquam illum ab negamus; ergò ſufficiens gratia qua prędituſ peccator, præſertim in hæreſim incidens, Chriſtum abnegat, aut eius fidem, non eſt gratia Chriſti; quod hæreticum eſt, & ex dictis convulſum ſatis apparet.

Decima damnata propoſitio. *Gratia eſt, operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Undecima damnat. propoſitio. *Gratia non eſt aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, iubentis, & facientis, quod iubet.*

Duodecima damnat. propoſitio. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem.* Decima tertia: *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

17 In tribus prioribus hiſce aſſertionibus, & earum ſingulis, interiorem Dei gratiam creatam inficiatur Queſnellus, nam cum in decima propoſitione dixiſſet, gratiam eſſe operationem manus omnipotentis Dei, indefinitè loquens in re doctrinali, & dogmatica, univerſali æquivalet aſſertioni; cæterum in undecima formaliter, & evidentius idem ſtatuit, dicens quòd gratia non eſt aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei: & huic præcisè Divinæ voluntati tribuit animæ ſalutem in duodecima aſſertione; verùmtamen in quarta ex prælibatis aſſertionibus, & inter damnatas ordine decima tertia, ſui immemor Queſnellus interiorem gratiam fatetur, ibi: *interiori gratiæ ſuę manu*; utinam ille ſic omnes ſuos corrigeret errores, ipſius tamen confeſsione opus non eſt, ut exploratum ſit, intolerabilem continere errorem, aſſerere, quòd nulla ſit interior gratia nobis à Deo conceſſa, cũ illã Cõcilia, & Patres, Summorumque Pontificum ſanctiones, & definiant, ad ſalutariter operandum eſſe neceſſariam, ſignanter Trid. *Seſ.* 6. *can.* 3. relege *ſect.* 109. *à num.* 9. ubi de interioris gratiæ actualis, & habitualis certitudine quædam delibo, quę Queſnellum confutant.

18 Secundò, gratiæ Dei liberum arbitrium poſſe diſſentire, ac reſiſtere ſi velit, fere totius iſtius tractatus eſt labor, & ſcopus, præcipue à *ſectione* 25. quæ adverſus Queſnellũ militant, ipſique etiam obſiſtunt Canonicæ Conſtitutiones Alexandri VII. Innocentii X. & Clementis XI. quæ damnant illam Janſenii propoſitionem: *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Queſnellus autem non ſolùm ait, quòd gratiæ Dei nunquam reſiſtitur, verùm etiam, nihil impedire poſſe gratiam Dei, aut retardare, quod incidit in tertiã Janſenii aſſertionẽ hæreticã, nẽpè, *Ad merendũ, & demerendũ in ſtatu naturæ lapſæ, nõ requiritur libertas à neceſsitate; ſed ſufficit libertas à coactione:* neceſsitat enim voluntatem gratia illa, quæ à libero arbitrio non poteſt impediri, nec retardari: quapropter, vel negat in nobis meritum omne, vel ad ipſum non requiri libertatem à neceſsitate, fatetur, quæ hæretica ſunt. In quartam quoque Janſenij propoſitionem prolabitur Queſnellus, nempè *Semipelagiani admittebant prævenientis gratię interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*, quam Sedes Apoſtolica damnavit ut falſam, & hæreticam: falſam equidem, qua hiſtoriam concernit: hæreticam, quatenus aſſerit, quod prævenienti gratiæ interiori non poſsit humana voluntas reſiſtere, aut obtempere: ſic præfatam propoſitionem graviſsimi intelligũt Theologi: eumdemque gratiæ reſiſtibilis conceptũ communio *ſect.* 31. 32. & 33.

19 Tertiò, Queſnelli doctrina falſitatis convincitur Pharaonis exemplo, aureis ſanæ D. Joannis Chryſoſtomi verbis deſcripto *ſerm.* 16. *inter medium*, & *finem*: ubi de prædicto Ægyptiorum impio Rege, inquit quæ excerpta habes, *ſect.* 25. *num.* 14. & inde apertè dignoſcitur, quanta ſit vis liberi arbitrii ad diſſentiendum Dei gratiæ, illamque abjiciendam.

20 Quartò, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ut dicitur *ad Timot. epiſt.* 1. *cap.* 2. id verò contrarium eſt aſſertionibus Queſnelli, præſertim duodecimæ, & decimętertiæ, ſi enim *quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratia ſuæ manu, nulla voluntas humana reſiſtit*, utique omnes homines ſalutem conſequerentur, cum omnes ſalvos facere velit Deus, omnibuſque unde ſalvari poſsint, largiatur: ut enim ex Divi Auguſtini intelligentia, & mente edocet Cardinal. Bellarmin. *lib.* 2.

2. *de Grat. & lib. arbitr. cap.* 5. *colum. mihi* 441. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quia dat omnibus vnde poſsint velle credere, & ſalvari, ſic tamen ut, ſi ipſi noluerint, non ſalventur: At rationis compotes, (præſcindendo ab infantibus de quibus vide P. Herize *diſp.* 35. *n.* 7. & 8.) unde poſſunt velle credere, niſi Dei gratia præditi ſint? Id quod probatur multis rationis, & Sacræ Authoritatis propoſitis argumẽtis *ſec.* 25. *& pluribus, ſequentibus.* Et oſtẽditur inſuper, quia ut habetur 1. *Cor.* 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et 1. *ad Timot.* 2. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Et* 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolum autem noſtris, ſed etiam totius mundi.* Qui autem pro omnibus mori dignatus eſt, quomodo non voluit, & quidem intenſè admodùm omnium ſalutem? Quomodo non dedit aliquid vnde Chriſti mortis participes fieri queant; & tamen multi ſalutem æternã non adipiſcuntur; quia ſcilicet nolunt gratiæ Dei cooperari: falſum ergo eſt, quod Dei gratiæ nulla humana voluntas reſiſtit; exploditur inſuper Queſnellus ex *ſect.* 28. præcipuè *n.* 9. *ex Colon. Echyr.* & *n.* 12. Ex Paul. Oroſ.

21 Propoſitio 14. damnata: *Quantumcumque remotus à ſalute ſit pectator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.*

22 Decima quinta propoſitio damnata: *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem, comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quã petit.*

23 Decima ſexta propoſitio damnata: *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit omnipotenti.*

24 Ex his propoſitionibus decima quarta, ut minimum, eſt captioſa, imò, ut par eſt intellecta, in errores offendit jam adnotatos: eſt captioſa propter dubiam dictionis *oportet* ſignificantiam, interdum enim decentiam, honeſtatem, & non neceſsitatem denotat, ut per Gloſ. *verb. oportet, in cap.* 1. *de Præſcript. lib.* 6. Gloſ. *etiam in verbo, oportet in cap.* 1. 25. *quæſt.* 1. Ubi Archidiac. *num. unic.* Turrecremata, *numer.* 2. & alli apud Auguſtin. Barboſ. *dictione* 242. *num.* 3. Cæterum aliquando etiam neceſsitatem importat, ut in *Authent. de Judicibus.* §. *oportet, verſ. Neceſſariò, Collat.* 6. *leg. ſi quando, Cod. unde vi. cap. Non oportet,* 3. *quæſt.* 9. *cap.* 1. *de Præſcript. in* 6. ubi Gloſ. *capit. Num ab uno. De Re judic. in* 6. ubi Gloſ. *in verb. oportet.* Sacra Rota apud Farinaci. *deciſ.* 50. *num.* 2. *in prima collect. noviſſ.* Giurba *diciſ.* 53. *num.* 2. Unde fit, Queſnelli propoſitionem poſſe ita accipi, ut ſignificet, neceſſariò trahi voluntatem ex vi ſupernæ illuſtrationis, ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem: id quod Hæreticum eſt, ut ex dictis ſatis conſtat.

25 Secundo, verbum *oportet* apud Queſnellum ſignificare voluntatis noſtræ neceſsitatẽ: ſubducitur ex antecedenti decima ipſius propoſitione, ubi aſſerit, gratiam Dei nihil impedire poſſe, aut retardare: verba autem præcedentia declarant ſequentia, & è converſo, *leg. utrum. ff. de petit. hæred.* Cardin. Tuſchus, *tom.* 8. *lit. U. concluſ.* 144. *num.* 21. cum aliis adductis ab Auguſt. Barb. *axiom.* 222. *num.* 48.

26 Ea autem præſuppoſita intelligentia, quam arguunt quoque illa geminata verba, *quantumcumque remotus ſit à ſalute peccator obſtinatus*, deducuntur plures alii errores, videlicet: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſtitur*: quæ eſt ſecunda Janſenii damnata propoſitio: imò juxta Queſnellum, nec reſiſti poteſt, cum neceſſarium ſit ei obtemperare: deinde ſequitur, nullam eſſe gratiam interiorem niſi efficacem; & conſequenter peccatores, qui fidei tranſgreduntur præcepta, & infideles ſunt, vel hæ-

retici, gratia deſtitutos eſſe ſufficienti, nec potuiſſe credere, & ſervare præcepta: quæ & abſurda, & hæretica continent dogmata, convulſaque ſunt ex noſtro tractatu, in quo oſtendimus, cum ſufficienti gratia ad credendum fide ſalutari plures extitiſſe infideles, ac perfidos: poſſeque liberum arbitrium imperare aſſenſū, & diſſenſū erga fidē.

27 Decima quinta propoſitio exciſſa manet ex dictis, ſignanterque ex *ſect.* 28. *&* 29. *tum ex ſect.* 33. *& ſequent. & ſection.* 35. ubi D. Auguſtini, & Proſperi conſpicua invenies loca, quæ Queſnelli quatiunt errores.

28 Decima ſexta propoſitio eliminatos infercit errores, doloſis utique verbis: licèt enim verum ſit, quamlibet creaturam poſſe à Deo efficaciter trahi, & converti juxta illud Proverb. 12. v. 1. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, & Apoſtoli ad Roman. *cap.* 9. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Et Chriſti Domini Math. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: & alia conſimilia; tamen ea ſolùm evincunt, Deum in ſuæ omnipotentiæ, & Scientiæ theſauris habere, & cognoſcere gratiæ auxilia efficacia ad corda hominum convertenda; cæterum inde colligi non valet; quòd omnis Dei gratia interior ſortiatur effectum; nec quòd nullæ ſint concupiſcentiæ illecebræ, quæ non cedant gratiæ: quoniam quando homo ſæpè concupiſcentiæ illecebris libero cedit arbitrio, utique Dei gratia pulſatur, ne cadat, & auxilio ſufficienti munitur, ut ipſis reſiſtat: idemque evenit, quando fides ſufficienter proponitur, & nihilominus illecebris rationis apparentis, & ſuperbiæ, ac non ſemel inhoneſtæ concupiſcētiæ, illectus homo diſſētitur fidei Myſteriis, & divinæ gratiæ reſiſtit: ut integro noſtro opere liquidò evincitus. Tandem in hac eadem aſſertione cum Janſenio in ſecundo damnato articulo, nempe: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, concinit Queſnellus, contradicēs quoque verbis D. Stephani *Actor.* 7. ℣. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, quæ expendo *ſect.* 22. *num.* 5. *& ſequentibus, & ſect.* 30. *num.* 11. Nec minus luculenter Queſnellum oprimunt Iſai. *cap.* 65. & Apoſt. ad Roman. 10. v. 2. ſic alloquentem Deum deſcribentes. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*, cujus oraculi ponderationem ex D. Petro Chryſologo tradidi *ſect.* 29. *numer.* 12.

29 Decima ſeptima propoſitio damnata. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus eſt doctus à Patre.* Gratiæ definitionem, ſed profectò Janſenianam, hîc tradit Queſnellus, dum vult gratiæ Dei conſtitutivum eſſe non ſolùm homines docere, ſed eos etiam venire facere: adeòque juxta Queſnellum *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: qui eſt ſecundus Janſenii articulus hæreticus, ex quo abſurda ingentia, & conſectaria plura oriuntur: ſcilicet quòd qui non credunt, nec ad Chriſtum veniunt, gratia utique ſufficienti ad credendum, & veniendū carent; adeòque ipſis acceſſum ad Chriſtum, & fidem eſſe impoſſibilem: quæ Janſenii prava dogmata Sacræ Literæ, Concilia, Patres, & Summorum Pontificum definitiones proſcribunt, & meritò damnat, & conterūtur ex dictis, præſertim, *ſect.* 29. *&* 30. ubi D. Auguſtini, D. Hieronymi, perſpicua contra Queſnellum reperies documenta: ſicut *& ſect.* 30. ex Conciliis: *& ſect.* 34. ex Jure Canonico, plures in eundem Queſnellum cōfici poſſunt argumētationes. Secūda ejuſdē propoſitionis pars eiſdem illīdit ſcopulis: nam cum verba Chriſti Dñi, Joan. *cap.* 6. ℣. 45. tradere videatur, ſubdolè

dolè omittitur particula *& didicit*, quę in verbis Chriſti Dñi reperitur; nimirũ ait ſacer textus : *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me* : rurſus aliud eſt, doctum eſſe, aliud diſcere: plures quippe docentur, qui tamen non diſcunt: unde licèt quis non veniat ad Chriſtum, ejuſque Patrem, poſt quam filii vocem audivit, non infertur, quòd ille non ſit doctus à Patre : & quidem ſi Queſnellus ab Angelico Magiſtro diſcere vellet, fateretur utique, quòd Chriſtus Dominus in præſenti Sacro Textu, *duo ponit, unum ſcilicet quod pertinet ad donum Dei, cum dicit, audivit, ſcilicet Deo revelante; aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cum dicit, & didicit, ſcilicet per aſſenſum: & iſta duo neceſſaria ſunt in omni doctrina fidei*: quæ docuit D. Thomas *lect. 5. ad cap. 6. Div. Joann.* ſed integram Sancti Doctoris periodum obſerva, quam adduxi *ſect* 110. *numer.* 17. & plura in eundem ſcopum ibi reperies.

30 Decima octava damnata propoſitio : *ſemen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.* In eiuſdem erroribus volutatur Queſnellus : & ex adnotatis excinditur articulus iſte, qui nihilo differt à ſecundo in Janſenio damnato: ut in decima ſexta propoſitione prælibavi.

31 Propoſitio decima nona damnata: *Dei gaatia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.*

Propoſitio vigeſima damnata; *vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſumiſſa ſunt.*

Vigeſima prima propoſitio damnata : *Gratia Jeſu-Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, ut pote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis filium ſuum.*

Vigeſima ſecunda propoſitio damnata : *Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

Vigeſima tertia propoſitio damnata : *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

Vigeſima quarta propoſitio damnata: *Juſta idea, quam centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu-Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratia in ſanandis animabus à cupiditate.*

Vigeſima quinta propoſitio damnata : *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.*

32 In his ſeptem propoſitionibus primò errat Queſnellus negando interiorem Dei gratiam auxiliatricem, ſiquidem apud illum *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm Omnipotens Dei voluntas*, ut ait in decima nona propoſitione, & idem in ſequentibus inculcat: id verò expreſsè contrarium eſt definitionibus Conciliorum præſertim *Arauſicani ſecundi, can.* 4. ubi gratia Dei ad operandum neceſſaria dicitur *infuſio. can.* 5. *Inſpiratio, can.* 7. *illuminatio*, & *can.* 24. Influxum Chriſti in fideles explicat exemplo vitis conferentis virtutem in palmites. Quo exemplo etiam utitur Tridentinum Concil. *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. & idem Cõcil. *cap.* 5. 6. & 7. gratiam apertiſsimè definit, eſſe receptam in anima; nam cum præmiſiſſet exordium noſtræ juſtificationis deſumendum eſſe à divina præveniente, & adjuvãte gratia, qua nullis exigentibus

me-

meritis,vocamur,ſubjungit,*cap.*5.*Ita ut neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam, & abjicere poteſt.* Et de gratia habituali aliiſque infuſis habitibus eſſe Dei dona intrinſeca, conſtat ex prælibatis *ſect.* 109. *num.* 9. *& ſeqq.* Eadem interior gratia in nobis recepta ſtabilitur ex Apoſtolica definitione damnante ſecundam Janſenii propoſitionem, ſcilicet: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*,ſi enim nulla eſſet interior gratia nobis in hoc ſtatu collata, utique nemo illi reſiſteret. Eadem interior gratia affirmanda neceſſariò venit ex damnatione quartæ Janſenii propoſitionis: tum ex Sacris Literis, aliis Conciliis, & Patribus ad fidei ſtabiliendam libertatem in hoc opere adductis.

33 Secundo errat Queſnellus,quia libertati ad meritum,ac demeritum requiſitæ infenſus oſtenditur, & omnimodis opponitur, quia ſolam agnoſcit gratiam efficacem,eamque omnipotentem:vnde illi, in quibus gratia efficax non eſt,carent potentia ad credendum, ſperandum, & dilligendum Deum,ut oportet ad ſalutem: quia hi actus ſupernaturales juxta fidem ſine gratia elici non poſſunt: ut expreſsè conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 6.*can.* 1. 2. & 3. ibi: *Si quis dixerit,ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere,aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur,anathema ſit.* Cæterum infideles, & hæreticos, potuiſſe,& poſſe elicere fidei actus ſalutares,idque cum proxima, & immediata credendi, & non credendi, & diſſentiendi libertate, ex dictis ſufficienter oſtenditur,vide *ſect.*109.*n.* 10.

34 Tertio ſic errat Queſnellus, ut in Lutheranam incidat hæreſim, damnatam à Sacro Tridentino Concilio. Lutherus enim adeò deſipuit, ut omnem activitatem in bonis operibus internis,præſertim fidei,ſpei, & charitatis denegaverit,ut ex digreſſione quadam libri,qui inſcribitur,*operationis in pſalmos*, adonatat Cardin. Bellarminus,*lib.*6.*de Grat.& liber. arb. cap.*9.Ubi docetLutherus, hominem in prę ſatisoperibus merè paſsivè ſe habere:adeò tamē craſſus error iſte oſtēditur,ut illi vel Lutherani ſectarii adſtipulari renuāt:ideòque Kēnitius conatur itaLutherū exponere,ut nihil aliud ſignificare voluerit,niſi voluntatem in dictis operibus non liberè concurrere. Verumtamen Lutheri error damnatur ſignanter in Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 6. *cap.*5.*& can.* 4. & hujuſce Sanctæ Synodi definitioni coſonat in antiquioribus valde temporibus Decretum Concili Toletani 1111. can. 55. per hæc verba: *Sicut homo propria arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit: ſic vocante ſe gratia Dei propriæ mentis converſione quiſque credendo ſalvatur*: quæ habentur in Jure Canonico *cap. De Judæis.diſt.* 45. ut *ſectione* 34. cernere eſt.

35 Hanc ergo craſſam hæreſim continent præfatæ propoſitiones damnatæ à SS.P.N.Clemente XI. nam cum gratia à Queſnello inOmnipotenti voluntate Dei conſtituatur, ut liquet ex 19. damnata propoſitione, & aliis; nunc autem *in* 21. propoſitione, & in 22. concordiam Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtrari ait in Incarnatione:ſed Humanitas Chriſti Domini reſpectu productionis hypoſtaticæ unionis, ſeu Incarnationis,merè paſsivè ſe habuit, id eſt nihil egit;fuit enim opus ſupernaturale à ſolo Deo proveniens, ita ut nec pyſicè,nec moraliter per meritū, præſtiterit concurſum humanitas,ut Verbo uniretur: igitur ſi Incarnatio eſt idea concordiæ gratiæ, & conſenſus noſtri in operibus liberis ſalutaribus, profectò juxta Queſnellum ad talia opera liberum noſtrum atbitrium merè paſsivè

ſe

ſe habebit, nihilque agit, adeòque nec libere operatur.

36 Aſſumptum perſpicum eſt apud Theologos, qui unanimi conſenſu cum D. Thoma, 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 11. aſſerunt, humanitatem Chriſti Domini de facto nõ meruiſſe hypoſtaticam unionem ſeu Incarnationem; quod expreſsit D. Auguſtinus pluribus in locis præſertim, *lib. de Correp. & grat. cap.* 11. his verbis: *Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unione perſonæ aſſumptus filius Dei unigenitus eſſet, undè meruit? Quod ejus bonum qualecumque præceſsit? Quid egit ante? Quid petivit? ut ad hanc excellentiam ineffabilem perveniret? Non ne faciente, ac ſuſcipiente verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei ecce cœpit?* idem habet *lib. de Prædeſtin. Sanct. cap.* 15. *& cap. ultim. & lib.* 2. *de peccat. merit. cap.* 17. *& lib.* 13. *de Trinit. cap.* 17. *& ſerm.* 9. *in Evang. Matth. & ſerm.* 8. *de verb. Apoſt. & in Enchyrid. cap.* 36. *&* 40. quæ expendit Sapientiſsimus P. Vazquez. *diſp.* 21. Quod verò nec phyſicum concurſum in hoc myſterium præſtiterit humanitas Chriſti, non minus exploratum eſt apud Theologos, ut notat Exim. *Doct. P. Suarez, tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 10. *ſec.* 1.

37 Cæterũ Queſnelli doctrina nullatenus influxui morali, aut phyſico humanitatis innitut, cũ in 24. & in 25. *propoſitione* aſſerat, animæ ſanitatẽ, ſcilicet ejus ſalutarem operationem, ita eſſe ex ſola voluntatis Dei operatione, & haberi, ſicut corporis miraculoſa ſalus ab ipſo Deo obtinetur: in 23. autẽ aſſertione ex productione ex nihilo, & mortuorũ reſurrectione dijudicandam gratiæ operationẽ, affirmat. At his in operationibus, nec homo ſibi cõfert miraculoſã ſalutem, nec creatura ex nihilo facta ſuum eſſe ſibi operatur: nec mortuus ſibi vitam reſtituit: ergo juxta Queſnellum homo ſalutariter credens, ſperans, & amans nihil agit, & merè paſſivè ſe habet: quæ eſt hæreſis Lutherana.

38 Hinc quartò ex Queſnelli doctrina conficitur, Deum impoſsibilia præcipere; deeſſeque homini etiam juſto gratiam, qua poſsibilia fiant: patet conſecutio; quoniam mortuo impoſsibile eſt ſibi vitam adducere, ac reſtituere: nihilo, ſeu creaturæ purè poſsibili non minus impoſsibile eſt ad ſtatum exiſtentiæ ſe transferre: ſed juxta Queſnellum, gratiæ idea eſt operatio Dei, qua creaturas ex nihilo producit, & mortuis redit viam: ſicut ergo mortuus in ſui reſurectionem nec quidquam agit, nec agere poteſt, & ſicut creatura purè poſsibilis nullam ſibi queit exiſtentiam, & actualitatem tribuere: ita liberum noſtrum arbitrium in operatione ſupernaturali fidei, & aliarum ſupernarum virtutum, quæ ex gratia Dei procedunt, nihil agit, nihilque agere poteſt: igitur juxta Queſnel. vanæ ſunt omnes exhortationes, quę in Sacris habẽtur literis, ut omnia Dei juſſa exequamur: fruſtraque minæ à Sanctis Prophetis intẽtantur: præmia inaniter juſtis, & mandata exequentibus proponuntur: omniſque Apoſtolorum imò & Chriſti Domini prædicatio fatiſcit in vagum pulverem: poſſentque audientes ſacra eloquia ludibrio ea habere, & quemadmodum 3. *Reg. cap.* 18. Prophetis Baal olim illudebat Elias, poſſent ipſi etiam dicere: *Clamate voce majori, &c.* Porrò autem quis non agnoſcat hæreſum, blaſphemiarumque colluviem in his conſectariis repertam: quæ tamen ex Queſnelli doctrina rectè deducuntur. Et ut inclareſcat voluntatis noſtræ libera cooperatio, & Dei gratiam non ſolùm credentibus, & cooperantibus, ſed etiam infidelibus, & perfidis concedi, relege ſi lubet, quæ in hoc tractatu à *ſectione* 25. & deinceps habentur: tum etiam *ſect.* 109.

39 Errat quintò Queſnellus in prælibatis propoſitionibus quoniam

niã ex illis colligitur, quòd interiori gratię Dei in hoc ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur : ſicut nulla poſsibilis creatura reſiſtit ſui ex nihilo productioni, nec reſurectioni mortuus reſiſtit: quæ eſt ſecunda Janſenii damnata propoſitio; nec minus perſpicuè colligitur tertia ejuſdem Janſenii aſſertio damnata; imò & jure optimo reliquæ colligi poſſunt Janſenii propoſitiones, quibus obſiſtit noſtra doctrina in ſuperiori tradita tractatu. Ex quo etiam fit liquidum, Jeſu-Chriſti gratiam non eſſe invincibilem, quam invencibilitatem ei tribuit Queſnellus in 25. *damnata propoſitione*, & in aliis: cæterum è regione Dei gratiam eſſe reſiſtibilem, ac vincibilem oſtendimus, cum de ſufficienti differentes gratia, *ſect.* 29. & 33. tum de efficaci *ſect.* 30. 31. & 32. & ferè hoc integro noſtro tractatu, ſed obſerva quæ ex Sacris Literis, & Patribus expendo *ſect.* 108. 109. & 110. ubi *numer.* 13. ex uberi gratia proditori Judæ conceſſa, juxta D. Cyrillum, aſſumptum evinces; perfida enim Judæ proditoris reſiſtentia, qua gratiæ obſtitit, exploratè patefacit, Dei opem, & gratiam non eſſe invincibilem, & irreſiſtibilem. Alii quoque in prædictis Queſnelli aſſertionibus latentes errores in ſequentibus retegentur.

40 Vigeſima ſexta igitur propoſitio damnata ait : *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem.*

Vigeſima ſeptima propoſitio damnata : *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

Quadrageſima propoſitio damnata : *ſine gratia nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem.*

In tribus hiſce damnatis articulis errat Queſnellus, primò nimis naturę tribuendo viribus ; quoniam ſi prima Dei gratia eſt fides: ergò potentia etiam proxima ad eliciendam fidem divinam, non eſt ex Dei gratia, nec per illam conſtituitur : conſecutio liquida eſt, tum quia pro priori ad fidei actum eſt potentia credendi: tum quia plures, qui proximè poſſunt, potuerunt que fide divina credere, potentia utique expedita, & ſufficienti nullatenus crediderunt, nec credunt, patet equidem in Idololatris, ac perfidis Judæis, & cernere eſt *in ſect.* 26. & 27. & *ſequentibus.* Porrò autem credendi fide divina potentiam, & ſufficientiam ex nobis præcisè, ſeu tantum naturæ viribus haberi, hæreticum eſt, & multis retro temporibus à Patribus, & Conciliis damnatum ſignanter contra Pelagium, & Semipelagianos : idque aſſerentibus anathema infligit, Sancta Tridentina Synodus, *ſeſſ.* 6. *can.* 1. 2. & 3. ibi : *Si quis dixerit ſine prævenienti Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Et ſupernaturales omnes virtutum actus ex Dei gratia præveniente, & potentiam nobis tribuente, oriri debere oſtendimus *ſect.* 107. 108. & 109.

41 Secundò : fidei actus eſt nobis liber, ut in hoc noſtro tractatu fusè, & dilucidè oſtenditur ex Sacra Pagina, ex Conciliis, & Patribus, tum ex Jure Canonico, Theologiciſque argumentis: igitur qui credit ita elicit fidem, ut eam non elicere, ſed diſſentire potius, potuerit; ſed nemo poteſt elicere fidem abſque præveniente gratia; ut fide certum eſt. Igitur prima gratia non eſt fides ipſa, ſed fidem prævenit gratia vocans, & excitans. Tertio ſi fides eſt prima gratia : igitur *Pagani, Judæi, hæretici, aliique huius generis nullum omninò accipiunt à Jeſu-Chriſto influxum: adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, abſque ulla gratia ſufficiente*: quæ eſt quinta propoſitio inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: conſequentia autem patet : quòniam in Paganis, hæreticiſque, & aliis hujus generis, non eſt fides ſupernatura-

rali s,& divina, de qua ſermo eſt : fides autem ſupernaturalis juxta Queſnellum eſt prima gratia ; & ante gratiam primam, nulla eſt gratia, ergo nec influxus Jeſu Chriſti; qui influxus utique ſupernaturalis gratia eſt: igitur Judæi Pagani, & hæretici, & alii hujus generis nullum omninò recipiunt à Jeſu-Chriſto influxum, juxta Queſnellum; adeòque juxta eundem rectè inferes, in illis,in quibus fides non eſt, eſſe voluntatem nudam, & inermem abſque ulla gratia ſufficiéte;id quod Sancta Apoſtolica Sedes meritiſsimè damnat,& utriuſque hujuſce conſequentis falſitas inclareſcit,quod attinet ad Judæos ex *ſect.* 25. & 27. & 29. quoad Paganos ex *ſect.* 26 28. *à numer.* 3.& quoad eoſdem, & alios ſimiles *ex ſect.* 20. & *aliis ſequentibus.*

42 Quarto, juxta Queſnellum in damnata propoſitione quadrageſima, *ſine gratia nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem*: cui aſſertioni concinit trigeſeſima nona eiuſdem Queſnelli damnata propoſitio: igitur cum in infidelibus non ſit fides, adeòque nec gratia juxta eundem Authorem, conficitur utique, quòd *omnia opera infidelium ſunt peccata*, & *Philoſophorum virtutes ſunt vitia* : quæ eſt propoſitio *vigeſima quinta* inter Baii alias damnatas à S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. imò & conſectarius eſt alter error proſcriptus ab Alexandro VIII. in *octava propoſitione inter* 31. nempe: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*: hæ autem conſecutiones ut legitimæ ſunt,ex æquo patefaciunt Queſnelli errorum abſurditatem : quis enim aſſerere non erubeſcat Infidelium eleemoſinas, juſtitiæ adminiſtrationem, pupillorum, & viduarum, ac Reipublicæ defenſionem eſſe peccata? Adeòque ea opere exercere, ipſis conſulere, non licere? Verumtamen è regione, quia ut fulcitur in ſectionibus *numer. præcedenti* adnotatis,fides non eſt prima gratia,ſed infideles, ac hæretici, aliique hujus generis, ſufficienti Dei auxilio ad credendum, & ſalutem conſequendam à Deo munerantur, ideò & peccata liberè vitare poſſunt; & neceſſe non eſt, infidelem in omni opere peccare ; nec quia Gentiles, & hæretici careant fide, licet colligere, & aſſerere, eos carere gratia : & conſequenter falſum etiam eſt, quòd abſque fide, quæ apud Queſnellum prima gratia eſt, nihil amari poſsit niſi ad condemnationem. Denique cum Queſnellus non agnoſcat gratiam niſi invicibiliter efficacem, & irreſiſtibilem, refellitur ex notatis hac *ſect.* in refutatione *propoſ.* 21.& aliis præced. vide etiam *numer.* 3. & 4.

43 Vigeſima octava propoſitio damnata: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſsio.*

In præcedentibus conſimiles Queſnellus hic offendit errores ; ex Sacris quippè conſtat Literis, uberrimam quidem gratiam Deum largiri peccatoribus, etiam inpœnitentibus : nonne habitatorum terræ Chanaan graviſsima ſcelera referuntur *Sapientiæ, cap.* 12. & tamen Dei Optimi Maximi ſuaviſsima in eos miſericordia à ſapiente ibidem jure commendatur, eo quòd illos Deus ſuſtinuerit, excitaverit, & expectaverit ad pœnitentiam, hiſce præcipuè verbis: *eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine*: hujuſcemodi autem correptiones, admonitiones, & alloquutiones ingenti interiori Dei gratiæ adſociatas fuiſſe, evincunt profectò quæ *ſec.* 28. & 29. exaravimus: igitur prima gratia non eſt peccatorum remiſsio. Quis etiam ibit inficias, impio, & obdurato Pharaoni copioſas interiores fuiſſe gratias immiſſas à Deo: verè enim & per Moyſis verba, ac portenta, plagiſque multiplicibus, illius Ægyptii Regis cor tangebat Dei infinita bonitas, ut *Exod. cap.* 11. ℣. 1. legitur & adnotavi *ſect.* 33. *num.* 15. 22. & 23.

imò

imò ex tota idem liquet *ſectione.*

44 Secundò juxta Queſnellum in *propoſ.* 27 *fides eſt prima gratia*: at fides ſtare poteſt abſque peccatorum remiſsione, ut apertè decernit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 6. *can.* 28. ibi: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viva; aut eum qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianum: anathema ſit.* Igitur ſi Queſnellus ſibi conſtet, nollitque in aliam hæreſim à Tridentino damnatam recidere, aſſere adigitur, quòd prima gratia non eſt peccatorum remiſsio. Imò nec ipſa actualis fides eſt prima gratia, ſed præcedit auxilium ſupernaturale, quo Deus prævenit credẽtem, & non credentẽ quoque ut credat, juxta ea quæ hoc tertototo habentur opere.

45 Vigeſima nona propoſitio damnata: *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

Trigeſima propoſitio damnata, *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

Trigeſima prima propoſitio damnata: *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

Trigeſima ſecunda propoſitio damnata: *Jeſus-Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt electos, de manu Angeli exterminatoris.*

Multiplicem hæreticum errorem prælibatæ quatuor aſſertiones continent: nam primò ſi extra Eccleſiam nulla conceditur gratia, cum extra Eccleſiam exiſtentes pluribus ſubjaceant præceptis, quæ ſine Dei gratia obſervari non poſſunt, fiet, ut illis Deus impoſſibilia præcipiat, quæ eſt prima Janſenii propoſitio à Sanctа Sede anathematis fulmine percuſſa, & ut hæretica meritò declarata. Et Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. conſimiliter decernens ait: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*: Et *can.* 18. *ſi quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Ubi animadverte quòd particula *etiam* implicat, ac comprehendit caſus non expreſſos, & in Canone iſto extenditut ad hominem non juſtificatum, ex notatis circa eam dictionem à Cenedo *ſing.* 51. *num.* 3. Barboſ. *dictionſ.* 112. *numer.* 15. Secundò ſi extra Eccleſiam nulla conceditur gratia, cum ſine ipſa per Chriſtum gratia nemo Eccleſię oſtium ingredi poſsit, nemo etiam, qui extra Eccleſiam eſt, potentiam, aut ſufficientiamex Dei gratia habebit accedẽdi ad Eccleſiæ, & Chriſti ovile: quid verò magis abſonum, & hæreticũ dici poteſt?

46 Verùm enim verò cum exploratum ſit, ex Sacris Literis, Conciliis, & Patribus gratiam conceſſam fuiſſe tum Gentilibus Idololatris, tum Judæis poſt Chriſti Domini adventum, & aſcenſionem; ut vel ex noſtro opere locis jam præcitatis ab undè ſtabilitum oſtenditur; & cum etiam liquidò conſtet, Dei gratiam Prædicationi, & aliis externis conjungi vocationibus ad fidem, exploratumque ſit, & Apoſtolos, & alios fideliſsimos Verbi Dei miniſtros, ac concionatores innumeris Nationibus, in infidelitatis tenebris jacentibus, Evangelium, & Catholicam fidem ſufficienter, ardentique conatu, miraculis etiam eam confirmantibus propoſuiſſe: dubitare nefas erit Dei gratiam ipſis Nationibus affatim à Deo immiſſam: ut ad Eccleſiam accedãt: aliàs quo iure Paul. Gentium Apoſt. nuncuparetur? Qua ratione Chriſtus Dominus diceret Marci *c.* 16. *n.* 15. & 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Quem locum expendo *ſect.* 25. *num.* 1. ex eo, quippè elucet libertas, quæ ex Dei gratia in infidelibus adeſt ad accedendum

ad

ad Eccleſiam per fidem: eademque Dei gratia, infidelibus ſubveniens ad credendum, liquet ex Conciliis Arauſicano ſecundo, & Tridentino, propoſitis *ſect.* 30. & ex Concil. Toletan. IV. *can.* 55. in Judæis ſignanter eamdem gratiam, & libertatem ſtabiliente, ut patet ex *ſect.* 34. ubi alia juris canonici decreta pondero. Quod ſi extra Eccleſiã nulla concederetur gratia, ſtaret veritas articuli quinti damnati ab Alexandro VIII. inter 31. de quo in refutatione *propoſitionis* 27. Queſnelli. & inde alij Janſenij hæritici errores deducuntur.

46 Ex quo inclareſcit alius error in Queſnelli 30. *propoſitione damnata*, nimirum. *Omnes quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Nam de Deo dicit Apoſt. 1. *ad Timoth. c. 2. v.* 3. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et D. Petrus *Epiſt. 2. c. 3. v. 9. Deus patienter agit propter vos nollens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et Ezech. *cap.* 18. *v.* 23. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à vijs ſuis, & vivat?* Oſeæ, *cap.* 13. *v.* 9. *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum.* Et ipſe Chriſtus Matth. *c.* 11. *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ergo reficiam vos.* Cumque aliunde certum ſit, non omnes ſalutem conſequi, ſed plures damnari: fit utique, falſum, & ſcripturę contrarium eſſe, aſſerere, quòd *omnes quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur.* Vide dicta adverſus deciman tertiam damnatam propoſitionem Queſnelli, & prælibata in *ſect.* 35. ubi manifeſta ad ſunt contra Queſnellum D. Auguſtini, & Proſperi aſſerta.

47 Diducitur quoque ex prælibatis, quàm falſum ſit, quòd *in* 31. *aſſertione* damnata Queſnellus ait, nempè: *deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert quando eis illam optat*: id inquam falsò & impiè ſtatui, evidenter oſtendunt Sacræ Paginæ perſpicua eloquia, Apoſtolus ſiquidem 1. *ad Timoth. cap.* 2. ſic habet: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Cum igitur Chriſtus Jeſus dederit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, poſtquam tot exantlavit labores morte perpeſſa, quo jure dicere quiſpiam audebit, Chriſtum Jeſum omnium ſalutem non deſideraviſſe, nec modò deſiderare? Abſit à Catholico quolibet talis aſſertiò: tum ſic: ſed ſalus æterna ab omnibus non obtinetur; igitur deſideria Chriſti non ſemper habent ſuum effectum: quod ſi quiſpiam dixerit, habuiſſe effectum in omnibus Chriſti deſideria, quatenus omnibus meruit redemptionem, omnibuſque providit, ac reliquit remedia ad æternam conſequendam ſalutem: id fateor, verùm non ſufficit talis expoſitio veritati propoſitionis vniverſalis ex particula *ſemper*, quam Queſnellus adjungit; nam ſi Chriſtus Dominus media reliquit ut omnes æternam conſequerentur ſalutem, evidens eſt, eandem cunctorum ſalutem deſiderio ſuo Chriſtum comprehẽdiſſe, media quippè propter finem amantur, ſaluſque æterna eſt finis per ea media intentus; at omnium ſalutis deſiderium, effectum non habet in pluribus, quoad ſalutis æternæ conſecutionem: ex pravo uſu libertatis: ergo falſũ eſt, quòd Chriſti deſideria ſẽper habẽt effectũ: univerſalis nãque affirmativa, falſa eſt, ſi particularis ſub illa cõtẽta falſa oſtẽdatur: id ipſum patet quoad aliam prædictæ propoſitionis partem.

48 Et quoad partem utramque dicta Queſnelli *prop.* 31. erroris convincitur ex Patribus: D. Hieronymus expendens filii prodigi ingreſſum in ſui patris domum, *Epiſt. ad Damaſc. col.* 3.

Quam benignus (inquit) *& clemens Pater rogat filium, ut letitiæ demum particeps fiat. Rogat autem per Apoſtolos, rogat per Evangelii prædicatores, de quibus Paulus ait, præcamur pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Chriſtus autem rogans peccatores, filii prodigi imitatores, ut ſpiritualis, & æternæ fiant participes letitiæ, non ne & converſionem, & eorundem æternam deſiderat felicitatem? Qua tamen, ob ſua peccata, multi fraudantur. D. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 118. *ſub initium*, tractans illud *Roman.* 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei*: hæc concinnè adducit: *Audi rogantem Dominum: tota die, inquit, expandi manus meas. Nonne qui expandit manus, ipſo habitu rogat? Expandi manus meas; ad quem? Ad populum non credentem ſed contradicentem, diſſendit membra, dilatat viſcera, pectus porrigit, offert ſinum, gremium pandit, ut patrem ſe tantæ obſecrationis demonſtret affectu. Audi & aliter rogantem Deum: populus meus quid feci tibi, aut quid contriſtavi te?* Quid elegantius, magis ve evincens, Chriſti deſideria ex libera arbitrii reluctantia effectum non ſortiri plerumque? Nec minus efficaciter id conſtabilit D. Auguſt. *lib. de bono perſev. cap. 9. poſt medium.* Gaudentius Brixienſis *ſerm. 3. de Manduc. Agni Paſc. in medio*, & alii PP. quorum eloquia dedi *ſect.* 28. & 29. Idem conficitur ex Sacris Conciliis, Senonenſi, *decr.* 15. ibi: *Neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: neque denique tale ſit ejuſdem Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Ex Concilio Arauſicano, ac Tridentino, quorum decreta pondero *ſect.* 30. *& tribus integris ſequentibus lecti.* Nec de hac veritate licet ullo modo ambigere vel ex ipſis Aſſertoris noſtri perſpicuis verbis Matth. 23. *cap. v.* 37. juſta quærimonia Judæorum perfidiam ſic increpantis: *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Plura in id congeſta habes *ſect.* 33. quæ Queſnelli profectò quatiunt *propoſitionem* 31.

49 Convulſa quoque, nec minus luculenter, extat 32. ejuſdem *damnata propoſitio*, videlicet: *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt electos, de manu Angeli exterminatoris.* Cuius aſſertionis ſenſus ut inclareſcat, ad mentem revocanda D. Hilarii ſententia *lib.* 4. *de Trinit.* & habetur *cap. Intelligentia. de verb. ſignific. Intelligentia* (inquit) *dictorum ex cauſis eſt adſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* Porrò autem dicendi eam propoſitionem Queſnello cauſæ oſtenduntur errores in præcedentibus damnati aſſertionibus: & quidem primò juxta Queſnellum Chriſtus ſe morti tradidit deſiderans, non omnium hominum liberationem, ſed præcisè electorum, quoniam juxta eundem, deſideria Chriſti ſemper habeant effectum, ut dicitur in 31. *propoſitione damnata*: liberatio autem ſivè ſalus non electorum, ſeu in peccato læthali decedentium effectu caret: igitur Chriſtus in mortis ſuæ perpeſsione non deſideravit omnium hominum ſalutem: adeòque ex eadem doctrina ſubducitur Janſenii hæreticus error damnatus à Sancta Sede in quinta propoſitione, videlicet *quod Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit.*

Secundò aliud abſurdum colligitur, nam ſi juxta Queſnellum, Chriſtus Dominus mortuus eſſet non dumtaxat pro ſalute prædeſtinatorum; utique aliis hominibus non prædeſtinatis, & in læthali peccato decedentibus aliquod gratiæ auxilium, ut pœnitere poſſent ob-

obtinuiſſet à Patre ; ſed juxta eundem Queſnellum *in* 28. *propoſ.* prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſsio ; igitur in infidelitate longævis, & ſine baptiſmo decedentibus nullum gratiæ auxiliũ per Chriſtum fuit conceſſum: ergo nec Chriſtus pro ipſis mortuus eſt. Tertiò omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter, juxta Queſnellum *in* 30. *prop. dam.* ergo Deus dumtaxat, ſalvare per Chriſtum, voluit prædeſtinatos: ergo, & Chriſtus Dominus dumtaxat mortuus eſt pro ſalute prædeſtinatorum ; ſi enim pro aliorum ſalute mortuus eſſet, Deus Pater voluiſſet per Chriſtum eos ſalvare, eiſque gratiæ auxilia ſufficientia largiretur : igitur dum *in* 32. *propoſitione* aſſeritur, quòd *Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper primogenitos, id eſt electos, de manu Angeli exterminatoris*, ſenſus eſt, pro ipſis dumtaxat mortuum fuiſſe Chriſtum. Quartò: ex Queſnello, gratia Chriſti eſt ſumma, omnipotens invincibilis, ut liquet in ipſius propoſitionibus 9. 10. 21. & aliis : igitur gratia Chriſti juxta eumdem dumtaxat electis, & prædeſtinatis conceditur : igitur, & Chriſtus dumtaxat pro electorum ſalute mortuus eſt. Id quod, in Janſenio præcipuè, ab Eccleſia antea damnatum, eſt ut hæreticum: & meritò quoniam, & Sacris Literis, & Conciliis, & Patribus omninò contrarium eſt, ut liquet ex noſtro hoc tractatu, in quo identidem oſtenditur, gratiæ ſufficientia auxilia per Chriſtum, & ejus ſanguinem, conceſſa eſſe maximis etiam peccatoribus, ut Pharaoni, Judæ, Chananæis, perfidis Judæis, & ſimilibus: quapropter abundè conficitur, Chriſtum non dumtaxat pro electis, ſed pro omnibus mortuum eſſe : vide *ſect.* 33. *num.* 5. *& ſequentes.*

52 Trigeſima tertia propoſitio damnata: *Prob quantum oportet bonis terrenis, & ſibi metipſi renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* In ſuperioribus Queſnellus, pro electis dumtaxat Chriſtum eſſe mortuum, docuerat, in hac verò propoſitione, ſub pietatis ſpecie quadam, inducit ad exiſtimandum, Chriſtum Dominum dumtaxat pro his, qui eximiam adipiſcuntur ſanctitatem, & perfectionem, paſſum, & mortem ſubiiſſe, id quod Janſenii hæreticum errorem in ejus quinta propoſitione à Sancta Sede damnatum, non ſolum continet, ſed & ſupergreditur. Primò, quoniam dictio illa *oportet* neceſsitatem ſignificat, ſatis frequenter, ut prælibavi in oppugnatione damnatæ *propoſ.* 14. Secundò, etſi ea dictio quid præcisè eſſe conſentaneum, denotet; adhuc tamen aſſeritur, bonis terrenis, & ſibi metipſi renuntiaſſe oportere, ut fiduciam quis habeat, ſibi appropriandi Chriſtum, ejus amorem, & mortem: quamobrem juxta hoc aſſertum, ex merito noſtræ perfectæ renuntiationis fit, aut fieri poteſt, ut Chriſtus pro nobis, infinito ſuo amore, pro nobis ſit paſſus, ac mortuus : ſi enim perfecta illa temporalium bonorum, & ſui ipſius renuntiatio fiduciam inducit appropriandi ſibi amorem Chriſti, ejuſque mortem : igitur quia Sanctiſsima Chriſti paſsio, & mors ſupponitur ab imperfectis & peccatoribus aliena, & illis nõ appropriata, id eſt non oblata jã Patri, & accepta ab ipſo pro redemptione omnium, ad dandum nempè media, & auxilia ſufficientia, ut omnes conſequi valeant æternam ſalutem: igitur dũtaxat pro his, qui bonis terrenis, & ſibimetipſis renũtiant, Chriſtus paſſus, & mortuus eſt, quod nefas eſt dicere. Deinde quî fieri poteſt, ut credam, prout ex fide credere teneor, Chriſ-

tum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem incarnatum, paſſum, & mortuum, & quòd non credam, appropriatam mihi ſufficienter eſſe Chriſti paſsionem, amorem, mortem, ejuſque myſteria: ſed quicumque fidelis, etſi terrenis rebus & ſibi non renuntiaverit, tenetur credere, pro ipſo Chriſtum Dominum Incarnatum, paſſum, mortuumque fuiſſe: ut in Nicæno ſymbolo habetur: igitur dicta renuntiatione opus non eſt, ut huic fidei articulo credamus.

53 Quartò, is cui gratia ſufficiens conceditur ad credendum, & ſalutariter operandum, verè habet ſibi appropriatam Chriſti Domini dilectionem, & mortem, cum non niſi ex illa, & propter illam ea fruatur gratia: ſed cũ illa gratia uberi, & ſufficienti ſtat, nõ renuntiaſſe ſibi, rebus temporalibus: ergo abſque ea renuntiatione ſtare poteſt, fides certa, nedũ fiducia habendi appropriatum Chriſtum, ejus dilectionem, ac mortem. Unde Queſnellus in alienum detorquet ſenſum Apoſtoli verba, ſcilicet: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: *ad Galat.* 2. *v.* 20. ibi enim Paulus aſſerit, ac docet quod quilibet credere poteſt, & obſtringitur; ut in ſymbolo Eccleſia Catholica profitetur: vel, ut ex D. Joanne Chriſoſtomo notant PP. Salmeron, & Cornelius, *Quiſque Chriſto pro ſua paſsione, ac morte gratias eas agere debet, ac ſi pro ſe ſolo paſſus fuiſſet, quia ſingulis tantum profuit, quantum omnibus*: in eadem eſt ſententia Oecumenius: *Quod commune eſt* (inquit) *proprium facit, oſtendens tantum gratiarum actionis quemque debere Chriſto, ac ſi propter ipſum ſolum homo factus fuiſſet.* D. Angel. D. Thom. 3. *p. quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Elucet autem, in hoc Tractatu, peccatoribus, & quidem maximis, Chriſti gratia, adeòque ejus mors, & dilectio appropriata equidem auxiliis copioſis ſufficientibus: ineptè igitur à Queſnello aſsignatur ut medium appropriandi ſibi Chriſti gratiam, quod quiſquiam ſibi & bonis, renuntiet terrenis: quoniam licèt hæc renuntiatio valde perfecta ſit, & ad fiduciam majorem obtinendæ æternæ ſalutis, conducat: ſine ea tamen renuntiatione, fide certa tenẽdum, quòd Chriſtus Dñs, non dumtaxat pro electorum ſalute, mortuus eſt, ſed pro omnibus: patet quoniam quilibet tenetur credere Chriſtum eſſe ſuum Redemptorem; at licèt ſperare ſalutem æternam teneamur, tamen nec tenemur, nec poſſumus certò credere, nos ſalvos futuros, ſine ſpeciali Dei revelatione, ut definit Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 13. & *can.* 16. igitur adverſa doctrina repugnat Eccleſiæ inſtitutioni, & ſignãter cõtraria eſt poteſtati, ac libertati credendi fide divina: quã libertatẽ oſtẽdere, iſto admitor opuſculo.

54 Confirmatur: quia cum juxta fidem nemo poſsit, fide divina credere, abſque Dei gratia, ut ſignanter Tridentina Synodus decernit *ſeſſ.* 6. *can.* 3. & hæc Dei gratia concedatur nobis per Chriſtum, ut Concilia, & Patres edocent præſertim Tridentin. *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. ibi: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſummendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, &c.* Concil. Melevit. *cap.* 3. & 4. Concil. Arauſ. ſecundum *cap.* 5. 6. 7. 19. 22. 24. Innocent. I. *reſcrip. ad Concil. Melev.* ſeù ejuſdem *Epiſt.* 26. & 93. *inter epiſtol.* D. Auguſtini, & Celeſtin. Pap. *in Epiſt. ad Epiſc. Galliæ.* D. Auguſt. *de Prædeſtinat. Sanct. cap.* 2. & *lib.* 1. *contra duas Epiſt. Pelag. cap.* 9. & *Epiſt.* 106. & *aliis locis.* D. Bernard. *ſerm.* 13. *in Cantico.* Hinc evidenter concluditur, quòd etiã ſi quiſpiam infidelis perfidus maneat, cum ſufficienti ſit gratia vocatus, jam Chriſti Jeſu mortem, & dilectionem, qua vocatus eſt, habuerit appropriatam, cum ex meritis, & dilectione Chriſti tale auxilium fuerit ei conceſſum. Integro autem hoc noſtro opere

hanc

hanc ſufficientem poteſtatem, ex Dei per Chriſtum gratia conſtitutam, & quidem immediatam, credendi fide divina, præſertim in perfidis Judæis, in Ethnicis, & idololatris Chananæis, in Ægyptiis, & eorum Principe Pharaone, in proditore Juda, & aliis hæreticis, ex Sacra Pagina, Conciliis, & Patribus, tum ex Jure Canonico, argumentiſque Theologicis conſtabilire, ſcopus eſt, & iubinde ex iiſdem evincitur locis, in præmemoratis infidelibus, ac Judeis, hæreticiſque abſque rerum temporalium, ſuique ipſius renuntiatione, quæ ut perſpicuum eſt, in illis non aderat, verè, & ſufficienter fuiſſe appropriatam Chriſti mortem, ac dilectionem, adverſus id, quod pravè docet Queſnellus, cujus ſex aliæ non minus diruendæ veniunt propoſitiones.

Trigeſima octava propoſitio damnata: *Peccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratia liberatoris.*

Trigeſima nona propoſitio damnata: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Quadrageſima propoſitio damnata: *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

Quadrageſima prima propoſitio damnata: *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

Quadrageſima ſecunda propoſitio damnata: *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei: ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.*

Quadrageſima tertia propoſitio damnata: *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

55 Porrò autem quàm humanæ infenſus libertati oſtendatur Queſnellus, in proclivi erit, dignoſcere; maximè ſi quiſpiam gratiæ quidditatem, ideamque ab eodem traditam, cum ſex prælibatis componat aſſertionibus: quippè juxta Queſnellum eſt Dei, & Jeſu-Chriſti gratia *fortis, potens, ſuprema, invincibilis*, ut in 21. *propoſitione damnata* inquit: eſt juxta *imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis filium ſuum*, ut in eadem 21. *propoſ.* habetur, tum *in* 22. eſt quoque Dei gratia conſimilis *creationi ex nihilo, & mortuorum reſurrectioni*, ut inquit *in* 23. *damn. propoſ.* Unde omnis Dei gratia eſt penitùs efficax irreſiſtibilis, & cui diſſentiri non poſſumus, nec illam abjicere, ex hæretica ipſius doctrina: igitur peccator hæreticus, qui non accipit efficacem invincibilem liberatoris gratiam, impotens eſt, credere fidei Myſteriis: ergo dum Queſnellus ait, quòd peccator ſine gratia nō eſt liber, niſi ad malum, palàm edocet, quòd hæreticus, qui non vult converti, ſufficienter etiam ipſi propoſitis fidei Myſteriis, non habet veram credendi libertatem, nec quoad ſpeciem, nec quoad exercitium: cujus falſitas conſequentis in hoc noſtro tractatu, & oſtenditur, & in eluctabilibus revincitur argumentis.

56 Rurſus ex eodem abſurdo Queſnelli antecedente colligo: igitur & ille, qui ad fidem convertitur, ſine libertate aliqua fidei divinæ aſſenſum elicit: patet conſecutio, quia ut fide certum eſt, ſine Dei gratia nemo fidei aſſenſum ſupernaturalem, ſeu ſalutarem elicere valet, ut ſæpè adnotatum â nobis fuit, ex Tridentin. Concil. *ſeſſ.* 6. *can.* 3. At omnis Dei gratia juxta Queſnellum eſt invincibilis, & irreſiſtibilis, non minus quàm actio creativa eſt ir-

reſiſtibilis à nihilo : igitur fides ſupernaturalis libera non eſt credenti, neque quoad ſpeciem actus, nec quoad ejus exercitium. Similes poſſunt inſtitui deductiones ex aliis prædictis damnatis propoſitionibus : quæ ex eodem fundamento convelluntur : tum ex D. Pii V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. Conſtitutionibus, damnantibus inter alias illam Baii *prop.* 27. nempè : *Liberum arbitrium ſine gratiæ adjutorio non niſi ad peccatum valet.* Præſcindo nunc ab aliis erroribus in quibus Queſnellus cum Bajo concinit. Aſt enim libertatis carentia in fide præcepta, & aliis præceptis operibus aſſeritur à Queſnello in 43. præ exarata propoſitione, in qua omnes, qui Sacramenti Baptiſmi gratiam receperunt, facit impeccabiles, ita ut non minus ipſis repugnet hæreſis, & peccatum, quàm mortuis vitalis operatio. Sed id tot ſcatet abſurdis erroribus, ut ulteriori non indigeat refutatione. Alia prætermitto argumenta prælibatas ſex, meritò confixas, diruentia aſſertiones, tum brevitatis ergò, tum quia non adeò directè ad noſtrum pertinent inſtitutum.

57 Cunctas igitur, ac ſingulas Queſnelli propoſitiones damnatas à Sancta Sede in Conſtitutione UNIGENITUS, rejiciendas prorſus cenſemus juxta verborum tenorem, ac mentem Sanctiſsimi Clementis XI. in prælibata Sanctione ; quoniam inter alia hujus debitæ obedientiæ fundamenta, ut Summus Pontifex Gelaſius omnibus Epiſcopis, per dardaniam conſtitutis, reſcripſit, & habetur in *cap. cuncta. 9. quæſt. 3. Cuncta per mundum novit Eccleſia, quòd Sacro-Sancta Romana Eccleſia, fas de omnibus habet judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem, nemo eſt appellare permiſſus. Sed nec illa prætermimus, quod Apoſtolica Sedes ſine ulla Synodo præcedente, & ſolvendi, quos ſynodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc nimirum pro ſuo principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus Domini voce, & tenuit ſemper, & tenebit.* Idemque Gelaſius ad Fauſtum legatum in *cap. Ipſi ſunt Canones, ead. cauſ. & quæſt. ipſi* (inquit) *ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus ſedis examen voluere deferri. Ab ipſa verò nuſquam prorsùs appellari debere, ſanxerunt: ac per hoc illam de tota Eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium: nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, ſententiamque illius conſtituerunt, non oportere diſſolvi, cujus potius decreta ſequenda mandarunt.*

Omnia, quæ ſcripta, dictavè ſunt, ad minimas uſque ſyllabas, Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio, & correctioni ſubſternimus.

Ad majorem Dei Opt. Max. gloriam, Deiparæ Virginis, conceptæ ſine labe peccati originalis in primo inſtanti ſui eſſe naturalis, S. Patriarchæ Societatis Noſtræ Ignatii, SS. Xaverii, & Borgiæ Societatis ejuſdem. IN-

INDEX
SECTIONUM,
QUAS TOTUM COMPLECTITUR VOLUMEN.

SECT. 1. *Ad fidei, opinionis, & dubii notionem quædam præmittit.* pag. 1.

Sect. 2. *Fundamenta, quibus Nobilis Recentior permotus est ad existimandum, impossibile esse cum formidine assentiri, aut opinari, proponit, & dilucidat.* 4.

Sect. 3. *Alia in eundem scopum perpendit fundamenta, & maximè elegantem Platonis doctrinam tradit.* 8.

Sect. 4. *Perdocti Recentioris fundamenta elevat, & expendit* cap. scribam eis. 9. de præsumptionibus. 10.

Sect. 5 *Formidolosi assensus possibilitas ex cap.* Afferte mihi gladium. 2. de Præsump. *& aliis utriusque Juris argumentis illustratur; & ostenditur quænam sit violenta præsumptio, tum juris, & de jure, easque non excludere formidinem in assensu.* 13.

Sect. 6. *Possibilis ne sit immediata opinio? Et quænam sit per se nota propositio.* 18.

Sect. 7 *Diluit argumenta contraria.* 23.

Sect. 8. *An ex certis præmissis possit colligi consequens incertum, & contingens, disquiritur, ut quædam elevetur objectio.* 26.

Sect. 9. *Doctoris Angelici,* D. Thomæ *sententia de libertate ad imperandum assensum, vel dissensum in obscuris, & circa fidei objecta.* 29.

Sect. 10. *Mens* D. Thomæ *ulterius demonstratur. Et adversariorum solutionibus additus præcluditur.* 36.

Sect. 11. *Elevat quæ ex Doctore Angelico objiciuntur.* 39.

Sect. 12. *Aliquorum Doct. mens exponitur, signanter Joannis Majoris, Richardi, & Silvestri.* 43.

Sect. 13. *Librantur alii antiqui Scriptores, scilicet Henricus de Gandavo, & Conradus.* 47.

Sect. 14. *Eidem intellectus indifferentiæ non dissentiunt, sed favent Holchot, Adrianus, & Corduba.* 49.

Sect. 15. *Eminentissimorum Cardinalium Bellarmini, & Toleti sententiam discutit.* 51.

Sect. 16. *Eximii Doctoris V. P. Suarez, nec non Sapientissimorum PP. Molinæ, & Vazquez sententiam speculatur.* 53.

Sect. 17. *Gravium aliorum DD. sensum disquirit.* 59.

Sect. 18. *Alii Theologi in eandem sententiam adducuntur.* 61.

Sect. 19. *Durandus, Curiel, Cajetanus, & alii D. Thomæ discipuli immediatæ fidei libertati subscripsere.* 64.

Sect. 20. *Navarri pulchram doctrinam adducit, ipsiusque mentem ponderat.* 67.

Sect. 21. *Magistrum Bañez, Illustrissimum Dezam, Doct. Montesinos, Magist. Lorcam, & alios meritò in eandem laudat sententiam.* 68.

Sect. 22. *Subtilis, & Seraphici Doctoris Commentatores præcipuos, nec non alios expendit Scriptores.* 71.

Sect. 23. *Societatis Scriptores Præstantissimi, & signanter PP. Valentia, Molina, ac V. P. Ludovicus de Ponte eidem placito favent.* 74.

Sect. 24. *Notatis erroribus, refert sententias, & Subtilem Doctorem pro immediata fidei libertate stare, ostendit.* 82.

Sect. 25. *Ex Sacra Scriptura fidei immediata quoad speciem libertas probatur, videlicet ex Marc.* cap. 16. v. 15. & 16. *Paul.* ad Rom. ca. 10. v. 16. Actor. cap. 17.

17. v.32. *Joann.* cap.12.v.37.& 38. *Judæorumque obdurationem cum immediata eorundem libertate ſtetiſſe, fulcitur.* 86.

Sect. 26. *Chananæos de quibus* Sapien. 12. & *Philoſophos apud Apoſtol.* Ad Roman.cap.1. *poſsitivè infideles fuiſſe, cum immediata libertate, ut vnum ſolum verum Deum colerent, oſtenditur, & quatenus Dei exiſtentia ſit naturaliter cognoſcibilis.* 89.

Sect. 27. *Ex aliis Sacræ Scripturæ locis ſtabilit aſſumptum, ſcilicet ex* Paralip. cap.32.v.13. 14. & 15. *Joann.* cap. 9.v.11. Actor.7.v.51. *Apoſt.* Ad Timot.2.cap.3.v.8. & ad Hebr. cap.3. v.7. 92.

Sect.28. *Ex Sacris Literis, & Patribus infringitur Adverſariorum ſolutio, & ſententia noſtra denuo elucidatur.* 95.

Sect.29. *Superna divinæ gratiæ auxilia ex Dei miſericordia, in præſenti providentia, externæ vocationi adjungi, ex Sacris Literis, & PP. ulterius probatur.* 101.

Sect.30. *Ex Sacris Conciliis immediatam fidei libertatem colligit.* 105.

Sect. 31. *Adverſariorum effringit ſolutiones, & plura de infidelitate tradit.* 110.

Sect.32. *Sacri Concilii Tridentini decretum non ſolùm de gratia utcumque excitante, aut ſufficienti, ſed etiam de efficaci loquitur, indeque noſtri argumenti ſecunda refellitur ſolutio.* 116.

Sect.33. *Gratiæ ſufficientis præcisè habita ratione, noſtra inſtauratur argumentatio, & illius tertia ſolutio refellitur ex Trident. Synodo, & Sacris Literis, oſtenditurque per illuminationem Spiritus Sancti propriè tangi cor hominis.* 118.

Sect. 34. *Ex Jure Canonico, & Patribus fidei libertas immediata depromitur.* 128.

Sect.35. *Divum Auguſtinum, & Proſperum expendit.* 132.

Sect. 36. *Clemens Alexandrinus, Origenes, Clemens Papa, Ambroſius, Anſelmus, & Bernardus eandem confulciunt ſententiam.* 137.

Sect. 37. *Theologicis rationibus eamdem immediatam evincit fidei libertatem.* 139.

Sect.38. *Ex Jure Canonico, D. Hieronymo, Auguſt. & Doct. Angel. oſtendit, pertinaciam eſſe de ratione hæreſis, & viam parat probationi alteri immediatæ fidei, & hæreſis libertati.* 147.

Sect. 39. *Theologorum ſuffragiis, & ratione idem pertinaciæ conceptus, & hæreſeos immediata libertas probatur.* 152.

Sect.40. *Ex Jure Canonico eumdem pertinaciæ conceptum, tum hæreſeos, ac fidei quoad ſpeciem immediatam libertatem confulcit.* 158.

Sect.41. *Alias ex Jure Canonico inſtituit probationes.* 163.

Sect.42. *Ex eodem Jure Canonico, Gloſſa, & Antiquis PP. idem ſtabilitur.* 166.

Sect.43. *Fidei, & hæreſeos immediata libertas deducitur ex eo, quòd qui paratus eſt corrigi, non eſt hæreticus.* 171.

Sect.44. *Ab ignorantiæ excuſatione hæreſis formalis, & fidei immediatam evincit libertatem.* 175.

Sect. 45. *Queat ne voluntas immediatè eligere æquale, aut minus bonum? Et affirmativa præelecta ſententia ex D. Auguſtino, D. Thoma, & Ariſtotele probatur.* 179.

Sect.46. *Voluntatis libertas ad eligendum minus, aut æqualiter utile medium, multiplici probatur argumento.* 185.

Sect.47. *Ex divina libertate eligendi minus, vel æquale bonum, ſimilis creata libertas multiplici rejecto diſcrimine, oſtenditur.* 189.

Sect. 48. *Dei libertas circa bona creata ulterius exponitur, & cum ſumma ipſius laudabilitate conciliatur.* 194.

Sect. 49. *An poſsit voluntas pro ſuo libito diligere bonum aliquod, ad quod æqualiter, vel minus inclinatur, & aliud, ad quod magis inclinatur rejicere?* 198.

Sect.

Sect. 50. *Infracta adversariorum solutione, stabilitur magis voluntatis creatæ libertas ad minus, vel æquale bonum eligendum.* 203.

Sect. 51. *Ex immediata voluntatis libertate ad eligendum æquale, & minus bonum, conficiatur ne immediata libertas imperandi assensum divinæ fidei, & hæreseos?* 206.

Sect. 52. *Ex temerarii judicii essentia immediata fidei, & Hæreseos libertas, ut ostendatur, quædam præmitto.* 215.

Sect. 53. *Instituitur argumentatio ex prælibatis evincens immediatam intellectus indifferentiam ad assentiendum in obscuris cuilibet contrarietatis extremo ex imperio voluntatis; utque dubia sint in meliorem partem interpretanda, illustratur præsertim ex Jure Canonico, & D. Bernardino Senensi.* 219.

Sect. 54. *Nobilium quorundam Recentiorum asserta non nulla de judicio temerario discutit, & refellit.* 225.

Sect. 55. *Ex obedientiæ intellectus perfectione, aureaque S. P. N. Ignatii Authoritate fidei divinæ libertas inclarescit.* 230.

Sec. 56. *Adversariorum responsio effringitur, & adnotatur nō nulla, quibus ratiocinatio nostra magis firmatur.* 233.

Sect. 57. *Ex Jure Canonico, tum ex D. Augustino, Doct. Angel. & Seraphico idem fulcitur argumentum.* 240.

Sect. 58. *Pendimus, & insequimur reliquos Adversariorum conatus, quibus argumentum ex obedientiæ virtute depromptum disjicere contendunt.* 243.

Sect. 59. *Aliis solutionibus occluditur additus.* 250.

Sect. 60. *Objecta ex Philosopho elevat juxta Div. Thomæ interpretationem.* 253.

Sect. 61. *Alia ex Aristotele objecta elevat.* 258.

Sect. 62. *Præcipuum Adversariorum argumentum ad amussim proponit.* 261.

Sect. 63. *Superius argumentum, & ejusdem confirmationes, antecedentis, ac consequentis apparentiæ retenta distinctione, exarmat instantiis.* 265.

Sect. 64. *Directè elevat idem argumentum, ipsiusque confirmationes.* 271.

Sect. 5. *Prælibatam objectionem, & ipsius confirmationes aliter excindit.* 278.

Sect. 66. *De prædictis solutionibus fert judicium, & stirpitus convellit difficultatem: ostenditque, ut cum evidenti rerum fidei credibilitate apprehensa, vel etiam judicata stare queat hæreticus dissensus.* 281.

Sect. 67. *Expendit objectionem ab æqualitate motivorum sibi obsistentium petitam.* 287.

Sect. 68. *Præcedens argumentum ulterius fulcitur.* 290.

Sect. 69. *Præcedens refellit argumentum.* 295.

Sect. 70. *Ejusdem objectionis fulcimenta ex Aristotele, & D. Thoma deprompta diluit, tradita doctrina ipsius Doct. Angelici, & B. Alberti Magni; conficiturque in sophisma Anaximandri objectionem recidere.* 301.

Sect. 71. *Suscepta refutatio continuatur.* 307.

Sect. 72. *Reliquas ejusdem objectionis confirmationes infringit.* 309.

Sect. 73. *Quando motiva pro utraque contradictionis parte ante omnem voluntatis peculiarem affectum sunt æqualia in quæstione facti, vel similia in qualibet disceptatione, intellectus flecti potest ad assensum cujusvis partis, idque ex Jure Civili, ac Canonico probatur.* 316.

Sect. 74. *Alia Adversariorum evasio refellitur, elucidaturque usucapionis definitio.* 320.

Sect. 75. *Aliis argumentis idem placitum fulcitur.* 324.

Sect. 76. *Superiori asserto contraria elevat.* 325.

Sect. 77. *Fit satis aliis superioris objectionis confirmationibus.* 330.

Sect. 78. *Ex quodam Assystati genere præclarè à D. Augustino propositō, desumpta objectio effringitur juxta ipsius Mag. Par. doctrinam.* 336.

Sect. 79. *Aliā excindit contraria argumenta:*

ta: & dubitationis naturam expendit, utque dubius in fide ſit infidelis probatur. 340.

Sect. 80. *Superioris objectionis inſtauratio refellitur.* 346.

Sect. 81. *Proponit objectionem ex eo petitam, quòd dubitare liberum nobis non ſit, ſed potius neceſſarium.* 352.

Sect. 82. *Stantibus iiſdem rationibus dubitandi, eodem modo intellectis, poteſt intellectus aliquando dubitare, & flecti à voluntate, ne dubitet, ſed quæſtionem potius dirimat: illuſtratur text. in cap. 1. de hæret.* 354.

Sect. 83. *Objectiones elevat.*

Sect. 84. *Alia objectio Illuſtriſsimi Palanco diluitur, & ejuſdem quoddam aſſertum refellitur.* 366.

Sect. 85. *Eximii Doctoris doctrina, aſſumptum fulciens, expenditur.* 370.

Sect. 86. *Singularis quædam ſententia de natura, & neceſsitate, ac libertate dubitationis proponitur.* 373.

Sect. 87. *Prælibata ſententia rejicitur multiplici ex capite, ſed maximè quia fidei libertati, & merito contraria.* 375.

Sect. 88. *Propulſata doctrina ulterius disjicitur.* 379.

Sect. 89. *Proponitur objectio, qua in conſequentiæ arguitur noſtra ſententia.* 383.

Sect. 90. *Præcedentem elevat objectionem, ex illaque fidei libertatem, & hæreticam pertinaciam fieri impoſsibiles colligitur.* 385.

Sect. 91. *Objectiones alias, quæ Divinæ fidei immediatam oppugnãt libertatem, exarat.* 389.

Sect. 92. *Præcedentibus objectionibus it obviam, & doctrinam, cui illæ innituntur, refellit.* 392.

Sect. 93. *Reliquas objectionis confirmationes dearmat.* 398.

Sect. 94. *Circa evidentem fidei divinæ credibilitatem pernoſcendam non nulla adnotat.* 404.

Sect. 95. *Sedat quandam difficultatem, oſtenditque, ut in ſimplicibus perſonis fidei credibilitas reperiatur.* 407.

Sect. 96. *Aliam infringit objectionem, firmatque credibilitatis fidei concordiam cum ejuſdem fidei immediata libertate.* 470.

Sect. 97. *Ex Philoſophis, & Patribus, ſignanterque ex cap. 5. Evang. Div. Joannis, doctrinæ prælibatæ robur addit.* 411.

Sect. 98. *Evidens fidei credibilitas cum ipſius fidei inevidentia, & obſcuritate, ac libertate ut ſtare queat, oſtenditur.* 415.

Sect. 99. *Aliam perpendit, & diluit difficultatem ex ſcientia, & evidentia in atteſtante, valde probabiliter cum fide poſsibili.* 418.

Sect. 100. *Permiſſa compoſsibilitate fidei cum evidentia in atteſtante, ejuſdem fidei immediata libertas oſtenditur multiplici ex capite.* 420.

Sect. 101. *Num ante omnem aſſenſum fidei divinæ ſupponatur aſſenſus alius, quo Myſterium credendum verum exiſtimetur, & incipit exponi ratio ob quam 21. propoſitio juſtiſsimè ab Innocentio XI. damnata eſt.* 495.

Sect. 102. *Ponderationem ex 21. propoſitione ab Innocentio XI. damnata perperam contra noſtram ſententiam adduci, oſtendit.* 432.

Sect. 103. *Summa, atque evidens Dei veracitas non officit immediatæ fidei libertati.* 436.

Sect. 104. *Licet fides infuſa diſcurſiva dicatur, aſſenſus fidei immediata libertas non infringitur.* 443.

Sect. 105. *Fides diſcurſiva formaliter eſſe non poteſt.* 448.

Sect. 106. *Argumentis pro formali diſcurſu fidei it obviam, oſtenditque, ſcientiam infuſam Chriſti Domini non fuiſſe diſcurſivam.* 452.

Sect. 107. *Fidem eſſe Dei donum, non officit ejuſdem fidei immediatæ libertati.* 456.

Sect. 108. *Vt intelligendus Apoſtolus ad Roman.*

Roman. 9. ℣. 16. & *cap.* 8. ℣. 14. *nec non* 1. *ad Cor.* 4. ℣. 7. 461.

Sect. 109. *Fides ita eſt nobis immediatè libera, ut ipſius cauſa principalis ſit Deus.* 466.

Sect. 110. *Aliam elevat objectionem, quę fidei libertati poſſet opponi.* 473.

Sect. 111. *Fidei libertas eſt poſitiva, nec ſufficienter explicari valet per concurſum aliquem negativum.* 482.

Sect. 112. *Aliis oſtendit argumentis poſſitivam immediatam fidei libertatem.* 487.

Sect. 113. *Quæ ex fidei ſubjecto poſſent intorqueri, objectiones diluit.* p. 497.

Sect. 114. *Doctrinæ in hoc noſtro tractatu traditæ concentus cum Canonica Apoſtolica Sanctione* UNIGENITUS, *à SS. P. N.* LEMENTE XI. *edita.* 502.

INDEX
LOCORUM SACRÆ
SCRIPTURÆ, QUÆ IN HOC VOLUMINE EXPLANANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. 1. *v.* 31. *viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona, ſec.* 51. *n.* 8. *pag.* 209.

Cap. 15. *v.* 5. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes. Sect.* 69. *n.* 4. *pag.* 296.

Cap. 15. *v.* 6. *Credidit Abràm Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Sec.* 37. *num.* 10. *pag.* 142.

Cap. 22. *v.* 17. *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, &c. Sect.* 69. *n.* 4. *pag.* 296.

EX EXODO.

Cap. 7. *v.* 5. *Et ſcient Ægyptii, quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum, ſect.* 92. *num.* 11. *pag.* 397.

Cap. 7. *v.* 12. *Devoravit virga Aaron virgas eorum. Induratumque eſt cor Pharaonis, ſect.* 27. *n.* 7. *pag.* 95.

Cap. 11. *v.* 1. *Et dixit Dominus ad Moyſen: ad huc vna plaga tangam Pharaonem, ſect.* 33. *num.* 22. *pag.* 128.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 8. *v.* 19. *Sin autem oblitus domini Dei tui ſecutus fueris deos alienos, coluerisque illos, & adoraveris; ecce nunc prædico tibi, quod omnino diſpereas, ſect.* 34. *num.* 12. *pag.* 131.

Cap. 30. *v.* 19. *Teſtes invoco hodiè Cœlum & Terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum, ſect.* 37. *n.* 24. *pag.* 147. *& ſect.* 111. *num.* 12. *pag.* 487.

Cap. 31. *v.* 27. *Scio contentionem tuam... ſemper contentioſe egiſtis, ſect.* 27. *n.* 5. *pag.* 94.

EX JOSUE.

Cap. 9. *v.* 6. *De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes, &c. Sect.* 53. *num.* 11. *pag.* 223.

Cap. 24. *v.* 15. *Sin autem malum vobis videtur, ut domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite hodiè quod placet, cui ſervire potiſsimum debeatis, vtrum dijs quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia, an dijs Amorrhæorum, in quorum terra habitatis, ſect.* 27. *n.* 23. *pag.* 146.

Eod. cap. v. 22. *Teſtes vos eſtis quia ipſi elegeritis vobis dominum, ut ſerviatis ei. Reſponderuntque: Teſtes. Ibid.*

EX LIB. 1. REGUM.

Cap. 6. *v.* 6. *Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus, & Pharao eor ſuum, &c. Sect.* 25. *n.* 12. *pag.* 89.

EX LIB. 2. REGUM.

Cap. 23. *v.* 3 *Dixit. Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, dominator hominum... ſicut lux auroræ, oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat, ſect.* 99. *num.* 3. *pag.* 419.

EX

EX LIB. 3. REG.

Cap. 3. v. 24. Afferte mihi gladium. v. 25. dividite infantem vivum, & v. 27. date huic infantem vivum... hæc eſt enim mater ejus. ſect. 5. numer. 1. & ſeqq. à pagin. 13. ad 18.

EX LIB. 4. REGUM.

Cap. 17. v. 14. Qui non audierunt ſed induraverunt cervicem ſuam.... qui noluerunt obedire Domino Deo ſuo. ſect. 25. num. 12. pag. 49.

Cap. 23. v. 10. Ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch. ſec. 26. n. 1. pagin. 90.

EX LIB. 2. PARALIPOM.

Cap. 30. v. 8. Nolite indurare cervices veſtras, &c. & cap. 36. v. 13. ſect. 25. num. 12. pag. 89. & ſect. 114. num. 7. pag. 505.

Eod. cap. v. 14. Univerſi Principes Sacerdotum, & populus prævaricati ſunt inique juxta univerſas abominationes gentium. ſection. 27. numer. 1. pag. 93.

Eod. cap. v. 15. Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manus nuntiorum ſuorum, &c. ſect. 27. numer. 1. pagin. 93.

EX LIB. 2. ESDRÆ.

Cap. 9. v. 16. Ipſi verò, & Patres noſtri ſuperbè egerunt, & induraverunt cervices ſuas. ſect. 25. n. 12. pag. 89.

EX TOBIA.

Cap. 3. v. 21. Pro certo habet omnis qui te colit. ſect. 102. num. 7. pag. 434.

EX JOB.

Cap. 21. v. 14. Qui dicunt Domino: recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus. ſect. 25. num. 12. pag. 89.

Cap. 10. v. 17. Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam. ſect. 29. numer. 2. pagin. 101.

EX PSALMIS.

Pſalm. 35. v. 4. Noluit intelligere, ut benè ageret. ſect. 25. num. 12. pag. 89.

Pſalm. 57. Sicut Aſpidis ſurdæ. ibidem.

Pſalm. 67. v. 11. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. ſection. 110. n. 2. p. 474.

Pſalm. 92. v. 5. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. ſect. 94. n. 3. pag. 404.

Pſalm. 94. v. 8. Nolite obdurare corda veſtra. ibidem. & ſect. 27. num. 8. pag. 95.

Pſalm. 118. v. 173. Quoniam mandata tua elegi. ſect. 37. num. 24. pag. 147.

Pſal. 146. v. 4. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. ſect. 69. num. 4. pag. 296.

EX PROVERBIIS.

Cap. 3. v. 5. Ne innitaris prudentiæ tuæ. ſect. 55. num. 2. & ſeqq. pag. 230. & ſeqq. & ſect. 64. num. 18. pag. 276.

Cap. 7. verſic. 22. Ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur. ſect. 110. numer. 5. pag. 475.

Cap. 14. v. 22. Errant qui operantur malum. ſect. 63. n. 13. pag. 269.

Cap. 16 v. 4. Univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus. ſect. 48. n. 2. pag. 195.

Cap. 17. v. 12. Expedit magis urſa occurrere raptis foetibus, quàm fatuo confidenti in ſtultitia ſua. ſect. 93. numer. 5. pagin. 399.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. 1. v. 3. Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. ſect. 110. n. 5. pag. 486.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 12. v. 1. Et admones, & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine. ſect. 26. num. 1. pag. 90. & ſect. 92. n. 5. pag. 394.

Cap. 12. v. 27. Quem olim negabant ſe noſſe, verum Deum agnoverunt. ibid. num. 3. pag. 90.

EX LIB. ECCLESIASTICI.

Cap. 6. v. 5. Lingua eucharis in bono homine abundat. ſect. 112. n. 24. p. 497.

Cap. 19. v. 4. Qui credit cito, levis corde eſt. ſect. 94. n. 6. pag. 405.

Cap. 22. v. 18. Arenam & ſalem, & maſſam ferri facilius eſt ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. ſect. 93. n. 5. pag. 399.

Cap. 31. *v.* 10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, ſ.* 111. *n.* 12. *p.* 487.

EX ISAIA.

Cap. 5. *v.* 4. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? ſect.* 29. *num.* 8. *pag.* 103. *& ſect.* 33. *num.* 5. *pag.* 119. *& ſect.* 114. *num.* 11. *pag.* 506.

Cap. 26. *v.* 17. *& 18. A facie tua Domine concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. ſect.* 110. *numer.* 7. *p.* 476.

Cap. 40. *v.* 2. *Loquimini ad cor Jeruſalem, & advocate eam. ſect.* 33. *numer.* 23. *pagin.* 128.

Cap. 46. *v.* 12. *Audite me duro corde. ſect.* 27. *num.* 5. *pag.* 94. *& ſect.* 33. *num.* 23. *pagin.* 128.

Cap. 50. *v.* 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico. ſectio.* 95. *num.* 7. *pag.* 409.

Cap. 53. *v.* 1. *Quis credidit auditui noſtro? ſect.* 31. *num.* 5. *pag.* 112.

Cap. 65. *v.* 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, ſection.* 29. *num.* 1. *pag.* 104.

EX HIEREMIA.

Cap. 5. *v.* 3. *Percuſiſti eos & non doluerunt, atriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, & noluerunt reverti: & capit.* 12. *&* 19. *fine. ſect.* 25. *num.* 12. *p.* 89.

Cap. 5. *v.* 23. *Populo huic factum eſt cor incredulum. ibidem.*

Cap. 30. *v.* 14. *&* 15. *Dura facta ſunt peccata tua. ſect.* 27. *num.* 5. *pag.* 94.

Cap. 31. *v.* 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum. &c. ſec.* 29. *n.* 19. *pag.* 100.

Cap. 33. *verſic.* 22. *Sicut enumari non poſſunt ſtellæ cœli. ſect.* 69. *n.* 4. *p.* 296.

EX EZECHIELE.

Cap. 2. *v.* 3. *Ad gentes apoſtatrices... dura facie, & indomabili corde ſect.* 27. *num.* 5. *pag.* 94.

Cap. 3. *v.* 6. *Si ad illos mittereris, illi audirent te. Domus autem Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me. ſec.* 29. *n.* 15. *pag.* 105. *& ſec.* 33. *n.* 9. *pag.* 120.

Cap. 3. *v.* 7. *Domus Iſrael atrita fronte eſt, & duro corde. ſect.* 27. *n.* 5. *pag.* 94.

Cap. 11. *v.* 19. *Cor lapideum. ſect.* 33. *n.* 23. *pag.* 128.

Cap. 16. *v.* 51. *Et iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis. ſec.* 29. *n.* 7. *pag.* 102.

EX DANIELE.

Cap. 4. *v.* 31. *Ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & Altiſſimo benedixi. ſect.* 3. *n.* 12. *&* 13. *pag.* 124. *& eod. cap.* 4. *v.* 33. *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli. ibidem.*

EX OSEA.

Cap. 8. *v.* 12. *Scribam eis multiplices leges meas. ſect.* 4. *num.* 9. *pag.* 13.

Cap. 11. *v.* 24. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.... noluerunt venire. ſect.* 110. *num.* 5. *pag.* 475.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 3. *v.* 7. *Quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? &c. ſ.* 110. *n.* 7. *p.* 476.

Capit. 2. *v.* 1. *Nolite judicare, ut non judicemini. ſect.* 52. *n.* 2. *pag.* 215. *& ſect.* 53. *num.* 7. *pag.* 221.

Cap. 9. *v.* 13. *Miſericordiam vello, & non ſacrificium. ſect.* 108. *n.* 6. *pag.* 463.

Cap. 10. *v.* 15. *Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorrum, & Gomorræorum in die judicij, quàm illi civitati. ſect.* 29. *n.* 6. *pag.* 102.

Cap. 11. *v.* 21. *Tunc cœpit exprobrare Civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius: quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Betſaida: quia ſi in Tyro, & Sydone factæ tuis fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. ſ.* 29. *n.* 1. *p.* 101. *& ſ.* 33. *n.* 9. *p.* 120. *& ſ.* 114. *v.* 5. *p.* 504.

Cap. 11. *v.* 25. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis. ſect.* 103. *n.* 10. *pag.* 440.

Cap. 16. *v.* 17. *Caro, & ſanguis non revelavit tibi. ſect.* 103. *n.* 10. *pag.* 440.

Cap.

Cap.23.v.37. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis? ſect. 33. n. 6. pag. 119.

EX MARCO.

Cap. 16. v. 15. & 16. Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. ſect. 25. n. 1. pag. 86. & ſect. 31. n. 8. pag. 113. & ſect. 114. n. 46. pag. 516.

EX LUCA.

Cap. 2. v. 44. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu. ſect. 85. num. 1. & ſeqq. pag. 370.

Capit. 10. v. 13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, &c. ſect. 29. n. 1. pag. 101.

Cap. 16. v. 27. Rogo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, &c. ſect. 28. n. 21. pag. 100.

Cap. 20. v. 14. Hic eſt hæres. ſect. 29. num. 8. pag. 103. cap. 23. v. 34. Non enim ſciunt quid faciunt. ibidem.

Cap. 21. v. 13. Continget vobis in teſtimonium. ſect. 29. n. 2. pag. 101.

Cap. 22. v. 32. Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. ſect. 35. n. 9. pag. 135.

EX JOANNE.

Cap. 1. verſ. 18. Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. ſect. 103. n. 12. pag. 440.

Cap. 3. v. 18. Qui non credit iam judicatus eſt. ſect. 31. n. 8. pag. 113.

Cap. 5. verſ. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. ſect. 97. num. 3. & ſeq. pag. 413.

Cap. 5. v. 44. Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? ſec. 18. n. 14. pag. 151. & ſect. 96. n. 4. pag. 410.

Cap. 6. verſ. 44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. ſect. 33. n. 18. pag. 126. & ſect. 110. n. 1. & inde fusè à pag. 473.

Eod. cap. verſ. 45: Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. ſect. 95. n. 5. pag. 409. & ſect. 110. n. 17. pag. 480.

Eod. cap. verſ. 65: Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. ſect. 34. n. 14. pag. 132.

Eod. cap. verſ. 66: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. ſect. 33. n. 18. pag. 126. & ſect. 110. num. 1. & indè fusè à pag. 473.

Eod. cap. verſ. 67: Multi diſcipulorum ejus abierunt retro: ſect. 34. n. 13. pag. 132.

Cap. 7. verſ. 16. Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. ſect. 102. p. 434.

Eod. cap. verſ. 24. Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate. ſect. 52. n. 2. pag. 215.

Cap. 8. verſ. 56: Exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt. ſect. 99. num. 5. pag. 319.

Cap. 9. verſ. 41. ſi eſſetis cæci, non haberetis peccatum. ſect. 27. n. 3. pag. 93. & ſect. 114. n. 5. pag. 504.

Cap. 10. verſ. 35. Non poteſt ſolvi Scriptura. ſect. 102. n. 5. pag. 434.

Cap. 12. verſ. 28. & clarificavi, & iterum clarificabo... turba, quæ ſtabat, & audiebat, dicebat, tonitruum eſſe factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus eſt. Jeſus: non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. ſect. 25. n. 11. pag. 88.

Eod. cap. v. 37. & 38. Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? ſect. 25. n. 9 p. 88. & ſ. 20. n. 1. p. 101. & ſ. 114. n. 5. p. 504.

Eod. cap. 12. *v.* 39. *Propterea non poterant credere, quia iterũ dixit Iſaias Excæcavit oculos eorum, &c. ſec.* 25. *num.* 11. *pag.* 88.

Cap. 15. *verſ.* 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent. ſect.* 27. *num.* 3. *pag.* 93. *& ſect.* 31. *num.* 8. *pag.* 113. *& ſect.* 94. *num.* 3. *pag.* 404. *& ſect.* 103. *numer.* 12. *pag.* 441.

Cap. 20. *verſ.* 59. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt. ſect.* 37. *num.* 4. *pag.* 140. *& num.* 10. *pag.* 142.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. 2. *v.* 36. *Certiſsimè ſciat ergò omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, &c. ſect.* 102. *n.* 7. *pag.* 434.

Cap. 7. *v.* 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. ſec.* 27. *num.* 5. *pag.* 94. *& ſect.* 30. *num.* 11. *pagin.* 108.

Cap. 17. *verſ.* 32. *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò, &c. ſect.* 25. *num.* 1. *pag.* 86.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 1. *v.* 20. *&* 21. *&* 23. *Ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt. &c. ſect.* 26. *num.* 4. *pag.* 90. *& ſect.* 28. *n.* 3. *pag.* 96.

Cap. 2. *v.* 5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor. ſect.* 27. *num.* 5. *pag.* 94.

Cap. 4. *v.* 7. *Quis enim te diſcernit, quid habes quod non accepiſti? ſect.* 108. *num.* 13. *pag.* 465.

Cap. 8. *v.* 14. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. ſect.* 108. *n.* 7. *& ſeqq. à pag.* 463.

Cap. 9. *v.* 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. ſect.* 108. *n.* 1. *& inde uſque à pag.* 461.

Cap. 10. *v.* 2. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem. ſect.* 29. *num.* 11. *pag.* 104.

Cap. 10. *v.* 16. *Domine quis credidit auditui noſtro? ſect.* 25. *n.* 1. *pag.* 86.

Cap. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei. ibidem. num.* 12.

Cap. 14. *v.* 4. *Tu qui es, qui judicas alienum ſervum? ſec.* 52. *n.* 2. *pag.* 215.

Cap. 15. *v.* 4. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. ſect.* 28. *num.* 23. *pag.* 100.

EX EPIST. AD CORINTHIOS 1.

Cap. 1. *v.* 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt. ſect.* 94. *n.* 4. *pag.* 405.

Cap. 2. *v.* 5. *Fides non ſit in ſapientia hominum. ſect.* 4. *num.* 7. *pag.* 160. *& ſec.* 93. *n.* 10 *pag.* 44.

Cap. 2. *v.* 8. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. ſect.* 25. *num.* 11. *pag.* 89.

Cap. 3. *v.* 7. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. ſect.* 28. *n.* 16. *pag.* 99.

Cap. 4. *v.* 5. *Nolite ante tempus judicare. ſec.* 52. *num.* 2. *pag.* 215.

Cap. 13. *v.* 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. ſect.* 37. *num.* 4. *pag.* 140.

Cap. 15. *v.* 10. *Non ego autẽ, ſed gratia Dei mecum. ſect.* 108. *n.* 6. *pag.* 463.

EX EPIST. AD CORINTHIOS 2.

Cap. 3. *v.* 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis. ſect.* 107. *num.* 1. *pag.* 456.

Cap. 10. *v.* 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: ſect.* 37. *num.* 4. *pag.* 140. *& ſect.* 103. *num.* 10. *pag.* 440.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 1. *v.* 11. *&* 12. *Non ſecundum hominem... ſed per revelationem Jeſu Chriſti. ſect.* 103. *n.* 12. *pag.* 440.

Cap. 5. *v.* 8. *Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos. ſect.* 34. *num.* 16. *pagin.* 132.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 1. *v.* 5. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, ſec.* 48. *num.* 2. *pag.* 195.

Cap. 2. *v.* 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt, ſec.* 107. *n.* 1. *pag.* 456.

Cap. 4. *v.* 11. *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſumationem Sanctorum, &c. Sec.* 28. *num.* 15. *pag.* 99.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. *v.* 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini, ſec.* 107. *num.* 1. 456.

EX EPIST. AD THESSALONICENSES. 2.

Cap. 1. *v.* 13. *Cum accepiſſetis à nobis Verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut Verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) Verbum Dei, ſec.* 102. *n.* 4. *pag.* 434. *& ſec.* 103. *n.* 12. *pag.* 440.

EX EPIST. AD TIMOTHEUM. 1.

Cap. 1. *v.* 19. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt, ſec.* 96. *n.* 4. *pag.* 411.

Cap. 2. *v.* 4. *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri, ſec.* 114. *num.* 20. *pag.* 508.

Cap. 4. *v.* 4. *Omnis creatura Dei bona eſt, ſec.* 51. *num.* 8. *pag.* 209.

Cap. 3. *v.* 15. *Quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis, ſec.* 102. *num.* 5. *pag.* 434.

EX EPIST. AD TIMOTHEUM. 2.

Cap. 1. *v.* 12. *Scio cui credidi, & certus ſum, ſec.* 102. *n.* 7. *pag.* 434. *& ſec.* 103. *n.* 12. *pag.* 440.

Cap. 3. *v.* 2. *Se ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, corrupti mente, & reprobi in fide, ſec.* 96. *n.* 5. *pag.* 411.

Cap. 3. *v.* 8. *Quemadmodum Jannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſec.* 27. *n.* 7. *pag.* 94. *& ſect.* 92. *n.* 2. *pag.* 393.

EX EPIST. AD TITUM.

Cap. 3. *v.* 3. *Eramus aliquando errantes, increduli, ſec.* 31. *n.* 8. *pag.* 113.

Eod. cap. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſec.* 38. *num.* 11. *pag.* 150. *& num.* 13. *pag.* 151.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. 2. *v.* 3. *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cum initium accepiſſet enarrari per dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo, ſignis, & portentis, ſect.* 94. *n.* 3. *pag.* 404.

Cap. 3. *v.* 7. *& v.* 12. *Videte fratres ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, ſect.* 27. *n.* 8. *pag.* 95.

Eod. cap. 3. *v.* 13. *Ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, Ibidem.*

Cap. 10. *v.* 16. *Dando leges meas in cordibus eorum &c. Sec.* 28. *n.* 19. *pag.* 100.

Ca. 10. *v.* 38. *Iuſtus ex fide vivit, ſect.* 112. *n.* 4. *pag.* 489.

Cap. 11. *v.* 1. *Eſt autem fides... argumentum non apparentium, ſec.* 37. *n.* 4. *pag.* 140.

Eod. cap. v. 33. *Qui per fidem vicerunt regna... adepti ſunt repromiſſiones, ſec.* 37. *num.* 10. *pag.* 142.

EX JACOBI EPIST.

Cap. 2. *v.* 19. *Credis quia unus eſt Deus & dæmones credunt, & contremiſunt, ſec.* 113. *num.* 9. *pag.* 500.

EX PETRI EPIST. 1.

Cap. 1. v. 9. Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum. ſect. 37. n. 10. pag. 142.

EX PETRI 2.

Cap. 1. v. 19. Cui benè facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. ſect. 37. n. 4. pag. 140. & ſect. 103. n. 13. pag. 441.

EX EPIST. 1. JOANNIS.

Cap. 3. v. 23. Hoc eſt mandatum eius: ut credamus in nomine filij eius. ſect. 112. num. 4. pag. 489.

Cap. 5. v. 10. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. ſect. 103. n. 12. pag. 440.

EX APOCALYPSI.

Cap. 3. v. 20. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis apperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum. ſect. 33. num. 8. pag. 120.

Cap. 12. v. 4. Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli. ſect. 110. n. 5. pag. 375.

INDEX RERUM,

QUÆ IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

Abailardus erravit, existimans nihil esse credendum, quod evidenti ratione non ostendatur. sect. 24. num. 2. pag. 82.

Abraham non habuisse evidentiam in attestante, deducitur. sect. 99. num. 4. pag. 419.

Absurdum vt vitetur, ampliss ima est facienda interpretatio. sect. 110. num. 20. pag. 482.

Actus divina fidei, vide Assensus. Actus in dubio debet præsumi validus, sect. 76. n. 13. usque ad 16. pag. 329. 330.

A communiter contingentibus arguitur rectè, ex Theologorum, & Jurisprudentum placito. sect. 4. num. 9. & 10. pag. 12. & 13.

Admonitio sufficiens requiritur, ut errans censeatur hæreticus pertinax. sect. 39. numer. 17. pag. 157. & sect. 43. pag. num. 5. usque ad 13. pag. 172. & seqq.

Admonitio Episcopi, vel Inquisitorum sufficit, ut qui non vult eis acquiescere in rebus fidei, pertinax hæreticus censeatur. sect. 39. n. 35. pag. 158.

Admonitiones, & affectiones supernaturales interius immittuntur à Deo, quando externa vocatio adest ex lectione sacra, vel prædicatione, alijs vè similibus. sect. 28. num. 15. & sequentib. pag. 99. & 100. & sect. 29. per totam. pag. 101. usque ad 105.

Adrianus favet immediatæ fidei libertati. sect. 14. num. 4. & 5. pag. 50.

Affectus voluntatis, vide Voluntas.

B. Albertus Magnus, Aristotelem optimè exponens circa Terræ consistentiam, laudatur. sect. 70. num. 4. & seqq. pagin. 303. & 304.

D. Ambrosius laudatur sec. 25. n. 5. pag. 87. & sect. 92. n. 11. pag. 397.

Anaximandri sophisma pro Terræ stabilitate detegitur, & excinditur. sect. 70. n. 8. & seqq. pag. 305.

Angelicus Doctor: vide D. Thomas.

Andreas Duvalius stat pro libertate voluntatis ad imperandum assensum, vel dissensum in rebus non evidentibus. sec. 22. n. 8. p. 73.

Angesti sententia de potestate voluntatis ad imperandum assensum refellitur. sect. 97. n. 1. pag. 411.

D. Anselmus laudatur. sect. 28. n. 7. pag. 97.

Amatum omne fit delectabile amanti, sectione. 110. numer. 19. pagin. 481.

Amicitia parentum Regali comparatur, & Regali superior. sect. 6. num. 13. pagin. 22.

Amoris unione delectamur in bono. Ibidem.

Amor nullus qui vincat paternum ex Jure Canonico, ac Civili, ex Aristotele, & D. Thoma. sect. 6. numer. 12. pag. 21 & 22.

Amor matris maior est, ibidem. num. 4. pag. 21.

Amant ferè parentes plus filios suos, quàm se ipsos. sect. 6. num. 13. pag. 22.

Argumentum omne ad Sylogismum reducitur. sect. 8. n. 7. & seqq. pag. 27. & 28.

Argumentum à communiter contingentibus, assignata discrepantia in eventu aliquo, deficit in illo. sect. 4. numer. 5. & seq. pag. 11.

Magis procedit in his, quæ naturaliter eveniunt, quàm in his, quæ ex libertate pendent. dic. sect. 4. num. 8. pag. 12. valet tamen ubi cum libertate aliæ concurrunt causæ valde inclinantes. Ibidem.

Aristoteles expenditur circa naturam opinionis, & dubii 1. Poster. 26. alijsque locis. sect. 1. num. 3. pag. 2.

Lib. 1. Prior. cap. 1. sec. 8. num. 6. pag. 27.

Et 1. Prior. cap. 12. sec. 7. num. 12. pag. 26.

Lib. 1. Poster. cap. ult. sec. 8. num. 11. pag 29.

Et 1. Poſter. cap. 26. ſect. 6. num. 2. & 3. pag. 18. & 19. & num. 8. pag. 20. lib. Rhetor. ad Alexand. cap. de Probabili: dic. ſec. & n. 3. & lib. 1. Rhetor. ad Theod. cap. 2. & 1. Topic. cap. 7. ſec. 6. n. 6. pag. 20. & lib. 1. Prior. cap. 4. ibidem, & lib. 2. Prior. cap. 2. ibidem n. 7.

Lib. 3. Met. cap. 1. ſec. 71. num. 2. & ſeqq. à pag. 308.

Lib. 3. Met. cap. 1. ſec. 61. num. 4. & ſequentib. pag. 259.

Lib. 4. Met. cap. 4. ſect. 51. num. 21. pag. 213.

Lib. 9. Metaph. cap. 4. ſec. 7. num. 12. pag. 26.

Lib. 9. Met. cap. 5. fin. ſec. 45. num. 17. pag. 184.

Idem lib. 1. de Anima. cap. 3. ſec. 5. num. 22. pag. 16.

Lib. 3. de Anim. cap. 11. text. 8. ſec. 45. num. 17. pag. 184.

Lib. 3. de Anim. text. 135. ſec. 60. ferè per totam. pag. 253. & ſequentibus.

Lib. 1. Topic. cap. 7. ſec. 6. num. 7. pagin. 20.

Et lib. 6. Etic. cap. 3. ſec. 7. num. 2. & ſeq. pag. 23. & 24. & lib.

Lib. 7. Etic. cap. 2. ſec. 61. num. 7. pagin. 260.

Lib. 7. Etic. cap. 9. ſec. 38. num. 4. & 5. pag. 148. & ſec. 54. num. 5. pag. 227.

Lib. 8. Etyc. c. 11. & 12. ſect. 6. n. 13. p. 22. lib. 2. Poſt. cap. ult. ſect. 7. n. 2. pag. 21.

Rhetoric. ad Theod. lib. 1. cap. 10. ſec. 51. numer. 14. pag. 211.

Lib. 2. de Cœlo. text. 94. ſec. 70. numer. 1. & ferè per totam. ſec. à pag. 301.

Aſſenſus formidoloſi poſsibilitas oſtenditur, ſect. 4. & 5. à pag. 10. ad 18. idque ex Sacra pagina, & Jure Canonico deducitur.

Aſſenſus fidei eſt abſolutè, & ſimpliciter certus. ſec. 102. num. 7. & 8. pag. 434.

Aſſenſus fidei certitudo unde oriatur? ſec. 102. num. 11. pag. 436.

Aſſenſus fidei divinæ non ſupponit neceſſario aſſenſum alium, nec naturalem, nec ſupernaturalem, quo myſterium credendum verum exiſtimetur. ſec. 101. num. 3. pag. 426.

Non eſt neceſſarium, duplicem aſſenſum elicere propter duo motiva ſeorſim ſufficientia ad aſſentiendum. ſec. 101. numer. 9. pag. 428.

Aſſenſus fidei acquiſitæ de veritatibus revelatis poteſt præcedere, licèt non ſit neceſſarius ad fidem infuſam. ſec. 101. numer. 11. pag. 428.

Aſſenſus fidei eſt abſolutè, & ſimpliciter certior omni aſſenſu naturali, ſec. 102. num. 7. & ſeqq. à pagin. 434.

Aſſenſum concluſionis attingere neceſſariò objectum formale intrinſecum præmiſſarum, docent plures, ſect. 104. num. 3. pag. 444.

Aſſenſum concluſionis poſſe attingere obiectum formale intrinſecum præmiſſarum, alij edocent. Ibid. num. 4.

Aſſenſus concluſionis in re fidei poteſt eſſe immediatè liber, licèt aſſenſus concluſionis non attingat obiectum formale intrinſecum præmiſſarum. Ibid. num. 5. 6. & ſeqq.

Aſſenſus opinativus formidoloſus erga myſterium fidei ſufficienter propoſitum, eſt hæreticus, ſect. 79. num. 17. & 18. pag. 344.

Aſſenſus præmiſſarum, ex communi ſententia, neceſsitat intellectum quoad exercitium concluſionis, ſec. 66. num. 9. pagin. 283.

Aſſenſus circa prima principia eſt neceſſarius, etiam quoad exercitium ex ſententia D. Thomæ. Ibidem.

Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem non ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, nec cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus, ſec. 102. per totam, à pag. 332. ad 336.

Aſſenſus actus imperati, vide Imperium.

Aſſenſum, & iudicium directum ſuſpendere in incertis, prudẽtiæ eſt, ſec. 85. n. 3. & ferè per totam, pag. 370. & 371.

Aſſentiri poſſumus cuilibet ex viris pruden-

ti-

tibus contraria, aut contradictoria aſſerentibus, quando neſcimus quiſnam illorum decipiatur. ſect.76.n. 19. pag. 330. & ſect.77.n.1.& 2.p.331. vide.

Aſſentiri poſſumus, ex imperio voluntatis, objecto æquè, aut minus veriſimili. ſec. 9. & pluribus ſeqq. vide etiam verbo. Dubium, fides, imperium, voluntas.

Aſtronomiæ Authores in numero ſtellarum, ſine teleſcopio viſarum, non omnes conſentiunt. ſect.69. num.5.pag.296. quid circa teleſcopio detectas? ibid.n. 6.

Aſyſtatos argumentatio quænam ſit juxta D. Auguſtinum, Alciatum, & J. C. Africanum. ſec. 78. per totam à pagin. 336. ad 340.

Aſyſtatos non aufert libertatem voluntatis ad imperandum aſſenſum, vel diſſenſum, ibidem. num.10.pag.338.

Athenienſes, quibus Apoſtolus fidei veritatem annuntiavit, ſufficienter illam habuere propoſitam, ut liberè, immediatè poſſent ei aſſentiri. ſec.25.num.1.& ſeqq. à pag.86.& ſec. 92. num. 2. pag. 393.

D. Auguſtinus laudatur. ſec.98. n.10.pag. 98. & num. 23.pagin.101. Judæorum increpans incredulitatem, immediatam ad credendum commendat libertatem, ſec.29.numer.13.pag. 104. ſec. 33. n. 17.pag. 125. eandem fidei libertatem immediatam edocet pluribus in locis. ſec. 35. à num. 1. pag. 132. & ſeqq. voluntatem poſſe eligere minus bonum, in conſpectu melioris, tradit ſec. 45. num.9. pag. 182. & ſec. 48. num. 4. pag.195. ubi de divina voluntate idem docet.

D. Auguſtini concordia gratiæ, & liberi arbitrii in fidei actu. ſec. 107. num. 9. 10. 11. 12. & 13. pag. 459. 460. & 461.

D. Auguſtinus exponit D. Paulum diverſis in locis ut eandem libertatis, & gratiæ concordiam ſtabiliat. ſec. 108. num. 1. & ſeqq. pag.461. & ſeqq.

D. Auguſtinus comparat gratiam Pharaoni collatam cum gratia data Nabuchodonoſori. ſec.33. num. 15. pag. 123. & ſec. 92. num.6.pag.395.

D. Auguſtinus quo ſenſu dixerit: Quod autè voluerimus ſolus præſtat Deus. ſec. 107. num.11.pag.460.

D. Auguſtinus Aſyſtati varias exponit ſpecies. ſec.78. per totam à pag.336. ad 340.

Auxilia divinæ gratiæ interna adiungi externæ vocationi, oſtenditur, ſec.28. à num.3. ad 22. & ſec. 29. per totam à pag.96. ad 105.

Auxilium congruum, imò & ſufficiens conſtituitur ex interna illuſtratione. ſec.30.num.7.pag.107.

Auxilio excitanti, & vocanti potentia libera reſiſtendi eſt potentia ad coniungendum diſſenſum cum auxilio. ſec. 30. num. 8. cum ſeqq. pag. 107. & 108. & ſec.31. n.4. & ſeqq. & ſec. 32. per totam. à pag. 111. ad 118. tum. ſec.33. à pag. ad 128. & ſect. 34. cum alijs.

Auxilijs æqualibus præſuppoſitis, fieri poteſt, ut ex duobus hominibus alter credat, alter verò perfide reſiſtat. ſec. 33. num. 9. pag. 120.

B

Bartolus docet, ad fidem humanam in judicio perveniri per quatuor gradus. ſec. 1. num. 11. pag. 3.

Beatis in Patria communis Theologorum, conſtanſque ſententia eſt, non convenire fidem, nec quoad habitum, nec quoad actum. ſec.113.n. 12. pag. 501.

Beatitudinem in communi ex neceſſitate vult homo. ſec.45. num. 14. pag. 184. & ſec. 112. num.12. 13. & 14. pagin. 493.

Beatitudinem conſequendi, cum plura ſint media, nullum eorum ex neceſſitate vult homo: ibidem.

His, quæ cum beatitudine connectuntur, antequam demonſtretur hujuſmodi connexio, non inhæret ex neceſſitate voluntas. dic. ſec.112. num. 14. pag. 493.

Beati de his rebus, quæ certò non norunt, ſolùm reflexè de eorum probabilitate, aut veriſimilitudine judicant. ſect. 85. num. 3. pag. 371.

V. Beda inquit manifeſtiſsimum eſſe, Judæorum Principes non per ignorantiam, ſed per invidentiam crucifixiſſe filium Dei. ſect. 29. n. 8. pag. 103.

Card. Bellarminus credendi immediatam libertatem edocet. ſect. 15. num. 1. & ſeqq. pag. 51. & 52.

Bellarminus non favet ajentibus, fidem & alia opera noſtra ſupernaturalia eſſe libera præcisè ex negativo conſenſu, & diſſenſu negativo. ſect. 113. numer. 17. 18. 19. & 20. pag. 494. & 495.

Bellarminus nunquam favit gratiæ prædeterminanti. ſect. 113. n. 20. pagin. 496.

D. Bernardi explicatio fidei, eius immediatam communit libertatem, ſect. 36. num. 5. pag. 138. cooperationem gratiæ, & liberi arbitrij tradit. ſect. 108. fine. pag. 466.

D. Bernardini Senenſis obſervanda doctrina ad cognitionem temerarij judicij. ſec. 53. num. & ſeqq. pag. 219. & 220.

Boetius ut definiat propoſitionem per ſe notam. ſect. 6. num. 9. pag. 21.

Boetius in Topicis divisit medium rationis in dubium, ambiguum, & opinionem. ſect. 1. num. 4. pag. 2.

D. Bonaventura Seraphicus Doctor ſtat pro immediata fidei libertate. ſect. 22. num. 5. pag. 72.

D. Bonaventura edocet, parendum eſſe ſuperiori præcipienti in eo quod non ſit certum diſplicere Deo. ſect. 57. num. 2. pag. 241.

D. Bonaventuræ doctrina circa dubium de valore matrimonij. ead. ſect. num. 4. & 5. pag. 242.

Bonum vel æquale, vel minus tale judicatum, eligi poteſt à voluntate, relicto æquali, vel meliori bono. ſect. 45. per totam. pag. 179. & ſeqq.

Bonum utile, & in ratione medii poteſt eligi à voluntate, licèt cognoſcatur minus bonum eſſe, aut minus utile. ibidem. num. 7. pag. 181.

Minus bonum, minus ve utile medium non poteſt amari, aut eligi quia minus bonum, aut minus utile, ſed quia utile, & bonum. ibidem. num. 8. pag. 182.

Bonum idem eodem modo cognitum, eiſdemque allicientibus, retrahentibuſque motivis ſuppoſitis, nunc amari & eligi, nunc verò odio haberi poteſt. ibid. n. 10. pag. 182.

Bona æqualia non ſolùm diverſæ rationis, ſed etiam ſub eadem ratione contenta poſſunt liberè eligi à voluntate. ibidem.

Bona æqualia, & ſimilia non conſtituent voluntatem immobilem, ſeu indeterminabilem ad liberè eligendum, juxta D. Thomæ ſententiam, & Philoſopi. ibidem. numer. 15. pag 184.

Voluntas inter duo æqualia, & ſimilia bona conſtituta non debet determinari à cauſa prima ad eligendum, neque id determinationis fieri poſſet ſine humanæ libertatis præjudicio. ibidem. num. 16. & ſect. 50. num. 2. & ſeqq. pag. 203. ad 205.

Bona inter æqualia, aut inæqualia, ſi voluntas non poſſet liberè eligere minus, vel æquale bonum, tota libertas ſita eſſet in intentione finis, quod falſum eſt. ſect. 46. num. 1. & ſequentibus, pag. 185. & 186.

Bonum melius ſi neceſſariò eſſet à voluntate eligendum, penè totum negotium virtutis in judicio conſiſteret, quod falſum eſt. ſect. 46. n. 7. pag. 187.

Bonum æquale, aut minus in ratione medii poteſt liberè amari, & eligi à Deo ſect. 46. n. 10. 11. 12. & 13. pag. 188. & 189. & ſect. 47. ferè per totam à pag. 189. ad 194. & ſec. 48. à pag. 194. ad 198.

Bonum æquale, aut minus ad quod æquè, aut minus inclinatur voluntas, poteſt liberè amari à voluntate. ſect. 49. à pag. 198. ad 103.

Bonum quod eſt omnifariam bonum mo-

vet neceſſariò voluntatem, ſecus verò bonum quod poteſt accipi ſecundum aliquam rationem ut malum. ſect. 51. num. 2. & ſeqq. pag. 207.

In his quæ ad finem ultimum ordinantur, & aliunde non habent aliquam neceſſariam connexionem cum beatitudine, nihil invenitur adeo bonum, quod in omnibus ſufficiat, & ideò liberè poteſt eligi, aut omitti à voluntate. ſect. 51. num. 6. & 7. pag. 208.

Bonum eſt in quantum ens quodlibet ens. ſect. 51. num. 8. pag. 209.

Bonum eſt quod omnia appetunt, vel quia eſt formaliter appetibile, vel quia appetibilitas conſequitur bonum. ſect. 51. numer. 9. pag. 209.

Bonum apparens, licet re ipſa malum ſit, eſt objectum voluntatis. ſect. 51. num. 14. pag. 211.

C

Cæleſtinus I. ſtabilit concordiam gratiæ, & libertatis fidei. ſect. 108. num. 9. pag. 464.

Card. Cajetanus ſtat pro immediata voluntatis libertate, tam contrarietatis quam contradictionis in opinativo aſſenſu, & fidei. ſect. 19. n. 5. pag. 65.

Chananæi, cum immediata libertate ad unum verum Deum colendum, infideles fuerunt. ſect. 26. num. 1. & ſeqq. pag. 89.

D. Chriſologus Judæorum perfidiam increpãs, Deique erga ipſos beneficientiam commendans, immediatam fidei, & hæreſeos libertatem edocet. ſect. 29. numer. 12. pag. 104. & ſect. 114. n. 48. pagin. 518.

D. Chryſoſtomus uberem perpendit Dei gratiam Pharaoni conceſſam ipſiuſque Pharaonis perfidiam. ſect. 25. num. 14. pag. 89.

D. Clemens Papa fidei libertatis aſſertor. ſect. 36. num. 4. pag. 137.

Clemens Alexandrinus eidem fidei immediatæ libertati adſtipulatur. ſection. 28. num. 10. & 11. pag. 98. & ſect. 36. numer. 1. & 2. pag. 137.

Clementis XI. Conſtitutio UNIGENITUS, omnino obſervanda. ſ. 114. per totam. à pag. 502. ad 522. præſertim num. 57.

Colonienſe Enchyridion, de Sacram Pœnit. pag. 1. ſect. 28. num. 9. pag. 97.

Comparativum, & dictio Magis ſumuntur ſæpè propoſitivo. ſect. 72. num. 19. pag. 314.

Concilium Arauſicanum, cap. 5. ſect. 24. num. 12. pag. 85. ſect. 30. numer. 1. pag. 105. & ſect. 107. n. 1. pag. 457. & ſect. 109. num. 14. pag. 471.

Concilium Arauſicanum 11. can. 4. 5. 7. & 24. ſect. 114. num. 32. pag. 511. & ſect. 107. numer. 1. 457.

Concilium Arauſicanum, can. 5. ſect. 24. num. 12. pag. 85. & ſect. 30. n. 1. pag. 105. & ſect. 109. n. 14. pag. 471.

Concilium Arauſicanum. can. 9. & 24. ſect. 109. num. 9. pag. 469.

Concilium Arauſicanum. can. 25. ſect. 107. n. 5. pag. 458.

Concilium Moguntinum, cap. 7. ſect. 28. n. 17. pag. 99.

Concilium Moguntinum, cap. 8. ſect. 109. num. 15. pag. 471.

Concilium Toletanum IIII. can. 55. ſect. 34. num. 1. pag. 126. & ſect. 114. num. 6. pag. 504.

Concilium Senonenſe, can. 15. ſect. 30. n. 10. pag. 108. & ſect. 33. n. 18. pagin. 126.

Concilium Senonenſe, quo tempore celebratum. ibidem.

Concilium Senonenſe, can. 15. ſect. 110. n. 5. pag. 475.

Concilium Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 4. ſect. 30. num. 2. & ſeqq. pag. 106. ad 110. Videtur non rectè exponi ab Illuſtriſsimo Palanco. ſect. 31. per totam.

Concilium Tridentinum dict. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 4. de gratia efficaci intelligendum, non præcisè de ſufficienti, contra

id quod tradit Palanco. sect. 32. *à pag.* 116. *ad* 118.

Concilium Tridentinum præcitato loco, etiam si de gratia præcisè sufficienti exponatur, stare non potest doctrina Illustrissimi Palanco, quatenus ipse inficiatur immediatam fidei libertatem. sec. 33. *per totam. à pag.* 118. *ad* 128.

Concilium Tridentinum. sess. 6. *cap.* 16. *can.* 6. *&* 32. *sect.* 107. *numer.* 5. *pag.* 458. *& sect.* 109. *numer.* 9. *pagin.* 477.

Concilium Vienense sub Clemente V. sect. 109. *num.* 10. *pag.* 469.

Concordia gratiæ cum libero arbitrio ut exponatur à D. Hieronymo, D. Augustino, & aliis PP. sect. 107. *numer.* 7. 8. *&* 9. *& seqq. pag.* 459. 460. *&* 461.

Conjuges an propter superveniens dubium deobligentur debitum reddere? sect. 57. *n.* 4. 5. *&* 6. *pag.* 241. *&* 242.

Consensus negativus, & negativus dissensus non sufficiunt explicandæ fidei, & hæreseos libertati. sect. 111. *&* 112. *à pag.* 482. *ad* 497.

Creaturas possibiles Deus, amore simplicis complacentiæ necessario amat, juxta plures Theologos. sect. 47. *num.* 8. *pagin.* 192.

Creaturæ possibiles non necessariò, sed liberè diliguntur à Deo, juxta plures alios. ibidem. numer. 9.

Creaturis possibilibus Deus non confert intrinsecam earum possibilitatem, illas simplici complacentia amando. ibidem.

In creaturas possibiles liberè eas amando potest Dei amor ferri plus, minus ve amando æque, aut minus perfectas. ibidem.

Credendi levitas, & duritiei reprehenduntur. sect. 94. *num.* 6. *pag.* 405.

Credibile ex terminis latiùs patet quàm verè, & in se possibile. sect. 94. *numer.* 9. *pag* 406.

Credibilitas evidens rerum fidei componitur cum libertate ad dissentiendum. sect. 90. *num.* 13. *&* 14. *pag.* 388.

Credibilitas evidens rerum fidei constituit omninò incredibile prudenter oppositum licet imprudenter, ac pertinaciter credibiles maneant hæretici errores. sect. 92. *n.* 3. *pag.* 393.

Credibilitas evidentia rerum fidei non eodem modo reperitur in omnibus. section. 95. *numer.* 4. *& seqq. pagin.* 408. *&* 409.

Credibile à quo denominetur? section. 98. *numer.* 7. *pag.* 415.

Credibilia esse evidenter fidei Mysteria, non infert, esse evidenter possibilia in se ipsis. sect. 98. *num.* 8. *pag.* 416.

D. Cyprianus immediatam fidei libertatem confulcit, variis in locis. section. 34. *num.* 12. *&* 13.

D. Cyrillus Alexandrinus stat pro fidei immediata libertate. ibidem. & section. 110. *num.* 13. *&* 14. *pag.* 479.

D

Dædali statuæ admiratione dignæ, sect. 1. *num.* 7. *pag.* 3. *& sect.* 3. *n.* 6. *pag.* 110.

Dædali statuæ qua ratione cum formidolosa opinione componi queant, debeantque. sect. 5. *num.* 27. *pag.* 18.

Darius Rex Dei potentiam agnovit, ipsumque verum Deum adorari præcepit. s. 14. *n.* 11. *pag.* 506.

Dei existentiam Philosophi de quibus Apostolus ad Roman. cap. 1. *Veri Dei existentiam cognoverunt. sec.* 26. *num.* 4. *& seqq. pag.* 90. *&* 91.

Dei existentia est demonstrabilis, sed non est per se nota, juxta communem sententiam, sect. 26. *n.* 9. *pag.* 19.

Dei existentia, juxta alios, est per se nota. ibidem.

Deus potest amare, & eligere minus, vel æquale bonum, relicto alio æquali, aut minori bono. sect. 46. *num.* 10. 11. 12. *&* 13. *pag.* 188. *&* 189.

Deus ita ad finem gloriæ suæ Verbi incarnationem decrevit, ut liberè posset eligere, & decernere aliud medium minus utile, scilicet Angeli incarnationem. ibidem.

dem. numer. 10.

Deum imprudenter agere, nullatenus inferrtur ex eo, quòd eligat media minus bona. sect. 47. *pagin.* 193. *num.* 11.

Dei actus laudabiles sunt, etiam si Deus posset eligere media minus concernentia ad finem secundarium. s. 48. *n.* 4. *p.* 195.

Dei actuum summa laudabilitas diversimodè exponitur. sect. 48. *num.* 8. *pag.* 198.

Deum non posse dicere falsum, aliqui putant non esse naturaliter evidens, sed id evidens esse, omnino dicendum. section. 103. *num.* 5. *pag.* 437.

Dei authoritas ut testificans complectitur Dei authoritatem, & actuale ipsius testimonium, quod nobis obscurum est. sect. 103. *num.* 8. *pag.* 439.

Deus non movet ad credendum nisi mediante testimonio suo. sect. 103. *num.* 14. *pagin.* 441.

Delectatione indeliberata maiori opus non est ad fidem, juxta D. Augustinum, & veritate inspecta. sec. 110. *n.* 7. *pag.* 476.

Delectationi vitiosæ etiam maiori, quàm sit delectatio in bono honesto, non est necessarium consentire. ibidem. ex D. Augustino, & Patribus, tum ex sacra pagina ostenditur. sect. 110. *n.* 11. *pag.* 477. & 478.

Delectare quomodo accipiatur à D. Augustino? s. 110. *n.* 14. 15. & 16. *p.* 479.

Demonstratio quibus nitatur principijs? pag. 5. *n.* 4.

Demosthenis Apophthegma. sect. 97. *n.* 2. *p.* 412.

Deza Antistes Illustr. stat pro indifferentia intellectus ad judicandum in obscuris ex imperio voluntatis. sect. 21. *num.* 4. *pagin.* 69.

Dici de ferè omni, dici de ferè nullo videntur principia probabilis. pagin. 5. *numer.* 4. *& arguitur ea non sufficere ad assensum formidolosum. p.* 6. *n.* 8. *& seqq. vide Principia.*

D. Dionysius fidei libertatem edocet. section. 34. *num.* 6. & 7. *pag.*

Discretio benè operantis à non operante exponitur juxta D. Augustinum, section. 108. *num.* 13. & 14. *pagin.* 465. & *juxta D. Thomam, & alios Patres eadem. sect. n.* 15. *pag.* 476.

Dissentire potest homo vocationi ad fidem, si velit, in sensu composito, & per peccatum commissionis. sect. 31. *numer.* 9. *pag.* 113.

Discipulus excusatur opinionem ex affectu sui Magistri sequendo, quam ex ea observantia judicat veram. s. 72. *n.* 7. *pagin.* 311.

In disceptatione facti cum æqualibus probationibus, potest, & sæpè debet judex sententiam ferre pro favorabilibus. sect. 76. *n.* 18. *pagin.* 330.

Discrimen intellectus considerantis parem, vel imparem stellarum numerum, & animadvertentis gravia pro utraque contradictionis parte argumenta quoad vim suadendi æqualia. sect. 69. *num.* 10. *pag.* 297.

Discrimen inter rationem formalem intrinsecam, & determinativam extrinsecam intellectus, & assensus. sec. 72. *n.* 17. *pag.* 314.

Discrimina aliqua inter voluntatem divinam, & creatam circa libertatem eligendi inter æqualia, refelluntur. sect. 47. *pag.* 189. *per totam.*

Quisnam discursus necessarius sit ad fidem? sect. 105. *num.* 1. *pag.* 448. *vide fidies.*

Dispositio, qua intellectus judicet motiva sibi proposita esse sufficientissima ad credendum, licèt actu non credat, an sit sufficiens ad excludendum hæresim, & dubitationem. sect. 82. *num.* 14. *pagin.* 357.

Dominium non tribuit possessio ante tempus à lege præscriptum. sect. 74. *num.* 4 *pag.* 321.

Dubia circa proximum, quomodo interpretanda? s. 17. *n.* 4. & 5. *p.* 60. *s.* 52. 53. & 54. *à p.* 215.

Dubium speculativum non obest rectitudini practicæ operationis. sec. 50. *numer.* 18. *pagin.* 240.

In dubiis parendum. sect. 57. *num.* 1. & *sequentibus.*

Fulcitur ex Jure Canonico. pagin. 240. & 241.

Singularis sententia de libertate, ac necessitate dubitationis, & de ejus natura proponitur. section. 86. *per totam. pagin.* 373. 374. & 375.

Refellitur eadem sententia. sect. 87. *num.* 1. & 2. *pagin.* 376.

Dubitari potest, & assensus præberi, eijsdem motivis perseverantibus, mutatâ

tata tamen libera voluntatis determinatione. sect. 87. num. 3. pag. 376.

Ad dubitandum non debet veritas cognosci, ut assequibilis. ibid. n. 4.

Dubitationis principium non est scientia, sed ignorantia. ibid. num. 5. & 6.

Dubitatio non exigit positivam dubitandi rationem. ibid. num. 7.

Dubium negativum est propriè dubium. ibid. num. 8. 9. 10. 11. & 12. p. 377. & 378.

Dubitare debere esse cum ratione, equivocum est, & explicatur, quo sensu sit verum, & quo falsum? sec. 88. num. 3. pag. 379.

Dubitans, saltem æquivalenter, existimat insufficientia esse motiva ad assentiendum ex vi illorum. sect. 88. num. 5. pag. 379. & sec. 79. n. 8. & sequentibus. à pagin. 342. & sec. 81. num. 9. pag. 354.

Dubitare de uno extremo, & non de alio contrario, aut contradictorio, an sit possibile? sec. 88. n. 8. & 9. pag. 380.

Dubitare liberè de uno extremo, & necessario de alio opposito, an sit possibile? ibid. n. 10.

Dubius in fide, & hæreticus esse potest, is, cui sufficienter fidei credibilitas proponitur. s. 93. num. 6. pag. 399. & 400.

Dubitans in fide positivè hæreticus est. sec. 31. num. 12. pag. 114.

Dubia quo pacto sint in meliorem partem interpretanda? sec. 53. num. 12. pag. 220.

Dubia in meliorem partè esse interpretanda ex Jure Canonico, Patribus, & Scriptura. ib. à numer. 6. pagin. 221.

Dubitare prius benè, oportet in quacumque scientia, vel veritate inquirenda. sect. 61. numer. 6. pagin. 260.

Dubij vinculum dissolvere possumus per cognitionem probabilem modi ligationis. ibid.

In dubio ut pro possessore judicetur, minimè requiritur intercedere, vel probare præscriptionem, sed sufficit probare possessionem. sect. 73. num. 15. pagin. 319.

Ad dubium formale, & intellectuale quid requiratur? sect. 79 à num. 7. pagin. 342.

Dubius in fide cur hæreticus? sec. 79. num. 11. pagin. 342.

Dubitatio in materia fidei quomodo tolli possit? sect. 82. n. 18. pag. 358.

Dubitare an nobis necessarium sit. sect. 81. à à pag. 352. ad 354.

E

Ecclesiæ notæ à quibus tradantur? sec. 94. num. 4. pag. 404.

P. Elizalde argumentum de æqualitate motivorum proponitur. sect. 67. an 1. usque ad 8. pagin. 287.

Ejusdem evasio ad quemdam juris textum. sec. 73. num. 11. pag. 319. Infringitur per totam sec. 73. p. 319. & 320.

Ejusdem doctrina de possessione bonæ fidei, & usucapione traditur. sec. 74. num. 1. & 2. pag. 321. Impugnatur per totam. sect. usque ad pag. 324. & sect. 77. p. 334. & seqq. & sect. 84. per totam. pag. 359.

Mag. Fr. Emmanuel Navarro laudatur, ejus tamen sententia, circa fidei libertatem cum evidentia in attestante, rejicitur. sect. 100. num. 12. pag. 424.

Eximius Doctor. (vide. P. Franc. Suarez.)

Experientia docemur, voluntatem pro suo libito, relicta opinione probabiliori, assentiri posse parti minus verisimili. sec. 76. numer. 17. pagin. 330.

Evidens credibilitas nostræ fidei est physica, ac metaphysica. sect. 94. n. 14. & 15. pag. 405.

Evidens credibilitas rerum fidei stat cum ipsarum rerum obscuritate. s. 96. n. 4. p. 410.

Evidens credibilitas non involvit repugnantiam. sect. 98. num. 6. & 7. pagin. 115.

Evidens fidei credibilitas sit ne positivè supernaturalis? sect. 98. num. 9. pag. 416.

Evidentiam in attestante, regulariter loquendo, exceptis aliquibus Eximiis Prophetis, non fuisse alijs datam, docent plures Theologi. sect. 99. num. 4. pag. 419.

Evidentiam in attestante cum fide stare non posse, plures edocent. sec. 99. num. 9. p. 420.

Evidentia majoris verisimilitudinis in objecto, non est evidentia veritatis absolutè. sect. 66. num. 10. pag. 283.

Evidentia huius principij: Deus est prima veritas, quæ fallere non potest, *nec est necessaria, nec sufficit ad credendum, quę Deus revelat. sect. 103. n. 1. pag. 434.*

Ezechiel Propheta à Duce populi Judaici occisus fuit, quod eos idololatriæ argueret. sect. 33. n. 7. p. 120.

F

Fauſtus Regienſis ut erraverit? ſect. 108. *num.* 11. *pagin.* 464.

In favorabiliori alia cauſa anſit pro poſſeſſore decidendum? differitur. ſec. 74. *num.* 11. *pag.* 323. & 324.

Illuſtriſsim. D.D. Franciſcus Perea, Placentinus Epiſcopus laudatur. ſect. 59. *n.* 6. *pagin.* 252.

Franciſcus Lychetus ſtat pro libertate actus fidei immediata. ſect. 22. *n.* 4. *pag.* 71.

P. Franciſcus Ribera, laudatur. ſect. 99. *num.* 5. *pag.* 419.

V. P. Franciſcus Suarez, Doctor Eximius fidei immediatam libertatem quoad ſpeciem actus ſtabilit, ac protegit. ſec. 16. *à n.* 1. *uſque ad* 11. *à pag.* 53. *uſque ad* 56.

Exim. Doct. edocet in B. V. Maria nunquam fuiſſe errorem, neque ignorantiam pravæ diſpoſitionis. ſ. 85. *per totam. p.* 371. & 372.

Felicitas, quæ habet rationem ultimi finis in communi, neceſſariò amatur à voluntate. ſec. 70. *n.* 12. *pagin.* 306.

Fides, ſeu credulitas quid ſit apud Bartholum? ſect. 1. *pagin.* 3. *n.* 11. & *ſeqq.*

Fidei libertas evincitur argumento ad hominem contra Illuſtriſsim. Palanco. ſect. 92. *n. numer.* 15. *pag.* 403.

Fides, & opinio ſejuncta à formidine poſſunt reperiri circa idem objectum, & in eodem intellectu. ſec. 93. *n.* 15. *pag.* 403.

Idem actus intellectus poteſt eſſe fides, ſcientia, & opinio. ibid. remiſsivè.

Fidei myſteria ſunt evidenter credibilia. ſect. 94. *num.* 1. 2. & 3. *pag.* 404.

Fidei objectum debet eſſe evidenter credibile. ſec. 94. *num.* 10. 11. & 12. *pagin.* 406. & *ſect.* 95. *num.* 4. *pag.* 408.

Fidei myſteria non eſſe impoſsibilia poſsit ne demonſtrari? ſec. 98. *num.* 3. & *ſeqq. pagin.* 414. & 415.

Fidem eſſe Dei donum fulcitur ex Concilio Arauſicano 2. & *ex Scriptura, & PP. p.* 457.

Fides ita eſt Dei donum, ut ſimul ſit opus noſtrum liberum. pag. 458. & *tota. ſec.* 107.

Fidei immediata libertas probatur ex Patribus. ſec. 34. *an.* 6. *uſque ad* 17. *à pag.* 130.

Fidem eſſe evidentem quinam dixerint? ſect. 24. *num.* 4. *pagin.* 82.

Quinam docuerint Fidem nobis eſſe immediatè liberam quoad exercitium, ſecus quoad ſpeciem? ibid. num. 5. *pagin.* 83.

Fidei Chriſtianæ myſteria eſſe evidenter credibilia ex D. Thoma, & aliis. ſect. 66. *num.* 5. *pag.* 282.

Ad fidem ſupernaturalem non ſufficere apprehenſionem ſed requiri judicium de evidenti myſteriorum credibilitate plurimi docent. ſec. 66. *num.* 16. *pag.* 285.

In fide firma certitudo, & nulla dubietas, aut hæſitatio eſſe debet ex Scriptura, & Patribus. ſec. 81. *num.* 11. *pag.* 357.

Fides poſsibilis eſt ſemper ac myſterium eſt ſufficienter propoſitum. ſ. 82. *n.* 17. *p.* 358.

Fides, ut obſcura revelatione fundatur, eſt libera immediatè quoad ſpeciem. ſec. 110. *num.* 2. *pagin.* 421.

Fides libera, & meritoria cum evidentia in atteſtante utrùm ſtare poſsit? Ubi conciliationes diverſæ fidei cum tali evidentia refelluntur, & noſtra ſententia profertur. ſect. 100. *per totam à pag.* 420. *ad* 424.

Fides infuſa non ſupponit fiaem acquiſitam tanquam principium per ſe. ſec. 101. *num.* 7. *pagin.* 427.

De fide eſt, ſingulas fidei regulas continere infallibilem veritatem. ſect. 102. *n.* 5. *p.* 434.

Licet fides ſit diſcurſiva in ipſo fidei diſcurſu exercetur immediata voluntatis libertas, non ſolum in præmiſsis, ſed etiam in concluſione. ſec. 104. *n.* 2. *pag.* 443.

Qui dicunt, fidem eſſe formaliter diſcurſivam quomodo intelligendi? ſ. 104. *n.* 15. *p.* 447.

Fides non eſt formaliter diſcurſiva nec per Syllogiſmum, nec per entimema. ſect. 105. *per totam. à pag.* 448. *ad* 452.

Fidei ſupernaturales aſſenſus frequentiſsimi ſunt abſque diſcurſu formali. ſec. 104. *num.* 16. *pag.* 447.

Formidoloſus aſſenſus in rebus fidei, ſi voluntarius, & pertinax ſit, eſt hæreſis. ſ. 81. *p.* 355.

Formidoloſa aſſenſum abſolutè eſſe impoſsibilē probare videntur ingenioſi Recentioris argumenta. ſec. 2. *num.* 1. & *ſeqq. à pag.* 4. *ad* 8.

Formidoloſum aſſenſum eſſe poſsibilem probatur ex Sacris Literis, Jure Canonico, & ratione. ſect. 4. & 5. *à pag.* 10. *ad* 18.

Formidari ſpeculativè poteſt Judex, dum ſententiam dicit ex præſumptione violenta. ſec. 5. num. 21. pag. 16.

Imò etſi judicet ex præſumptione juris, & de jure. ſect. 5. num. 23. pag. 17. & pagin. 53. 54. 55. & 56. à num. 1. uſque ad 10.

G

Gaudentius Brixienſis laudatur. ſect. 29. num. 8. pag. 104.

P. Gabriel Vazquez docet, quod abſque ulla ratione, ſola inclinatio voluntatis non poteſt ſufficere ad aſſentiendum. ſec. 16. n. 13. pag. 59. & ſeqq.

P. Vazquez non adverſatur opinandi, & credendi liberæ poteſtati. ſec. eadem. numer. 17. 18. & 19. pag. 57. & 58.

Gloſſa in cap. dilecta. verb. ſalubria. fine. de maior. & obed. cap. ad aures. v. obedientia de temp. ordin. & alijs locis docet, parendum eſſe in dubiis. ſect. 57. num. 1. pag. 240.

Gratiæ auxiliis entitativè æqualibus exiſtentibus in duobus hominibus, fieri poteſt, ut alter credat, alter perfidus maneat. ſec. 92. numer. 6. pag. 395.

Gratiæ internæ neceſſitas ad opera ſalutaria ſtabilitur à Patribus, & Concilijs. ſec. 109. numer. 9. pag. 469.

Gratia interna auxilians dividitur in actualem, & habitualem. ibid. num. 10. pag. 469.

Gratia habitualis de fide eſt admittenda. ibid.

Gratia eſt fidei, & operum ſalutarium principalior cauſa reſpectu intellectus, & voluntatis. ſec. 109. num. 14. & ſeqq. pag. 471.

Gratia quomodo trahat mentem, & corda hominum, juxta D. Auguſtinum, & Proſperum. ſect. 110. num. 5. & 6. pag. 475. 476.

D. Gregorius laudatur. ſect. 29. num. 2. p. 101.

P. Gregorius de Valentia laudatur. ſect. 66. n. 12. & 13. pag. 284. & ſ. 34. num. 5. p. 129.

P. Valentia ſententiam de aſſenſu maioris objecti veriſimilitudinis cum diſſenſu ejuſdem directo amplectitur. ibidem.

H

Hæreſis etymologia, ſignificantia, & deſcriptio fusè traditur. ſ. 40. à pag. 158. ad 162.

Hæreticus formalis in eodem inſtanti, quo pertinaciter fidei rebus diſſentit, ſufficienter propoſitam habet hæreſis falſitatem. ſec. 93. numer. 5. pagin. 399.

Hæreticum formalem exiſtentem in ſuo errore non obligari actualiter, ſeu formaliter in conſcientia ad credendum, eſt falſum. ſ. 93. numer. 6. pag. 400.

Hæreticus formalis ſufficientem cognitionem habet ſuæ temeritatis in aſſenſu pertinaci, & hæretico. ſec. 93. n. 13. pag. 402.

Hæreſis peccatum eſt voluntarium in ſe ipſo, & non ſolùm in cauſa. ſ. 93. n. 13. p. 402.

Hæretici aliqui aiebant, nihil eſſe creaendum, niſi quod ratione oſtendatur. ſ. 94. n. 3. p. 405.

Hæreticorum intolerabilis pertinacia, dum maiori, quam cognoſcunt, objectorum credibilitati renuunt aſſentiri. ſ. 66. n. 22. p. 287.

Hæretici pertinacia ex ſufficienti myſteriorum propoſitione conſtituitur. ſ. 66. n. 4. p. 282.

Hæreticus ut aliquis ſit, debet proponi Eccleſiæ authoritas, & eius circa myſteria definitio, ut evidenter credibiles ex Sancto Thoma, & aliis plurimis. ſec. 66. num. 4. pag. 282.

Hæreticus, cui ſufficienter fidei myſteria proponantur, poteſt adhuc pertinax perſeverare. ſection. 66. n. 15. pag. 284.

Hebræis gentile eſt, ut, cum volunt præferre affirment, & cum poſt ponere, negent, & inde aliqua Scripturæ loca explicantur. ſec. 108. n. 6. pag. 463.

Henricus de Gandavo favet indifferentiæ intellectus ad aſſentiendum æquè, & minus veriſimili ex determinatione voluntatis. ſ. 13. n. 1. 2. 3. 4. & 5. pag. 47. & 48.

D. Hilarius laudatur. ſec. 97. n. 2. pag. 412.

D. Hieronymus cum gratiæ cooperatione liberi arbitrij electionem firmat. ſection. 107. num. 8. pag. 459.

Laudatur item. ſec. 23. num. 13. pag. 89. ſec. 28. num. 9. p. 99. ſ. 29. num. 15. p. 105.

Si D. Hieronymus, & Auguſtinus contraria hinc inde docerent, in re ab Eccleſia non definita, utrique poſſem prudenter aſſentiri. ſec. 77. n. 11. pag. 334.

Holchot, vid. Robertus.

Hugo de Sancto Victore laudatur. ſec. 28. numer. 8. pag. 97.

P. Hurtado Petrus, propugnat optimè aſſen-

aſſenſum fidei eſſe proximè liberum quoad ſpeciem. ſect. 23. numer. 19. pag. 78.

I

Illuſtriſsimus D. D. Jacobus Simancas fidei libertatem, & hæreſeos liberam pertinaciam doctè exponit. ſect. 4. num. 5. pag. 159. ſect. 43. n. 2. pag. 171. & ſect. 44. num. 12. pag. 178.

P. Jacobus Granado defendit, intellectum poſſe pro imperio voluntatis deponere opinionem probabiliorem, & aſſentiri minus probabili. ſect. 23. n. 8. pag. 76.

Jacobi Pignatelli doctrina circa ſuaſionem, & delectationem ad fidem præeuntem, rejicitur, niſi aliquomodo explicetur. ſect. 110. n. 18. 19. & 20. pagin. 481. & 482.

Janſenij doctrina de neceſsitate voluntatis damnata eſt. ſect. 110. n. 11. pagin. 478.

Janſenij damnatam doctrinam ſuſcitat Queſnellus rejectus. ſect. 114. ferè per totam à pag. 502. ad 522.

S. P. N. Ignatij juſta laudatio ex doctrina de obedientię virtute. f. 55. per totam.

S. Ignatius Martyr laudatur. ſect. 107. n. 6. pag. 458.

Ignorantia craſſa poteſt ab hæreſi excuſare, licèt non excuſet à peccato mortali. ſect. 17. numer. 6. pag. 60.

Ignorantia excuſat à dolo. f. 41. n. 5. & ſeq. pagin. 164. & 165. vide lata culpa, & ſcientia.

Ignis in centro terræ conſtitutus moveretur, ſecundum diverſas ſui partes, ad partes cœli ſibi correſpondentes, quia diviſibilis. ſect. 70. num. 7. pag. 304.

Illuminatio Spiritus Sancti neceſſaria eſt, ut voluntas velit ſupernaturaliter credere. Ex Concilijs, & Patribus. ſec. 101. num. 18. & 19. pag. 429.

Imperium non tollit actus imperati libertatem. ſect. 104. n. 6. & ſeqq. pagin. 444. 445. & 446.

Imperium intellectuale an requiratur ad peccatum, & in quo conſiſtat imperium? ſec. 63. num. 9. & ſeqq. pag. 268.

Incredulitas non ex Dei præſcientia, ſed ex hominum arbitrio provenit. ſec. 29. n. 14. pag. 104.

Inclinatio, vel affectus non ſufficit ſine ratione aliqua, ut intellectus aſſentiatur. ſect. 16. num. 13. pag. 56.

Infidelitas pertinax non ex ſufficientis conſiderationis defectu, ſed ex prava libera voluntate oritur. ſect. 92. num. 5. pag. 394. Innocentius III. cap. Maiores *de Baptiſmo exponitur. ſect. 109. n. 10. pag. 469.*

Intellectus ſubjacet imperio voluntatis in his, quæ omni evidentia carent. ſec. 4. num. 2. pag. 10. ubi ex Damaſceno, & D. Thoma oſtenditur.

Intellectus aſſentiri nequit, quando nulla aſſentiendi eſt ratio, vt circa ſtellarum numerum parem vel imparem. ſec. eadt n. 3. pag. 11. & n. 4. vbi aliâ exempla notatu digna.

Intellectus licèt violenta præſumptione judicet, tamen non ideo ab illo excluditur omnis formido deceptionis, quoad ſpeculativum judicium. ſec. 5. n. 6. & ſeqq. pag. 15.

Intellectum poſſe aſſenſum præbere æquè, aut minus probabilibus, aut veriſimilibus fusè probatur ex Doct. Angelico. ſect. 9. 10. & 11. à pag. 31. uſque ad 43.

Intelligibile, & ſenſibile duobus modis accipi poſſunt. ſec. 98. num. 6. pag. 415.

Intellectus ferri poteſt in verum vnicè probabiliter tale. ſect. 60. n. 9. pag. 256.

Intellectus debet aſſentiri juxta merita objecti in his, quæ evidentia ſunt; in incertis tamen cuilibet pro determinatione voluntatis. ſec. 60. n. 15. pag. 258.

Intellectus dubiis in ſenſu compoſito dubij neutri extremorum poteſt aſſentiri. ſec. 61. num. 4. pag. 259. Nec aſſentiri poteſt ex præciſſa inæqualitate motivorũ utriuſque extremi, niſi à voluntate determinetur. ſec. 61. n. 8. pag. 201.

Intellectus præcipit actum peccati per judicium practicum, juxta plures Doctoribus. ſec. 63. n. 9. p. 268. & hoc imperium, ſeù judiciũ prævalere poteſt fortiſsimis motivis actu cognitio in homine

peccante cum plena advertentia. ibid. num. 10. *effugium instantiæ, quæ ex imperio isto in adversarios immittitur, præcluditur eadem sect.* 64. *n.* 15. *&* 16. *pagin.* 271.

Innocentius III. exponitur. sec. 109. *num.* 10. *pag.* 469.

Innocentij XI. constitutio damnans, inter alias 21. *propositionem, expenditur. sec.* 101. *&* 102. *à pag.* 425. *ad* 436.

Intellectus potest determinari à voluntate ad dissentiendum objecto post judicium de maiori probabilitate, vel verisimilitudine illius, ex plurium Doctorum sententia. sect. 66. *num.* 8. *&* 9. *pag.* 283.

Intellectus imperium in quo consistat juxta illius assertores. sect. 63. *n.* 9. *& seqq. pag.* 268.

Intellectus inter opposita motiva æquè verisimilia constitutus, si à voluntate non determinetur, anceps necessario manebit. sect. 7. *n.* 9. *pag.* 305.

Intellectus maiori inclinatione propendens in assensum ex aliquo motivo, ad illum non necessitatur. s. 70. *num.* 14. *p.* 306.

Intellectus post imperium voluntatis, potest judicare magis verisimile, imò & absolutè verum, id quod pro priori ad illud, æquè verisimile, ac oppositum apparebat. sect. 72. *n.* 2. *pag.* 309.

Ut intellectus assensum, etiam absolutum, objecto præbeat, sufficit quod obscurè, & verisimiliter repræsentetur. sect. 72. *num.* 10. *pag.* 312.

Intellectus potest assentiri objecto, quod sibi pro priori ad assensum non repræsentatur verum perfectè. sect. 72. *n.* 11. *pag.* 312.

Intellectus in casu sive juris, sive facti æqualium motivorum ante affectum voluntatis, potest ex ejus imperio assentiri cuilibet contradictionis extremo, idque ex utroque jure præsertim fulcitur. sect. 73. *à pag.* 316. *Et inde fusè.*

Intellectus quando dubitet? sec. 81. *numer.* 10. *pag.* 356.

S. Joannes Chrisostomus laudatur. sect. 15. *num.* 14. *pag.* 89. *& sect.* 26. *n.* 5. *pag.* 90.

P. Joannes de Salas, pluribus in locis, tradit, intellectum assentiri posse ex imperio voluntatis opinioni minus probabili sect. 23. *n.* 12. *pag.* 76.

Joannes maior favet indifferentiæ intellectus ad assentiendum æque, aut minus verisimili. sect. 12. *num.* 2. *&* 3. *pagin.* 43.

Doc. D. Joannes Ferreras laudatur, sed illius fidei concordia cum evidentia in attestante oppugnatur. sect. 100. *n.* 10. *pag.* 423.

P. Joannes Marin laudatur. sect. 97. *num.* 9. *pag.* 416. *sed eius placitum circa fidem cum evidentia in attestante refellitur. sect.* 100. *n.* 5. *& seqq. pag.* 422. *tum rejicitur circa fidei discursum sect.* 105. *num.* 14. *pag.* 151.

D. Isidori definitio pertinacis. sectione. 39. *num.* 7. *pag.* 154.

Judas uberem sufficientem gratiam habuit. sect. 110. *n.* 13. *&* 14. *pag.* 479.

Judæi ex Sacris Scripturis sufficienter propositam habuere Christi divinitatem. sect. 97. *num.* 3. *pag.* 413.

Judæi, qui sermones Christi D. audiebant, & tot signa conspiciebant potuerunt immediatè credere. sect. 92. *num.* 2. *pag.* 393.

Judæorum comparativè ad Tyrios iusta increpatio evincit in illis completam sufficientiam proximam ad credendum. sect. 33. *n.* 11. *pag.* 121.

Judex potest ferre sententiam ex violenta præsumptione pag. 14. *num.* 4.

Judicium temerarium quomodo ex odio, & passione inordinata contingat. sect. 54. *num.* 14. *pag.* 229.

Judicium temerarium non precisè consistit in indebita motivorum consideratione, ut docet Illustr. Palanco, qui rejicitur. sec. 54. *n.* 12. *pag.* 229.

Judicans temerè ex levibus motivis sibi notis, verè injuriam irrogat proximo. sec. 54. *num.* 11. *pag.* 229.

Judicium ut temerarium sit, & grave peccatum quid requiritur. sect. 52. *per totam. à pag.* 215. *ad* 219.

De judicio temerario aſſerta quædam nobilium Recentiorum refelluntur. ſect. 54. *per totam. à pag.* 225. *ad* 230.

Jura promptiora ſunt ad abſolvendum, quàm ad condemnandum. ſect. 77. *num.* 15. *pag.* 334.

Juſtitia non eſt in intellectu, ſed in voluntate juxta D. Thomam, ſect. 77. *num.* 18. *& ſeqq. pag.* 335.

L

P. Lambertinus ſtat pro indifferentia voluntatis quoad ſpeciem ad imperandum aſſenſum fidei, vel diſſenſum. ſect. 3. *num.* 11. *pag.* 76.

Lata culpa in delictis non æquiparatur dolo quantum ad pœnam corporalem, & pecuniariam. ſect. 41. *numer.* 8. *pagin.* 165.

Lata culpa æquiparatur dolo, quando lex non requirit dolum, præſumptionem, aut ſcientiam. ſect. 41. *num.* 9. *pag.* 165.

Lata culpa dolo comparatur in actionibus deſcendentibus ex contractu, vel quaſi contractu. ſect. 41. *num.* 9. *pag.* 165. *Vide etiam verbo Pertinacia, Præſumptio Temeritas, & Scientia.*

udabilitas ſumma divinorum actuum liberorum in electione minoris boni, diverſas juxta ſententias, exponitur. ſect. 48. *per totam. à pag. ad* 198.

Libertas eligendi minus, vel æquale bonum in Deo infert ſimilem in creata voluntate libertatem. ſec. 47. *per totam. à pag.* 166. *ad* 194.

Liberum nobis eſſe, vel dubitare, vel aſſentiri in dubio poſitivo, tam juris, quàm facti, ex Jure Canonico, ac Civili, tum ratione probatur, & objectionibus, fit ſatis. à ſ. 73. *ad* 84. *à pag.* 316. *ad* 366.

Liberum eſſe nobis dubitare, & aſſentiri quando adſunt veriſimilia fundamenta ſivè æqualia, ſivè inæqualia pro utraque contradictionis parte. ſect. 81. *à n.* 2. *uſque ad* 10. *pag.* 354. 355. *&* 356.

Liberum arbitrium negaverunt Simon Magus, Bardeſanes, & alij hæretici. ſect. 114. *num.* 2. *pag.* 502.

Liberum arbitrium Plato, & alij Stoici aſſeruerunt. ibidem.

Liberum arbitrium lumine naturæ cognoſcitur perſpicuè ibidem.

Libertas quoad ſpeciem, & quod exercitium contrarietatis, & contradictionis explicatur. ſect. 112. *num.* 1. *&* 2. *pagin.* 487.

Libertati indifferentia, ad merendum, & demerendum requiſitæ, opponuntur plures Queſnelli propoſitiones. ſect. 114. *ferè per totam. à pag.* 505. *ad* 522.

Pro libertate, in dubia cauſa, judicandum. ſec. 69. *num.* 11. *pag.* 297. *& ſec.* 74. *num.* 11. 12. *&* 13. *pagin.* 323. *&* 324.

Mag. Lorca fidei libertatem dilucidè tradit. ſec. 21. *n.* 5. 6. *&* 7. *pag.* 69.

Lucius III. Pontifex exponitur. ſec. 73. *n.* 16. *pag.* 320.

P. Ludovicus Molina tradit immediatam ad credendum, & non credendum, ſeu diſſentium libertatem. ſect. 23. *num.* 5. *pag.* 75.

V. P. Ludovicus de Ponte fidei immediatam libertatem quoad ſpeciem actus conſulcit. ſec. 23. *num.* 6. *pag.* 73.

Card. de Lugo ſtat pro immediata actus fidei libertate quoad ſpeciem actus. ſec. 23. *num.* 15. *pag.* 77.

M

B. V. Maria non habuit errorem, nec pravæ diſpoſitionis ignorantiam. ſec. 85. *num.* 3. *& ſeqq. pag.* 370.

B. V. Maria de rebus incertis definitè non judicabat. ibidem n. 3. *pag.* 371.

Martinus Azpilcueta Navarrus indifferentiam intellectus, & voluntatis libertatem ad opinandum, & credendum edocet, ſingulari quadam tradita doctrina. ſec. 20. *per totam. pag.* 67. *&* 68.

P. Martinus Sparça, ab incohærentia doctrinæ liberatur. ſec. 90. *num.* 12. *& ſeqq. pag.* 388.

Matres magis filios amant. ſec. 6. num. 14. pag. 22. Vide etiam v. Amor.

Matrimonij cauſa favorabilis eſt, & ideò quando teſtes æquales pro utraque parte fuerint, pro valore matrimonij ſtandum. ſect. 69. num. 11. pag. 297. & ſec. 74. num. 11. pag. 323.

Matrimonij in cauſa ſententia lata non tranſit in rem judicatam. ſec. 5. numer. 26. pag. 12.

Merita noſtra ſunt ex gratia, & libero arbitrio. ſec. 108. per totam. à pag. 461. ad 466. Vide etiam. v. opera.

Meritum fidei eius libertatem evincit. ſec. 37. à num. 10. ad 23. pag. 142.

Ad meritum requiritur libertas à neceſſitate. ſect. 107. num. 5. pag. 458.

Methodus diſſerendi, & ſcribendi quænam, & an eadem obſervata fuerit ab Ariſtotele? ſection. 83. numer. 4. & 5. pagin. 360.

Doc. Monteſinos ſubſcribit indifferentię intellectus ad judicandum, & credendum in obſcuris ex imperio voluntatis. ſect. 21. num. 3. pag. 68. & 69.

Mores depravati naufragium faciunt fidei. ſec. 96. num. 4. & 5. pagin. 410. & 411.

N

Nabuchodonoſor captivum Dei populum poſſedit, ſed flagellis clementer admonitus pœnituit. ſec. 33. num. 15. pag. 123. & ſec. 92. numer. 5. 6. pagin. 394. & 395.

Nabuchodonoſorem æternam ſalutem adeptum fuiſſe, ex D. Auguſtino, & alijs Patribus deducitur. ſec. 33. numer. 16. pag. 124.

Naturalis cognitio de exiſtentia, aut veracitate Dei ad fidem ſalutarem non ſufficit. ſec. 103. num. 2. & ſeqq pag. 437.

Naturalis ratio non poteſt eſſe ſufficiens regula virtutum, per ſe infuſarum: ſec. 103. num. 6. pag. 438.

Navarrus, vide Emmanuel, & Martinus.

Neceſſaria non ſunt principia contingentium, neque ex neceſſarijs poteſt evinci contingens. ſec. 7. à numer. 7. ad 10. pag. 24. & 25.

Niphus Ariſtotelem exponens opinandi, & credendi ſtabilit libertatem. ſec. 60. num. 11. & 12. pag. 257.

Notitia divinæ revelationis neceſſariò requiſita ad ſupernaturalem fidem, nullatenus componi poteſt cum formidine, qua quis formidet, ne non loquutus ſit Deus. ſec. 102. ferè per totam. à pag. 432. ad 436.

Notitia divinæ revelationis cum formidine de exiſtentia ejuſdem revelationis ſtare non poteſt cum fide ſupernaturali & ſalutari. ibidem. num. 4. pag. 433.

Notitia ſeu aſſenſus ſalutaris de exiſtentia divinæ revelationis non præcedit omnem actuum fidei, cum talis aſſenſus, ſit etiam vera fides. ſect. 102. numer. 12. pag. 436.

Negativus conſenſus, & diſſenſus libertati fidei exponendæ non ſufficiunt. ſect. 111. & 112. à pag. 482. ad 497.

O

Obedientiæ perfectio juxta P. N. D. Ignatij documenta traditur à ſect. 55. ad 59. à pag. 230. ad 253.

Obedientia intellectus immediatam infert libertatem aſſentiendi, & diſſentiendi objecto magis, & minus veriſimili ex imperio voluntatis, & inde conficitur fidei immediatæ contrarietatis libertas. ſect. 55. num. 5. & ſeqq. pag. 231. & inde fusè.

Obedientia intellectus ut exequenda juxta Exim. Doct. ſect. 56. num. 11. pag. 236. & 237.

Obedientia intellectus perfectionis eſt, non præcepti, exceptis rebus ad fidem pertinentibus. ſect. 56. num. 5. & 6. pagin. 234. & 235.

Obediendum eſt in dubio ſpeculativo negativo, & poſitivo. ſect. 56. num. 13. & 14. pag. 238.

Obedire tenetur ſubditus etiam contra propriam opinionem. ſec. 55. numer. 7. pag. 233.

Obedientia moraliter impoſſibilis redderetur, ſi unicuique ſubdito in particulari prius perſuadendum eſſet, juſtum eſſe quoad præcipitur. ſec. 56. num. 13. pag. 238.

Obediendum non ſolum plerumque, ſed ſemper, quando non conſtat de inhoneſtate rei præceptæ. ſec. 58. numer. 2. pagin. 243.

Objectum formale fidei eſt Deus ipſe. ſec. 103. num. 12. & ſeqq. pag. 440.

Objectum formale fidei eſt Deus ut teſtificans, & revelans. ſec. 103. num. 13. 14. 15. & 16. pag. 441. & 442.

Objectum formale fidei eſſe ſolam Dei auctoritatem, plures docent. ſec. 103. n. 19. pag. 432.

Objectum fidei nihil formaliter dicit, quod intellectum neceſſitet ad aſſenſum. dic. 103. num. 18. pag. 442.

Objectum eſſe abſolutè verum, ut veniat intelligendum. ſec. 80. à num. 4. ad 10. à pag. 347. *ad* 349.

Obſcuritas objecti fidei arguit ipſius fidei immediatam libertatem. ſect. 32. num. 5. pagin. 140.

Omiſsio pura, & libera cenſetur impoſſibilis à communi ſententia. ſec. 111. num. 3. & 4. pag. 483.

Omiſsio pura licet libera foret, nequit eſſe ſupernaturalis. ſec. 111. numer. 5. pagin. 484.

Omiſsio culpabilis actus fidei ſtare poteſt ſine hæreſi. ſect. 81. num. 13. pag. 357.

Operum noſtrorum Deus eſt ſuprema cauſa. ſec. 108. num. 10. pag. 464.

Opera noſtra ſalutaria qua ratione ſint tota à Deo. ſec. 108. num. 10. & 12. pag. 465.

Opera noſtra ſalutaria eſſe dona Dei in ſenſu Patrum, & Conciliorum non officit immediatæ noſtræ libertati indifferentiæ. ſec. 107. & 108. à pagin. 456. *ad* 466.

Opera noſtra ſalutaria ut ſint à Deo, & à nobis? ſec. 109. num. 1. & ſeqq. ubi variæ recenſentur ſententiæ. à pag. 466. *ad* 168. *ſententia noſtra quadantenus ſingularis exponitur. dict. ſect. 109. à num.* 11. *ad* 20. *à pag.* 470. *ad* 473.

Opinionis variæ acceptiones apud Juriſ-Conſultos, Philoſophos, & Theologos. ſect. 1. per totam. à pag. 1. ad 4.

Opinari cum formidine eſſe impoſſibile, ſuadetur à Nobili Recentiore. ſect. 2. per totam. à pag. 4. ad 8. in id alia expendantur fundamenta præſertim ex doctrina Platonis. ſect. 3. per totam à pag. 8. ad 10.

Opinari cum formidine eſſe poſsibile, & ſæpè evenire probatur, maximè ex Jure Canonico. ſect. 4. per totam. à pag. 10. *ad* 13. *& ſect. 5. à pag. 13. ad* 18.

Opinio immediata ſit ne poſsibilis? ſect. 6. per totum. ubi poſsibilitas fulcitur. à pag. 18. ad 23. *& ſect. 7. à pag. 23. ad* 26.

Opinativus aſſenſus colligi non poteſt præciſè ex præmiſsis evidentibus. ſection. 8. per totam à pag. 26. *ad* 29.

Opinio illicita eſt quando ſine prudenti motivo elicitur. ſect. 19. num. 6. pagin. 65.

Ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis quando rectè arguatur. ſ. 98. *num. 11. pag.* 417.

Origenes cenſuit fidei actum immediatè liberum. ſect. 36. num. 6. pag. 138.

Oroſius edocet Deum gratiam ſuam largiri omnibus gentibus cunctis ac ſingulis. ſec. 28. num. 13. pag. 98.

P

Palancus Jaccenſis Illuſtriſ. Præſul. laudatur ſect. 28. num. 2. pagin. 96. illius doctrina refellitur à num. 2. ad 23. à p. 96. ad 101. *ejuſdem circa Tridentinũ expoſitiones tres quoad fidei actus libertatem oppugnantur. ſect. 31. & 32. & 33. à pag.* 110. *ad* 128. *Non rectè aſſerit quod Deus propriè loquendo ſolum tan-*

tangit cor hominis per phiſicam motionem. ſec.33.n.22.& 23.pag.127. Alia ejus doctrina circa judiciũ temerarium refellitur. ſec. 54.num.12. pagin. 229. Non rectè docet, ſubditũ contra propriã opinionem non poſſe obedire ſuperiori. ſect.59.numer.8.pag.253.

Palanci argumenta inficiuntur. ſ.79. per totam. à pag. 340.ad 346. & ſect. 84. per totam. à pag. 366. & ſect.88.num. 1. 2. & 3. pag.379.& ſec. 92. per totam. à pag.392. ad 397. & ſect. 93. à pag.398. ad 403. ubi ſingularis hujus Authoris doctrina refellitur.

D.Pauli eloquentiam laudat Arator, ſ. 25. num. 6.pag.87.eruditionem commendat D. Joan. Chriſoſtomus. ibidem.

Pelagianorum error refutatur.ſection.107. num.2.3.& 4. pagin. 457.& 458.

Pertinaciam eſſe de ratione hæreſis ex Jure Canonico,& Patribus probatur. ſection. 38.per totam à pag.147. ad 152.

Pertinaces juxta Ariſtotelem ſunt immanſivi opinioni, indocti, & ruſtici, iſchyrognomones, & idiognomones. ſect. 38. num.4. & 5. pag. 148.

Pertinaciæ conſtitutiva juxta Theologos expenduntur. ſect.39.per totam. à pag. 152. ad 158.

Pertinaciæ, & hæreſis conſtitutiva ex Jure Canonico, ſect.40. & 41.à pag.158. ad 171.

Pertinacia hæretica ex vitioſa aliunde paſſione ſæpe ortum ducit. ſect. 38. numer. 14.pagin.151.

Mag.Fr.Petrus Manſo laudatur,ſ.37.n.19. p.145. ejus tamen ſententia circa divinæ gratiæ cum creata libertate concordiam, ex negativo conſenſu, & diſſenſu negativo,oppugnatur.ſ.111. & 112. à pag. 482.ad 497.

Pharao Ægypti Rex ſufficienter habuit propoſitam vnius veri Dei notitiam, & voluntatem,ſed obduratus, & perfidus manſit.ſ. 92. n. 6. 7. 8.p.395. & 396.

Poſſeſsio,& præſcriptio vide.uſucapio.

Præſumptio violenta in Jure probationem in contrarium non excludit. ſect. 5. numer.8.pagin.15.

Præſumptio violenta non eſt eadem,ac præſumptio Juris, & de Jure.ſect.5. num. 9. & ſeqq.pag.15. & 16.

Præſumptio ex qua Salomon judicavit in cap. Afferte. fuit violenta,ſed non juris, & de jure.ſect.5.ibidem.

Præſumptio juris, & de jure aliquando probationem in contrarium admittit. ſec.5.num.24.& 25.pag.17.

Præmiſſæ certæ, & evidentes non poſſunt inferre conſequens contingens. ſect. 6. n. 4. & 5. pag.19.

Prima principia poſſunt inductione oſtendi. ſect. 7. num. 2. pag. 23. principia prima quædam ſunt tantum probabilia. ſect.7.num.12. pag. 26.

Principia dici de omni dici de nullo non ſunt particularium omnium ſcientiarum principia prima.ſect. 6.n.7.pagin. 20.

Principiis,dici de omni dici de nullo nititur tota Categoricorum Syllogiſmorum Ars.ibidem.

Principia, dici de ferè omni, dici de ferè nullo, ſunt prima principia dialectica ad Syllogiſmi Topici reſolutionem, & compoſitionem conſentanea. ſec.6. n. 7. pag.20.

Principia eadem accipi poſſunt directè, & reflexè. ſect.6.num.16.pag.22.

Principium,impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe,in oppoſitis veriſimilibus ut veniat intelligendum? ſect.80.num.19. 20.21.& 22.pag.351.& 352.

Probabilem opinionem circa honeſtatem actus licere ſequi, relicta probabiliori, communis eſt doctrina. ſect.56. numer. 14.pag.238.

Prophetæ cur videntes nuncupantur, & an omnes habuerint evidentiam in atteſtante? ſect.99.numer.5. pag.419.

Propoſitio per ſe nota quænam ſit? ſect. 6. num. 9. & 10. pag. 21. poteſt inductione oſtendi.ſect.7.num.2. & 4. pagin. 23.& 24.

Propoſitio,Mater diligit filium, eſt per ſe nota quoad probabilitatem.ſec.6.num.7. 9. & 11.pag.20.& 21.

Propoſitio probabilis non poteſt deduci præcisè ex certis, & neceſſariis. ſect. 6. num. 9. pag. 21.

Propoſitio poteſt eſſe per ſe nota in ratione probabilis, & improbabilis. ſect. 6. num. 15. pag. 22.

D. Proſper gratiam Gentibus à Deo conceſſam commendat. ſect. 28. numer. 12. pag. 98.

D. Proſper immediatam fidei libertatem illuſtrat. ſect. 35. à num. 7. ad 11. pag. 134. 135. & 136.

Q

Queſnelli damnatæ propoſitiones quadraginta tres ſignanter refelluntur. ſection. 114. à num. 1. ad 56. à pag. 502. ad 522. Ubi plura contra Janſenium.

Queſnelli propoſitiones omnes, & ſingulæ in Clementina Conſtitutione UNIGENITUS, proſcriptæ, juxta Sacros Canones univerſim refutantur. ſection. 114. numer. 52. pagin. 522.

R

Raphael Averſa ſtat pro immediata judicandi, & credendi libertate in rebus obſcuris. ſect. 21. num. 10. & 11. pag. 7.

Rationes æquales non ſunt ſicut nullæ. ſect. 73. & plurib. ſeqq. à pag. 316. ſed præcipuè. ſect. 78. pag. 336.

Regulæ juris quomodo in dubiis rem adjudicandam decernant? ſect. 83. numer. 7. & 8. pagin. 361. & locis numer. 7. indicatis.

Relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus. ſect. 89. num. 11. pagin. 388.

Revelatio divina conſtituit ſaltèm inadæquatè ob jectum formale fidei. ſec. 103. numer. 9. pagin. 439. & numer. 11. & 12. pag. 440.

Res judicata pro lege habetur. ſect. 5. num. 25. pag. 17.

Ricardus de Mediavilla favet indifferentiæ intellectus ad aſſentiendum aut diſſentiendum in obſcuris ex imperio voluntatis. ſect. 12. à num. 4. ad 8. pag. in 44. & 45.

S

Scientia Media ex Sacris Literis probatur. ſ. 33. à n. 9. ad 12. p. 120. 121. & 122.

Scientia per ſe infuſa non eſt diſcurſiva. ſec. 106. n. 4. pagin. & ſequentib. pagin. 453.

Scientia infuſa Chriſti Domini fuit perfectior quàm ſcientia Angelorum, juxta D. Thomam. ibidem.

Sine ſcientia dolus non reperitur. ſect. 41. num. 4. & ſeqq. ubi de dolo, & præſumptione. pag. 164.

Scotus Subt. Doct. laudatur. ſect. 24. num. 10. pagin. 84.

Scriptor, niſi aliud ſignificet, cenſetur adhærere ſententiæ ultimo loco relatę. ſect. 83. num. 2. pag. 360.

Doct. Servera laudatur. ſection. 37. numer. 16. pag. 144.

Statera rectè conſtituta in ponderibus menſurandis multiplici diſcrimine differt ab intellectu in judicando. ſec. 69. num. 14. & ſequentib. à pagin. 298. ad 301.

Statica edocet, æquilibria non eſſe ſemper pondera æqualia, & corpus intrinſecè minoris ponderis poſſe in ſtatera habere majus momentum. dict. ſect. 69. num. 24 & 25. pag. 300.

Stellæ ſunt innumerabiles. ſec. 69. numer. 4. pagin. 296.

Stellarum viſibilium etiam teleſcopio numerus non idem juxta diverſorum obobſervationes. ſect. 69. n. 5. & 6. p. 297.

T

Terræ conſiſtentia an ex æqualitate inclinationis proveniat. ſec. 70. à num. 1. ad 9. à pag. 301. ad 303.

Teſtamenti cauſa favorabilis eſt. ſect. 69. n. 11. pag. 297. ubi alia favorabiles cauſæ notantur.

Teſtator, vide voluntas.

Teſtes ubi pares fuerint numero, & aliis qualitatibus, reo favendum potius, quàm actori. ſection. 73. num. 9. & ſeqq. pagin. 318.

D. Thomæ Angelici Doctoris elogium. sect. 9. num. 2. illius doctrina propugnatur, tota ead. sect. tũ 10. & 11. à pag. 29. ad 43. & sect. 38. à num. 4. ubi pertinatię ratio exponitur. pag. 148. 149. & 150. & sect. 70. pag. 301. & sect. 106. pag. 452. & sect. 112. num. 14. pagin. 493. ubi voluntatem non ab alio sed à se ipsa determinari, docet, & sec. 110. n. 17. pag. 480. Exponit locum D. Joan. cap. 6. v. 45. ubi de gratia trahente: ac totus ferè tractatus Angelici Præceptoris fulcitur Authoritate, & observanda eruditione.

V

Verba ex causa dicendi debent intelligi. sect. 114. n. 49. pag. 518.

Verbum oportet quid denotet. sect. 114. num. 24. pag. 509.

Verba absolutè prolata intelligenda sunt simpliciter, & secundum communem usum loquendi, ex Jurisprudentum mente. sec. 64. num. 10. & seqq. pagin. 274.

Ex verbis inordinatè prolatis quandoque incurritur hæresis. sect. 109. numer. 7. pagin. 469.

Verisimilitudo potest adesse, & cognosci simul in contrariis, & contradictoriis propositionibus. sect. 80. numer. 6. & seqq. pag. 348. & inde fusè.

Veritas simpliciter talis in apprehensione non reperitur. sect. 80. num. 7. 8. & 9. pag. 348. & 349.

Verum absolutè quid veniat intelligendũ? ibidem. & sect. 72. num. 11. pagin. 312.

Verisimiliora possunt esse quæ sunt falsa. sect. 66. n. 20. pag. 286.

Victrix delectatio prævia in voluntate necessaria non est ut voluntas determinetur. sect. 110. num. 6. & seqq. pagin. 476. & seqq.

Victrix delectatio quænam posit nunca-pari? sect. 110. num. 16. pag. 480.

Voluntas Divina potest eligere creaturas minus perfectas ad finem suæ gloriæ. sec. 46. num. 10. & seqq. pag. 188. & sect. 48. per totam. à pag. 194. ad 198. ubi de summa Dei laudabilitate in cunctis ejus operationibus.

Voluntas creata potest eligere minus, & æquale bonum. sect. à 46. ad 51. à pag. 185. ad 214.

Voluntas Angeli in statu viæ fuit libera ad imperandum assensum, vel dissensum revelatis. sect. 113. num. 2. & seq. à pag. 498. ad 500.

De voluntate Animarum in Purgatorio existentium, & damnatorum quid dicendum veniat? sect. 113. num. 10. & seqq. pag. 500. & 501.

Voluntas testatoris an ex conditione legato adjecta faciat, ne falcidia lex in eo locum habeat? vel potius conditio deficere censeatur. sec. 78. num. 13. & 14. pagin. 339.

De voce disceptationes in Theologia Scholastica utiles, imò & necessariæ sunt. sect. 109. num. 8. pag. 469.

Usucapionis definitio expenditur. sect. 74. numer. 3. & seqq. à pag. 321. ubi de multiplici discrimine inter possessionem, & proprietatem.

Usucapio quare adjectio dominij sit? ibidem. num. 5. & 6. pag. 322. ubi ratio traditur, ut in dubiis possessoris condio sit melior. num. 8. & seqq.

Alius posset confici Index textuum præsertim Juris Canonici quibus hic tractatus nititur, sed brevitatis ergò prætermittitur, & quia ex Indice sectionum, & rerum Juris studiosus exiguo labore opem capessere poterit.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Staatl. Kop.
Est. 29
Tab. 1a
Num. 11

MASCARE
DE
Libertat
Actus
Divina
Fidei

4492
9878